COLLEGIJ SANCTI THOMÆ COMPLUTENSIS. IN OCTO LIBROS PHYSICORUM...

Colegio de Santo Tomás

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
7 0
14

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
55
2B
17
ROMA

R.IX.45

COLLEGII SANCTI THOMÆ COMPLVTENSIS.

IN OCTO LIBROS PHYSICORVM Ariſtotelis Quæſtiones

Secunda editio.



Anno 1692.

CVM PRIVILEGIO.

Compluti: Typis Iuliani Garcia Briones, Typographi Vniverſitatis.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
70
14

ILLVST.mo AC EXC.mo D. D. Fr. Ioanni Thomæ de Rocaberti,

Prædicatorum Ordinis quondam Generali Magiſtro, Archiepiſcopo Valentino, totieſque Valentini Regni Duci Generali, & Prorregi eximio. atque contra Hereticam pravitatem Inquiſitori Generali.

&c.

PRodit iam, Excellentiſsime Princeps, opus Philoſophicum, cui vltimam adhiberi manum, & noſtrates iure expectabant, & alieni immerito diffidebant; nec enim tardior greſſu Bobem incidere, quam Leonem, deſidiæ adſcribitur otij, ſed cautelæ præcipitij: Complet quippe tardius Bos deſtinatum curſũ, vt in concuſo ſemper pede perveniat ad ſtadium. Prodit ergo ſcientia de ente quidem mobili, ſi obiectum attendas; immobilis tamen, ſi noſtra vota in tuum patrocinium aſpicias. Tua erga nos Regia munificentia ad te confugere cogit: noſter erga

gate obſequioſus amor alio aſpirare non ſinit: vel tua in nos beneficientia ad huiuſmodi nuncupationem ſatis eſſet, vel noſter erga te fidelis impulſus ſufficeret. Noſtrum hoc Divi Thomæ Collegium, vt te nunc Parentem veneretur egregium, olim gremio fovit velut tenellum filium: nec tibi vt Patri, poterit in Muſæum hoc tutela deeſſe; nec ipſi in te vt filium poterit amor vnquam deficere.

Nec tua ſolum ad hoc nos compulit magnificentia, ſed ſuaviter, nec minus fortiter invexit doctrina. Librum quippe modo de ſapientiæ tuæ theſauro edidiſti, cui vt Papæ authoritatem pro viribus defenderes, nova, & vetera reſervaſti. Librum, cui merito conſonat illud Prophetæ: *Ecce video volumen volans*, vel vt alij legunt, *falcem volantem*: ipſe quippe dum velut falx enaſcentes inter triticum ariſtas evelit, Domini herreum vſque ad ſidera attollit. Emicat in eo vera Theologia ex revelatis in Scriptura, Concilijs, & per Apoſtolicam traditionem acceptis aureo filio, nec flexibili pendens, à quo ſi Catholicum ducatur imperium facile novum illudet concillabuli Labyrinthum. Miratur in eo Magiſter Thomas Thomam Diſcipulum, nos que vtramque miramur, dum diſtinguimus neutrum: ſiquidem quippe D.

Thomæ Gladius,quo à Paradyſo Eccleſiæ ſuperbientes arceantur, cum in tuo fulgurat libro, & ſi alio dignoſcatur evaginatus brachio, eodem tamen agnoſcitur vibratus impulſo. Cum ergo ſapientia ancillas ſuas invitet ad arcem, Philoſophia, quę præcipua eſt Sacræ Doctrinæ ancilla. Theologiæ tuæ accurrit imperio, vt te Duce, ſupremo ſiſtat mancipata dominio. Suſpice ergo Thoma noſter, noſtri Thomę Philoſophicum munus, quod & munificentiæ tuæ exhibeat memoriam, & tuæ Sapientiæ lucis manifeſtet ſcintillam. Interim te Deus incolumen ſervet Eccleſiæ, Religioni. & nobis. Compluti die 8. Ianuarij Anni 1695.

Pro Collegio. D. Thomæ Complut.

Tuæ Excellentiæ humillimus filius.

Fr. Ioſeph de Merillas.
Magiſter, & Rector.

Nos

NOS Fr. ANTONIVS CLOCHE SACRÆ THEOLOGIÆ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & ſervus,

CVm nobis expoſitum ſit, Reverendiſsimum P. M. Fr. Carolum de Rayona, dum officij Regentis noſtri Collegij S. Thomæ Complutenſis, & Cathedratici Primarij munus in eadem Vniverſitate exerceret, curſum Artium in publicam ſtudentium vtilitatem, & doctrinæ D. Thomæ elucidationem, præ lo mandaſſe; quod quidem vtiliſsimum opus, in Confeſſorem, & Conſiliarium Regis Catholici aſſumptus perficere nequivit; Nos attendentes quantum vtilitatis ac ſplendoris, non ſolum Doct. Angel. Diſcipulis, verum etiam ipſi S. Thomæ Collegio, ex eiuſdem operis perfectione accreſcet; horum ſerie, noſtrique officij authoritate mandamus R. P. Rectori eiuſdem Collegij pro tempore, vt de prædicto opere perficiendo quantum ad ipſum attinet quam totius curet: R. A. P, M. Fr. Petro de Palacios eiuſdem Collegij Regenti, & eadem Vniverſitate Moderatori Primario, in meritum S. Obedientiæ præcipimus, vt pro communi Religionis, & doctrinæ D. Thomæ ſplendore hoc onus ſubeat, & proprio ſupreſſo nomine, Collegij nomine curſum proſequatur, & perficiat; prohibentes ne poſt huius curſus perfectionem, alterius eiuſcumque Authoris liber in eodem Collegio ſtudentibus proponatur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Dat. Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam, die 14. Octobris 1691.

Fr. Antoninus Cloche,
Mag. Ord.

Regiſt. Fol. 12.
Fr. Franciſcus Blanco
Mag. & Soc.

Li-

Licentia de los Superiores.

TIene el Colegio de Santo Thomas de Alcalà licencia del M.R.P. M. Fr. Domingo Perez, Cathedratico de Prima de la Vniverſidad de Salamanca, y Provincial de la Provincia de Eſpaña, Orden de Predicadores; del Ordinario, y del Conſejo Supremo de Caſtilla, para imprimir vn libro intitulado: *Collegij S. Thomæ Complut., in octo libros Phyſicorum Ariſtotelis Quæſtiones*. El qual aprobaron por la Religion los M. RR. PP. MM. Fr. Matheo Caro de Montenegro, Prior del Convento Real de Nueſtra Señora de Atocha, y Fr. Iuan Martinez de Mora, Prior del Convento de Santo Thomas de Madrid. Por el Ordinario el Dr. D. Diego Caſtel Ros de Medrano, Dignidad de Theſorero, y Canonigo de la Santa Igleſia Magiſtral de Alcala, y Cathedratico de Prima de Santo Thomas de la Vniverſidad. Y por el Conſejo, el Reverendiſsimo P. Fr. Franciſco de Santo Thomas, Rector del Colegio de Padres Carmelitas Deſcalços de Alcalà.

Suma del Privilegio

TIene Privilegio el Colegio de Santo Thomas de Alcalà, por tiempo de diez años, para que nadie ſin ſu licentia ſpueda imprimir eſte libro intitulado: *Colleg. S. Thomæ Complut. in octo libros Phiſicor. Ariſtotel. Quæſt.* Como conſta mas largamente del miſmo Privilegio. Dado en Madrid à 25 de Octubre de 1691.

Su-

Suma de la Taſſa.

LOs Señores del Conſejo, taſſaron eſte libro intitulado: *Collegi. S. Thomæ Complut. in octo libros. Phyſicor. Ariſtot. Quæſt.* à ſeis maravedis cada pliego, como conſta del teſtimonio. Dado en Madrid à 19. de Enero del año de 1692.

Errata ſic corrige.

PAg.6. columnn.1. lin.19. hæc. leg. hoc: Pag. 59. colum. 1. lin, 18. ipſius. leg. ipſa.. Pag. 63. columnn.2. lin. 23. valbum.leg.album, Pag. 96. columnn.1. lin. 16. ſide. leg. ſive, Pag. 107. columnn. 1.lin. 1. ſunt. leg. ſumi. Pag. 117 columnn.2. lin.2. exiſtentis. leg.exiſtentijs, Pag. 130. columnn 2.lin. 19. conſeq.leg. ſequelam. Pag. 436. columnn. 1. lin 21. denominantibus, leg. denominatibus. Pag, 436. colum. 1 .lin. 37. in confirmi. leg. in confirmatione. Pag. 450. colum, 2.lin. 11.omni. leg. omnis. Pag. 559. columnn. 1. lin. 24. Ripalda.leg, Ripa. Pag. 607. columnn.2 lin. 34. obnimian, leg. ob minimam.

De ordem del Conſejo he viſto eſte libro intitulado: *Colleg. S. Thom. Complut. in octo lib. Phyſ. Ariſt. Quæſt*. Y con eſtas erratas corresponde con ſu original. Madrid Enero 16. de 1692.

Lic. D. Joſeph Simon de Olivares, y Balcazar.

Proœ-

PROŒMIVM.

PHiloſophi documento premoniti, qui abſurdum eſſe putavit quærere ſimul ſcientiam, & modum ſciendi, vt ad ſcientiam poſſemus pervenire, præmiſſimus eam partem Philoſophiæ, quæ *rationalis* dicitur, & quæ ſe tota verſatur circa modum ſciendi, illius partes, & ſtructuram ſubtiliter conſiderando. Non imus inficias, curſum nos non ſemel per invia, per arida, per iniucunda traxiſſe, id quod nobis vitio verti non debet, ſed eſt condonandum conditioni materiæ, nimirum ipſius modi ſciendi, qui cum pro formali ſit ens rationis, ſua ſe minima entitate recondit; adeo, vt Aquilinis vix ſe oculis concedat, & intellectui non niſi per reflexionem ſupra ſe ipſum, illum ſpeculari valenti ſæpè tædium ingerat. Hos tamen ſcopulos Philoſophicus iſte curſus non veretur: Philoſophia quippe naturalis ad cuius nos explanationem in hoc opere accingimur, diſtat à Philoſophia rationali, ſive Logica in pluribus, quæ prædictæ naturalis Philoſophiæ capeſſendæ aviditatem ei maximè conciliant, præſtat enim in nobilitate, facilitate, & iucunditate.

2 Percurramus ſingula. Præſtat in nobilitate, quia, vt ait Angelicus Præceptor, res de quibus agit Logica, quæruntur propter aliud, res autem, de quibus Philoſophia tractat, propter ſe ipſas quæruntur: excedit ſane Philoſophia logicam ea ratione, qua inſtrumentum vincit effectum, cui obtinendo deſervit; nam logicam eſſe inſtrumentum quo pro Philoſophia addiſcenda utitur ratio, non eſt, qui ambigat. Præſtat rurſus Philoſophia in facilitate, quia res naturales de quibus tractat, non ſunt adeo abſtractæ, ſed accidentibus ſenſibilibus concretæ. Præſtat tãdem in iucunditate: quia homo, qui naturaliter appetit intelligere, ideſt intus legere, gaudet plurimum, dum rerum ſenſibilium, quæ ſenſu duce, experitur, rationes cauſas, arcana Philoſophiæ magnitudo alte rimatur. Ergo poſt ſalebras ſuperatas, ut arreptum iter optatum videat finem, expeditiores iam Philoſophiæ naturalis placida ſpacia percurramus.

Philoſophiæ definitio.

1 P*Hiloſophia* vox eſt græca compoſita ex *Philos*, & *ſophia*, quarum illa amorem, iſta ſcientiam ſignificat: eſt ergo Philoſophia, ſi vocis ſignificationem ſpectes, *amor ſcientiæ*; ſi tamen rem ſignificatam attendas, Philoſophia non ſcientiæ ſtudium, ſed ipſam ſcientiam ſignificat; non temere, ſed occaſione reſponſi, quod cuidam ſciſcitanti, qua ſcientia polleret, dedit Pythagoras dicens, ſe non eſſe *ſophum* ideſt, ſapientem, ſed Philoſophum, ideſt, amatorem ſcientiæ, quo factum eſt, ut Philoſophia, quæ deſiderium ſcientiæ ſignificabat ex uſu, & conſuetudine ſapientiam ſignificet. Philoſophia in tota ſua latitudine eſt *humanarum, divinarumque rerum cognitio, prout naturali rationis lumine inveſtigari poſſunt.* Dividitur in philoſophiam rationalem, realem, & moralem, Philoſophia realis dividitur iterum in mathematicas, Philoſophiam primam, & Philoſophiam naturalem: mathematicæ ſunt ſcientiæ agentes de quantitate, Philoſophia prima eſt metaphiſica, illa nimirum ſcientia, quæ ens ſub ratione entis conſiderat, entiſque demonſtrat attributa: Philoſophia naturalis græcæ phyſica à verbo *Phiſis*, quod naturam ſignificat; & eſt ſcientia, quæ de rebus naturalibus diſputat: quia vero natura eſt principium motus, & quietis diſputando de rebus, ut natura conſtant, differit de illis, ut mobilibus; id circo philoſophia naturalis, cuius in hoc opere aggredimur explicationem, ſcientia de ente mobili merito poteſt nuncupari.

Diviſio.

2 D Iſſecavit Ariſtoteles Philoſophiam naturalem in plures partes iuxta diverſitatem partium obiecti, & quia ens mobile poteſt conſiderari in communi, & in particulari, vel eſt mobile motu generationis, & corruptionis, vel eſt mobile motu locali, vel eſt mobile motu vitali, id circo primo in octo libris phyſicorum egit de ente mobili in communi, deinde in libris de Cœlo de motu recto, & circulari, poſtea in libris de generatione, & de generatione, & corruptione, & alijs motibus, qui generationem, & corruptionem præcedunt, & ſubſequuntur, ut de alteratione, inciſſione, & accretione, necnon de generatione mixtorum imperfectorum, nivis ſcilicet, rotis, grandinis, fulguris, & fulminis, quod præſtitit in libris metheororum, tandem in libris de Anima egit

de

de motu vitali, & in libris, quos inſcripſit parva naturalia, de affectionibus viventium, ut de ſenſu, & ſenſato, de memoria, & reminiſcentia, de reſpiratione, de ſomno, & vigilia, de ſomnijs, de iuventute, & ſenectute, de longitudine, & brevitate vitæ, atque ad doctrinæ complementum egit de animalibus in libris de hiſtoria, de partibus, de inceſſu, motu, & de generatione animalium egit inſuper de plantis in libro, qui à pluribus creditur non extare, & Ariſtotelis non eſſe, qui inter eius opera circunfertur, & illi falſo adſcribitur.

Inſcriptio, & ordo doctrinæ in libris phyſicorum.

5 Inſcripſit hos libros Philoſophus *de phyſicô auditu, ſive de phyſica auſcultatione*. Pro cuius intelligentia notandum eſt, Ariſtotelem duo edidiſſe operum genera, ſcilicet *exoterica*, id eſt extera, & popularia (ſic dicta, quia propter doctrinæ ſimplicitatem a quovis etiam non Philoſopho poterant facile percipi, cuiuſmodi ſunt Poeſis, Rethorica, & animalium hiſtoria) & acroamatica, id eſt auſcultatoria, ita nuncupata, quia propter eorum ſubtilitatem, ſine duce capi nequeunt, ſed egent viva voce Magiſtri, quam niſi audiendo, & auſcultando intelligi neqnaquam poſſunt.

6 Octo libris doctrinam de ente mobili in communi comprehendit: diſputavit in primo de *principijs intrinſecis* entis mobilis, nempe de materia, & forma. In ſecundo de principijs extrinſecis hoc eſt de *cauſis*. In tertio de motu, & quia motus eſt de genere continuorum, in quibus contingit eſſe finitum, & infinitum, egit ibidem de *Infinito*. In quarto, quia motus exercetur in loco, vel in vacuo, & in tempore, diſſerit de loco vacuo, & tẽpore. In quinto de cõtrarietate motuum. In ſexto de partibus motus. In ſeptimo de ſubordinatione motus ad primum motorem. In octavo de qualitate primi motus, primique motoris: ex quo patet, Philoſophum ſapientiſsime libros phyſicorum ordinaſſe: optimus quippe ordo doctrinæ petit, ut primo cauſas intrinſecas, & extrinſecas obiecti, deinde illius quidditatem, proprietates, & partes tandem eius ad extrinſeca habitudinem ſpeculemur, ſed circa motum in communi, ſive circa ens mobile qua tale, ita proceſsit Ariſtoteles, ut ex nupera conſtat partitione: ergo eos optima methodo ordinavit.

QVÆSTIO PRIMA.

Procemialis.

1 VSus obtinuit, ut præforibus Mercatorum affigantur tituli continentes utilitatem, & dignitatem mercium, quatenus illis cognitis avidius illas emere procuremus, nihilo ſeccius Philoſophi in ipſo doctrinæ ſuæ veſtibulo philoſophię utilitatem, & dignitatem tyronibus inculcant, quatenus earum cognitione præoccupati libenter vigiliarum, aſsiduæque meditationis precio, rerum naturalium æſtiment contemplationem. Ad hunc nos ſcopum collimantes obiectum, & naturam, & modum procedendi philoſophię præambula diſſertatione examinabimus, ut ex obiecto utilitas, atque ex natura, & modo procedendi dignitas eiuſdem facile poſsit expendi.

ARTIC. I.

Vtrùm obiectum formale Philoſophiæ ſit ens mobile?

2 OBiectum formale *quo* Philoſophiæ naturalis eſſe abſtractionem à materia ſingulari, tenet concors Thomiſtarum ſententia cum Angelico Præceptore. Obiectum extenſivum Philoſophiæ eſſe nedũ ens mobile, ſed res plures, quæ expertes ſunt motus phyſici, eſt omnino certum, agit enim Philoſophia de prima cauſa, quæ immota movet univerſa. Obiectum præterea principalitatis eſſe ens mobile ſubſtantiale, nemo dubitat. Quare difficultas præſens non procedit de obiecto formali *quo*, nec de obiecto *extenſivo*, nec tandem de obiecto *principalitatis*, ſed de obiecto *quod* formali, & adæquato Philoſophiæ naturalis.

3 Pro cuius deciſione primo notabis, omnes ferè convenire in eo, quod obiectum formale philoſophiæ eſt ens mobile, & merito: quia, ut docuit Ariſtot. 1. poſter. obiectum ſcientiæ eſt ſubiectum adæquatum propriæ, & univerſaliſsimæ paſsionis, quæ in tali ſcientia demonſtratur: ſed propria, & univerſaliſsima paſſio demonſtrata in Philoſophia eſt motus: ergo obiectum Philoſophiæ eſt ſubiectum motus, ſive ens mobile. Cætera patent, & min. prob. Nam motus demonſtratur in ſola philoſophia, aliàs quidquid phyſicus demõſtrat, ſive ſit materia, forma, aut compoſitum, ſive vacuum infinitum, locus, tempus, aut prima cauſa, conſiderat per ordinem ad motum; ergo propria, & univerſaliſſima paſsio demonſtrata in Philoſophia eſt motus.

Confirm. ex Philoſopho, & Div. Thom. qui 1. poſt. lect. 41. Phyſicam vocant ſcientiam de ſubiecto motus; at ſubiectum motus eſt ens mobile: ergo.

No-

4 Notabis 3. Motum allium eſſe intentionalem, alium vero realem; motus intentionalis eſt motus impropriè: nihil enim eſt aliud, quam tendentia repræſentativa, ſivè affectiva ad obiectum, ſine intrinſeca illius variatione: huiuſmodi ſunt actus cognoſcendi, & appetendi: motus realis eſt vera acquiſitio, aut deperditio alicuius realitatis; huiuſmodi ſunt mutationes rerum, ſive ſubſtantiales, ſivè accidentales. Motus adhuc realis dupliciter poteſt conſiderari, metaphyſicè, & phyſicè: metaphyſicè conſideratus nihil aliud importat, quam rem aliter ſe habere nunc, quam antea. Dicimus hanc eſſe conſiderationem metaphyſicam, quia motus in hac acceptione divagatur per omnia genera, caditque ſub abſtractione propria metaphyſicæ, nempe ſub abſtractione ab omni materia; aliter quippe ſe habere nunc quam prius, nedum in rebus materialibus, ſed etiam in ſpiritualibus contingit. Motus phyſicè conſideratus eſt iuxta diffinitionem Philoſophi inferius exponendam, *actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia*. Id eſt, actualitas vialis conſtituens mobile in tendentia, & fluxu ad vlteriorem formam; huiuſmodi eſt motus corporeus, & ſenſibilis conveniens ſolum rebus materialibus ſubiectis accidentibus ſenſibilibus.

5 Certum debet eſſe, obiectum formale phyloſophiæ non eſſe ens mobile motu intentionali, nec ens mobile motu metaphyſicè conſiderato; ac ſub inde obiectum formale phyloſophiæ eſſe ens mobile motu phyſicè accepto. Ratio eſt: quia obiectum formale philoſophiæ non ſe extendit vltra obiectum formale *quo* eiuſdem philoſophiæ; atqui obiectum formale *quo* philoſophiæ naturalis eſt abſtractio à materia ſingulari concernendo materiam ſenſibilem, teſte D. Thom. opuſc. 70. quæſt. 8. art. 1. ergo obiectum formale *quod* philoſophiæ tantum abſtrahit à materia ſingulari, & concernit ſenſibilem, ſed motus phyſicus, & mobile motu phyſicè ſum pto eſt huiuſmodi, ſecus vero motus, ſivè intentionalis, ſivè metaphyſicè acceptus; hi enim, cum inveniri poſsint in rebus ſpiritualibus, non concernunt materiam ſenſibilem, ſed abſtrahunt ab illa, imò ab omni materia: ergo obiectum formale *quod* philoſophiç eſt mobile motu phyſico, & non motu intentionali, ſivè motu ſumpto metaphyſicè.

6 Notabis 3. ens dici mobile dupliciter, ſubiectivè, & terminativè, ens mobile ſubiectivè eſt ſubiectum, quod in ſe recipit motum, & per illum transfertur de potentia ad actum, vnde mobile ſubiectivè eſt ſubiectum commune vtrique termi-

9 Deindeque notabis: aliquid poſſe dici mobile, vel quia præciſsè poteſt moveri, vel quia non ſolum poteſt, verum etiam petit moveri: priori modo dicuntur mobilia ea, quæ tantum habent in ſe principium paſſivum receptivum motus, poſteriori modo ſunt mobilia, quę nedum in ſe motum recipiunt, ſed habent prætærea exigentiam ſivè inclinationem ad illum. Profecto obiectum Philoſophiæ non eſt mobile in primo ſenſu: tum, quia obiectum Philoſophiæ eſt mobile motu naturali, & mobile motu naturali eſt quod in ſe habet principium inclinans ad motum, motus quippe naturalis ab intrinſeca ſubiecti propenſione progreditur: tum, quia mobile quod eſt obiectum Philoſophiæ, eſt de quo Philoſophus motum demonſtrat; atqui motus demonſtrari nequit de ſubiecto, quod præciſè eſt capax motus; nam ſola capacitas ſtat cum indifferentia ad motum, & ad carentiam motus; ſubindeque demonſtrari debet de ſubiecto, cui ratione propriæ inclinationis, & exigentiæ motus eſt debitus: ergo obiectum philoſophiæ non eſt mobile, pro vt mobilitas importat ſolam, & nudam capacitatem, ſed vt inſuper importat exigentiam motus, & propenſionem ad illum.

10 His ita præiactis, duplex in præſenti ſuboritur quæſtio prima de re ſecunda de modo loquendi nam cum fere ſit certum Philoſophiam agere de ente mobili, veluti de proprio obiecto, dubitatur primo: vtrum ens mobile, quod eſt obiectū formale Philoſophiæ, ſit ens mobile ſubſtantiale, an potiùs ſit ens mobile abſtrahēs à ſubſtantiali, & accidentali, ideſt, vtrum obiectum formale Philoſophiæ ſit determinate ſubſtantia, & nunquam poſsit eſſe accidens, an potius ſit aliquid abſtrahens à ſubſtantia, & accidenti, ita vt illius inferiora, nempe mobilia, de quibus, vt de proprio obiecto agit Philoſophus, ſint nedum ſubſtantię, ſed etiam accidentia. Dubitatur ſecundo: dato, quod ens mobile, corpus mobile, ens naturale, & ſubſtantia naturalis in re ſint idem, qua ratione melius exprimatur formalitas obiecti Philoſophiæ, illud ne ſignificādo per ens movile, an illud explicando per ens naturale, per ſubſtantiam naturalē, ſivè per corpus naturale?

11 Circa primam difficultatē tenuit Caiet. opuſc. 3. tract. 4. cui ſubſcribunt Ferrara, Aquarius. Aſtudillo, Iabellus, & Prado, obiectū formale adæquatū Philoſophiæ eſſe ens mobile abſtraens à ſubſtantia, & accidenti. Oppoſitā ſententiam nimirū obiectum formale adæquatū Philoſophiæ eſſe ens mobile ſubſtātiale, ſubſtinent Soto PP. Carmelit. Ortiz, Lerma, & Parra in præſenti;

§. I.

Prima Concluſio.

12 OBiectum formale *quod* adęquatum phyloſophiæ non abſtrahit à ſubſtantia, & accidenti, ſed eſt determinate ens mobile ſubſtantiale.

Primo probatur auctoritate Philoſophi lib. de cœlo cap. 1. textu. 1. dicentis de philoſophia, *quod eſt circa corpora, & magnitudines, atque horum affectus, motus ve, & inſuper circa principia, quæ ſunt ſubſtantiæ, talis verſari videtur*: quæ verba in hunc modum exponit Angelicus præceptor: *quia in qualibet ſcientia opportet conſiderarì principia*, ſubiungit; *quod naturalis ſcientia eſt circa prædicta principia ſubſtantiæ corporeæ, ſcilicèt mobilis, per quod datur intelligi, quod ad naturalem pertinet præcipuè conſiderare de corpore in quantum eſt in genere ſubſtantiæ ſic enim eſt ſubiectum motus, ad Geometram autem in quantum eſt in genere quantitatis*: ergo ſecundum Philoſophum, & Div. Thom. tàm prima principia motus, quam ſubiectum motus, quod præcipue phyſicus conſiderat, ſunt in genere ſubſtantiæ: ſed obiectum philoſophiæ eſt ſubiectum illud de quo motus demonſtratur, ſivè ſubiectum illud, quod continet in ſe prima principia motus: ergo obiectum philoſophiæ eſt ens mobile, quod eſt in genere ſubſtantiæ, ſivè ens mobile ſubſtantiale.

12 Confirm. ex eodem Phyloſopho lib. 6. meth. text. 1. docente, *quod quia phyſica ſcientia eſt circa quoddam genus entis, nam circa talem eſt ſubſtantiam, in qua eſt principium motus, & quietis, quia nec activa, nec factiva eſt*: quæ verba ſic exponit Div. Thom. ibidem: *dicit ergo quod ſcientia naturalis non eſt circa ens ſimpliciter, ſed circa quoddam genus entis, ſcilicet circa ſubſtantiam naturalem quæ habet in ſe principium motus, & quietis*: ergo iuxta Ariſtotelem, & Div. Thom. obiectum formale circa, quod verſatur philoſophia, eſt ſubſtantia, quæ eſt principium motus, & quietis; ſedſubſtãtia, quæ eſt principium motus, & quietis, eſt ſubſtantia mobilis, ſivè ens mobile ſubſtantiale: ergo, obiectum formale philoſophiæ eſt ens mobile ſubſtantiale.

13 Secundo probatur ratione. Obiectum formale adęquatum philoſophię eſt ens naturale; ſed ſolum ens mobile ſubſtantiale eſt ens naturale: ergo ſolum ens mobile ſubſtantiale eſt obiectum formale adæquatum philoſophiæ. Maior patet: *Tùm* ex vocis ſignificatione: nam philoſophia dicitur phy-

phyſica, ideſt, ſcientia naturalis ſivè ſcientia, quæ tractat de rebus naturalibus: ergo obiectum formale, & adequatum eius eſt ens naturale. Tum: quia obiectum formale philoſophiæ eſt quod in ſe habet prima principia motus; ſed quod in ſe habet prima principia motus eſt ens naturale: ergo obiectum formale philoſophiæ eſt ens naturalis. Maior eſt evidens ex prænotatis; nam obiectum formale philoſophiæ eſt ens mobile, ſeu ſubiectum, de quo motus demonſtratur, at ens mobile, ſivè ſubiectum, de quo motus demonſtratur, eſt quod in ſe habet principia motus: ergo. Minor vero conſtat; primum principium motus eſt natura, ſed ens naturale eſt, quod habet in ſe naturam: ergo quod in ſe habet prima principia motus eſt ens naturale. Tùm etiam ex Angelico præceptore, qui 1. phyſicorum lect. 1. docet obiectum philoſophiæ eſſe ens naturale.

14 Nunc minor primi ſyllogiſmi, nempe ſolum ens mobile ſubſtantiale eſſe ens naturale, ſic ſuadetur. Ens naturale eſt quod conſtat natura; ſed ſolum ens mobile ſubſtantiale conſtat natura: ergo ſolum ens mobile ſubſtantiale eſt ens naturale. Prob. minor. Solum ens mobile ſubſtantiale conſtat principijs ſubſtantialibus; ſed natura eſt principium ſubſtantiale: ergo ſolum ens mobile ſubſtantiale conſtat natura: Minor probatur: Natura eſt primum, & radicale principium motus, ſed primum, & radicale principium motus eſt principium ſubſtantiale: ergo natura eſt principium ſubſtantiale. Prob. min. Nullum accidens eſt primum, & radicale principium, ſed poſterius, & radicatum in altero: ergo primum, & radicale principium motus eſt principium ſubſtantiale.

15 Confirm. primo: Primum principium motus eſt ſubſtantia: ergo natura eſt principium ſubſtantiale, ac proinde ſolum ens mobile ſubſtantiale eſt obiectum formale philoſophiæ. Prob. antec. Primo ex Philoſopho 2. text. 4. dicente: *Habent, quæcumque habent naturam, huiuſmodi principia motus, & ſunt hec omnia ſubſtantia*: ergo primum principium motus eſt ſubſtantia.

16 Secundo: quia primum principium movendi aliud eſt ſubſtantia, & accidens tantum eſt principium proximum, cuius tota virtus nititur in ſubſtantia, vt in radice: ergo primum principium motus in ſe recepti eſt ſubſtantia, & accidens tantum eſt principium proximum, ſeu inſtrumentum, cuius tota virtus nititur in ſubſtantia, vt in radice.

17 Tertio: Calefactio non reducitur ad calorem ig-

nis

nis calefacientis tanquam ad primum principium,ſed ad ſubſtantiam ignis, eo quod ignis vtitur calore, vt inſtrumento ad hoc,vt diſponendo paſſum, & generando in eo ignem ſivi ſimilem,perfectionem propriæ naturæ communicet alijs, & diffundat; ſicut lapidi v.g. deſervit propria gravitas, vt acquiſito centro, propriæ naturæ conſervet perfectionem: ergo motus in centrum nõ deducitur ad gravitatem lapidis tanquam ad primum principium ſed ad ipſius lapidis ſubſtantiam.

18 Quarto: ideo accidens non eſt primum principium agendi,ſeu movendi; quia accidens media operatione non agit ſibi, ſed ſubſtantiæ, nec aſsimilat ſibi effectum, ſed ſubſtantiæ,at accidens medio motu non acquirit ſibi terminum, ſed ſubſtantiæ,vt patet in motu augmentationis, in quo non quæritur perfectio quantitatis,ſed viventis: ergo.

19 Quinto: ſicut vnum quodque operatur,in qũãtum eſt in actu, ita vnum quodque movetur in quantum eſt in potentia, at nulla virtus motiva accidentalis eſt primum principium motionis, ſed reducitur, vt ad primum principium ad ſubſtantiæ actualitatem: ergo nulla mobilitas accidentalis eſt primum principium motus, ſed reducitur, vt ad primum principium motus ad ſubſtantiæ potentialitatem.

20 Confirmatur.2.Sola ſubſtantia eſt natura:ergo ſolum mobile ſubſtantiale eſt ens naturale, ac ſubinde obiectum Philoſophiæ. Ant. prob 1. Natura eſt illud principium, cui motus, ſi eſt conformis, dicitur naturalis, ſi contrarius eſt violentus; at ſolus motus,qui conformis eſt inclinationi ſubſtantiæ, in qua recipitur dicitur naturalis, ſoluſque motus, qui præfate ſubſtantiæ contrariatur, violentus eſt: ergo ſola natura eſt ſubſtantia. Minor, quæ ſola difficilis eſt probatur. Motus eſt naturalis, aut violentus, quia conformis, aut contrarius inclinationi alicuius principij, in quo recipitur; non quia conformis, aut contrarius inclinationi accidentis,in quo nõ recipitur: ergo quia conformis, aut contrarius inclinationi ſubſtantiæ, in qua recipitur. Maior eſt certa: nam reſpectu motus duplex tantum poteſt excogitari principium inclinans ad motum, vel reſiſtens illi, nempe ſubiectum, in quo recipitur, aut terminus, ad quem tendit; ſed nequit motus denominari naturalis, aut violentus, quia conformis, aut contrarius termino *ad quem*: ergo motus eſt naturalis, aut violentus, quia conformis eſt, aut contrarius inclinationi principij, in quo recipitur.

21 Tum, quia terminus *ad quem* indifferens eſt, vt motũs ad illum ſit naturalis, aut vio-

violentus, vt patet in *vbi*, ad quod lapis exiſtens ſupra poteſt naturaliter moveri per deſcenſum, & lapis exiſtens infra movetur violenter per aſcenſum, imò terminus *ad quem* dicitur naturalis, aut violentus, quia conformis, aut diſconveniens naturæ ſubiecti, cui acquiritur per motum: non ergo poteſt à termino *adquem* deſumi naturalitas, aut violentia motus. Tum quia quod non eſt, nequit inclinare, vel reſiſtere; ſed terminus *ad quem* exiſtit pro poſteriori naturæ ad ipſum motum, cum motus ſit via ad prędicti termini exiſtentiam: ergo motus nō eſt naturalis, aut violentus quia prædicti termini inclinationi cōformis eſt, aut contrarius; imò ſi capax eſſet terminus *ad quem* inclinandi, aut reſiſtendi, potiori iure deberet dici inclinari ſemper ad motum, & nunquam illi reſiſtere, aliquando, quia nihil reſiſtit ſui productioni; ſed potiùs videtur ad illam inclinare; ſicut terminus *à quo* nunquam inclinat ad motum, ſed potius illi reſiſtit; quia nihil appetit deſtructionem ſui, ſed illam potius refugit: ex quo ſequeretur, omnem motum eſſe naturalem, & nullum eſſe violentum, quod cum ſit abſurdum, aſſerendum eſt, motum non eſſe naturalem, aut violentum, quia conformis, aut contrarius eſt termino ad quem, ſed quia conformis eſt, aut contrarius ſubiecto motus, ſivè principio, in quo motus recipitur.

22 Tunc ſic: non eſt naturalis, aut violentus, quia conformis, aut contrarius inclinationi accidentis, in quo recipitur ergo eſt naturalis, aut violentus, quia conformis aut contrarius inclinationi ſubſtātiæ, in qua recipitur. Probat. ant. non ideo quantitas naturaliter augetur, quia ipſa quantitas ex ſe petit augeri, ſed quia ſubſtantia, in qua recipitur, eam petit augeri; nec ideo qualitas naturaliter intenditur, quia ipſa qualitas petit intendi, ſed quia ſubſtantia, in qua recipitur, petit, illam intendi: ergo. Ant. prob. Tū, quia quantitas ſecudū ſe, & mathematicè conſiderata indifferens eſt ad augmentū, & decretionem; eius quippe natura ęque ſub paruis, ac ſub magnis dimenſionibus ſalvatur; qualitas etiam metaphyſicè, ſivè ſecundum ſe ſumpta indiffens eſt, vt ſit intenſa, aut remiſſa: ergo quantitas, & qualitas naturaliter augentur, quia ſubſtantia, in qua recipiuntur, earum petit augmentum. Tū quia motus à minori ad maiorem quantitatem in aliquibus ſubſtantijs eſt naturalis v. g. in viventibus, quæ terminum ſuæ magnitudinis non attigerunt, in alijs vero idem motus eſt præternaturalis, aut violentus, vt in viventibus, quæ acquiſito iam termino ſuæ magnitudinis via corruptionis augentur: ſimiliter in aliquibus motus à minori ad maiorem qualitatem eſt naturalis, vt cum aqua

calida redit paulatim in priſtinam frigiditatem; in allijs vero idemmet motus eſt violentus, vt cum aqua calida fit magis calida; at hæc diverſitas reduci nequit ad formam accidentalem, quæ intenditur, vel augetur, cum hæc ſit eiuſdem rationis in motu naturali, & in violento, ſed reduci debet ad ſubiectorum, ſivè ſubſtantiarum diverſitatem, quarum vni motus eſt conformis, alteri vero contrarius: ergo prædictæ formæ accidentales ideò naturaliter augentur, quia ſubſtantia, in qua recipiuntur, earum poſcit augmentum.

23 Vrgetur. Motus ille, quo lapis proiectus ſurſum aſcendit, eſt violentus; quia licèt ſit conformis principio accidentali, nimirum qualitati impreſſæ à proijciente, eſt tamen contrarius ſubſtantiæ lapidis, & eius inclinationi: ergo principium, & ratio, ob quam motus eſt violentus, aut naturalis non eſt accidens, ſed ſubſtantia. *Amplius* primum principium, prædicti motus eſt qualitas impreſſa lapidi; & tamen, quia principium illud ſupponit ſubſtantiam lapidis, cui motus ille eſt contrarius, motus ille non eſt naturalis, ſed violentus: ergo quod motus ſit naturalis, aut violentus non provenit à principio etiam primo accidentali, ſed à ſubſtantia, cui motus eſt conformis, vel contrarius.

24 Dices: Motus, vt naturalis reducitur ad ſubſtantiam, cæterum Philoſophus non agit de ſolo motu naturali, ſed de motu ſecundum ſe, qua ratione nedum ad ſubſtantiam, ſed ad formam accidentalem, vt ad primum principium reducitur vltimate.

25 Contra primo. Philoſophus per ſe primo ſolum agit de motu, cuius principium eſt natura; hic eſt motus naturalis: ergo per ſe primo ſolum agit de motu naturali. Prob. maì. Philoſophus ſolum agit de motu entis naturalis, vt talis, ſolum quippe ens naturale, vt tale, eſt obiectum philoſophiæ, ſed motus entis naturalis, vt talis, eſt motus, cuius principium eſt natura: ergo per ſe primum ſolum agit de motu, cuius principium eſt natura.

26 Secundo. Philoſophus ſolum agit primario de motu quem de ſuo obiecto demonſtrat; ſed ſolum motum naturalem de proprio obiecto demonſtrat: ergo ſolum agit primario de motu naturali. Prob. min. Solum demonſtrat de ſubiecto motum, cuius dantur in ſubiecto cauſæ, & principia, demonſtratio enim per cauſas, & principia debet procedere; ſed motus, cuius dantur in ſubiecto cauſę, & principia, eſt motus naturalis; natura enim eſt principium, & cauſa motus: ergo ſolum motum naturalem demonſtrat Philoſophus de proprio obiecto.

Di-

27 Dices: Philoſophus non ſolum demonſtrat motum de proprio obiecto, ſed etiam mobilitatem proximam; hæc autem, nedum in ſubſtantia, verum etiam in formis accidentalibus habet cauſas, & principia; quia licet calor actu intendatur, quia ſubiectum petit, illum intendi; ex ſe tamen, & independenter à ſubiecto eſt intenſibilis.

28 Contra 1. Mobilitas proxima, quam Philoſophus demonſtrat, non eſt quæcumque mobilitas, ſed mobilitas naturalis; at mobilitas proxima naturalis, ut ad primum principium reducitur ad ſubſtantiam: ergo quidquid demonſtrat Philoſophus reducitur, ut ad primum principium, ad ſubſtantiam. Min. patet, ideo motus, ut naturalis reducitur ad ſubſtantiam, quia moveri naturaliter eſt moveri iuxta inclinationem principij ſubſtantialis; ſed mobilitas proxima eſt poſſe moveri iuxta inclinationem alicuius principij ſubſtantialis: ergo. Mai. vero prob. *Tum*, quia Philoſophus demonſtrat mobilitatem de ente naturali, ut tali, & per ipſius principia; ſed mobilitas demonſtrata de ente naturaliter ut tali, & per ipſius principia eſt mobilitas naturalis: ergo mobilitas, quam Philoſophus de proprio obiecto demonſtrat eſt mobilitas naturalis. *Tum*: quia nomine entis mobilis, ſive proxime, ſive remote omnes intelligunt, id quod habet in ſe principium motus; at ſolum mobile naturaliter habet in ſe principium motus; mobile quippe motu violento, aut præternaturali, eſt mobile à principio extrinſeco: ergo mobilitas proxima demõſtrata in Philoſophia eſt mobilitas naturalis.

29 Nec dicas: ex rationibus factis tantam colligi motum, & mobilitatem, quam Philoſophus demonſtrat: dependere à ſubſtantia in eſſe entis, non tamen dependere ab illa in eſſe ſcibilis.

Nam contra eſt: Rationes factæ prbant motum, & mobilitatem proximam dependere à ſubſtantia, ut à primo principio: ſed quod dependet ab alio, ut à primo principio, dependet ab illo in eſſe ſcibilis: ergo probant dependere à ſubſtantia in eſſe ſcibilis. Prob. min. Scibilitas eſt cognoſcibilitas rei per eius prima principia; ſed quod dependet ab alio, ut à primo principio, dependet ab illo in cognoſcibilitate per ſui prima principia: ergo quod dependet ab illo, ut à primo principio, dependet ab illo in eſſe ſcibilis.

§. II,

Solvuntur obiectiones.

30 OBijcies 1. Subiectum, & principia ſcientiæ in qua,

qualibet ſcientia adæquantur, ita ut ubicumque invenitur ſubiectum, ſive obiectum, ibi ſint principia ſcientiæ, & ubicumque ſint principia ſcientiæ, ibi ſubiectum inveniatur; ſed principia motus, quæ ſunt principia Philoſophiæ, quædam ſunt accidentalia: ergo ſubiectum Philoſophiæ eſt ens mobile, non ſolum ſubſtantiale, ſed etiam accidentale. Cætera patent, & min. docet Philoſophus 12. meth. text. 20.

31 Diſtinguo min. principia proxima motus quædam ſunt accidentia, concedo min. prima principia motus; quædam ſunt accidentia, nego min. ſubiectum autem ſcientiæ conſtituunt principia, non proxima, ſed illa, quæ per modum primæ radicis continent paſſiones talis ſcientiæ.

32 Inſtas; prima principia motus quędam ſunt accidentalia: ergo mobile accidentale ex eis conſtitutum eſt obiectum Philoſophiæ. Prob. antec. Quia Philoſophus 1. & 2. Phyſic. ut explicet principia, ponit exemplum in ſubiecto, forma, & privatione accidentali, v.g. in calido, & frigido, & in privatione frigoris, & caloris; at principia naturalia ſunt prima principia motus; nam conſtituunt ens naturale, ſive ens habens in ſe naturam, quæ eſt primum principium motus: ergo prima principia motus quædam ſunt accidentalia. 2. Primum principium eſt, quod non reducitur ad aliud prius: quędam principia accidentalia non reducuntur ad aliud prius: ergo ſunt prima. Min. prob. in Cœlo mobilitas accidentalis eſt principium motus localis; ſed mobilitas illa accidentalis ad aliā priorem non reducitur, nō enim reducitur ad mobilitatem ſubſtantialem, hæc quippe cœlo repugnat: ergo. 3. Privatio, quæ eſt unum ex principijs accidentalibus motus cœleſtis, non reducitur ad privationem ſubſtantialem: hæc enim cœlo repugnat: ergo eſt primum principium motus localis cœli.

33 Neg. antec. Ad primam probationem. Reſpondetur, quod Philoſophus, ut explicet principia naturalia, ponit exemplum in materia, & forma accidentali, non ut in principijs vere naturalibus, ſed ut in principijs habentibus ſimilitudinem cum naturalibus, & aliàs notioribus, ac ſub inde aptioribus ad explicandū principia naturalia: unde D. Thom. 12. meth. lect. 4. ait quod *Philoſophus utitur exemplo materiæ, & formæ accidentalis loco ſubſtantialis maioris manifeſtationis cauſa.* Sic etiam ipſemet Ariſtot. explicat ſæpe potentialitatem materiæ primæ, exemplo materiæ artificialium, utens non tam rei veritate: quam rerum ſimilitudine, ob maiorem doctrinæ claritatem. Hinc deduces

ces compoſitum accidentale non eſſe ens naturale, quia licet conſtet materia ſecunda, & forma accidentali, ac ſubinde principijs motus, tamen huiuſmodi materia, & forma non ſunt natura, nec prima principia motus; erit tamen ens ſecundum naturam, ſi præfata principia, ſint principia proxima motus conformis principio ſubſtantiali.

34 Ad 2. prob. neg. min. ad cuius prob. iterum neg. min. mobilitas enim accidentalis cœli reducitur ad mobilitatem ſubſtantialem cœli, non quidem terminativam, ſed ſubiectivam, quia licet cœlum non ſit mobile motu terminato ad eſſe ſubſtantiale ipſius cæli, eſt tamen mobile motu radicaliter orto à natura ſubſtantiali ipſius; motum quippe localem petit ex natura ſua cœlum, ut in hæc inferiora poſſit influere.

35 Ad 3. conceſſo antecedenti, neg. conſeq. quia ut aliquod principium non ſit primum, non ſufficit, quod reduci nequeat ad aliud eiuſdem denominationis; ſed requiritur, quod ad aliud abſolute non poſſit reduci, at privatio, quæ principium eſt motus cœleſtis, reducitur ad ſubſtantiam cœli, ratio enim, & cauſa ob quam hæc pars cœli privatur modò ubicatione in oriente, modò ubicatione in occidente eſt ſubſtantia cœli, quæ cum petat, motum ab oriente in occidens petit privationes, ſine quibus non valet motus ille ſubſiſtere.

36 Ob. 2. Prima radix cuiuſcumque motus eſt obiectum formale Philoſophiæ; ſed aliquod mobile accidentale eſt prima radix alicuius motus: ergo aliquod mobile accidentale eſt obiectum formale Philoſophiæ. Prob. min. prima radix motus intenſionis eſt qualitas: ergo prima radix alicuius motus eſt accidens. Prob. ant. *tum*, quia prima radix intenſionis non eſt ſubſtantia, ſubſtantia enim non eſt intenſibilis: ergo prima radix intenſionis eſt qualitas. *Tum*, quia qualitas eſt prima radix prædicati ſibi eſſentialiter, & immediate convenientis; atqui huiuſmodi prædicatum eſt intenſibilitas; hæc enim propoſitio, *albedo eſt intenſibilis*, eſt immediata, & eſſentialis? Ergo idem quod prius.

37 Conf. Quantitas per ſe, & independenter à ſubſtantia eſt mobilis ſecundum locum: ergo aliquod accidens eſt primum principium motus, ac ſubinde obiectum Philoſophiæ: ant. prob. ideo quantitas poteſt moveri localiter, quia diviſibilis eſt, vel quia habet partes extenſas; atqui eſſe diviſibilem, vel habere partes extenſas convenit quantitati ratione ſui, & non ratione ſubſtantiæ, imò ſubſtantia eſt dibiſibi-

lis, & habet partes extenſas ratione quantitatis: ergo quantitas per ſe, & independenter à ſubſtantia eſt mobilis motu locali.

38 Reſp. 1. Quod qualitas ratione ſui non eſt radix intenſionis, quia licet ratione ſui ſit capax intenſionis, tamen nec conectitur cum intenſione, nec illam exigit, nec ad illam inclinat, & patet; nam inclinatio tendit ad aliquid determinatum, qualitas vero ſecundum ſe non petit intenſionem determinatam, ſicut, nec quantitas motum determinatum, aut determinatum augmentum, terminus enim formis accidentalibus præſcribitur à natura iuxta exigentiam ſubiecti, cui deſerviunt. Sed quia argumentum poteſt fieri de intenſibilitate proxima qualitatum, cuius radix eſt ipſa qualitas; nam prædictam intenſibilitatem proculdubio exigit qualitas, & neceſſario qualitas connectitur cum ea.

39 Ideo reſpondetur 2. diſt. mai. prima radix cuiuſcumque motus naturalis eſt obiectum formale Philoſophiæ conced. mai. prima radix cuiuſcumque motus ſecundum ſe ſumpti, & ut præſcindit à naturali, & violento, neg. mai. Poteſt igitur contingere quod aliqua forma accidentalis ſit prima radix motus ſecundum ſe ſumpti, ut qualitas intenſionis, & quantitas motus localis, vel augmenti, ſed cum ſola ſubſtantia poſsit eſſe radix motus naturalis, ſola ſubſtantia eſt obiectum formale Philoſophiæ.

40 Inſtas: intenſio albedinis ſecundum ſe ſumpta, & ut præſcindit à naturali, & violenta, eſt paſsio demonſtrata in philoſophia; & idem dices de motu augmentationis, & de motu locali: ergo ſi forma accidentalis eſt prima radix prædicti motus ſecundum ſe ſumpti, eſt prima radix paſsionis demonſtratæ in Philoſophia; ac ſubinde mobile accidentale per eam conſtitutum, erit obiectum formale Philoſophiæ.

Ant. prob. 1. Intenſio albedinis ſecundum ſe ſumpta in nulla alia ſcientia demonſtratur: ergo eſt paſsio demonſtrata in Philoſophia.

2. Intenſio albedinis, & motus localis ſunt ſecundum ſe motus corporei ſenſibiles; ſed motus corporeus, & ſenſibilis demonſtratur in Philoſophia: ergo.

3. Prædicti motus ſecundum ſe abſtrahunt à materia ſingulari, & concernunt materiam ſenſibilem: ergo per ſe pertinent ad Philoſophiam: patet conſeq. nam quidquid cadit ſub ratione formali *ſub qua* Philoſophiæ per ſe pertinet ad illam, ſed ratio ſub qua Philoſophiæ eſt abſtractio à materia ſingulari concernendo materiam ſenſibilem; ergo ſi prædicti motus ſe-

cundum ſe abſtrahunt à materia ſingulari, & concernunt materiam ſenſibilem, prædicti motus ſecundum ſe pertinent ad philoſophiam.

4. Motus, qui à Philoſopho definitur in 3. Phyſic. actus entis in potentia ſecundum quod in potentia, eſt paſsio demonſtrata in philoſophia; ſed ibi diffinitur motus ſecundum ſe ut abſtrahit à naturali, & violento: ergo idem quod prius.

5. Philoſophia probat, mobile eſſe corpus ex proprijs, ut inquit D. Tho. 1. phyſic. lect, 1. at non probat omne mobile eſſe corpus, quia movetur motu naturali ſed ex eo, quod movetur, quilibet enim motus, ſive naturalis, ſive violentus probat diviſibilitatem mobilis: ergo nedum motus naturalis, ſed etiam motus ſecundum ſe pertinet proprie ad philoſophiam.

41 Reſp. præ nonendo, quod ſub ratione formali *ſub qua* cuiuſvis ſcientiæ non ſolum cadit obiectum formale, & primarium ſcientiæ, ſed alia plura, nẽpe ratio generica obiecti, proprietates illius, ſpecies oppoſitæ, vitia defectus, & huiuſmodi alia: ad quæ omnia conſideranda ſciẽtia ſe extendit, non ęque primo; ſed primo, & per ſe ad obiectum formale; ad alia vero per ſe ſecũdo, & ratione alterius, nempe ratione obiecti formalis, & quatenus ſunt partes ipſius, aut aliquo modo pertinent ad ipſum.

42 Sit exemplum: ſub abſtractione ab omni materia negative, quæ eſt ratio formalis *ſub qua* obiecti logici, nedum cadit ſecunda intentio directiva intellectus, ſed etiam illius ratio generica, proprietates, fallacia, & defectus; quo circa de his omnibus exacte diſputat logicus, ſed non æquæ primo; nam cum finis illius ſit dirigere intellectũ in acquirendis ſcientijs, per ſe ſolum conſiderat ſecundam intentionem directivam intellectus, quę eſt obiectum formale ipſius; ſecundam vero intentionem, ut abſtrahit à directiva, & deceptiva, necnon fallacias, & defectus non per ſe, ſed ratione alterius, & ut ſunt partes, vel aliquomodo pertinent ad ſecundam intentionem directivam, eas logicus conſiderat.

42 Similiter, cum philoſophiæ moralis finis intrinſecus ſit hominem dirigere in agendis, obiectum formale illius eſt rectitudo moralis actus humani: cum quo ſtat, quod moralis philoſophia alia plura conſideret: agit enim de moralitate, ut abſtrahit à bonitate, & malitia; agit præterea de vicijs, de peccatis, de merito, de præmijs, de pœnis, de quibus tamen non diſputat æque primo: verſatur quippe circa rectitudinem moralem primario; cætera vero conſiderat ratione alterius, nempe, vel ut ſunt partes rectitudinis, vel ut illi contrarian-

tur, vel ut aliquomodo dicunt habitudinem ad illam.

43 Quorum ratio elicitur ex ipſa natura ſcientiæ: huius enim natura ſita eſt in eo, quod ſit perfecta, & omnimoda proprij obiecti intra limites ſuæ abſtractionis inveſtigatio, quæ quia plurimum iuvatur ex ſpeculatione generis, proprietatum, contrariorum, necnon vitiorum, quibus illud eſt obnoxium; ideo ſui muneris reputant ſcientiæ, ad hæc omnia conſideranda ſe extendere: verum, quia in prædictis per ſe primo intendunt plenam obiecti formalis cognitionem, fit inde quod obiectum formale per ſe, & ratione ſui, cætera vero ſecundario, & per attributionem ad ipſum contemplentur.

44 Hinc ad primam inſtantiam reſpondetur, quod intenſio albedinis ſecundum ſe ſumpta demonſtratur in philoſophia: quia cum diſputet de intenſione naturali, cuius ratio generica eſt intenſio ſenſibibis ſecundum ſe ſumpta, quæ aliàs cadit ſub propria abſtractione philoſophiæ, ad prædictæ intenſionis naturalis plenam cognitionem debuit agere de intenſione cuiuſvis qualitatis ſenſibilis ſecundum ſe ſumpta, ex quo non ſequitur, quod intenſio ſenſibilis ſecundum ſe ſumpta ſit obiectum formale philoſophiæ; ſed quod ſit genus, aut pars metaphiſica illius; ſicut, nec ſequitur, quod ſecunda intentio, ut abſtrahit à modo ſciendi, & fallacijs ſit obiectum formale logicę ex quo logicus ſecundam intentionem ſecundum ſe conſideret, ſed quod ſit genus, aut pars metaphiſica modi ſciendi, qui obiectum formale logicæ adſtruitur; nec ſequitur, quod malitia moralis ſit obiectum formale philoſophiæ moralis, ex quo Philoſophus moralis conſideret moralitatem, ut abſtrahit à bonitate, & malitia, ſed quod ſit genus, aut pars metaphiſica bonitatis, quæ moralis philoſophiæ exiſtit obiectum. Per quod patet ad primam, & ſecundam probationem antecedentis.

45 Ad 3. reſp. ex dictis; quod quæcumque cadunt ſub abſtractione philoſophiæ pertinent ad philoſophiam, ſed non æque primo. Etenim mobilitas proxima cadit ſub abſtractione à materia ſingulari concernendo materiam ſenſibilem; & tamen non eſt obiectum, ſed paſsio demonſtrata in philoſophia: eſt ergo obiectum formale *quod* philoſophiæ id, quod abſtrahit à materia ſingulari, concernitque materiam ſenſibilem, & alias attingitur ratione ſui, cæteraque ratione ipſius; & huiuſmodi eſt mobile naturale, ſive ſubſtantiale; non vero mobile ſecundum ſe: nam ſi mobilitas ſecundum ſe, & ut abſtrahit à mobili naturali, & violento eſſet obiectum per ſe inſpectum à philoſophia,

æque

æque primo ageret Philoſophus de motu præternaturali, & violento, ac de motu naturali; ſiquidem rationem genericam motus ſecundum ſe ſumpti æque participant motus naturalis, violentus, & præternaturalis; atqui motus præternaturalis, & violentus non per ſe, & ratione ſui, ſed ratione motus naturalis à philoſophia conſiderantur: phyſicus enim per ſe primo agit de motu, cuius cauſas, & principia invenit in ſubiecto, cuiuſmodi eſt motus naturalis, non ſic de motu, qui prorſus accidit mobili, & cuius nulla in ſubiecto ratio præexiſtit, qualis eſt violentus, ſive motus præter naturalis: obiectum ergo per ſe inſpectum à philoſophia neutiquam eſt mobile ſecundum ſe, & vt abſtrahit à naturali, & violento.

46 Ad 4.reſp. quod in 3. phyſic. definitur motus ſecundum ſe non ratione ſui, ſed ratione motus naturalis, cuius eſt pars metaphiſica: quia cum in 2.lib. egiſſet Philophus de natura, ac de motu naturali, vt melius exponeret motum naturalem oportuit explicare genus, nempe motum ſecundum ſe ſumptum.

47 Ad 5.reſp. quod Philoſophus probando ex motu ſecundum ſe ſumpto omne mobile eſſe corpus, probat ex proprijs omne mobile eſſe corpus; ad hoc autem non requiritur, quod mobile ſecundum ſe ſit obiectum formale philoſophiæ, ſed ſuffict quod mobile ſecundum ſe ſit illius pars metaphiſica: ſicut quæ logicus probat ex tractatu de fallacijs, probat ex proprijs; non quia fallaciæ ſint obiectum formale logicæ: ſed quia pertinent ad logicam; vt contraria eius obiecto.

48 Ob. 3. Obiectum formale metaphiſicæ eſt ens, vt abſtrahit à ſubſtantia, & accidenti; quia non ſolum ſubſtantia, ſed etiam accidens radicat paſsiones, quæ in metaphiſica demonſtrantur, nempe vnitatem, veritatem, &c. Sed tam accidens, quam ſubſtantia radicant paſsionem, quæ demonſtratur in philoſophia, nempe motum: ergo obiectum formale philoſophiæ abſtahit à ſubſtantia, & accidenti.

Conf. Sicut metaphiſica agit de ſubſtantia, & accidente, ita philoſophia differit de ſubſtantia, & accidenti, ſed non obſtante dependentia accidentis à ſubſtantia, vtrumque per ſe, & æque primo ſpectat ad metaphiſicam: ergo non obſtante dependentia accidentis à ſubſtantia vtrumque per ſe, & æque primo inſpicitur à philoſophia.

49 Neg. min. nam dato, quod accidens radicet aliquam mobilitatem proximam, vt qualitas intenſibilitatem, motum tamen non radicat: nam radix motus eſt primum

principium inferens motum vi connexionis, aut propenſionis ad illum, & nullum eſt accidens, quod per modum primi principij inſerat motum vi propenſionis, & connexionis cum illo.

50 Secundo reſpond. diſt. min. tàm accidẽs, quàm ſubſtantia radicant motum ſecundum ſe ſumptum, tranſeat min. motum, ut naturalem, nego minor. Quia naturalitas motus deſumitur ex principio ſubſtantiali, cuius inclinationi ipſe eſt conformis; cum vero paſsio per ſe primo demonſtrata in philoſophia ſit motus, ut naturalis, ſit conſequens, accidens, quod motnm, ut naturalem non radicat, nec radicare paſsionem per ſe primo in phyſica demonſtratam; ac ſubinde non eſſe obiectum formale philoſophiæ. Vnde nulla eſt paritas argumenti: quia veritatem, & unitatem, quæ ſunt paſsiones demonſtratæ in metaphiſica, radicat accidens; ita ut, ſi per impoſsibile ſubſtantia non eſſet poſsibilis, accidens adhuc eſſet verum, & unum; cum tamen ſi ſubſtantia repugnaret, accidens non eſſet mobile motu naturali, ac ſubinde paſsionem demonſtratam in phyſica minime radicat: licet ergo ſit accidens obiectum formale metaphiſicæ, non ſequitur, quod ad obiectum formale philoſophiæ accidens poſsit pertinere.

Ad confirm. conceſſo ant. neg. conſeq. quia accidens à ſubſtantia dependet in eſſe rei; ab ea tamen non dependet in eſſe ſcibilis metaphiſici; cæterum dependet à ſubſtantia, nedum in eſſe rei, ſed etiam in eſſe ſcibilis Philoſophici.

51 Replicabis. Ideo dependeret in eſſe ſcibilis philoſophici, quia dependet in eſſe mobilis, quod eſt ſcibile Philoſophicum, ſive obiectum formale philoſophiæ; at hæc ratio non ſubſiſtit: ergo non dependet accidens à ſubſtantia in eſſe ſcibilis philoſophici. Prob. min. Accidens dependet à ſubſtantia in eſſe entis, quod eſt ſcibile metaphiſicum, ſive obiectum formale metaphiſicæ: & tamen non dependet ab illo in eſſe ſcibilis metaphiſici: ergo prædicta ratio non ſubſiſtit.

52 Neg. min. ad probat. diſt. mai. Accidens dependet à ſubſtantia in eſſe entis, dependentia implicita in conceptu communi entis, concedo maior. Dependentia explicita, neg. mai. & conceſſa min. neg. conſeq. Ens enim eſt ſcibile Metaphiſicum ſecundum explicitum conceptũ entis, & cum ens pro explicito non dicat modos, penes quos diſſident inferiora; ac ſubinde non exprimat dependentiam accidentis à ſubſtantia, ſit conſequẽs, quod in ente, ut eſt ſcibile metaphiſicum, prædicta dependentia non reſplendeat: unde paſsiones, quas metaphiſicus de-

demonſtrat, ſequuntur ad ens in ea conſideratione, in qua accidens non dependet à ſubſtantia; nam veritas, bonitas, &c. ſequuntur ad ens, ſecundum id, quod expreſſe repræſentat; conceptus autem formalis entis, vt ſic expreſſe tantum repræſentat eſſe, non curando de dependentia accidentis à ſubſtantia, in participando illud eſſe; quare vbicumque repræſentatur eſſe, invenitur primum principium ad quod metaphyſicus poteſt vltimo reſolvere ſuas concluſiones: cæterum ſcibile Philoſophicum eſt mobile motu naturali, quod ſub nulla conſideratione poteſt intelligi independenter à principio ſubſtantiali: quo circa accidens, nedum in eſſe rei, ſed etiam in eſſe ſcibilis Philoſophici dependet à ſubſtantia: id enim dependet in eſſe ſcibilis Philoſophici, quod dependet in ratione principij demonſtrabi motus naturalis; in ea autem ratione pendere accidens à ſubſtantia manifeſtum eſt ex dictis: naturalitas quippe motus alia via, aut regula probari nequit, niſi per aliquam ſub ſtantiam, quæ motum exigit, vt conformem ſuæ inclinationi.

53 Et in hoc differt accidens, vt ſpectat ad metaphyſicam à ſe ipſo, vt ſpectat ad Philoſophiam: nam vt pertinet ad metaphyſicam, eſt primum principium, de quo independenter à ſubſtantia veritas demonſtratur, quippe radix veritatis eſt ens ſecundum id præciſſe, quod explicat, & accidens, quod in eo præciſè, quod ens explicat, non dependet à ſubſtantia; at accidens, vt pertinens ad Philoſophum non eſt primum principium, de quo motus naturalis demonſtratur, quia prima radix motus naturalis eſt id à cuius exigentia, aut repugnantia motus dicitur naturalis, aut violentus; accidens autem non eſſe huiuſmodi, ſatis ſupra demonſtravimus.

54 Obijcies 4. Non omnis naturalitas reducitur in ſubſtantiam: ergo poteſt accidens eſſe radix motus naturalis; ac per conſequens obiectum Philoſophiæ. Ant. prob. 1. Quia ſpecies ſacramentales naturaliter deſcendunt deorſum, & tamen ibi nulla eſt ſubſtantia. 2. Calori recepto in aqua naturale eſt intendi; & tamen intenſio caloris, ſubſtantiæ aquæ non eſt conformis. 3. Generatio ſubſtantialis eſt naturalis, & tamen non apparet ſubſtantia, ad quam illius naturalitas poſsit reduci; nam compoſitum ſubſtantiale, cum reſultet ex vi generationis, illam non radicat; materia vero prima, cum hæc non magis appetat hanc formam, quam illam, non inclinat poſitivè ad huius formæ generationem: ergo non omnis naturalitas motus reducitur in ſubſtantiam.

55 Neg. ant. ad primam

 prob.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

prob. reſp. diſt. mai., ſpecies ſacramentales independēter à ſubſtantia naturaliter deſcendunt, neg. mai. deſcendunt naturaliter, vt virtutes ſubſtantiæ, conc. mai. quia ſicut prædictæ ſpecies cum operantur, non ſunt principium radicale, ſed proximum operationis, quia operantur, vt virtutes ſubſtantiæ, cui licèt actu non inhæreant, exactivè inhęrent, eſſentialiterque ſubordinantur; ita dum naturaliter deſcendunt, non ſunt principium radicale illius motus, ſed proximum; quia deſcendunt ratione inclinationis ad centrum, quam participant à ſubſtantia.

Ad 2. prob. reſpond. quod intenſio caloris in aqua abſolute eſt motus violentus, eo quod aquæ inclinationi contrariatur; quod ſi calori eſt naturalis, ideò eſt, quia calor eſt virtus ignis ex quo haurit inclinationem ad maiorem intenſionem.

Ad 3. Reſp. quod generatio ſubſtantialis eſt naturalis ratione materiæ primæ, quæ cum appetat omnes formas, appetit motum, ſine quo nequit ad illas pervenire, nempe generationem ſubſtantialem: quod autem appetitus ille, qui de ſe eſt indifferens ad omnes, ad hanc præ illa determinetur, provenit à diſpoſitionibus, quibus ita determinatur ad vnam, vt pateretur violentiam, ſi eidem determinatæ per vltimam hæc determinate forma denegaretur.

56 Ob. 5. Obiectum Philoſophiæ eſt ens mobile: ſed ens mobile præſcindit à ſubſtantia, & accidenti: ergo obiectum Philoſophiæ præſcindit à ſubſtantia, & accidenti.

Reſp. diſt. mai. obiectum Philoſophiæ eſt ens mobile, id eſt, ens præciſsè potens moveri, neg. mai. id eſt ens petēs moveri, cōc. mai. Id vero quod nedum poteſt ſed petit motum eſt ſubſtantia, quia ſola ſubſtantia habet in ſe principium inclinans ad motum. Hinc fit quod cū motus, ad quē in mobili datur ne dum capacitas, ſed inclinatio, ſit motus naturalis; ſolum ens mobile motu naturali eſt obiectum formale Philoſophiæ, ac mobile radicaliter motu naturali non eſt accidens, ſed principium ſubſtantiale.

57 Ob. 6. D. Th. 3. met. lect. 6. & lib. 4. lect. 5. & lib. 6. lect. 1. dicentem quod ſi non eſſet aliæ ſubſtantiæ priores ſubſtantijs mobilibus corporalibus, ſcientia naturalis eſſet Philoſophia prima, id eſt, phyſica eſſet metaphyſica; ſed ſi obiectum Philoſophiæ eſſet ſubſtantia mobilis, adhuc negatis alijs prioribus ſubſtantijs, nempe ſpiritualibus, phyſica non eſſet metaphyſica: ergo obiectū Philoſophiæ non eſt ſubſtātia mobilis. Prob. min. ſi obiectum philoſophiæ eſſet ſubſtantia mobilis, adhuc negatis ſubſtātijs ſpiritualibus reſtaret obiectum ſcibile à Metaphyſica, illāque diſtinguēs à phyſica, nēpe ratio entis

ris cõmunis ſubſtantiæ, & accidenti ergo adhuc in ea hypoteſi phyſica non eſſet metaphyſica.

58 Reſp. neg. min. ad prob. neg. ant. quia negatis ſubſtãtijs ſpiritualibus, licèt remaneret mobile abſtrahẽs ſubſtantiali, & accidentali, illud non eſſet ſcibile à metaphyſica, quia non abſtraheret ab omni materia, ſed concerneret materiam ſenſibilem: eſſet ergo mobile, vt abſtrahit, ſcibile à Philoſophia, ſicut modo, non quidem, vt obiectũ per ſe, & formale ſed, vt genus; & pars metaphyſica mobilis ſubſtantialis: eo quod gaudet vtrũque eadem immaterialitate; ſicut diximus ſupra conſiderari à Philoſopho motum ſecundum ſe; non ratione ſui, ſed quia pars eſt metaphyſice motus naturalis: quare, & ſi ſola ſubſtantia mobilis ſit obiectum phyſicę, ſequeretur, quod negatis ſubſtãtijs ſpiritualibus deficeret metaphyſica; ac ſubinde phyſica eſſet philoſophia prima.

§. III.

Secunda Concluſio.

59 Obiectum formale Philoſophiæ aptius exprimitur per ens mobile, quam per corpus mobile, ſubſtãtia mobilis, aut ens naturale. Cõcluſio eſt communis inter Thomiſtas, quibus ſubſcribunt Conimb. Maſius, Rubio, & alij contra Avicennam, Lyncomenſ. Albertum, Ægidium, Vinc. & plures RR.

60 Et probatur 1. ex Ariſt. 6. met. text. 1. ibi *Naturalis ſpeculativa quædam perfectio eſt, ſed ſpeculativa circa tale ens, quod poſſibile moveri.* Vbi Div. Thom. *ens enim mobile eſt ſubiectum naturalis Philoſophiæ*: cuius etiam rationem reddit idem Angelicus præceptor in prolog. phyſic. dicens: *Phyſicæ obiectum eſt ens mobile ſimpliciter; non dico autem corpus mobile, quia omne mobile eſſe corpus, probatur in iſto libro, nulla autem ſcientia probat ſuum obiectum, & ideo ſtatim in principio de cœlo, qui ſequitur ad iſtum, incipitur à notificatione corporis.* Ex quibus verbis tale fit argumentum. Nulla ſcientia probat ex proprijs dari ſuum obiectum; ſed phyſica probat ex proprijs dari corpus: ergo corpus nulla ratione pertinet ad obiectum Philoſophiæ. Mai. patet, ex primo poſteriorum, vbi habetur vnũ ex præcognitis ad demonſtrationem per quam ſciẽtia acquiritur, eſſe ſubiectum: ergo ſcientia nõ probat ex proprijs, ſed ſupponit dari ſubiectũ. Min. vero patet: qui ſupponit dari mobile, & probat ex natura motus, omne mobile eſſe corpus, ex proprijs Philoſophiæ probat dari corpus; ſed Philoſophia ſupponit dari mobile, & ex natura motus probat omne mobile eſſe corpus: ergo probat ex proprijs dari corpus.

61 Præterea probatur hac ratione: eo nomine exprimitur

aptius obiectum formale Philoſophiæ, quo expræſsius, & certius ſignificatur, tum radix paſſionis, quæ in phyſica demonſtratur; tum ſubiectum, cui convenit eſſe radicem eius paſsionis, ſed eiuſmodi eſt ens mobile, non vero ſubſtantia mobilis, corpus mobile, aut ens naturale: ergo aptius, quam per reliqua exprimitur obiectum formale Philoſophiæ per hoc nomen *ens mobile*. Prob. min. quoad primam partem. Paſsio demonſtrata in philoſophia eſt motus, at radicem motus expreſsius ſignificat ens mobile: ens quippe mobile; nedum iuxta definitionem rei, ſed, & iuxta nominis definitionem eſt id, quod in ſe habet principium motus: ergo. Quoad ſecundam vero partem probatur: eo nomine certius ſignificatur ſubiectum, cui ſoli convenit eſſe radicem motus, cuius ſignificatum ſolum, ſupponitur, vt notiſsimum, eſſe mobile; huiuſmodi eſt ſolum ens mobile: ergo. Prob. min. Omne mobile eſſe ens ſupponitur, vt per ſe notum; nec de eo hactenus potuit aliquis dubitare: mobile vero eſſe corpus, non ſupponitur, ſed probatur in phyſica; deinde omne mobile eſſe ſubſtantiam plures negant; tandem omne mobile eſſe ens naturale dubitatur à pluribus, qui cœlos moveri vident; eos tamen eſſe entia naturalia, non concedunt; ergo nomen, quo expreſſius, & certius ſignificatur, tum radix paſsionis demonſtratę in Philoſophia, nempe motus, tum ſubiectum, cui ſoli convenit eſſe radicem motus, eſt ens mobile.

62 Obijcies 1. eo nomine aptius ſignificatur obiectum formale philoſophiæ, quo exprimitur ſubiectum, cui per ſe primo convenit motus: huiuſmodi eſt corpus, & non ens: ergo obiectum formale philoſophiæ debuit ſignificari per corpus mobile, & non per ens mobile. Prob. min. Motus per ſe primo convenit corpori, & ratione corporis enti; non enim movetur corpus, quia eſt ens, ſed ideo movetur ens, quia eſt corpus: ergo.

63 Reſpond. diſt. mai. Eo nomine aptius ſignificatur obiectum philoſophiæ, quo exprimitur ſubiectum, cui per ſe primo convenit motus, ſi illi ſoli, vt notiſsimum ſupponatur in ſcientia, motum convenire, concedo mai. ſi non ſupponatur, vt notiſsimum, ſed ex proprijs demonſtretur in ſcientia, neg. maior. & quia ſoli enti convenire motum ſupponitur à philoſophia, vt per ſe notum (quis enim niſi fruſtra conetur ſuadere omne, quod movetur eſſe ens?) ſoli autem corpori motum competere, ſive omne mobile eſſe corpus demonſtretur in philoſophia, fit inde, aptius ſignificari obiectum philoſophiæ per ens mo-

mobile, quam per corpus mobile: in hoc enim complexo *ens mobile*, mobile ſignificat principium motus, & ens, licet non ſignificet radicem motus, ſignificat ſubiectum extra, quod, perſe notum eſt, non dari motum, in hoc autem complexo *corpus mobile*, mobile quidem ſignificat radicem motus; corpus verò nec ſignificat radicem motus, nec ſubiectum extra, quod eſt per ſe notum ſed demonſtrabile, non dari motum.

64 Obijcies 2. Si ens mobile eſſet obiectum philoſophiæ, ſequeretur, philoſophiam eſſe partem metaphyſicæ, vel eſſe ſcientiam illi ſubalternatam; vtrumque eſt falſum: ergo & illud ex quo ſequitur. Prob. mai. vel mobilitas addit differentiam eſſentialem ſupra ens, vel accidentalem; ſi primum, erit pars Metaphiſicę: nam ad eandem ſcientiam pertinet agere de ratione ſuperiori, & illam per differentias eſſentiales dividere in ſpecies; ſi dicatur ſecundum, Philoſophia erit ſcientia ſubalternata Metaphyſicæ, ſicut Muſica ſubalternatur Arithmeticæ, quia cum obiectum illius ſit numerus ſonorus, ſupra numerum, qui eſt obiectum Arithmeticę additur differentia numero accidentalis, nempe ſonorum: ergo.

65 . Neg. mai. Ad prob. neg. min. quoad primam partem, & cum dicis, ad eandem ſcientiam ſpectat agere de ratione ſuperiori, & illam dividere in ſpecie per differentias eſſentiales, diſt. antec. Si ratio ſuperior, & differentiæ eſſentiales ſint eiuſdem abſtractionis à materia, concedo ant. ſi diverſæ, neg. ant. & neg. conſeq. Quia in præſenti ratio ſuperior entis abſtrahit ab omni materia, ratio vero mobilis tantum abſtrahit à materia ſingulari: quo circa, eſtò mobile ſit differentia eſſentialis entis, ſtat quod ens, & mobile ad diſtinctas ſcientias pertineant: alias cum nulla differentia accidat enti, ſequeretur ſcientiam de ente agere per ſe de omni ente, ac ſubinde nullam pręter vnam metaphiſicam ſtare ſcientiam, quod eſt abſurdum.

66 Obijcies 3. Illud debet ſtatui obiectum philoſophiæ, quod eſt radix omnium paſsionum, quæ in ea demonſtrantur; ens mobile non eſt huiuſmodi; bene tamen ens naturale: ergo Prob. min. Quieſcibile eſt paſsio phyſica, cuius radicem non explicat mobile; illam tamen explicat naturale, cum natura ſit principium motus, & quietis: ergo.

67 . Neg. mai. ad prob. reſpond. 1. quod mobile ſufficienter dicit radicem quietis, nam cum motus tendat ad quietem, motus, & quies non opponuntur; ſed conveniunt in radice: quare dicendo obiectum Philoſophiæ eſſe mobile, ſufficienter

ter innuitur: illud etiá eſſe quieſcibile. 2. *Reſpond.* obiectum philoſophiæ, ſufficienter ſignificari nomine exprimente radicem præcipuæ, & vniverſalis paſsionis in phyſica demonſtratæ, & quia talis eſt motus; hunc enim omnia natura conſtantia participant, quies vero, cum privatio ſit, ſit quoque minus præcipua, nec vniverſaliter ab omnibus participetur: plures enim tenent cœlos non eſſe principium quietis; id circo per ens mobile ſufficienter ſignificatur philoſophiæ obiectum.

68 Ob. 4. ens mobile abſtrahit à ſubſtantiali, & accidentali, at obiectum philoſophiæ non ſic abſtrahit. ergo non ſignificatur bene per ens mobile. *Confir.* ens mobile abſtrahit à mobilitate radicali, & proxima; obiectum philoſophiæ non ſic abſtrahit: ergo idem, quod prius.

Reſp. quod ens mobile abſtrahit, & eſt ſuperius in ſignificando ad ſubſtantiale, & accidentale; non enim exprimit determinate ſubſtantiam, vel accidens: in re tamen, & in ſupponendo non abſtrahit, ſed eſt determinate ſubſtantia: ſola quippe ſubſtantia eſt principium radicale motus, ſed quia hoc ipſum eſt ſub lite inter Philoſophos, qui tamen non dubitant, id quod eſt mobile, eſſe obiectum philoſophiæ; ideo non ſtatuitur obiectum philoſophiæ ſubſtantia mobilis, in quo aſſeritur, quod eſt dubium, ſed ens mobile, in quo; dum præſcinditur à ſententijs, aſſeritur, quod eſt certum.

69 Ad confir. reſp. quod licèt mobile ex vi ſuæ impoſitionis vtrumque ſignificet, nempe principium radicale motus, & proximum; tamen cum agitur de obiecto philoſophiæ, ſatis conſtat ex vſu, & iuxta ſubiectam materiam, accipi pro radice motus; nam quis neſcit obiectum non eſſe paſsiones, ſed radicale principium paſsionum, quę demonſtrantur in ſcientia.

70 Denique obijcies. Non omni enti convenit mobilitas: ergo non aſsignatur congruenter obiectum philoſophiæ per ens mobile. Prob. conſeq. Ideò non aſsignatur congruenter obiectum Philoſophiæ per corpus mobile, quia ſubiectum propriũ motus eſt, cui ſoli convenit motus, & non ſupponitur, vt notiſſimum in Philoſophia, motum corpori, & ſoli corpori convenire; ſed ſubiectum propriũ motus eſt, cui omnis convenit motus, & non omni enti convenit motus: ergo nec aſsignatur congruenter obiectum Philoſophiæ per ens mobile.

71 Neg. conſeq. ad prob. nego conſeq. Nam debet ſtatui obiectum formale philoſophiæ id, quod certiſsimè adæquatur cum ipſa Philoſophia, ac ſubinde id, quod certiſsimè ſe extendit ad omnia, & ſola mobilia: vnde debet conſtitui pro ſubiecto aliquid,

quid, ex quo ſimul cum ratione formali obiecti reſultat complexum ſignificans, & certiſsime ſupponens pro omni, & ſolo mobili; huiuſmodi autem eſt ens mobile: quia licet ens ſecundum ſe ſignificet alia plura, quæ moveri phyſice nequeunt, reſtringitur, vt in complexo pro ſolis mobilibus ſupponat, at corpus mobile non eſt huiſmodi: quia licet corpus ad ſola mobilia phyſice ſe extendat, non eſt per ſe notum, ſub ſe comprehendere omnia, quæ phyſicè moveri poſsūt: demonſtratur enim in philoſoſophia, omne mobile eſſe corpus, & alias ab adiectivo nequit āpliari, vt in cōplexo pro omnibus mobilibus ſupponat: quare aſsignatur obiectum philoſophiæ ens mobile, quod notiſsimum eſt, ſupponere pro omnibus, & ſolis mobilibus, & non corpus naturale, quod non eſt notiſsimum, ſed demonſtrabile ſupponere pro omnibus, ſoliſque mobilibus.

ARTIC. II.

Vtrùm Philoſophia naturalis ſit vna ſcientia, vel multiplex ſecundum ſpeciem.

§. I.

Præmituntur certa.

72 VNum ſupponit, & alterū inquirit præſens cōntroverſia: ſupponit Philoſophiam naturalem eſſe ſcientiam, & merito; ſic enim cenſēt omnes philoſophi contra Hæraclitum, Cratillum, & Academicos, hac ducti ratione. Scientia eſt certa, & evidens cognitio rei per cauſam, vel per effectum; Philoſophia eſt huiuſmodi: ergo eſt ſcientia. Prob. min. Philoſophia demonſtrat corpora moveri, quia habent naturam: mixtū eſſe corruptibile, quia conſtat qualitatibus contrarijs: animalia à ſe moveri, quia habent animā: ignem moveri ſurſum ob calorem, & materiæ paucitatem, & id genus plura: ergo philoſophia eſt cognitio evidens, & certa rei per cauſam, vel per effectum.

73 Et ſi opponas 1. Scientia agit de perpetuis, & neceſſarijs: Philoſophia autem diſputat de mutabilibus: ergo nō eſt ſcientia. Diſt. mai. ſcientia agit de perpetuis, & neceſſarijs quoad connexionem, concedo mai. de perpetuis, & neceſſarijs quoad exiſtentiam, nego mai. & diſt. min. Philoſophia agit de mutabilibus quoad exiſtentiam conced. min. de mutabilibus quoad connexionem, neg. min. & neg. conſeq. Res enim de quibus agit phyſica, poſſunt exiſtere; & non exiſtere: connexio tamen rerum, de quibus agit phyſica, cum ſuis proprietatibus eſt indefectibilis, & neceſſaria, quod ſufficit, vt phyſica ſit ſcientia: quare ſcientiæ non demonſtrant exiſtentiā rerum, ſed has, vel illas proprietates deberi rebus.

74 Inſtas: phyſicus docet in vere eſſe tonitrua; at in vere eſſe tonitrua non eſt neceſſariū, etiam quoad connexionem; ſtat enim verò ſine tonitruis: ergo res, de quibus agit, ſunt mutabiles quoad connexionem.

Diſt. mai. Phyſicus docet, in vere eſſe tonitrua infallibiliter neg. mai. in vere regulariter, & vt in plurimum eſſe tonitrua, conced. mai. & diſt. min. in vere abſolute, vel infalibiliter eſſe tonitrua, non eſt neceſſarium, quoad connexionem, conced. min. in vere regulariter eſſe tonitrua, non eſt neceſſarium, quo ad connexionem, neg. min. & neg. conſeq.

75 Si 2. Opponas: cognitio, quæ habetur in phyſica de rebus naturalibus, vtpote ſenſibilibus fundatur in experiētia ſenſuum; hęc eſt incerta, & ſæpe fallitur: ergo cognitio, quæ habetur in phyſica de rebus naturalibus, eſt fallibilis, & incerta ac ſubinde non eſt ſcientifica.

Diſt. mai. cognitio, quæ habetur in phyſica fundatur in experientia ſenſus rectæ diſpoſiti, & circa obiectum ſenſibile proprium debite applicatum, conc. mai. in experientia ſenſus prave affecti, aut circa ſenſibile commune, vel proprium indebite applicatum, neg. mai. & diſt. min. experientia ſenſus bene diſpoſiti, & circa proprium ſenſibile in debita diſtantia eſt falax, & incerta, neg. min. experientia ſenſus aliter comparata, con. min. & neg. conſeq.

76 Si 3. Opponas: Quæ traduntur in Philoſophia, maiori ex parte ſunt opinionibus expoſita: ergo incerta: ergo philoſophica cognitio non eſt ſcientifica. Diſt. conſeq. Philoſophica cognitio de his, quæ cadunt ſub opinione non eſt ſcientifica, conced. conſeq. cognitio philoſophica de pluribus alijs, quæ per evidentem demonſtrationem evincuntur, neg. conſeq. datur ergo circa obiectum Philoſophiæ habitus, tum ſcientificus, à quo oritur multiplex notitia certa, & evidens rerum naturalium: tum opinativus, cui tribuuntur plures diſcurſus circa concluſiones, quas non bene aſſequimur, & de quibus ſubinde probabiliter tantum iudicamus. Merito igitur ſupponit titulus Philoſophiam naturalem eſſe ſcientiam.

77 Æque iridem poſſumus ex communi Philoſophorum conſenſu ſupponere illam eſſe ſpeculativam. Ratio eſt: nam ſcientia ſpecculativa eſt illa cuius finis eſt proprij obiecti pura contemplatio; ſed finis philoſophiæ eſt rerum naturalium quæ ſunt illius proprium obiectum, pura contemplatio: ergo eſt ſcientia ſpeculativa. Min. patet: nam Philoſophia non contemplatur res naturales, vt illas eſficiat: ergo illius finis eſt re-

rerum naturalium pura contemplatio.

78 Nec dicas, cognitionem primi motoris, quæ Philoſophica eſt, eſſe practicam; quia excitat ad amorem Dei. Nam diſt. illud ant. excitat ad amorem Dei per accidens, & remote conced. ant. per ſe, & tradendo regulas, ſive præcepta eliciendi amorem Dei, neg. ant. unde non eſt practica; ſicut nec metaphiſica eſt ſcientia practica, eſto ex cognitione primæ cauſæ, quæ metaphiſica cognitio eſt, poſsit dilectio Dei excitari.

79 Nec iterum dicas, Medicina, quæ ſcientia practica eſt, eſſe partem Philoſophiæ: agit enim de ente mobili ad ſanitatem, quod eſt pars obiecti philoſophiæ, videlicet entis mobilis; ac per conſequens etiam Philoſophiam debere practicam deputari. Nam reſp. Medicinam eſſe quidem ſcientiam phyſicæ ſubalternatam; non tamen partem plilosophiæ nec obiectumMedicinæ eſt pars, ſive partiale obiectum philoſophiæ; obiectum enim philoſophiæ eſt ens mobile ab intrinſeco, ſcilicet à natura; obiectum autem Medicinæ eſt ens mobile ad ſanitatem ab extrinſeco, & per artem: quare ſtat bene quod phyſica ſit ſpeculativa; eſto Medicina ſit ſcientia practica.

80 Et ſi inquiras; quem ordinem habeat phyſica inter ſcientias ſpeculativas. Reſpondetur, quod ſi ſit ſermo de ordine dignitatis, eſt quidem dignior Mathematicis, ſed inferior metaphiſica. Prima pars colligitur ex eo, quod eſſentialis, & ſpecifica perfectio ſcientiarum deſumitur ex obiecto, & obiectum phyſicæ, nempe ſubſtantia rei naturalis perfectius eſt quantitate, quæ eſt Mathematicarum obiectum. Secunda vero pars conſtat: nam obiectum philoſophiæ eſt inferius obiecto metaphiſicę; cum ſub iſto comprehendantur ſubſtantiæ ſeparatæ. Si vero ſit ſermo de ordine acquiſitionis; dicendum eſt cum Ariſt. lib. 1. ethic. cap. 1. & lib. 6. cap. 8. quod prius addiſcendæ ſunt Mathematicæ, deinde Philoſophia naturalis, poſtea moralis, & tandem metaphiſica: & ratio eſt, quia philoſophia, ut in plurimum ex effectibus procedit; & ideo innititur experientiæ, quam non dum habent iuvenes; Mathematicas autem, quæ non innituntur experientiæ, ſed procedunt à priori, & agunt de accidentibus notioribus, facilius addiſcunt. Rurſus Philoſophiam moralem; quia agit de virtutibus, quæ ſedatum animum requirunt, non ita facile capiunt iuvenes, qui paſsionibus in ea ætate inſurgentibus animum habent perturbatum; quare acquiritur poſt philoſophiam naturalem. Et ultimo tan-

tandem loco metaphyſica, quæ cum de altiſsimis rebus,& à ſenſibus remotiſsimis diſputet,petit intellectum diſpoſitum per alias ſcientias.

§. II.

Difficultas reſolvitur.

81 His ergo ſuppoſitis, alterum, quod præſens controverſia inquirit eſt: vtrum philoſophia quoad omnes ſui partes ſit vna ſecundum ſpeciē,an multiplex pro tractatuum varietate.

82 Circa quod dividuntur Authores etiam intra ſcholam D.Thom. nam plures putant philoſophiam eſſe vnam ſcientiam genericè; libroſque phyſic. de cœlo, de generat. & Anima eſſe illius partes ſubiectivas, ſivè diverſas ſpecies,in quas dividitur philoſophia. Ita Caiet. Capreol. Soncin. Ferrara, Sanchez, Ortiz, Prado. Alij per oppoſitum ſentiunt, philoſophiam eſſe vnam ſcientiam vnitate ſpecifica athoma, & indiviſibili in plures; libroſque phyſic. de cœlo, generat. & anima eſſe partes obiectivas, ſivè denominationes ſumptas ex diverſis obiectis materialibus, ad quæ philoſophia vna,& penitus indiviſa ſe extendit.Ita Rubio, Murcia, Ioann. à S.Thom. Lerma,Parra.

83 *Concluſio*. Philoſophia naturalis non eſt multiplex ſecundum ſpeciem,ſed vna, & prob. vna,& eadem ſpecificè eſt ſcientia, quæ agit de mobili in communi, & de illius ſpeciebus quę ſunt mobilia in particulari:Philoſophia in libris phyſic. agit de mobili in communi, & in reliquis de illius ſpeciebus, ſivè de mobili in particulari: ergo phyloſophia in lib. phyſic & in reliquis eſt vna,& eadem ſpecificè.Min. pat. Nam mobile motu locali, & mobile motu generationis, nec non mobile motu vitali, de quibus agit Philoſophus in lib. de Cœlo,de generat.& Anim,ſunt ſpecies entis mobilis in communi,ſivè mobilis in particulari.Mai. vero probat.Scientia,quæ agit de genere,agit de ſpeciebus, in quas per ſe dividitur genus, vt obiectum eſt illius ſcientiæ; ſed mobile, de quo agit philoſophia in lib. Phyſic. vt eſt radix motus, eſt obiectum philoſophiæ, & mobile motu locali, motu generationis, motuque vitali ſunt ſpecies, in quas per ſe dividitur mobile, vt eſt radix motus: ergo vna, & eadem ſpecificè eſt ſcientia, quæ agit de mobili in communi in lib. Phyſic.& in reliquis de illius ſpeciebus. Min. eſt evidens. nam motus localis, motus generationis, motuſque vitalis ſunt, in quos per ſe motus dividitur: ergo mobile motu locali, motu generationis, motuque vitali, ſunt ſpecies,

in

in quas per ſe mobile, vt eſt radix, motus dividitur.

84 Conf. Scientia, quæ agit de genere, agit de his, quæ per ſe conveniunt generi, vt obiectum eſt illius ſcientiæ; ſed ſpecies, in quas dividitur genus, vt obiectum eſt ſcientiç, per ſe conveniunt generi, vt obiectum eſt illius ſcientiæ: ergo ſcientia, quæ agit de genere, agit de ſpeciebus, in quas dividitur genus, vt obiectum eſt illius ſcientiæ; ac ſubinde eadem eſt ſcientia agens de mobili in communi, & mobilibus in particulari. Mai. patet: nam ſcientia agit de omnibus, quæ cognoſci poſſunt ex natura, & principijs ſui obiecti, ſed quod per ſe convenit obiecto, poteſt ex illius principijs cognoſci: ergo ſcientia, quæ agit de genere, agit de his, quæ per ſe conveniunt generi, vt obiectum eſt illius ſcientiæ. Min. vero prob. Per ſe convenit generi dividi, in illas ſpecies, in quas per ſe dividitur: ergo per ſe conveniunt generi ſpecies, in quas per ſe dividitur. Prob.conſeq. Genus dividi in ſpecies, eſt genus partim eſſe hanc ſpeciem, partim illam, vt animal dividi in ſpecies, eſt animal aliud eſſe hominem, aliud equum: ſed genus eſſe hanc,& illam ſpeciem,eſt hanc, & illam ſpeciem generi convenire: ergo ſi per ſe convenit generi dividi in ſpecies,in quas per ſe dividitur; ſpecies, in quas genus per ſe dividitur,per ſe generi conveniunt.

85 Explicatur. Scientia, quæ agit de genere, agit de partibus phyſicis,& metaphyſicis illius: vnde philoſophia, quæ in lib.Phyſic.agit de mobili in communi,agit ibidem de materia,& forma,quæ ſunt partes phyſicæ; nec non de genere, & de differentia,hoc eſt,de motu,& naturalitate, quæ sūt eius partes metaphyſicæ: ergo pariter ſcientia, quæ agit de genere,agit de partibus ſubiectivis eius, nempe de ſpeciebus.

86 Reddes diſparitatem, & dices,ſcientiam, quç agit de genere, agere de partibus phyſicis, & metaphyſicis illius, non autem de partibus ſubiectivis quia, cum priores actu conveniant generi, illis prætermiſsis,nequit haberi perfecta generis notitia; cum vero poſteriores generi ſolum potentialiter conveniant, poteſt illis omiſsis, perfecte genus cognoſci.

87 Contra. Licet paſſiones generis ipſum formaliter non conſtituant,& ſine illis poſſit genus intelligi quoad eſſentialia, quia tamen per ſe generi conveniunt, vt in eo radicaliter continentur,ſcientia,quæ agit de genere,demōſtrat paſsiones,quæ continentur in eo:ergo licèt ſpecies genus actu non contineat,

&

& ſine illis poſsit genus intelligi quoad eſſentialia, quia tamen generi per ſe conveniunt, & in eo potentialiter continentur, ſcientia, quæ agit de genere, explicabit ſpecies, quæ continentur ſub eo.

88 Vrgetur. Sicut ſpectat ad ſcientiam penetrare virtutem ſui obiecti ita ſpectat ad eam explicare ſui obiecti confuſionem; ſed ſicut penetratur virtus obiecti demonſtrando paſsiones, quæ in eo radicantur ita explicatur generis confuſio dividendo illud in ſpecies, quæ ſub eo latent: ergo ſicut ſpectant ad ſcientiam de quolibet obiecto paſiones eius, ita ſpectant ad ſcientiam de quovis genere, eiuſdem generis ſpecies.

89 Conf. 2. Scientia, quæ agit de genere, agit de ſpeciebus, quando ex eiſdem principijs pendet cognitio generis, & ſpeciei; ſed cognitio generis, & ſpecierum, in quas per ſe dividitur genus, ut obiectum eſt alicuius ſcientiæ, v.g. cognitio mobilis, & talis mobilis pendet ex eiſdem pricipijs: ergo ſcientia, quæ agit de genere, agit de ſpeciebus, in quas per ſe dividitur genus, ut obiectum eſt illius ſcientiæ. Mai. eſt certa: quia, cum principia ſint ratio formalis ſub qua ſcientiæ, unitas ſcientiæ ex illorum ſumitur unitate; ac ſubinde ſcientia eſt eadem, dum circa genus, & ſpecies ex eiſdem principijs progreditur ad cognoſcendum genus, & illius ſpecies, Min. vero prob. principia, quorum unum alteri ſubordinatur, ſunt eadem principia: principia quippe diverſa, nullum inter ſe ordinem habēt, nec unum ab altero dependet: prima enim principia, neque ſunt ex alijs, nec ex alterutris, id eſt, nec unum ab altero dependet; ſed principia, ex quibus procedit cognitio demonſtrativa ſpecierum, in quas per ſe dividitur prædictum genus, v. g. mobile, ſunt huiuſmodi; nam principia ſunt definitiones, & propoſitiones eſſentiales; definitio autem talis motus ſubordinatur definitioni motus, ut ſic, cum ab ea dependeat; ita ut neſciens quid ſit motus, ſcire non poſſit, quid ſit talis motus: ergo.

90 Tertio. Scientia de genere eſt ſcientia de ſpeciebus quando genus, & ſpecies conveniunt in eadem abſtractione à materia, ſed quando genus, ut eſt obiectum ſcientiæ dividitur per ſe in aliquas ſpecies, genus, & ſpecies conveniunt in eadem abſtractione à materia: ergo quā do genus, ut eſt obiectum ſcientiæ dividitur per ſe in aliquas ſpecies, ſcientia, quæ agit de genere, agit de illius ſpeciebus, Mai. videtur certa in doctrina D. Thom. & ſuadetur, quia per ſe loquendo, & niſi quid aliud obſtet, ſcientia de genere illud dividit, & illius ſpecies inveſti-

gat ſcientia enim definit, dividit, & de ſuo obiecto demonſtrat; ſed nihil aliud videtur poſſe obſtare, niſi diverſa immaterialitas, ſive diverſa abſtractio à materia generis, & ſpecierum: ergo quando hæc non eſt diverſa, ſed eadem ſcientia agens de genere, agit de illius ſpeciebus. Min. vero prob. Genus in eſſe obiecti conſtituitur per abſtractionem à materia; ſed genus, ut abſtrahens à materia, nequit per ſe dividi in ſpecies diverſæ abſtractionis: ergo quando genus, ut eſt obiectum ſcientiæ dividitur per ſe in ſpecies: genus, & ſpecies conveniunt in eadem abſtractione à materia.

91 2. Prob. concluſ. & roboratur ratio præcedens. Eadem ſpecifice Logica, quæ tractat de modo ſciendi, agit de illis ſpeciebus, nempe de definitione, diviſione, & argumentatione; eadem etiam Geometria, quæ conſiderat figuram in communi, agit de illius ſpeciebus, ſcilicet de triangulo, & quadrangulo: ergo ſcientia, quæ agit de genere, agit de illius ſpeciebus; & conſequenter ſcientia agens de mobili, agit de illius ſpeciebus.

92 Tertio. Quia metaphiſica agit de ente, ut eſt radix veritatis, agit de quolibet ente in particulari, ut eſt radix ſpecialis veritatis; eo quod inferiora, ut radicant ſpeciales veritates, ſunt ſpecies, in quas per ſe dividitur ens, ut eſt radix veritatis: ergo philoſophia, quæ agit de genere, hoc eſt de ente naturali, ut eſt radix motus, agit de quolibet ente naturali, ut eſt radix ſpecialis motus.

Vrgetur. Quia metaphiſica agit de ente, ut radicat proprietates convenientes ſibi, in quantum abſtrahit ab omni materia: agit etiam de quantitate, & qualitate, quæ ſunt inferiora entis, prout radicant ſpeciales proprietates convenientes ſibi, in quantum abſtrahunt ab omni materia: ergo philoſophia, quæ agit de mobili in communi, ut radicat motum convenientem ſibi, quatenus abſtrahit à materia ſingulari: agit de mobili in particulari, ut eſt radix ſpecialis motus convenientis ſibi, quatenus abſtrahit à materia ſinguiari.

93 Denique. Sientia non ſolum demonſtrat paſsiones de ſuo obiecto, ſed illud definit, & dividit, ſed ad hoc dividit illud, ut illius ſpecies contempletur: ergo ſcientia, quæ agit de genere, nedum de eo demonſtrat proprietates, ſed illud dividit in ſpecies, & ſpecies illius contemplatur.

§. III.

Solvuntur argumenta.

94 OBijcies 1. Mathematicæ habent eandem abſtractionem à materia, & tamen ſunt ſcientiæ ſpecie diverſæ: ergo ſtat, quod omnes partes philoſophiæ habeant eandem abſtractionem à materia, & tamen ſint ſcientiæ ſpecie diverſæ. Cætera patent, & prob. mai. Nam Geometria, & Ariſthmetica, quæ ſunt ſcientiæ Mathematicæ, agunt de quantitate continua, & diſcreta; ſed quantitas continua, & diſcreta abſtrahunt à materia ſenſibili: ergo.

95 Reſpond. diſt. mai. habent eandem abſtractionem, & eadem principia, nego mai. eandem abſtractionem, & diverſa principia, concedo mai. & conceſſa min. neg. conſeq. Quia omnes partes phyſicæ habent eandem abſtractionem, & eadem principia; nam principia ſunt eadem; cum ex illis unum alteri ſubordinatur: ſubordinatur autem vnum alteri, quando obiecta, prout radicant proprietates demonſtratas in ſcientia, ſub vna ratione ſuperiori continentur. Tunc enim definitio inferiorum pendet eſſentialiter ab obiecti communis definitione; ac ſubinde principia non ſunt prima, ac diverſa, ſed ex alterutris, & ſubordinata. Ex quo perſpicue infertur, principia philoſophiæ, quoad omnes ſui partes eſſe ſubordinata, ac per conſequens eadem: ſiquidem omnia, de quibus philoſophia tractat, ſunt mobilia in particulari, prout radicant ſpecialem paſsionem philoſophicam, nempe ſpecialem motum, ſub qua conſideratione continentur, vt ſpecies ſub mobili in communi.

96 Dices. Etiam quantitas continua, & diſcreta continentur, vt ſpecies ſub quantitate in communi, & tamen diverſis ſcientijs, & per diverſa principia attinguntur: ergo à diverſis ſcientijs, & per diverſa principia attinguntur mobilia in particulari eſto contineantur, vt ſpecies ſub mobili in communi.

Nec dicas, Mathematicas non agere de quantitate in communi, ſed immediate ad illius ſpeciebus, ac proinde, nec illarum obiectum eſſe vnum nec principia eſſe eadem, cum, nec obiectum, nec principia ſint ſubordinata ad invicem, aut vni tertio, nempe rationi ipſis communi.

Contra 1. Nulla datur ſcientia agens de quantitate in communi, & illius ſpeciebus: ergo principia, per quæ de-

demonſtratur aliquid de quantitate, & de illius ſpeciebus, non ſunt eadem: ſed vbi principia ſunt diverſa, ſcientiæ ſunt diverſæ: ergo ſtat, quod genus, & ſpecies ſpecificent diverſas ſcientias. *Vel aliter* ad idem replicabis. Quia mobilia in particulari ſunt ſpecies mobilis in communi, eadem philoſophia, quæ agit de mobili in particulari, agit de mobili in communi; ſed quantitas continua, & diſcreta ſunt ſpecies quantitatis: ergo eadem ſcientia, quæ agit de quantitate continua, & diſcreta debet agere de quantitate in communi.

97 Reſp. diſt. ant. Nulla datur ſcientia agens de quantitate in communi, & de illius ſpeciebus, vt ſunt obiecta Mathematicarum, concedo antec. Vt ſunt obiecta ſcientiæ agentis de quantitate in communi, nego anteced. & diſting. conſeq. ergo principia, per quæ demonſtratur aliquid de quantitate, & de illius ſpeciebus, vt pertinent ad Mathematicas, non ſunt eadem, concedo conſeq. vt pertinent ad metaphiſicam, neg. conſeq. Vnde, & poteſt ſecundum conſequens diſtingui: ſtat, quod genus, & ſpecies ſpecificent diverſas ſcientias, ſi ſint ſpecies generis, vt radicat proprietates demonſtratas in vna ſciêntia, neg. conſeq. Si ſint ſpecies generis ſub alia conſideratione, concedo conſeq. Quantitas ergo continua, & diſcreta ſecundum ſe ſumptæ ſunt ſpecies per ſe quantitatis conſideratæ ſecundum ſuam eſſentiam, qua ratione quantitas pertinet ad metaphiſicam, quo circa metaphiſica, quæ agit de quantitate continua ſecundum ſuam eſſentiam, agit etiam de quantitate continua, & diſcreta ſecundum ſe ſumptis; at quantitas continua, & diſcreta non ſunt obiectum Mathematicarum ſecundum ſe ſumptæ, ſed conſideratæ ſecundum quædam accidentia quantitatis, nimirum ſecundum figuram, & proportionem, qua ratione non ſunt ſpecies per ſe loquendo quantitatis conſideratæ ſecundum ſuam eſſentiam, quo circa ſcientia, quæ agit de quantitatis eſſentia non debet agere de quantitate continua, & diſcreta, vt ſunt obiecta Mathematicarum. Cæterum mobilia in particulari, vt pertinent ad philoſophiam, ſunt ſpecies mobilis in communi: quare eadem ſcientia, quæ diſputat de mobilitate in communi, debet agere de mobilibus in particulari, ſub quacumque ratione philoſophice conſiderentur. Per quod patet ad ſecundam replicam.

98 Inſtas. Licet quantitas ſecundum ſe non ſit for-

maliter ſuperior ad continuam, & diſcretam conſideratas ſecundum illa accidentia, ob quæ conſiderantur à Mathematico, poteſt tamen abſtrahi ab illis accidentibus ratio communis, ſub qua quantitas ſit formaliter ſuperior; ſicut licet animal non ſit formaliter ſuperius ad hominem, ut album, & ad equum, ut nigrum; poteſt tamen ab albo, & nigro abſtrahi communis ratio coloris, ſub qua animal ſit formaliter ſuperius, animal enim, ut coloratum formaliter eſt ſuperius, ad hominem, ut album, & equum ut nigrum, & tamen non datur una ſcientia, quæ tractet de quantitate ſecundum illam rationem communem, quæ reddit eam formaliter ſuperiorem ad continuam, & diſcretam: ergo non eſt neceſſarium, quod una, & eadem ſcientia agat de ratione ſuperiori, & de ſpeciebus per ſe contentis ſub ea.

99 Diſt. mai. Poteſt abſtrahi ab illis accidentibus ratio communis, quæ in eſſe rei ſit formaliter ſuperior, concedo mai. quæ in eſſe obiecti ſit formaliter ſuperior, neg. mai. illa ratio communis eſt formaliter ſuperior in eſſe obiecti, quæ radicat aliquam proprietatem, quæ eiuſdem rationis eſt in inferioribus, ut ens naturale eſt formaliter ſuperius ad cœlos, & elementa, quia radicat motum, qui à cœlis, & elementis æque participatur; accidentia autem quæ mathematicus conſiderat de quantitate continua, & diſcreta, ſcilicet figuras, & proportiones, ſunt adeo diverſa, ut ab eis nequeat abſtrahi ratio communis radicans aliquam proprietatem æque ab utraque ſpecie quantitatis participabilem: quare nequit abſtrahi ab illis ratio communis, quæ in eſſe obiecti ſit formaliter ſuperior ad illas.

100 Obijcies 2. Circa ſenſibile in communi, & ſenſibile in particulari verſantur ſenſus diverſi ſecundum ſpeciem, nempe ſenſus communis, & ſenſus particulares: ergo circa mobile in communi, & mobilia in particulari verſantur ſcientiæ diverſæ ſecundum ſpeciem.

101 Poſſet argumentum retorqueri: circa aliquod ſenſibile in communi, & circa illius ſpecies verſatur idem ſpecifice ſenſus, ut circa colorem, & circa ſpecies coloris idem viſus: ergo circa mobile in communi, & mobilia in particulari verſatur eadem ſpecifice ſcientia.

Præterea reſpond. neg. conſeq. quia diſtinctio ſpecifica ſcientiarum deſumitur ab obiecto, ut per diverſa principia manifeſtabili: ex quo ſequitur, quod philoſophia non ſit multiplex ſecundū ſpecies; quia cum mobile

in communi, & mobilia in particulari conſtent principijs, quorum vnum ſubordinatur alteri, conſtituunt obiectum per eadem principia manifeſtabile. At diſtinctio ſenſuum deſumitur ab obiecto, vt repræſentabili per ſpecies diverſæ immaterialitatis: quo circa, cum coloratum ſub ratione communi ſenſibilis ſit repræſentabile per ſpeciem maioris immaterialitatis, quam coloratum ſub ſpeciali ratione talis ſenſibilis, fit conſequens poſſe circa ſenſibile ſub ratione comuni ſenſibilis, & ſub ratione particulari talis ſenſibilis ſenſus ſpecificè multiplicari.

102 Dices. Sicut diverſa immaterialitas ſpecierum petit diverſas potentias cognoſcitivas, ita diverſa immaterialitas obiecti petit diverſas ſcientias; ſed obiecta, circa quæ verſatur phyſica ſunt diverſæ immaterialitatis: ergo petunt diverſas ſcientias Prob. mai. Vbi eſt maior, & minor abſtractio, ibi eſt diverſa immaterialitas: ſed inter obiecta philoſophiæ quædam abſtrahunt magis, quam alia: nam mobile in communi magis abſtrahit, quam mobile in particulari: ergo.

103 Neg. min. ad prob. diſt. mai. vbi eſt maior abſtractio formalis, ibi eſt maior immaterialitas, concedo mai. vbi eſt mai. abſtractio totalis, nego mai. abſtractio formalis eſt abſtractio formæ à materia, totalis eſt abſtractio ſuperioris ab inferioribus: igitur mobile magis abſtrahit abſtractione totali: quia, cum ſit vniverſalius, abſtrahit à mobilibus inferioribus, à quibus mobilia in particulari non abſtrahunt: abſtractione tamen formali non magis abſtrahit: quia tàm mobile in communi, quàm mobile in particulari, tantum abſtrahit à materia ſingulari concernendo, ſivè non abſtrahendo à materia ſenſibili.

104 Inſtas. Cœlum abſtrahit à qualitatibus contrarijs, à quibus non abſtrahunt generabile, & corruptibile: ergo inter obiecta philoſophiæ vnum abſtrahit magis, quan aliud etiam abſtractione formali.

Diſt. conſeq. vnum abſtrahit magis, quam aliud intenſivè, neg. conſeq. extenſivè, concedo conſeq. abſtrahit enim cęlum ab aliquibus qualitatibus ſenſibilibus, à quibus non abſtrahunt generabile, & corruptibile, nempe à qualitatibus contrarijs, quod eſt abſtrahere magis extenſivè, ſed concernit alias qualitates ſenſibiles, quæ in ratione ſenſibilis eiuſdem rationis ſunt cum qualitatibus contrarijs, quas concernunt generabile, & corruptibile: qua propter non magis abſtrahit intenſivè. Cæterum exceſſus ille in abſtrahendo extenſive materialis eſt, & in ſufficiens ad diverſi-

ficandam phyſicam: quia in ſufficiens eſt ad diverſificanda principia: quia ſicut principia motus generationis, qui concernunt qualitates cōtrarias, ſubordinantur, & pendent à principijs, ſivè definitione motus in communi, ita ſubordinantur, & pendent à principijs, ſive definitione motus in communi principia motus localis cœli, qui prædictas qualitates nō concernit.

105 Nec dicas, aliquod obiectum Philophiæ, nempe animam rationalem abſtrahere maiori abſtractione formali, etiam intenſive, quam cætera eiuſdem philoſophiæ obiecta.

Nam reſpond. quod animа rationalis conſideratur à Phyſica, vt principium motus phyſici; ac ſubinde, vt actus corporis qua ratione non abſtrahit, ſed concernit materiam ſenſibilem.

Denique obijcies Div. Tom. 1. poſt lect. 41. dicentem. *Aliud genus ſcibilium eſt corpus naturale, & corpus mathematicum, & vtrumque horum generum diſtinguitur in diverſas ſpecies ſcibilium, ſecundum diverſos modos, & rationes ꝛcognoſcibilitatis.* Tunc ſic: Mathematicæ ſunt diverſæ ſcientiæ, quia corpus mathematicum, quod eſt earum obiectum eſt vnum ſcibile generice, ſed corpus naturale eſt obiectum philoſophię; ergo quia eſt vnum ſcibile generice, philoſophia eſt multiplex ſcientia ſecundum ſpeciem.

106 Reſp. diſt. min. corpus naturale, vt mobile à natura eſt obiectum philoſophiæ, cōced. min. vt mobile à natura, ſivè per artem neg. min. & diſt. conſeq. Si vt mobile ab intrinſeco, & per naturam eſſet vnum ſcibile generice, eſſet philoſophia multiplex ſecundum ſpeciem, concedo conſeq. ſi vt mobile præſcindendo à motu per naturam, aut per artem ſit vnum ſcibile generice, erit philoſophia multiplex ſecundum ſpeciem, neg. conſeq. Eſt ergo intelligendus D. Thom. de corpore naturali, vt præſcindit à mobili naturaliter, & à mobili ad ſanitatem per artem; qua ratione eſt vnum generice continens ſub ſe diverſa ſcibilia, nempe corpus, vt eſt mobile naturaliter, & corpus, vt ſanabile, ſpecificanſque diverſas ſcientias, nempe phyſicam, & Medicinam: cum quo ſtat, quod philoſophia, cuius obiectum non eſt corpus naturale in ea latitudine, ſed eſt mobile à natura, ſit vna ſcientia ſpecifice.

LIBER I.

PHYSICORVM.

De principijs entis naturalis.

ORDO naturæ petit, vt ab vniverſalioribus incipiamus, quia notiora ſunt nobis; intellectus enim noſter, cum ſit agens procedens de potentia ad actum, prius elicit actum imperfectum, quam perfectum ac ſubinde prius cognoſcit vniverſaliora, quorum cognitio eſt confuſſa, & inperfecta, quam minus vniverſalia quorum cognitio perfectior eſt, & diſtincta. Ordine vero doctrinæ, ſivè ſcien ifico incipimus à ſimplicioribus: quia ſcientia prius examinat principia, cauſas, & elementa obiecti, vt poſt modum de eo certum, atque diſtinctum iudicium ferat. Vtrumque in præſenti ſervavit ordinem Philoſophus, ſumendo initium ab vniberſalioribus, nempe à mobili in communi; in eius tamen indagatione, examinando in primis ſimpliciora, nempe principia, ex quibus fit, & conſtat ens naturale. Agit ergo in hoc 1. lib. per novem capita, tum de principijs entis naturalis in communi, tum de eiſdem in particulari, ſcilicet de materia, forma, & privatione. Cuius, & nos veſtigijs inhærentes diſputabimus primo de principijs in communi, deinde de eiſdem in particulari, poſtea de compoſito reſultante ex eis; tandem pro complemento doctrinæ de compoſiti complementis, videlicet de illius: ſubſiſtentia, & exiſtentia.

QVÆST. II.

De primis principijs entis naturalis.

Acturi ſtatim de principijs in particulari, ſolum agimus inpræſenti de primis principijs entis naturalis in genere: circa quæ opportet dignoſcere quidditatem, numerum, & eorum contrarietatem.

ARTIC. I.

Explicatur definitio principiorum entis naturalis.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit principium.

1 PRincipium eſt *id, vnde aliquid procedit* teſte D.Th. 1.p.q.33.art. 1. in qua definitione latiſsime accipitur principiũ, & ſolum petit conſequtionem vnius ab altero, ſivè ratione cauſalitatis, ſivè ratione loci, dignitatis, compoſitionis, aut ſucceſſionis, vnde pater eſt principium Filij, punctum lineæ, fundamentum ædificij, Rector civium, aurora diei, vnitas numeri, Patria indigenæ. Præſius illud vſurpavit Ariſtot. 5. meth. cap. 1. deſcribens principium: *Vnde aliquid eſt, aut fit, aut cognoſcitur*: In qua acceptione principium requirit ordinem non qualemcumque, ſed connexionis intrinſecæ, & habitudinis per ſe inter principium, & principiatum. Denotantur enim in præmiſſa deſcriptione principia, quæ rem in ſuo eſſe conſtituunt, ſcilicet partes intrinſecæ; item illa, quæ concurrunt ad rei productionem, nempe agens, ſubiectum, forma, & privatio, & tandem ea, à quibus cognitio rei pendet, quales ſunt præmiſſæ, ex quibus eruuntur concluſiones.

2 Principium adhuc in iſta acceptione latius patet, quã cauſa, & elementum: nam de ratione principij tantum eſt, quod ab eo aliquid procedat cum vera connexione, atque habitudine per ſe vnius ad alterum; cauſa vero petit, quod aliquid procedat ab ea cum connexione, & inſuper cum dependentia, at elementum exigit, quod ex eo aliquit ſit cum connexione, & cum dependentia ab illo, non qualicumque, ſed cum dependentia ab illo, vt à parte intrinſeca cõponente: vnde omne elementum eſt cauſa, & omnis cauſa principium, ſed non omne principium eſt cauſa: nam Pater in divinis eſt principium filij, & nõ cauſa, & privatio in creatis eſt principium, & non cauſa compoſiti naturalis; nec omnis cauſa eſt elementum: nam cauſæ extrinſecæ, nimirum agens, & finis ſunt cauſæ; non tamen ſunt elementa,

3 Principium, aliud eſt intrinſecum, aliud extrinſecum: intrinſecum, quod rem per modum partis conſtituit: extrinſecum, quod principium minime conſtituit, ſed adæquate diſtinguitur ab illo. Iterum principium, aliud eſt primum, aliud ſecundum; primum eſt, vnde aliquid procedit; ipſum autem ab alio non procedit, iuxta illud

Ciceronis in quæſt. 3. Tuſcul. *Principij nulla eſt origo: nam ex principio oriuntur omnia; ipſum tamen ex re nulla naſci poteſt.* Secundum eſt, vnde aliquid procedit; ipſum tamen ab alio procedit, vt cauſa ſecunda, à qua plures procedunt effectus, ipſa tamen procedit à prima, & compoſitum ſubſtantiale, ex quo fit accidentale; ipſum tamen fit ex alijs, ſcilicet ex materia, forma, & privatione. Primum principium dicitur, & eſt tale ſimpliciter; ſecundum vero eſt principium ſecundum quid.

4 Denique primum principium, aliud eſt primum in omni genere, aliud eſt primum in determinato genere: primum in omni genere eſt, quod in nullo genere procedit ab alio, & omnia ab ipſo procedunt. Ideſt ſolus Deus. Primum in determinato genere eſt, quod ab alio principio eiuſdem generis non oritur, & in eo genere non niſi ab eo aliquid procedit; vt materia prima, quæ vt à cauſa materiali à nullo procedit, & non niſi ab ea in eo genere cauſæ aliquid procedit.

§. II.

Principiorum definitio.

5 DEvenientes iam ad explicandum principia entis naturalis, quæ propria ſunt noſtri inſtituti, ea ſic cum Ariſtotel. 1. phyſicor. tex. 42. definimus: *Quæ nec ſunt ex alijs neque ex alterutris, ſed omnia ex ipſis.*

Vbi advertendum eſt primo, quod per ly *omnia* in hac definitione intellexit Ariſtotel. omnia entia naturalia: ea enim omnia ex primis principijs fieri ſtatuit, quorum intendebat prima principia definiri; & vt patet ex contextu intendebat definire principia entis naturalis, cuius maxime cognitionem in hoc opere expetebat. Quare omnia ex ipſis idem valet, ac omnia entia naturalia ſunt ex ipſis.

6 Secundo adverte, vnum poſſe fieri ex altero per ſe, & per accidens. Per ſe, vt cum illud, ex quo fit ens naturale, ita requiritur, vt conducat ad illius eſſe, aut productionem per ſe, & ſecundum propriam rationem. Per accidens, cum vel non ſemper conducit ad eſſe, vel fieri entis naturalis, aut non requiritur ad ipſum ſecundum propriam rationem, ſed ſecundum rationem communem ſibi, & alijs.

7 Tertio adverte: particulam expoſitam à Philoſopho in præſenti definitione plures habere acceptiones: primo enim ſignificat munus cauſæ efficientis, vt cum dicitur 1. ad Corinth. 11. *Omnia autem ex Deo*, & ad Rom. 11. *Quoniam ex ipſo ſunt omnia*, & Ioan. 8. *Qui*

ex *Deo eſt*, & infra *vos ex Patre Diabolo eſtis*: ſic etiam dicere conſuevimus, omnes homines eſſe ex Adamo, & fructus ex arbore. Secundo ſignificat ly *ex* munus cauſæ materialis, vt cum dicitur Exod. 32. *fecit ex eis vitulum conflatilem*, ex Daniel 2. *ſtatuæ caput ex auro*. Tertio ſignificat munus partis intrinſecæ componentis, vt cum dicitur in ſymbolo Div. Athanaſij: *Chriſtus Dominus perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens*. Quarto ſignificat munus termini *à quo*, vt cum dicitur Matth. 2. *Ex Ægypto vocavi filium meum*, vel cum dicimus ex mane fit meridies, ex non calido fit calidum.

§. III.

Expoſitio definitionis tradita ab alijs.

8 DIſsident Authores in exponenda hac definitione, cuius tota difficultas conſiſtit in decernendo ſenſum, in quo particula *ex* ſumpſit Ariſt.

Quidam putant particulam *ex* in prima parte definitionis ſignificare munus partis componentis; in vltima vero ſignificare munus, tum termini, tum partis: vnde definitionem ſic explicant: principia ſunt, quæ nec ſunt ex alijs; neque ex alterutris, vt ex partibus ea intrinſece componentibus, omnia autem fiunt ex ipſis, vel vt ex partibus, vel vt ex termino *à quo*.

9 Diſplicet expoſitio: Nam ſi particula *ex* in prioribus verbis denotaret habitudinem partis componentis, & in poſterioribus habitudinem, tum partis, tum etiam termini *à quo*, aperte in definitione committeretur æquivocatio, qua non manifeſtaretur, ſed confunderetur potius natura principiorum. Deinde particula *ſed* dum dicitur, *ſed omnia ex ipſis* perſpicue ſignificat, omnia eſſe ex ipſis in eo ſenſu, in quo ipſa non ſunt ex alijs: nam hæc propoſitio eſt falſa, *Anima rationalis eſt ex nihilo, ſed Angelus eſt ex aliquo*, licet anima ſit ex nihilo; ly *ex* denotante habitudinem ſubiecti, & Angelus ſit ex aliquo, ly *ex* denotante habitudinem ſubiecti, vel efficientis; non alia ratione, niſi quia illa particula, *ſed* indicat ſumi ly *ex* in ſecunda parte propoſitionis in eodem ſenſu; quo in prima.

10 Alij cenſent ly *ex* in vtraque parte ſignificare habitudidinem partis intrinſece componentis, & conſequenter ea definitione ſolum comprehendi duo principia intrinſeca, nempe materiam, & formam. Sed hæc aſſertio eſt manifeſte contra mentem Philo-

loſophi, quia ea principia ſua deſinitione voluit comprehendere, quæ ſtatim partitus eſt in materiam, formam, & privationem: ergo ſua definitione nedum partes intrinſecas, ſed etiã privationem voluit comprehendere. *Deinde* in ratione principij entis naturalis conveniunt materia, forma, & privatio: ergo debent à Philoſophis vna communi definitione definiri: ergo cum aliam hucuſque non tradiderint, hæc definitio ad omnia illa ſe extendit.

11 Exiſtimant alij, particulam *ex* ſumendam eſſe vtrobique, vt præciſſe extenditur ad ſignificandum habitudinem partis, & termini *à quo*; ita vt ſit ſenſus, *Principia non ſunt ex alijs, neque ex alterutris, vt ex parte, neque vt ex termino à quo*: ſed omnia ſunt ex ipſis, vel vt ex parte, vel tanquam ex termino *à quo*.

12 Quod ſi 1. opponas illis: inmerito reſtringi ſignificationem illius particulæ *ex* ad partes intrinſecas, & ad terminum *à quo*; cum etiam denotet habitudinem cauſæ efficientis; dicuntur enim homines ex Deo eſſe, & ex Adamo dependere.

Reſpondent, quod res proprie loquendo non ſunt ex cauſa efficienti, ſed à cauſa efficienti, nec ex Deo, ſed à Deo, ſicut non ſunt ex cauſa finali, ſed propter illam. nec ex exemplari, ſed ad eius imitationem. Dicuntur ergo in Scriptura, & alibi res eſſe ex Deo improprie, & translativè: quia, videlicet accipiunt à Deo aliquid ex quo ſunt tanquam ex parte; non tamen proprie, & in rigore.

13 Quod ſi ſecundo opponas, forma fieri ex privatione, vt ex termino *à quo*: ergo aliquod principium fit ex alijs, vel ex alterutris, ly *ex* ſignificante terminum *a quo*.

Reſpondent, formam ſecundum proprietatem phyſicam nec fieri, nec generari, ſed compoſitum, vt docet Ariſt. 1. Phyſic. text. 64. his verbis: *Quare manifeſtum eſt ex dictis, quod omne, quod fit, ſemper eſt compoſitum*: & ſuadet ratio, quia cum fieri ordinetur ad eſſe, eius eſt fieri, cuius eſt eſſe; at forma proprie non eſt, ſed eſt ratio eſſendi compoſito ergo forma proprie non fit, nec generatur.

14 Probabilis eſt hæc expoſitio; ſed non omnino ſatiſfacit 1. quia Ariſtot. non dixit in diffinitione, quod principia non fiunt ex alijs, neque ex alterutris, ſed quod non ſunt ex alijs, nec ex alterutris, nempe ex materia, & privatione, poteſt enim aliquid eſſe ex alio, vt ex principio extrinſeco: ſiquidem iuxta definitionem Ariſt. omnia entia naturalia ſunt nedum ex materia, & forma, ſed etiam ex privatione, quæ eſt principium extrinſecum: ergo.

Se-

15 Secundo: quia licet in proprietate phyſica, & per ſe forma non fit, fit tamen in lata, ſatiſque conſueta acceptione, iuxta quam fieri dicimus, quod quomodocumque per actio nem agentis educitur, vel in actum exit; at Ariſt. hic poſteriori modo accepit fieri, dato, quod in eius definitione non dicitur *ſunt*, ſed *fiunt*: ergo in ſenſu, in quo accepit *fieri* Ariſt. forma fit ex materia, & etiam ex privatione. Prob. min. quia, ſi Ariſtoteles vſurpaſſet fieri pro fieri per ſe, quod ſolius eſt compoſiti, fruſtra addidiſſet nec ex alijs, nec ex alterutris, ſed ſatis fuiſſet dixiſſe principia ſunt, quæ non fiunt, ſed omnia fiunt ex ipſis: nam loquendo de fieri per ſe, & ſtricte, principia non fiunt, nedum ex alio, quod ſonat partem intrinſecam, ſivè terminum à *quo*, verum nec ab alio, tanquam à cauſa efficiente: ergo Ariſt. non vſurpavit fieri in rigoroſa apud Philoſophos, ſed in latiori ſignificatione.

16 Non deſunt, qui exiſtiment definitionem, vt iacet aptari omnibus principijs, intelligendo illam particulam *ex alterutris*, vti Philoſophus illam intellexit, nempe quod non fiant ex alterutris mutuo, & viciſsim: nam hoc ipſo formæ competit definitio principij: quia licet ſit, & fiat ex materia, & privatione; materia tamen, & privatio non fiunt mutuo, aut viciſsim ex forma.

17 Hæc tamen cogitatio facile reijcitur: nam principia non fieri viciſsim, duo Importat, ſcilicet vnum fieri ex alio, & è converſo; at ad rationem principij non requiritur, quod vnum non fiat ex altero, & è converſo: ergo ad rationem principij non requiritur, quod non fiant ex alterutris viciſſim. Prob. min. nam licèt ad rationē principij requiratur, quod non fiat ex altero; non tamen requiritur, quod aliud non fiat ex ipſo, imò fieri aliud ex ipſo iuvat, & ſuadet naturam primij principij: ergo ad rationem primi principij nō requiritur, quod vnum non fiat ex altero, & è converſo.

§. IV.

Noſtra, & veriòr expoſitio.

17 A Prior prædictæ definitionis expoſitio eſt, quam alij plures tradunt, ſupponendo prius, hic definiri principia eſſentialia entis naturalis in fieri, & in facto eſſe, ideſt principia, ſine quibus, nec intelligi, nec definiri poteſt ens naturale in fieri, vel in facto eſſe, intelligendo deinde particulam *ex* in ſignificatione comprehendēte partem intrinſecam, ſubiectum, & terminum *à quo* ſubintelligendo præterea in priori parte definitionis, in qua dicitur,

tur, *quod non fiunt ex alijs, nec ex alterutris*, quod non fiant ex alijs, nec ex alterutris in eo genere, in quo ſunt prima principia, ſive in eo genere; in quo eis fit ens naturale: unde ſenſus definitionis eſt. Principia eſſentialia entis naturalis ſunt, quæ nec fiunt ex alijs, nec ex alterutris, nec ut ex parte, nec ut ex obiecto, nec ut ex termino *à quo*, in eo genere in quo ſunt principia, ſed omnia entia naturalia fiunt ex ipſis, ut ex parte, vel vt ex ſubiecto, vel ut ex termino *à quo*. Traditam expoſitionem eſſe legitimam, probatur: nam definitio ſic expoſita complectitur omnia, & ſola principia eſſentialia entis naturalis, *omnia*; quia materia, & privatio ex nullo fiunt, nec forma fit ex alio principio in ſuo genere, hoc eſt tanquam ex forma, ſed omne ens naturale fit eſſentialiter ex ipſis, ſcilicet ex materia, & forma, ut ex partibus, ex privatione vero veluti ex termino *à quo*. Deinde hæc ſola principia complectitur definitio: quia ex his, quæ ad ens naturale pertinent, præter materiam formam, & privationem ſolum datur compoſitum ſubſtantiale, & accidentale quorum neutri competit definitio, cum utrumque fiat ex alijs. Vt tamen omnis circa prædictam definitionem abſit ſcrupulus.

❀

§. V.

Solvuntur argumenta.

19 OBjicies 1. Deus non numeratur inter principia entis naturalis, de quibus modo eſt ſermo, & tamen illi convenit definitio: ſiquidem non fit ex alijs, nec ex alterutris, ſed omnia ex ipſo: ergo. *Reſpond.* neg. min. ad prob. diſt. ant. ſed omnia ſunt ex ipſo; ut ex principio, ſine quo intelligi non poteſt ens naturale in fieri, vel in facto eſſe, nego ant. ut ex principio, ſine quo poteſt intelligi, conced. ant. & neg conſeq. Cum enim hic definiantur principia phyſica eſſentialia, & definitiva motus, hoc eſt, principia, ſine quibus nequit definitione phyſica ens naturale definiri, dum dicitur in definitione, quod ex ipſo ſunt omnia debet intelligi, quod ex ipſo ſint omnia naturalia; ita ut ſine illis conceptus definitivus rerum natulium non poſsit ſalvari: cum autem tota definitio entis naturalis ſalvetur ſine expreſſione primæ cauſæ; fit conſequens, primam cauſam non eſſe principium entis naturalis in præſenti principiorum acceptione, nec eorum definitionem illi competere.

20 Si dicas: implicat intelligi, quod fiat res, & quod ab aliquo non fiat; ſed de conceptu

definitivo entis naturalis ſaltim in fieri eſt, quod fiat: ergo de cõceptu definitivo illius eſt, quod fiat ab alio; ac ſubinde definiri non poteſt ens naturale in fieri ſine habitudine ad cauſam efficientem.

Reſpond. diſt. mai. implicat intelligare, quod res fiat, accepto ly *fieri*, prout eſt idem, ac produci, & non intelligere, quod ab alio fiat, conced. mai. accepto fieri, vt eſt idem, ac moveri, neg. min. etenim fieri cuiuſcumque rei involuit motum, & actionem, ex quibus actio, cum ſit egreſsio ab agente, exprimit in proprio conceptu habitudinem ad cauſam efficientem: motus vero cum ſolum ſit tranſitus de non eſſe ad eſſe, tantum exprimit habitudinem ad ſubiectum, ad terminum *à quo*, & ad *quem*: ens igitur naturale in fieri, ideſt in produci nequit intelligi, quin intelligatur agens, at ens naturale in fieri, ideſt in moveri, intelligi poteſt, quin agens intelligatur.

21 Inſtas: ſicut omne, quod fit, ab alio fit ita omne, quod movetur, ab alio movetur: ergo ſicut non poteſt intelligi ens naturale fieri, quin intelligatur agens, à quo fit, ita nec poteſt intelligi moveri, quin intelligatur movens, ſeu agens *à quo* moveatur.

Conceſſo ant. nego. conſeq. Quia actio eſt actus agentis, & ideò non ſolum procedit in proprio conceptu ab agente, ſed in proprio conceptu exprimit agens in obliquo; at motus eſt actus mobilis, quare licèt procedat à movente, non exprimit in proprio conceptu moventem ſed ſolum mobile.

22 Opponens 2. forma eſt vnum ex principijs; & tamen fit ex materia, & privatione: ergo principia fiunt ex alterutris. Reſp. ex dictis, formam non fieri ex materia, nec ex privatione in eo genere, in quo compoſitum fit ex forma, ſive in eo genere, in quo forma eſt principium: eſt enim principium in genere cauſæ formalis, at fit ex materia, vt ex ſubiecto, & ex privatione, tanquam ex termino *à quo*.

23 Oppones 3. Materia prima eſt ex partibus integralibus, & ex genere, & differentia: ergo principia ſunt ex alijs. Reſpond. quod cum hic definiantur principia eſſentialia, ex quibus phyſicè conſtat compoſitum naturale, ly *ex alijs* in definitione indicat, principia non eſſe ex alijs, vt ex partibus phyſicis, & eſſentialibus: vnde non excludit partes integrantes, quæ eſſentiales non ſunt, nec genus, & differentiam, quæ non ſunt partes phyſicæ, ſed metaphyſicæ.

24 Opponens 4. Privatio eſt ex alio, tanquam ex termino *à quo*: ergo aliquod principium eſt ex alijs in eo genere

in quo illud eſt principium. Antec. prob. quia ſicut materia trāſit ad formam geniti ex illius privatione, ita tranſit ex forma corrupta ad privationem illius. Reſpondebis, quod fit ex forma corrupta non per ſe, ſed per accidens: etenim quin forma præceſſerit in materiā poteſt exiſtere naturaliter, imò exiſtit defacto privativo in ea.

Sed contra: Licèt forma poſsit exiſtere in materia, quin in ea præceſſerit privatio, vt patet in cęlis, & elementis, quia tamen virtute agentis naturalis induci nequit forma, quin pręcedat eius privatio, forma per ſe fit ex privatione; ſed induci nequit privatio de novo virtute agentis naturalis, quin præcedat forma: ergo privatio per ſe fit ex forma.

Aliter: ergo reſp. dicendo, privationem non fieri, quia fieri ordinatur ad eſſe, & privatio nullum habet eſſe.

25 Opponens 5. Cœlum eſt ens naturale, & non eſt ex privatione: nam productionem formæ cœleſtis privatio in materia non præceſsit: ergo non omnia entia naturalia fiunt ex ipſis.

Reſpon. diſt. conſeq. Non omnia naturalia, ſi fiant per creationem, concedo conſeq. Si per generationem, neg. conſeq. At cæli facti ſunt per creationē, quare non mirum, quod privatio in eorum materia non præceſſerit. Philoſophus enim docuit privationem eſſe principium generationis, non creationis, quam minime cognovit.

26 Dices: Licet formæ cęlorum defacto fuerint creatæ potuerunt tamen in prima ſui productione educi ex materia, ac ſubinde non repugnat cælos fieri in prima ſui productione per veram generationem, ſed in eo eventu privatio non præcederet in materia, quia tunc caſus in eodem inſtanti, in quo materia fuiſſet creata, forma fuiſſet ex illius potentialitate educta: ergo ſtat bene, quod aliquod ens naturale, etiam ſi per generationem fiat, non fiat ex privatione.

Reſp. diſt. mai. Non repugnat, cælos fieri in prima ſui productione per veram generationem, quæ ſit proprie mutatio, neg. mai. Quæ non ſit mutatio, conced. mai. & conceſſa min. diſt. conſeq. ergo ſtat bene, quod aliquod ens naturale, etiam ſi fiat per generationem, quæ ſit vera mutatio, non fiat ex privatione, neg. conſeq. Si fiat per generationem, quæ non ſit vera mutatio, conc. conſeq. Mutatio enim, cum ſit tranſitus de nō eſſe ad eſſe, eſſentialiter prærequirit privationem in ſubiecto, at generatio cælorum in eo eventu mutatio non eſſet, quo circa privationem minime deſideraret.

Sed

43 Sed quia frequenter defendunt Noſtrates, generationem eſſe eſſentialiter mutationem. *Reſp.2.* quod per illam particulam *omnia fiunt ex ipſis* intelligitur, quod omnia per ſe loquendo, & exactivè ſunt ex ipſis, ita tamen, ut per accidens poſsit ſine aliquo eorum ens naturale in eſſe, & fieri ſubſiſtere. Igitur in caſu argumenti generationem cæli privatio non præcederet, ſed id eveniret per accidens, quia nimirum illa eſſet prima rerum productio, in qua dum nullum præcederet ſubiectum, nulla quoque privatio, quæ ſubiectum petit, potuit præcedere: cæterum prædicta generatio per ſe loquendo privationem exigebat: quia generatio ex natura ſua eſt via, & medium ſupponens materiam non habentem formam, & tendentem ad illam acquirendam. Hinc deduces ſolutionem eiuſdem fere argumenti, quod deſumi ſolet ex generatione vermis ex ſpeciebus ſacramentalibus: nam vel illa generatio non eſt mutatio, ac ſubinde privationem ex qua fiat non deſiderat, aut ſi demus eſſe mutationem, adeſt privatio non actu ſed exactive. Sed utrum generatio ſit eſſentialiter mutatio, & an ad rationem veræ mutationis ſufficiat exigentia privationis, exagitabitur in lib. de gener.

28 Denique oppones: Omnia entia naturalia non fiunt ex omnibus principijs: nam aliquod ens naturale, ut homo non fit ex omni materia, ex omni forma, & ex omni privatione; nec omnia entia naturalia fiunt ex his, vel illis principijs: quia nec ex hac materia, nec ex hac forma, nec ex hac privatione poſſunt fieri omnia entia naturalia nec ex illa materia, illa forma, aut ex illa privatione: ergo omnia entia naturalia non fiunt ex ipſis.

Conſequentia non valet; ſicut non valet: omnis homo non conſtat omni corpore, & omni anima, nec conſtat hoc, vel illo corpore, & anima: ergo non omnis homo conſtat corpore, & anima: & ratio eſt: quia dum dicitur in definitione omnia fiunt ex ipſis ly *ex ipſis* non ſupponit determinate, ſed confuſe disiunctim, cum ſequatur mediate ſignum univerſale affirmativum, ac ſubinde prius quam reſolvatur ſubiectum, tantum poteſt reſolvi disiunctim hoc modo, omnia fiunt ex ipſis: ergo ex his, vel illis, vel illis, cui propoſitioni non contradicitur per iſtam, nullum ens naturale fit ex omnibus principijs, nec per iſtam, nullum ens naturale fit ex his principijs, nec fit ex illis principijs, ſed per iſtam, aliquod ens naturale non fit ex iſtis neque illis, nec illis: ſicut huic propoſitioni requiritur hic, vel ille oculus ad videndum non contradicitur per iſtam non mo-

omnis oculus requiritur; neque per iſtam, iſte oculus non requiritur, nec ille oculus requiritur, ſed per iſtam, nec hic nec ille oculus requiritur ad videndum.

ARTIC. II.

Quæ, & quot ſint principia entis naturalis.

29 ADverte 1. Compoſitum naturale poſſe conſiderari in duplici ſtatu, nimirum in fieri, & in facto eſſe: in fieri, quando actu producitur: in facto eſſe, quando iam productum eſt: principia entis naturalis in facto eſſe ſunt principia, ex quibus ens naturale conſtituitur: principia eiuſdem in fieri ſunt principia, ex quibus ens naturale fit, aut generatur: ita tamen, vt proprie loquendo non ſint principia generationis rerum naturalium, ſed rerum naturalium, vt generantur: nam ex his principijs fiunt omnia, quorum ea ſunt principia; at ex his principijs non fit generatio: generatio quippe non fit ex forma geniti, quæ eſt vnum ex his principijs: ergo ea proprie loquendo non ſunt principia generationis, ſed geniti, vel entis naturalis, vt generatur. Min. prob. Nam forma geniti eſt terminus ad *quem* generationis, & finis eius, atqui nulla res fit ex termino *ad quem*, nec ex fine ipſius, ſed fit ad terminum, & propter finem: ergo generatio non fit ex forma geniti.

30 Si dicas: generationem non fieri ex forma geniti, fieri tamen ex forma geniti mutationem: quia cum mutatio ſit quid ſucceſsivum conſiſtens in eo quod res aliter ſe habeat nunc, quam prius, conſtat veluti ex partibus ex termino *à quo*; ex tranſitu, in quo conſiſtit generatio, & ex termino *ad quem*, qui eſt forma geniti: quo circa, cum res quælibet fiat ex ſuis partibus, ſtat optime, quod mutatio dicatur fieri ex forma geniti.

31 Diſplicet evaſio 1. Quia ſine fundamento diſtinguit mutationem à generatione, ſicut includens ab incluſo. 2. Quia mutatio ſubſtantialis eſt inſtantanea, in quo differt à motu ſtricte ſumpto: ergo partes illius in eodem inſtanti coexiſtunt; at terminus *à quo*, & terminus *ad quem*, cum ſint privatio, & forma in eodem inſtanti non coexiſtunt: ergo mutatio non conſtat ex termino *à quo*, & ex termino *ad quem*, velut ex partibus. Denique. Mutatio eſt tranſitus, & via ab vno termino ad aliũ, atqui via diſtinguitur adæquate ab vtroque termino; ſicut medium ab vtroque extremo: ergo mutatio non includit terminos, vt partes ſibi intrinſecas, ſed adæquate diſtinguitur ab illis.

32 Adverte 2. Compoſitum naturale poſſe fieri per creationem ex nullo, ſcilicet, præſuppoſito ſubiecto, vti defacto cæli, & elementa fuerunt facta: vel per generationem, quæ tranſmutatio non eſt, vt communiter ſentiunt Philoſophi potuiſſe cælos, & elementa produci per actionem ſcilicet eductivam formæ dependenter à materia propriori naturæ in eodem inſtanti reali producta; vel tandem per generationem, quæ ſimul eſt mutatio, cuiuſmodi ſunt generationes omnes, quæ virtute agentis naturalis contingunt, & ſupponunt materiam, quam transferunt de non eſſe formæ ad formæ receptionem. Non inveſtigamus principia entis naturalis in fieri, quando ens naturale fit per creationem, vel per generationem, quæ tranſmutatio non eſt; ſed inquirimus principia, ex quibus ens naturale fit, cum fit per veram tranſmutationem.

33 Adverte 3. pro diverſitate tranſmutationum deſiderari diverſa requiſita, vt fiat compoſitum naturale, vt enim generetur homo, debet præcedere forma embrionis; vt fiat cadaver, prærequiritur forma viventis; modo non curamus de his requiſitis in particulari, ſed de principijs, quæ ex communi, & præciſo conceptu mutationis requirũtur, vt fiat compoſitum naturale.

§. I.

Prima Concluſio.

34 PRincipia entis naturalis in fieri ſunt tantum tria, nempe, materia, forma, & privatio. Ita cum Philoſopho hic cap. 6. & cum Div. Thom. ibidem lect. 13. fere omnes. Concluſio, cum ſit exponibilis, habet duas partes, ſcilicet ſunt tria principia, & non ſunt plura.

Et prima pars prob. principia entis naturalis infieri ſunt, quæ nec fiunt ex alijs, nec ex alterutris in eo genere, in quo ſunt principia; ſed omnia entia naturalia, quæ per veram tranſmutationem producuntur, fiunt ex ipſis; huiuſmodi ſunt materia, forma, & priuatio; ergo hæc tria ſunt principia entis naturalis in fieri. Mai. conſtat ex traditis art. præcedenti, & min. quoad primam partem patet: nam materia non fit ex alia materia, nec forma ex alia forma, nec privatio ex alia privatione: quoad ſecundam vero prob. tranſmutatio, per quam producitur ens naturale eſt tranſitus materiæ de privatione ad formam: ergo omnia entia naturalia, quæ per veram tranſmutatationem producuntur; fiunt ex materia, forma, & privatione. Prob. anteced. Tranſmutatio, per quam ens naturale produci-

citur,conſiſtit in eo,quod ſubiectum, quod prius non habebat eſſe rei naturalis, modo habeat eſſe rei naturalis; ſed ſubiectum quod non habebat eſſe rei naturalis, habere modo eſſe rei naturalis eſt tranſitus materiæ de privatione ad formam: ergo. Prob.min.Nam eſſe rei naturalis præſtat forma; ſubiectum vero recipiens prædictam eſſe eſt materia; & illud prius non habuiſſe eſt privatio: ergo ſubiectum habere modo eſſe rei naturalis, quod prius non habebat, eſt tranſitus materiæ de privatione ad formam.

45 Secunda pars illius exponibilis,nempe quod principia entis naturalis in fieri non ſunt plura, quam tria, prob. Principia entis naturalis in fieri ſunt, quæ per ſe, & eſſentialiter requiruntur, vt per veram tranſmutationem fiat compoſitum naturale: ſed ad hoc ſufficiunt tria principia, nempe materia,forma, & privatio: ergo principia entis naturalis in fieri non ſunt plura quam tria. Prob.min. Vt ens naturale fiat per veram tranſmutationem, ſufficit, quod materia tranſeat de privatione formæ ad formam rei naturalis; ſed vt ſit tranſitus materiæ de privatione ad formam,ſufficiunt hæc tria,nempe materia,forma, & privatio: ergo.

36 Ob. 1. Contra primam partem concluſionis.Quod nihil eſt,non poteſt eſſe principiū entis realis;ſed privatio nihil eſt cum ſit abſentia formæ realis in ſubiecto: ergo non poteſt eſſe principium entis naturalis in fieri.

Conf.1.Privatio non poteſt exercere rationem principij, quando compoſitum generatur,nec poſtea,nec antea: ergo nunquam poteſt exercere rationem principij. Ant. quoad primam, & ſecundam partem conſtat: quia quando compoſitum actu generatur,& etiam poſtea iam eſt forma in ſubiecto,privatio autem,& forma nequeunt in eodem inſtanti reali coexiſtere in ſubiecto: quoad tertiam vero prob. Quia privatio non poteſt exercere rationem principij reſpectu eius, quod non eſt: quia tunc nihil principiat, ſed compoſitum,ante quam generetur,non eſt:ergo non poteſt privatio exercere rationem principij,ante quam compoſitum naturale generetur.

37 Conf.2. Principia entis naturalis in fieri per ſe requiruntur ad illud;ſed privatio non per ſe requiritur:nam Ariſt. hic lib. 1.cap.1.text.66.ait per accidens illam ſe habere ad generationem:ergo.

Conf.3.Principium non deſtruit principiatum; ſed privatio formæ deſtruit ens naturale: ergo privatio formæ nullo modo eſt principium entis naturalis.

Reſp.quod id, quod nihil

hil eſt, non poteſt eſſe principium entis naturalis intrinſecum, & per modum partis componentis, poteſt tamen eſſe principium extrinſecum per modum termini *à quo*.

Ad 1. conf. reſp. quod privatio exercet rationem principij, quando compoſitum actu generatur: quia licet non poſsit exercere rationem principij, dum non exiſtit, illud quod principiat, componendo, aut influendo, poteſt tamen, dum non exiſtit, exercere rationem principij id quod principiat per modum termini *à quo*: exercitium enim termini *à quo* eſt derelinqui, & excludi: derelinquitur autem privatio, ſive excluditur, cum primo per adventum formæ oppoſitum removetur: ac ſubinde cum primo ex vi generationis iam non exiſtit.

Ad 2. conf. reſp. quod privatio comparatur per accidens ad ens naturale in facto eſſe, & hoc eſt, quod Philoſophus intendit: cæterum ad ens naturale in fieri comparatur per ſe: quia generatio per ſe petit, quod forma generanda non præexiſtat in materia.

Ad 3. conf. reſp. quod principium intrinſecum, & conſtitutivum non deſtruit principiatum; principium autem extrinſecum principians per modum termini *à quo* deſtruit principiatum pro inſtanti, in quo exiſtit principium non tamen deſtruit principiatũ, ſed iuvat ad illius generationem pro duratione ſequenti; quia ſi privatio formæ in hoc inſtanti non præcederet in materia, non poſſet pro duratione ſequenti forma in materia generari.

39 Ob. 2. Poteſt generari ens naturale, nulla præcedente privatione in materia: ergo privatio non eſt principium entis naturalis in fieri. Ant. prob. 1. Quando ex accidentibus Euchariſtię corruptis generatur vermis, in eodem inſtanti, in quo producitur forma vermis, producitur materia; ſed nequit præcedere privatio formæ in materia, in qua in primo inſtanti ſuæ creationis forma introducitur, cum forma, & privatio in eodem inſtanti reali in vno, & eodem ſubiecto exiſtere non poſsint: ergo nulla præcedente privatione in materia generatur ens naturale, nempe vermis.

2. In prima elementorum productione, quæ vel fuit, vel ſaltem potuit eſſe per eductionem formæ ex materia, ac ſubinde per veram generationem, nulla præceſſit, aut pręceſiſſet privatio formę in materia, ſiquidẽ materia in primo inſtãti ſuæ creationis iam erat ſub forma: erg. idẽ quod prius.

3. Ad quamlibet generationem præcedit materia incapax formæ generandæ: nam præcedit materia ſub alia forma, cum qua incompoſsibilis eſt forma generanda; ſed in materia incapaci formę non datur privatio formę cũ privatio ſit carentia formę in

ſu-

ſubiecto capaci: ergo ad nullam generationem præcedit privatio formæ.

40 Neg. ant. ad cuius primam probationem dicunt aliqui, tunc caſus præcedere privationem formæ in materia nō tempore, ſed prioritate naturæ. Hanc tamen ſolutionem falſam eſſe, demonſtratur facile. Quia ſi privatio formę pręcederet natura, te vera exiſterent in eodē inſtanti reali forma, & carentia illius; conſeqnens involuit apertam contradictionem, quod ſcilicet idem ſimul ſit, & non ſit: ergo Conſ. Nec pro diverſis inſtantibus naturæ poteſt idem homo in eodem inſtanti reali eſſe ſimul videns, & cæcus. vivus, & mortuus, iuſtus, & peccator: ergo prioritas naturæ non ſufficit, vt in eodem ſubiecto poſsint pro eodem inſtanti reali ſimul exiſtere privatio, & forma.

Vrgetur. Predicta prioritas naturæ nō ſufficit, ut pro eodem inſtanti reali ſint in materia forma geniti, & forma corrupti: ergo nec ſufficit, vt pro eodem inſtanti reali ſint in materia privatio formæ, & ipſa forma.

41 Etſi dicas. Materia vermis geniti ex corruptione ſpecierum ſacramentalium pro aliquo priori naturæ præcedit formam, ſed pro illo priori non habet formam: ergo pro illo priori habet privationem formæ; ſiquidem inter habere formam, & habere privationem formæ non datur medium, quādo ſubiectum eſt capax habendi formam.

Neg. conſeq. Quia licet inter habere, & non habere formam abſolute non detur medium, inter habere formam pro aliquo priori, & illam pro aliquo priori non habere, datur medium remotionis, quatenus poteſt vtrumque deficere; ſicut Petro abſolutè nequit deficere tàm albedo, quàm carentia albedinis. Petro tamen ſecundum ſe, vel pro priori eſſentialium vtrūque deficit; quia ſecundū ſe, nec eſt albus, nec eſt non albus. Et ratio eſt: quia prioritas iſta eſt ſtatus, in quo Petrus conſideratur quoad eſſentialia, & præſcinditur ab accidentibus; ac ſubinde ab albedine, & à carentia albedinis quorum vtrumque accidit Petro: ſicut in præſenti prioritas illa materiæ eſt ſtatus, in quo ſolum conſiderantur ea, quę ex parte materiæ prærequiruntur, vt in illo inſtanti recipiat formam, & præſcinditur ab eis, quæ ex parte materiæ adhoc nō prærequiruntur: ergo cum nec forma, nec carentia formæ prærequirantur ex parte materiæ, vt recipiat formam, fit conſequens, pro illo priori nec materiam habere formam, nec habere privationem formæ, ſed ab vtroque præſcindi.

42 Dices: pro nullo priori, poteſt vtrumque contradictorium eidem convenire.

ergo nec pro aliquo priori poteſt vtrumque contradictorium eidem ſubiecto deficere: patet conſequentia: quia ſicut contradictoria excludunt medium conuenientiæ, ita excludunt mediũ remotionis.

Reſp. neg. conſeq. Quia vtrumque contradictorium nõ poteſt vere affirmari ſub aliqua reduplicatione de eodem ſubiecto, quin vtrumque illi conveniat abſolute nam, vt prædicatum conveniat abſolute, ſufficit quod ſub aliquo conceptu, aut expreſsione illi conveniat; ſicut vt homo ſit abſolute diſcurſivus, ſufficit quod vt rationalis ſit diſcurſivus; at vt prædicatum ſub aliqua reduplicatione negetur de ſubiecto; non requiritur, quod abſolute illi non conveniat, ſed ſufficit quod ex hoc capite non conveniat, ſicut vt dicatur, quod homo non eſt rationalis, in quantum animal, nõ requiritur, quod homo non ſit rationalis, ſed quod non ſit rationalis ex conceptu generico animalis, & quia repugnat, quod vtrumque contradictorium eidẽ ſubiecto conveniat: eſt autem poſsibile, quod neutrum ex aliquo capite conveniat: id circo nequit vtrumque contradictorium de eodem ſub aliquo conceptu vere affirmari; poteſt autem de eodem ſub aliquo conceptu vere negari.

44 2. Reſp. alii, quod licet in tali caſu materia vermis non præcedat introductionem formæ præcedit: tamen quantitas panis, in qua vt in vices gerente materiæ exiſtit privatio formæ vermis, ſicut in ea exiſtũt accidentia diſponentia ad formam vermis.

44 ſed nec iſti ſatisfaciunt 1. Quia privatio ſolũ exiſtit in ſubiecto, quod eſt capax recipiendi formam ſubſtantialem vermis, & effectum formalem eius: ergo privatio formæ vermis non præceſsit in quantitate.

45 Nec valet dicere, quod privatio poteſt exiſtere in ſubiecto capaci formæ, vel in aliquo gerente vices talis formæ. Quia id, quod non eſt capax formæ etiam vt vices gerens alterius, nec prout vices gerens alterius, erit capax privationis: ergo privatio ſolum exiſtit in ſubiecto capaci formę, & non in aliquo gerente vices illius. Prob. ant. id quod nullo modo eſt capax habendi formam, non eſt capax carentię formę, quę per formam advenientem poſſit excludi: ergo non eſt capax privationis. Prob. ant. hoc quod eſt ſubiectum iſtud carere aliqua forma, ſolum poteſt excludi per eius oppoſitum, nempe per ſubiectum iſtud habere illam formam: ergo quod eſt incapax habendi formam, eſt incapax carentię formę, quę per formam advenientem poſsit excludi.

Con-

Conf. Quantitas per privationem formæ vermis redditur non habens in ſe formam vermis; ſed adveniente forma materię de novo creatæ, quantitas permanet non habens in ſe formam vermis: ergo permanet cum privatione formæ vermis: ergo privatio, quæ in quantitate præceſsit, non excluditur per formam vermis; ac ſubinde non eſt terminus *à quo*, nec principium generationis vermis.

46 2. Reijcitur modus iſte dicendi. Non pręcedit privatio in quantitate ſufficiens, vt verificetur, quod materia vermis creata in inſtanti, in quo ex illa educitur forma vermis, aliter ſe habeat nunc, quam prius: ergo non præcedit in quantitate privatio ſufficiens, vt principiet mutationem.

47 3. Illa privatio eſt principium generationis, quę vt terminus *à quo* excluditur à ſubiecto per ipſam generationem; ſed privatio, ſi quę præcedit in quantitate, non excluditur à quantitate per generationem vermis: ergo in quantitate non præcedit privatio, quæ ſit principium generationis vermis. Prob. min. Ante generationem vermis ſupponitur deſtructa quantitas, in qua exiſtebat privatio: ergo per generationem vermis non excluditur privatio à quantitate. Prob. ant. Ante generationem vermis intelligitur creatio materiæ, ſed ex vi creationis, novæ materiæ deſtruitur quantitas præcedens. Tũ, quia quantitas, cum ſit accidens, non poteſt migrare de ſubiecto in ſubiectum; quare, adveniente novo ſubiecto, debet advenire nova quantitas, & corrumpi antiqua. Tùm: quia accidentia Euchariſtiæ deſtruntur per ea, per quæ deſtruerentur, ſi adeſſet propria ſubſtantia, at ſi exiſtente quantitate in propria ſubſtantia, adveniret nova materia, deficeret prior materia, & ex conſequenti quantitas in illa exiſtens: ergo per creationẽ novæ materiæ deficeret quantitas præcedens.

48 Et ſi dicas: Diſpoſitiones ad formam vermis recipiũtur in quantitate: ergo privatio, quæ eſt terminus *à quo* generationis poteſt recipi in quantitate. Neg. conſeq. Quia diſponere ad formã vermis nihil eſt aliud, quam determinate cauſam primam, vt producat formam vermis, & hoc poſſunt præſtare accidentia, etiam ſi recipiantur in quantitate: quia determinant cauſam primam ratione connexionis cum forma vermis: exigunt enim pro ſubiecto vermis ſubſtantiam, & huic connexioni, aut exigentiæ non obſtat eorum in ſola quantitate receptio; cæterum privari forma involuit eſſentialiter capacitatem ſubiecti, & carentiam formæ in illo; quare repugnat quod

quantitas incapax recipiendi formam vermis illius privationẽ poſsit recipere.

49 Inſtas. Non minus videtur repugnare, ſubiectum incapax formæ diſponi ad formam, quam privari forma: ergo quantitatem non eſſe capacem recipiendi formam vermis obſtat, vt ad illam poſsit diſponi, vel nõ obſtat, vt illa poſsit privari.

Reſpond. quod accidentia corruptiva quantitatis non diſponunt eam ad formam vermis, ſed recipiuntur in quantitate, & determinant cauſam primã, vt loco ſubſtantiæ panis, quę debeat ſub eſſe quantitati, ſubroget ſubſtantiam vermis: quare ex duplici munere, quod per ſe loquendo præſtant diſpoſitiones, ſcilicet expedire materiam ad receptionem formæ, & determinare agens ad ipſius productionem: Primum per accidens, atque defectu materiæ non præſtant accidentia diſponentia ex ſe ad formam vermis; præſtant tamen ſecundum. Cęterum privatio nullum munus ſibi proprium præſtare poteſt ſubiecto incapaci: quia ſeclusa capacitate ſubiecti, nihil reſtat, per quod diſtingui poſsit privatio à ſimplici negatione.

50 Tertio dicunt alij, inter quos non nulli antiquiores Thomiſtæ recenſentur, quod in illa generatione vermis non creatur de novo materia prima; ſed quantitas ex vi prioris miraculi, quo datum eſt illi ſuſbtare primo cęteris accidentibus, habet, quod corruptis accidentibus, perſeveret, vt vice materiæ, ex qua educitur forma vermis: quo circa vermis fit ex privatione, quæ præceſsit in quãtitate, vt invicemateria capaci recipiendi in ſe formam ſubſtãtialem.

51 Sed contra 1. Forma ſubſtantialis nequit informare quantitatem: ergo quantitas nõ eſt capax recipiendi formam ſubſtantialem. Ant. prob. forma ſubſtantialis ſolum poteſt informare ſubiectum ſibi proportionatum; ſed quantitas non eſt ſubiectum proportionatum formæ ſubſtantiali: ergo. Prob. min. Formæ dantis primum eſſe ſola pura potentia eſt ſubiectum proportionatum, quia primum eſſe tantum poteſt recipere potentia, in qua nullum eſſe ſupponitur, ſed forma ſubſtantialis dat primum eſſe: ergo quantitas. quæ non eſt pura potentia, ſed eſt actus, non eſt ſubiectum proportionatum formæ ſubſtantialis.

Conf. Materia prima ideo non poteſt ſupponi exiſtens, vel ſub forma corporeitatis, vel ſub quavis alia forma ante formam rationalem; quia anima rationalis, cum ſit forma ſubſtantialis, non poteſt informare ſubiectum aliquomodo exiſtens in actu ante ipſius receptionem; ſed quantitas ante formam ſubſtan-

ſtantialẽ vermis eſt ens in actu: ergo nequit per eam informari.

52 2. Non poteſt qualitas, etiam vt virtus formæ ſubſtantialis; informare materiam, & corpus ſubſtantialiter componere: ergo nec quantitas vice materiæ poteſt recipere formã ſubſtantialem, & cum ea vermem componere.

53 3. Sequeretur ex hac doctrina, quod tota materia panis, & vini, quę ab initio inſtitutionis Euchariſtiæ transſubſtantiata eſt, deficiat in rerum natura, & loco illius ſola quantitas ſit ſubſtituta: vnde magna pars rerum naturalium non conſtabit materia, & forma, ſed quantitate, & forma, quæ proinde non erunt res ſubſtantiales, nec accidentales. Sequeretur præterea, quod ſi homo longo tempore ſolis ſpeciebus ſacramentalibus nutriretur, decurſu tẽporis totum fere corpus ſubſtantiale amitteret, & maneret anima ſolam quantitatem informãs, quæ omnia videntur incredibilia: ergo falſum eſt quantitatem corruptis ſpeciebus gerere vices materiæ recipiendo formã vermis, ac per conſequens præceſſiſſe in ea privationem formæ vermis.

54 Si obijcias, hanc eſſe ſentiam D.Th. 3.p.q.77. art. 5. vbi dicit, quantitati datum eſſe miraculoſe, quod ſit ſubiectum præcedentium formarum.

Reſp. verb. D. Th. ſatis ſonare hanc ſententiam, ea tamẽ explicanda eſſe cum Capreolo, Caietano, Soto, & alijs Thomiſtis de quantitate, quæ non per ſe ipſam ſubijcitur formæ, ſed media converſione ipſius in materiam, & qua proxime fit generatio: datum eſt ergo quantitati ex vi inſtitutionis ſacramenti, quod media converſione ſuppleat abſentiam materiæ, vt ibidem inſinuat S. Doctor in ſolutione ad 3. illis verbis *Quod quantitas accipit proprietates ſubſtantiæ; & ideò poteſt tranſire in vtrumque*, ideſt in ſubſtantiam, & dimenſionem.

55 Quare ad argumentum aliter dicendũ eſt: in caſu generationis vermis non præcedere privationẽ: quia ſivè in inſtanti eductionis formæ creatur ipſa materia, vt ſuſtineri poſſe docet D.Th. vbi proximè, ſivè in illo inſtanti quantitas præcedens cõvertatur in materiã; materia nũquã pręcedit ſub carentia formæ. Et cũ infertur: ergo priuatio non eſt principiũ generationis. Reſp. iuxta dicta art. præcedenti, quod privatio eſt principium generationis, quæ eſt mutatio: generatio autem vermis in caſu argumenti non eſt mutatio. Vel, quod privatio eſt principiũ per ſe loquendo requiſitum ad generationem; poteſt tamen per accidens, & ratione miraculi deficere, & ratione miraculi deficit de facto in generatione vermis ex ſpeciebus ſacramentalibus.

Hinc

56 Hinc ad 2. prob. eodem modo reſp. in prima cœlorum productione nec fuiſſe, nec potuiſſe mutationem materię intervenire, & ideò non præceſſiſſe privationem, quæ ſolum eſt principiũ generationis tranſmutativæ materiæ. Vel in ea generatione per accidens defeciſſe privationem; quæ tamen per ſe loquendo ad omnem generationem rei naturalis deſideratur.

Ad 3. reſpond. quod materia exiſtens ſub vna forma habet privationem alterius: quia licèt ſit incapax alterius, vt con iungendæ cum forma, quam habet, eſt tamen capax abiiciendi formam, quam habet, & alteram recipiendi.

57 Obijcies 3. Principium debet eſſe prius principiato; ſed forma, cum ſit terminus generationis, eſt poſterior: ergo non eſt principium.

Reſpond. quod forma eſt poſterior generatione, ſed non eſt poſterior ente naturali in fieri, cum ſit pars intrinſeca illius: vnde non probat argumentum, quod non ſit principium entis naturalis in fieri, ſed quod non ſit proprie principium generationis; ea nimirum ratione, quâ hic loquimur de principijs entis naturalis: hęc enim ſunt principia, ex quibus in executione fit ens naturale, quo pacto forma non eſt principium generationis, cum ex forma in executione non fiat generatio; non tamen negamus (nec id probat argumentum) formam eſſe principium generationis per modũ finis, qui principium dicitur, eo quod, licèt non in executione, in intentione pręcedit generationem; qua ratione actus poſſunt dici principia potentiarũ, à quibus oritur, licèt non in eo ſenſu, in quo ens naturale fit ex ſuis principijs.

58 4. Obijcies. Adverſum 2. partem concluſionis ad probandum principia entis naturalis in fieri eſſe plura, quam tria. Vnum ex principijs entis naturalis infieri eſt cauſa efficiens: ſiquidem eſt principium, & ex ipſa, vel ab ipſa fiunt omnia entia naturalia: ergo præter illa tria debet aſsignari quartum principium.

Reſp. ex dictis dub. præcedenti; quod in præſenti agimus de ente naturali non vt eſt effectus, ſed vt eſt terminus trãſmutationis, qua ratione cauſa efficiens non eſt principium illius: quia ſub hac conſideratione ſolum exprimit habitudinem, & dependentiam à principijs definitivis motus, quę tantum ſunt materia forma, & privatio: motus enim, ſivè mutatio in conceptu definitivo ſolũ dicit tranſitum ſubiecti de non eſſe ad eſſe.

59 Obijcies 5. Compoſitum naturale non ſolum fit ex privatione, ſed ex forma

corrupta: ergo non eſt ratio cur inter principia non debeat numerari forma corrupta. Confirm. 1. ex parte termini *ad quem* generationis non ſolum reperitur forma geniti, ſed etiam privatio formę corruptę: ergo debet numerari inter principia, ſicut numeratur privatio formę geniti, quia eſt terminus *à quo* generationis. *Conf.* 2. Compoſitum naturale in fieri fit ex omnibus, quę intrinſecè includit; ſed includit pręter materiam, & formam, ipſam generationem: ergo fit ex ipſa generatione: erit ergo principium entis naturalis in fieri ipſamet generatio.

Reſp. quod compoſitum naturale fit ex forma corrupta non per ſe, ſed per accidens: quia mutatio, per quam fit ens naturale, ſolum petit quod pręceſſerit privatio formę generādę: quod autem pręceſſerit aliqua forma in materia, petit quidem ipſa materia, quę nequit exiſtere ſine forma; non tamen id petit mutatio, quę eiuſdem rationis eſſet, etiam ſi nulla in materia forma præceſſiſſet, dummodo in ea præceſſiſſet privatio formæ generandæ.

60 Inſtabis. Generatio cineris per ſe ſe fit ex forma ignis, & generatio cadaveris ex forma viventis: ergo alicuius generationis eſt principium forma corrupta. Reſp. quod generatio cadaveris petit ex parte termini *à quo* formam poſitivam non ex conceptu communi generationis, vt mutatio eſt, ſed ex conceptu talis generationis: hic autem ſolum aſsignamus principia, quę ex conceptu cōmuni mutationis; petit ad ſui generationem ens naturale, nō ea, quæ ad hanc, vel illam generationem in particulari requiruntur.

61 Inſtabis iterum. Generatio eſt converſio formalis; ſed converſio, cum ſit inter terminos poſitivos requirit per ſe formam poſitivam ex parte termini *à quo*: ergo. Reſp. quod generatio non per ſe, ſed per accidens eſt converſio formalis: nam eductio formæ elementorum in eorum prima productione fuiſſet generatio, & non fuiſſet converſio formalis, & vermis productio ex ſpeciebus ſacramentalibus eſt generatio, & non eſt converſio formalis: vnde; generatio per accidens ſupponit formam poſitivam, licèt vt converſio eſt, illam per ſe ſupponat; ſicut homo albus per accidens diſgregat viſum, licèt vt albus, per ſe, & neceſſario habeat diſgregare viſum.

62 Replicabis: Generatio per accidens eſt mutatio in ſententia probabili à nobis admiſſa, & tamen quia, vt mutatio per ſe petit privationem ex parte temini *à quo*, privatio eſt principium entis naturalis in fieri; ergo licèt generatio

per

p:r accidens ſit converſio, quia tam:n converſio per ſe petit formam poſitivam ex parte termini à quo, erit forma poſitiva principium entis uaturalis in fieri.

Reſp. quod generatio ex conceptu communi generationis in præfata ſententia eſt per accidens mutatio; generatio vero, quæ virtute agentis naturalis fit, eſt per ſe mutatio: quia eſt terminus alterationis, qua prius diſponitur materia ad receptionem huius formæ præ alia; ac ſubinde materiam, quam pro aliqua duratione reali ſupponit carentem forma, pro duratione ſequenti transfert ad illius receptionem, quæ proculdubio eſt vera, & phyſica mutatio, at generatio nec ex conceptu communi, nec quatenus fit virtute agentis naturalis, eſt per ſe converſio: quia vt materia diſponatur ad huius formæ receptionem, non conducit, aut iuvat, ſed reſiſtit forma præcedens, quæ ſolum prærequiritur, vt fiat ſatis exigentiæ materiæ non potentis exiſtere ſine forma, non vt fiat ſatis exigentię generationis, vt fit virtute agentis, quæ ſolum prærequirit materiam privatam forma, vt illam ad formę receptionem poſſit diſponere, licet hoc ipſum per accidens, & miraculoſe poſſit deeſſe, vt contingit in generatione vermis ex ſpeciebus ſacramentalibus, quæ fit virtute agentis naturalis abſque præcedente materia, aut privatione, non tamen ſine exigentia materiæ, & privationis, cui Deus ſatisfacit convertendo, vel creādo materiam cum habitudine ad precedentes diſpoſitiones receptas in quantitate, per quam habitudinem redditur vltimo diſpoſita, vt ex ea virtute agentis naturalis poſſit generari forma vermis: eſt ergo privatio principium entis naturalis in fieri; quia loquimur de principiis entis naturalis, vt fit per virtutem agentis naturalis, & generatio, vt fit per virtutem agentis naturalis per ſe petit privationem: forma vero corrupta non eſt principium entis naturalis in fieri: quia fieri, vel generatio illius per vires agentis naturalis, formam poſitivam ex parte termini *à quo* per ſe loquendo minime præ requirit.

63 Nec inde inferas, diſpoſitiones præcedentes in materia eſſe principia entis naturalis infieri: quia ſcilicet eas prærequirit generatio, quæ fit per virtutem agentis naturalis. *Nam reſp.* quod ſicut in efficientibus applicatio non eſt cauſa, ſed conditio, ita in principijs generationis diſpoſitiones, quæ ſunt veluti applicatio, & determinatio materiæ ad hanc formam præ alia, non ſunt principia, ſed conditio, vt principia munus principiandi exerceant.

er-

hæc autem ratio non militat in privatione, quæ non eſt applicacatio, ſed terminus *à quo*, & ex quo incipit entis naturalis generatio.

64 Ad 1. conf. principalis argumenti reſp. quod ſicut ſe habet per accidens ad generationem, quod ex parte termini *à quo* præceſſerit forma corrupta, ita ſe habet per accidens ad illam, quod ex parte termini *ad quem* reperiatur privatio formæ corruptæ: at ſicut per ſe requiritur forma geniti ex parte termini *ad quem*, ita requiritur per ſe formæ geniti privatio ex parte termini *à quo*.

65 Ad 2. conf. reſp. quod compoſitum naturale in fieri dupliciter poteſt conſiderari 1. vt eſt aggregatum includens cōpoſitum naturale, & ipſum fieri, ſeu ipſam generationem, & in hoc ſenſu intrinſece includit ipsam generationem, & poſſet generatio dici principium eius intrinſecum: ſed cum dicimus, eſſe tantum tria principia entis naturalis infieri, non eſt ſermo de ente naturali in fieri ſecundum hanc acceptionem. Secundo poteſt accipi ens naturale in fieri pro ente naturali, cum producitur; ita vt ens naturale in fieri ſolum dicat in recto ens naturale, & in obliquo generationem, & inquirere, quæ ſunt principia entis naturalis in fieri, ſit idem, atque inquirere, quæ ſint principia, ex quibus fit ens naturale; & iuxta hanc acceptionem dicimus, ens naturale non fieri ex ſui generatione, vt ex principio propter rationem nuper attactam: quia, cum generatio ſit motus, quo materia de privatione tranſit ad formam, non eſt principium, nec auget numerum principiorum, ſed eſt via, & medium, vt principia nempe materia, & forma, & privatio munus principiandi exerceant; id enim, cuius totum ſuum eſſe eſt eſſe via, & vt alterum componat, cauſet, vel principiet, nequit dici pars, cauſa, vel principium: quo circa ſicut vnio non eſt pars, quia totum eius eſſe eſt eſſe medium, vt alterum componat, nec applicatio eſt cauſa, quia eſt via, vt aliud cauſet, ita mutatio non eſt principium; quia totum eius eſſe eſt eſſe medium, & via, vt materia, forma, & privatio actu principient.

§. II.

Secunda Concluſio.

66 DVo tantum ſunt principia entis naturalis in facto eſſe, materia, ſcilicet, & forma. Ita omnes Philoſophi cum Ariſtot. hic cap. 7. text. 66. & prob. Principia entis naturalis *in facto eſſe* ſunt, quæ illud conſtituunt intrinſece, & in ipſo manent, tranſacta generatione: ſed hæc ſunt materia.

ria,& forma tantum: ergo. Mai. eſt certa;quia, vt ſupra notavimus,principia entis naturalis in fieri,& principia eiuſdem in facto eſſe differunt in eo , quod ex illis fit;ex his vero eſt, ſeu componitur ens naturale , & min. conſtat:quia quidquid præter materiam,& formam poteſt excogitari, vel eſt extrinſecum enti naturali,vel in ipſo tranſacta generatione non permanet.

67 Ob.1.Modus vnionis(ſi datur) inter materiam , & formam permanet tranſacta generatione in compoſito naturali, & ingreditur compoſitionẽ illius:componitur quippe ens naturale ex materia,& forma vnitis:ergo prętcr materiam,& formam datur aliud principium entis naturalis in facto eſſe,ſcilicet, vnio.Confirm.ſubſiſtentia etiam eſt neceſſaria ad integram entis naturalis conſtitutionem cum ſit complementum illius ſubſtantiale: ergo participat rationem principij entis naturalis in facto eſſe.

Reſp. quod vnio non eſt principium.; quia non ingreditur compoſitionem entis naturalis, vt pars illius; ſed vt nexus partium, vel vt conditio neceſſaria ad hoc , vt partes munus componendi exerceant : vnde non auget numerum principiorum,ſicut applicatio cauſæ , & cauſa non augent numerum cauſarum.

Ad confirm. reſpond, quod ſubſiſtentia non eſt principium;tum quia ex principijs fiũt omnia entia naturalia , & aliquod ens naturale non ſit ex ſub ſiſtentia,nempe natura,vt prævenit ſubſiſtentiã.*Tum*:quia principia entis naturalis in facto eſſe ſunt ea, ſine quibus integritas eſſentialis compoſiti naturalis non ſalvatur:ſubſiſtentia vero,eſto requiratur ad integritatem phyſicam naturæ , vt illius complementum,ad integritatem eſſentialem minime deſideratur:Verbum enim divinum aſſumpſit compoſitum naturale:ſcilicet humanitatem cum integritate eſſentiali; & tamen ſubſiſtentiam ipſi connaturalem non aſſumpſit.

ARTIC. III.

Vtrùm prima principia ſint contraria?

68 FAcilis eſt reſolutio huius difficultatis , ſi ſupponamus vt certum 1. eam non procedere de contrarietate ſtricte ſumpta:nam,cum ſubſtantiæ,nihil proprie ſit contrarium,principia , vtpote exiſtentia in genere ſubſtantiæ,non poſſunt eſſe proprie contraria:quare tantum eſt ſermo de contrarietate ſumpta pro incompoſibilitate eſſendi in eodem ſubiecto.

Sc-

69 Secundo eſt certum, principia entis naturalis in facto eſſe, ſcilicet materiam, & formam non eſſe contraria: quia non ſe mutuo expellunt ab eodem ſubiecto, ſed mutuo potius vniuntur, vt idem totum cōſtituant.

3. Etiam eſt certum, aliqua principia compoſiti naturalis in fieri non eſſe contraria, ſcilicet materiam, & privationem, vel formam, & materiam, cuius rationem dedimus: quia nimirum non ſe mutuo excludunt. His ita ſtatutis ſit.

70 *Prima concluſio*: aliqua prima principia ſunt contraria. Prob. 1. quia forma, & privatio ſunt contraria; ſed forma, & privatio ſunt principia: ergo aliqua principia ſunt contraria. 2. Vnumquodque fit ex ſuo contrario: vt album ex nigro, ignis ex non igne; ſed omnia fiunt ex primis principijs: ergo prima principia ſunt contraria.

71 Obijcies 1. Ex eo quod vnumquodque fiat ex ſuo contrario, & omnia fiant ex principijs, tantum ſequitur, quod principia ſint contraria his, quę fiunt ex principijs; ſed principia non fiunt ex principijs: ergo non ſequitur, quod principia principijs ſint contraria.

Reſpond. quod forma fit ex privatione, ac ſubinde principium fit ex principio, licet non in eo genere, & ordine, in quo ipſum eſt principium: vnde eo ipſo, quod omnia fiant ex contrario, & omnia fiant ex principio, ſequitur, quod principium ſit contrarium, non ſolum compoſitis, ſed etiam aliquibus principijs.

72 Obijcies 2. Aliquando fit ſimile ex ſimili, vt cum ex homine palido generatur cadaver palidum: ergo fundamentum, cui nititur ratio Philoſophi, nempe quod vnumquodque fit ex ſuo contrario, falſum eſt.

Reſpond. quod quidquid per ſe primo producitur fit ex contrario: vnde, ſi pallidum per ſe primo produceretur, fieret ex non pallido: cum autem producitur cadaver, non fit per ſe primo palidum, ſed fit ex conſequenti ad formam cadaveris; & id circo non fit pallidum ex non pallido, fit tamen forma cadaveris ex eiuſdem formæ privatione.

73 Secunda concluſio: *Prima principia ſunt prima contraria*. Prob. 1. Quia prima principia ſunt contraria privative; ſed contrarietas privativa eſt prima contrarietas: ergo. Prob. min. Contrarietas privativa eſt vniverſalior: ergo prior. Prob. antec. Quia omnis alia contrarietas includit privativam, vt contrarietas inter album, & nigrum includit

ali-

albedinem,& albedinis privationem,contrarietas autem privativa alias contrarietates non includit; poteſt quippe inveniri ſola,vt contrarietas inter lucem, & tenebras:ergo.

2.Contrarietas conveniens primo, & perfectiſsimo generi, eſt prima, ſed contrarietas principiorum eſt contrarietas in primo, & perfectiſsimo genere, nempe ſubſtantia: ergo eſt prima.

3.Contrarietas, ad quam omnis alia contrarietas reducitur,eſt prima,ſed huiuſmodi eſt, contrarietas principiorum: ergo eſt prima.Prob.min. Contrarietas principiorum eſt in genere ſubſtantiæ,& omnis alia contrarietas eſt in genere accidentis; ſed omnis contrarietas accidentalis reducitur ad ſubſtantialem: ergo.

74 Obijc. Contrarietas inter privationem, & terminum *ad quem* motus localis cæli non reducitur ad contrarietatem ſubſtantialem cæli,cum in eo nulla ſit privatio, ex qua poſsit fieri forma ſubſtantialis : ergo non omnis contrarietas accidentalis reducitur ad ſubſtantialem, ſive ad principiorum ſubſtantialem contrarietatem.

Reſpond. quod contrarietas inter terminos *à quo*,& *ad quem* motus cæleſtis non reducitur ad aliquam contrarietatem ſubſtantialem cæli;quia ibi nulla eſt contrarietas ſubſtantialis : vbi tamen vtraque contrarietas reperitur, accidentalis reducitur ad ſubſtantialem, & hæc eſt ratio,& cauſa illius, quod ſufficit, vt contrarietas ſubſtantialis ſit prima,ſicut ſufficit, vt vnus dicatur prior altero,quod quandocumque concurrunt, debet illum præcedere,eſto poſsit, quia aliquando non concurrunt, illum interdum non præcedere.

QVÆST. III.

De materia prima.

STatuimus tria eſſe principia entis naturalis, materiam, ſcilicet,formam, & privationem,ſuper eſt ea ſigillatim examinare, qua propter agemus primo de materia, quæ prior eſt quodammodo reliquis principijs: quia cum ſit ſubiectum formæ,& privationis, veluti fundamentum ad reliqua comparatur.

ARTIC. I.

An ſit, & quid ſit materia prima?

1 MAteria eſt ſubiectum, in quo aliquid recipitur, ex quo aliquid fit vel circa quod aliquid operatur: vnde datur materia in qua, materia ex qua, & materia circa quam, quæ non tam ſunt plures, & diverſæ entitates, quam eiuſ-

eiuſdem entitatis plura munera, ſivè officia; eadem enim eſt materia, in qua forma recipitur, ex qua forma educitur, & circa quā agens producēdo formam operatur.

4 Rurſus materia, alia dicitur prima, alia ſecunda, diſtinguntur per ordinem ad actus, quos recipiūt: nam materia prima eſt ſubiectum potens recipere eſſe ſubſtantiale, quod dicitur eſſe ſimpliciter, ſivè primum eſſe: materia ſecunda eſt ſubiectum potens recipere eſſe accidētale, quod dicitur eſſe ſecundum quid, ſivè ſecundum eſſe: ex quo patet differentia inter vtramque materiam; eſt enim materia prima in potentia ad primum eſſe, ac ſubinde pura potentia nullum ex ſe habens eſſe, entitaſque ſubſtantialis ſimpliciter incompleta, & indigens forma, vt ad aliquam ſpeciem entis completi poſſit pertinere; materia vero ſecūda eſt ſubiectum integrum, & completum, ac ſubinde in ſua ſpecie ſubſtantiali independenter ab actu, quem poteſt recipere, conſtitutum.

5 Igitur nomine materiæ primæ intelligimus entitatē ſubſtantialem ſimplicem, & incompletam, nullam ex ſe habentem formam, ſed exiſtentem in potentia, vt recipiat formam, & cum ea conſtituat compoſitum naturale, & de ea inquirimus vtrum detur, & quæ ſit eius definitio, quam obrem ſit,

§. I.

Statuitur exiſtentia materiæ primæ

6 Poſt Ariſtotelem, qui contra aliquos ex Philoſophis Antiquis, totus eſt in adſtruendo exiſtentiam materiæ primæ in præſenti à text. 24. Cōmunis conſenſus Patrum, & Philoſophorum tenet, dari materiā primam, quibus, & nos cum Angelico Præceptore ſubſcribimus contra aliquos Recentiores, qui oppoſitum ſubſtinentes non bene audiunt inter Philoſophos.

Dari in rerum natura materiam primam prob. 1. ratione Ariſt. deſumpta ex generatione rerum naturalium. Notiſsimum eſt, dari generationem ſubſtantialem, per quam res incipiunt eſſe, & tranſeunt de nō eſſe ad eſſe; ſed eatenus per generationem ſubſtantialem res tranſeunt de non eſſe ad eſſe, quatenus ſubiectum aliquod pręſuppoſitum generationi recipit eſſe, quod prius non habet: ergo datur aliquod ſubiectum præſuppoſitum generationi recipiens eſſe, quod prius non habebat; ſed hæc eſt materia prima: ergo datur materia prima.

Min. in qua ſtat difficultas, prob. Per generationem ſubſtantialem res non tranſeunt de non eſſe ad eſſe per hoc, quod nihil rei præceſſerit, ſed ſecundum ſe totam incipiat

ergo tranſeunt de non eſſe ad eſſe per hoc, quod aliquod ſubiectum præſuppoſitum ipſi generationi recipiat eſſe, quod prius nō habebat Prob. ant. tranſitus rei de non eſſe ad eſſe ſecundum ſe totum, & ex nullo præſuppoſito ſubiecto non eſt generatio, ſed creatio: ergo per generationem ſubſtantialem res non tranſeunt de nō eſſe ad eſſe per hoc, quod nihil rei præceſſerit, ſed ſecundum ſe totum incipiat.

6 Idem argumentum pro exiſtentia materiæ deſumitur ex corruptione. Quando res ſubſtantialiter corrumpitur, deſtruitur forma ſubſtantialis, & non deſtruitur, ſed permanet aliquid aliud, quod eſt de ſubſtantia rei: ergo præter formam ſubſtantialem datur alia pars ſubſtantialis in rebus naturalibus. Prob. anteced. Deſtructio rei ſecundum ſe totam, ita vt deſinat in purum nihil, non eſt corruptio, ſed anihilatio: ergo quando res naturales corrumpuntur, ita deſtruitur forma, vt aliquid aliud permaneat pertinens ad ſubſtantiam rei.

Confirm. Calor receptus in ſubiecto, in quo non recipitur forma ignis, non poteſt diſponere ad formam ignis; ſed calor receptus in ligno diſponit ad formam ignis: ergo calor receptus in ligno recipitur in ſubiecto, in quo recipitur forma ignis: ſed ſubiectum, in quo recipitur forma ſubſtantialis, eſt materia prima: ergo datur materia prima.

Confirm. 2. Videmus, quod ex aere fit aqua, & ex ligno fit ignis; ita vt id, quod antea erat aer, modo ſit aqua, & quod erat lignum, modo ſit ignis; ſed non poteſt verificari, quod ex aere fit aqua, aut quod ignis fit ex ligno, ſi nihil aeris manet in aqua, aut nihil ex his, quæ erant in ligno, manet in igne: ergo aliquid, quod erat ſub forma aeris manet ſub forma aquæ, & aliquod, quod erat ſub forma ligni, manet ſub forma ignis: ſed materia prima nihil eſt aliud, quam ſubiectum commune formis, tranſmutabile per amiſsionem vnius formæ, & receptionem alterius: ergo exiſtit in rebus materia prima.

7 Vrgetur. Agens naturale nequit aliquid producere niſi aliquo præſuppoſito ſubiecto: ignis enim nequit ignem producere, niſi ex aliquo combuſtibili præſuppoſito: ergo quia nihil poteſt producere, niſi in materia præſuppoſita receptus. Ant. eſt certum, & conſeq. prob. tum quia agens ad producendū effectum non indiget eo, cuius nulla pars exiſtit, dū producitur effectus. Sed ſi non indiget ſubiecto præſuppoſito, vt forma producta in illius materia recipiatur, nihil illius, quod præſupponitur, exiſtit, cum forma producitur: ergo ſi indiget præſuppoſito ſubiecto, eſt, quia indiget ma-

teria rei præſuppoſitę, vt in ea forma producta recipiatur. Tū: quia ignis, vt generet ignem, debet prius lignum corrumpere: ergo cum corruptio non ſit per ſe intenta à natura, debet illud corrumpere ex aliquo fine, ad quem corruptio ligni conducit. quem ligni conſervatio impedie bat; ſed hic finis non eſt alius, quā introductio formæ ignis in materia ligni, ad quam neceſſaria eſt omnino expulſio formæ ligni: ergo ignis indiget præſuppoſito combuſtibili, vt in eius materia formam introducat. Prob. min. Quia ad productionem ignis non poteſt eſſe neceſſaria deſtructio ligni, niſi conſervatio ligni, & productio ignis ſint contrariæ; ſed non poſſunt eſſe contrariæ, niſi ſint circa idem ſubiectum: non enim poteſt ex cogitari pugna inter duo, niſi propter incompoſsibilitatem in vno, communique ſubiecto, à quo proinde mutuo ſe excludunt: ergo finis in deſtructione ligni, quando producitur ignis, non poteſt eſſe alius, quam introductio formæ ignis in materia ligni:

8 Explicatur hoc. Nulla contraria, vel contradictoria ſe excludunt, ſi ſint circa diverſa ſubiecta: vnde Petrum eſſe hominem, & lapidem non eſſe hominem, compatiuntur ſimul in rerum natura, & ſimiliter nivem eſſe albam, & coruum eſſe nigrum: ergo quod ignis ſit ſua prædicata eſſentialia, & lignum ſit ſua prædicata eſſentialia quātumvis prædicata vnius prædicatis alterius opponantur, ſtabit ſine vlla repugnantia in rerum natura: ergo ſi lignum, & ignis ſe excludunt, eſt quia habent ſubiectum commune, in quo non poſſunt compati.

9 Cuius etiam ſignum eſt, quod ignis compatitur cum alio quovis ligno à ſe diſtante; non tamen compatitur cū ligno ſibi proximo, & applicato, ſed illud deſtruit: ergo quia in materia iſtius, & non alterius introducitur forma ignis.

10 Dices 1. Cum ex ligno generatur ignis, non permanet in igne aliqua pars ſubſtantialis, quæ præceſsit in ligno; nec tamen ſequitur ex eo, vel quod anihiletur lignum, vel quod creetur ignis, ſed quod tota entitas ligni tranſeat, & convertatur in totam entitatem ignis; quod ſufficit, vt nec ligni deſtructio ſit anihilatio, cum lignū non deſinat in nihil, ſed convertatur in aliquid; nec ignis productio ſit creatio, cum ignis nō fiat ex nihilo, ſed ex aliquo, ſcilicet, ex ligno: nec præterea ſequitur, quod ignis non deſtruat lignum; aut quod generatio ignis nō ſit corruptio ligni: quia, vt duo ſe expellant, non requiritur, quod vnus à communi ſubiecto alterum excludat, ſed ſufficit, quod excludat illud à ſubiecto, vel ab accidentibus, à quibus depen-

det in conſervari: excludit ergo ignis lignum ab accidētibus; quia nequit vtrumque ſub eiſden accidentibus conſervari.

11 Sed contra 1. Converſio totalis ligni in ignem eſt tranſubſtātiatio; ſed generationis ex ligno non eſt tranſubſtantiatio: ergo nec eſt totalis converſio ligni in ignem. Min. eſt certiſsima: quia generatio ignis ex ligno fit virtute naturali, ſed virtute naturali nequit dari tranſubſtantiatio: ergo. Prob. min. Tum, quia tranſubſtantiatio panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti non eſſet opus miraculoſum, cum tamen ſit per excellentiam myſterium fidei, quaſi ſacratiſsimum, & mirabiliſsimum inter opera, quæ fide credimus. Tum, quia vt dicunt Theologi cum D. Thom. 3. p. q. 75. art. 8. tranſubſtantiatio eſt maius miraculum creatione; cū tamen creare ſit opus ſolius Dei nulli creaturæ etiam ſuppernaturaliter communicabile: ergo virtute naturali nequit dari trāſubſtantiatio.

12 Conf. Qui poteſt convertere totam ſubſtantiam rei in alteram poſſet alteram totaliter producere ex nulla ſuppoſita ſubſtantia: ergo poſſet creare. Prob. ant. in converſione non præcedit altera ſubſtantia; quia præexiſtentia illius neceſſaria ſit ad illius productionē, ſed præcedēs ſubſtantia deſtruitur, quia producitur altera ſub illis accidētibus, ſub quibus non compatitur cum præcedēte ſubſtantia: vnde ſi per aliam actionē ſupponeretur deſtructa ſubſtantia præexiſtēs poſſet habēs virtutē ad converſionē ponere immediatè per creationē ſubſtantiam producendam ſub eiſdem accidentibus, ſicut quando forma corrupta per ſe non eſt neceſſaria, vt forma geniti producatur, ſed deſtruitur, quia forma geniti introducitur in materia, in qua non poteſt vtraque compati, diximus ſupra, quod in materia, quæ ſupponitur ex vi alterius actionis producta ſinè vlla forma poteſt virtute agentis naturalis generari forma vermis: ergo qui poteſt convertere vnam ſubſtantiam in alteram, quod eſt producere vnam ſubſtantiam actione deſtruente alteram, poteſt etiam ſi altera ſupponatur deſtructa producere ſubſtantiam, ac per conſequens creare illam.

13 Contra 2. Ex ligno fit ignis medijs diſpoſitionibus, quibus diſponitur lignum, vt fiat ignis; ſed ſi tota ſubſtantia ligni converteretur in ignē, non poſſet diſponi lignum, vt fieret ignis: ergo tota ſubſtantia ligni non convertitur in ignem. Prob. min. Si tota ſubſtantia ligni converteretur in ignē, tota ſubſtantia ligni deſineret, vt fieret ignis; ſed ſi tota ſubſtantia ligni deſineret, vt fieret ignis, non poſſet lignum diſponi: ergo. Prob. min. Tum: quia

diſ-

diſpoſitio recepta in vno ſubiecto non conducit, vt fiat aliud; ſed ſi tota ſubſtantia ligni deſineret, diſpoſitiones reciperentur in diſtincto ſubiecto: Nam reciperētur in ſubſtantia ligni, quæ adæquatè diſtinguitur à ſubſtantia ignis: ergo. Tum: quia ſi tota ſubſtantia ligni deſtruitur; nō apparet, ad quid poſsit lignum diſponi: quia, nec diſponitur, vt ipſum deſtruatur, cum deſtructio ligni non ſit per ſe intenta, nec vt lignum ſit aliquid de novo, aut aliquid de novo recipiat: ergo.

Conf. Ad creationem nullæ poſſunt præcedere diſpoſitiones, quia nullum præcedit ſubiectum, quod recipere debeat effectū creationis; ſed ſi tota ſubſtantia ligni perit, nullum præcedit ad generationem ignis ſubiectum, quod effectum generationi poſsit recipere: ergo, ſi tota ſubſtantia ligni periret, non poſſent ad generationem ignis præcedere diſpoſitiones.

14 Tertio impugnatur doctrina traditæ ſolutionis, quatenus dicit, ſubſtantiā ignis, & ligni ſe invicē excludere non à ſubiecto cōmuni, ſed ab accidentibus, per incompatibilitatē ſub eiſdem. Si formæ ſe excludunt propter incompatibilitatē ſub eiſdem accidentibus: ergo ignis ex vi generationis ſuæ ponitur ſub accidentibus, ſub quibus fuerat lignum; cōſequēs eſt falſum: ergo illud, ex quo ſequitur. Probat. min. Tum: quia naturaliter non poteſt vnum accidens migrare de ſubiecto in ſubiectum. Tum, quia, vel accidentia, à quibus vna ſubſtantia excludit alteram, ſunt accidētia propria ſubſtantiæ genitæ, nempe diſpoſitiones, quæ recipiuntur in ligno, vt ex illo fiat ignis, vel ſunt accidētia propria ligni, puta eius quantitas, figura, color, &c. neutrum poteſt dici: ergo vna ſubſtantia non expellit aliam, cum ignis generatur ex ligno propter incompoſsibilitatem vtriuſque ſub eiſdem accidentibus.

15 Prob. mai. quoad primam partem. Tunc vna ſubſtantia deſtruit aliam propter incompoſsibilitatem vtriuſque ſub eiſdem accidentibus; quando forma, quæ deſtruitur, pēndet ab illis in ſui conſervatione: nā licèt duo corpora non poſsint compati in eodem loco; quia tamen corpus præ exiſtens in ſui conſervatione ab illo loco non pendet, non eſt neceſſarium, quod corpus adveniēs deſtruat illud, ſed quod illud pellat à loco; at lignum in ſui conſervatione non pendet à prædictis diſpoſitionibus: ergo etiam ſi ſub eis non poſsit vtraque ſubſtantia conſtitui, non eſt neceſſariū, quod ignis ſub eis de novo conſtitutus deſtruat lignum, ſed quod ſpoliet lignum prædictis diſpoſitionibus.

16 Quoad ſecundā vero partē prob. min. Si ignis expelleret lig-

lignum; quia conſtituitur ſub quantitate, & accidentibus ligni, ſequeretur, quod hęc numero quantitas, & accidentia ligni eſſent indifferentia ad continendum ſub ſe quamcumque ſubſtantiam generabilem, & corruptibilem: quia nulla eſt ſubſtantia generabilis, & corruptibilis, quæ ex ligno mediatè, vel immediatè fieri non poſsit: conſequens eſt falſum, & contra omnes Philoſophos docentes, accidentia propria rerum naturalium non ſupponi ad generationem earum, ſed cum eis ex conſequenti produci: ergo.

17 Sequeretur 2. Quod terminus primarius generationis ſubſtantialis non eſſent res naturales abſolutè, ſed ſubſtantia rerum naturalium, vt ſub his accidentibus, vel vt præſens his accidentibus neque intentio naturæ tenderet per ſe primo ad conſtituendas res ſub exiſtentia, ſed ad illas ſub accidentibus conſtituendas, quod eſt invertere ordinem naturæ: hæc enim per ſe primo non quærit ſubſtantiam propter exiſtentiam eius ſub accidentibus, ſed exiſtentiam accidentium in ſubſtantia, quærit propter ſubſtantiæ exiſtentiam abſolutam: ergo falſum eſt, quod in generatione ſubſtantiali vnum deſinat ex vi alterius propter incompoſsibilitatem vtriuſque ſub eiſdem accidentibus: ergo deſinit vnũ ex vi alterius: quia forma vnius introducitur in ſubiecto à quo, propter vtriuſque incompoſsibilitatem alterum excludit.

18 Dices 2. Quod quando vnum generatur ex alio, manet commune ſubiectum; illud tamen non eſſe materiam primam, ſed vnum ex quatuor elementis, vel omnia ſimul vnita, atque permixta, ex quibus non corruptis, ſed alteratis ſolum, & refractis quoad qualitates proprias coaleſcit ſubiectum commune, ex quo fiunt omnes generationes mixtorum.

Sed hęc cuiuſdam Recentioris cogitatio refellitur: quia nedum mixta, ſed ipſa elementa, conſtat manifeſte experientia, ſubſtantialiter corrumpi, & generari: ergo ſi ex generatione, & corruptione mixtorum convincitur eſſe in eis ſubiectum commune transmutabile, ipſa quoque elementa conſtant ſubiecto communi transmutabili per amiſsionem vnius formæ, & receptionem alterius. Eſſe vero elementa corruptibilia, patet. Tum ad ſenſum: quia videmus guttam aquæ in miſsã igni ab eo abſumi, & carbones accenſos in aquam miſſos penitus extingui.

Nec valet dicere in his caſibus non corrumpi ſubſtantialiter ignem, & aquam, ſed reſolvi in vapores, aut exhalationes eiuſdẽ ſpeciei cum igne, & aqua: quia ſcintilla ignis arte, vel miraculoſe in profundo maris

tis conſtituta extingueretur, quin in fumum evaneſceret, cũ aqua, quæ circum circa exiſteret, prohiberet; ſimiliter gutta aquæ arte, vel miraculo in medio maximi incendij collocata non abiret in vapores, maximè ſi ibidem intra globum æneum reſpiraculo carentem concluderetur.

19 Patet etiam ratione, elementa eſſe ſubſtantialiter corruptibilia. Tum, quia ſunt alterabilia phyſicè, & alteratio phyſica eſt via ad corruptionem ſubſtantialem. Tum, quia quidquid eſt capax qualitatis contrariæ qualitati ſibi debitæ, & connaturali, eſt capax corruptionis ſubſtantialis, ſed elementa poſſunt ſuſcipere qualitates contrarias qualitatibus ſibi connaturaliter debitis: ergo poſſunt ſubſtantialiter corrumpi. Min. eſt perſpicua: nam ignis poteſt recipere humiditatem contrariam ſiccitati ſibi debitę, & aqua calorem contrarium frigiditati ſibi connaturali. Mai. vero prob. Nam quod eſt capax qualitatis contrariæ, capax eſt, vt per eam valde intenſam qualitas connaturalis deſtruatur; ſed illud, cuius qualitates connaturales poſſunt deſtrui, poteſt ſubſtantialiter corrumpi: ergo quod eſt capax qualitatis contrariæ qualitati ſibi connaturali, capax eſt corruptionis ſubſtantialis.

Conf. Dum ex ligno generatur ignis, recipit formam ignis illud ſubiectum commune, quod erat ſub forma ligni, & modo ſubijcitur formæ ignis, ſed non recipit ignem ſubiectum illud, ſecundum illas tantũ partes ignis, ex quibus conſtabat: ergo recipit formam ignis etiam ſecundum alias; ſed aliæ erant reliqua elementa: ergo ex reliquis elementis poteſt ignis generari; ac ſubinde elementa ſunt ſubſtantialiter tranſmutabilia. Min. prob. Tum, quia ignis nō poteſt converti in ignem: ergo illę partes ignis, ex quibus conſtabat lignum, non recipiunt ignem de novo genitum. Tum, quia poſt generationem ignis ex ligno plures partes ignis, quam antea ſunt in eo: ergo præter partes igneas antea exiſtentes in ligno, aliæ convertuntur in ignem.

20 2. Reijcitur prædicta ſolutio. Si mixtum componeretur, vt ex ſubiecto propriè formæ ex elementis, ſequeretur, quod mixtum non eſſet vnum per ſe; conſequens eſt falſum: ergo, & illud, ex quo ſequitur. Prob ſequela. Elementa non poſſunt vniri per ſe, ſed tantum per accidens: ergo mixtum reſultans ex eis non eſſet vnum per ſe. Prob. anteced. Tum, quia elementa ſunt entia in actu completo; ſiquidem vnumquodque per ſe, & independenter ab alio exiſtit, & operatur; at duo entia completa non per ſe, ſed per accidens vniri poſſunt: ergo. Tum,

quia elementa non poſſunt vniri per modum actus, & potentiæ: ergo nec vniri poſſunt per ſe, quæ conſequentia tenet, etiã ſi elementa eſſent entitates ſimplices, & in completæ; duæ quippe formæ entitates ſunt ſimplices, & incompletæ, & tamen, quia non ſe habent per modum actus, & potentiæ, non poſſunt per ſe vniri, nec ex eis ſimul cũ materia eis communi reſultare poſſet vnum per ſe: ergo ſi elementa nõ poſſunt vniri per modum potentiæ, & actus, etiam ſi incompleta ſint, nõ poterunt per ſe vniri, nec ex eis ſimul cum forma omnibus communi reſultabit vnum per ſe.

§. II.

Vlterior concluſionis probatio.

21 Homo componitur ex materia, & forma realiter diſtinctis; ſed eadem eſt ratio de reliquis compoſitis naturalibus: ergo in omni compoſito naturali præter formam datur materia ab ea realiter diſtincta. Antec. multipliciter ſuadetur 1. ex illo ſymboli D. Athanaſij: *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus*; ſed Chriſtus Dominus eſt vnum per ſe: ergo in Chriſto Domino præter formam, quæ eſt anima rationalis, datur alia pars ſcilicet caro, ex qua ſimul cum anima fit vnum per ſe: at nequit ex duobus, quorum alterum eſt ſubſtantia, & alterũ non eſt ſubſtantia, fieri vnum per ſe: ergo altera pars, nempe caro eſt ſubſtantia; ergo præter formam datur in homine altera pars ſubſtantialis, ſed hæc eſt materia: ergo.

2. Anima rationalis, vt definitur in Concilio Lateranenſi, & Vienenſi, eſt vera forma hominis: ergo conſtituit hominem ſimul cum materia, quam informat: patet conſeq. Quia forma non eſt totum, ſed conſtituit illud ſimul cum ſubiecto, quod informat; ſicut albedo non eſt album, ſed conſtituit illud ſimul cum ſubiecto, quod dealbat.

22 Dices ad hęc. 1. Hominẽ conſtare materia, & forma; non tamen realiter diſtinctis, quia materia eſt muneris nomen, nõ ſpecialis entitatis: nam eadem entitas, vt convertibilis in aliam dicitur materia, eo quod in illa, vt in quodam præſuppoſito potentialiter continetur eſſentia rei, in quam eſt convertenda: vt vero eſt terminus, in quem aliquid convertitur, eſt forma: quia hoc modo cenſetur actuare prædictam potentialitatem.

23 Sed contra: nam terminus cõverſionis nullo modo poteſt dici informare entitatem convertibilem in ipſum, alias corpus Chriſti Domini in Euchar. poſſet dici informare ſubſtantiam panis, quo nihil eſt abſurdius: ergo ſolutio non ſalvat veritatem formæ definitam à Concilijs in anima rationali.

3. Ho-

3. Homo ſubſtantialiter eſt corporeus; ſed anima rationalis non eſt corporea: ergo homo non eſt ſola anima rationalis: ergo in homine eſt aliquid ſubſtantiale præter eam.

24 Dices: Anima eſt totus homo, quia eſt ſpiritualis ſimul, & corporalis naturæ: quia in ſe habet principium activum, & paſsiuum operationum ſpiritualium, & corporalium.

Sed contra. Homo non eſt corporeus: quia eſt principium operationum corporalium, ſed potius eſt principium operationū corporalium quia eſt corporeus: operari enim ſequitur ad eſſe, non eſſe ad operari: ergo vt ſit principium activum, & paſsivum operationum corporaliū, debet habere naturam entitativè corpoream; ſed anima rationalis non eſt entitativè corporea: ergo præter eam debet habere partē naturæ, quæ ſit entitativè corporea. Min. conſtat ex Concilio Lateranēſi vocante hominē creaturam mediam inter ſpiritualē, & corporeā; quia conſtituitur ex corpore, & ſpiritu: ergo anima, quam ſub nomine ſpiritus intelligit Concil. non eſt entitativè corporea.

3. Si anima rationalis eſt totus homo: ergo homo non generatur ab homine, ſed producitur per creationē; conſequens eſt falſum, & tollit è medio propagationē humani generis per generationem ex Adamo: ergo, & illud, ex quo ſequitur: ſequela prob. Anima rationalis non generatur ab homine, ſed fit per creationē à Deo: ergo ſi homo nihil eſt præter animam rationalem, homo non generatur, ſed creatur à ſolo Deo. Confirm. homines deſcendentes ab Adamo trahunt ab eo aliquid pertinēs ad ſubſtantiam, & veritatem naturæ humanæ; ſed nō trahunt ab eo animam rationalem: ergo præter animam rationalē datur in eis aliquid pertinēs ad ſubſtantiam, & veritatē naturæ humanæ.

25 Si dicas, animam rationalē non fieri per creationē, ſed per converſionem embrionis in ipſam. *Contra*, vel hæc converſio fiat ab homine, vel à ſolo Deo, primum eſt falſum; quia cum ſit ſpiritualis, & per ſe ſubſiſtēs, nequit ad eam ſecundum ſuam entitatē vllo vero modo producēdam pertingere virtus ſeminis, vt probat Ang. Præceptor 1.p.q.90.art.2. & eam traduci cum ſemine cēſet hæreticum idē Ang. Præcept. ibidē q. 118. art. 2. in corp. Si vero dicatur, converſionē fieri à ſolo Deo: ergo cū iuxta Authorē huius ſolutionis tota generatio hominis conſiſtat in prædicta converſione, homo non generatur ab homine, ſed à ſolo Deo.

4. Dum homo moritur, anima non convertitur in cadaver, eſt enim de fide, animam hominis eſſe incorruptibilem, &

& poſt mortem permanere à corpore ſeparatam: ergo corruptio hominis non conſiſtit in eo, quod tota hominis ſubſtantia in alteram convertatur; nec generatio cadaveris conſiſtit in eo, quod in ipſum tota viventis ſubſtantia convertatur.

Conf. 1. Dum homo moritur, permanet anima: ergo ſi anima eſt totus homo, permanet totus homo: ergo non corrumpitur homo ſubſtantialiter. Probat. conſeq. Nam ſi permanet totus homo, ad ſummam deficiũt illi in morte aliqua accidentia; ſed defectus accidentium non eſt corruptio ſubſtantialis: ergo.

26 Conf. 2. Vel in cadavere permanet aliquid, quod præceſsit in homine, vel nihil permanet; ſi primum: ergo in homine præter animam rationalem præceſsit aliquid ſubſtantiale; ſi nihil permanet, ſequitur 1. Quod in triduo mortis Chriſti nihil ſubſtantiale pertinens ad humanitatem Chriſti fuerit in ſepulchro, cui divinitas vnita permaneret, quod eſt contra fidem. Sequitur 2. Quod in reliquijs Martyrum, quas Religioſe veneramur, nihil exiſtat, quod ſit proprium Sanctorum, dum vivebant; conſequens eſt contra communem ſẽſum populi Chriſtiani, qui eas adorat, certo credens eas eſſe revera partes corporis Sanctorum: ergo manet in cadavere aliquid, quod vere præceſsit, dũ vixerant in ſanctis.

27 Et hoc argumentum militat etiam contra ſolutionem Recentioris docentis, vt ſupra, dari in homine materiam, ſed indiſtinctam ab elementis inter ſe per mixtis; quia negari non poteſt, quod dum reliquiæ Martyris cremantur, omnes earum partes igne conſumuntur: ergo elementa, ex quibus erant compoſitæ, quæque in Martyre præceſſerunt, poſt conflagrationem non permanent: ergo cum ſimili modo poſsit ignis, qui cum cæteris elementis reliquiã conſtituebat, converti in terram, fieri poterit, vt nullum ex elementis permaneat; & tamen reliquias Martyrum poſt quaſcumque tranſmutationes, ſivè in cinerem, ſivè in terram, merito veneramur: ergo quod in eis permanet, non ſunt elementa, ſed aliquid incorruptibile, nempe materia.

28 Denique roborantur hucuſque dicta argumẽto deſumpto ex hominis augmentatione. Dum homo per ſumptionem alimenti nutritur, ſimul, & augetur, vel ſubſtantia alimenti, quod corrumpitur, remanet ſub forma homis, vel convertitur in ſubſtantiam hominis, vel pure deſinit eſſe; ſi primum: ergo datur aliqua ſubſtantia communis alimento, & homini, recipiens ſucceſsivè formas vtriuſque; & hæc eſt materia

pri-

prima: ſi dicas ſecundum, non apparet, quomodo per augmentum homo fiat maior; quia ſubſtantia præexiſtens non fit maior per converſionem alterius in ipſam, vt patet in corpore Chriſti, quod maius non fit per converſionem panis in ipſum: quod etiam inconveniens ſequitur, ſi dicas tertium, nempe alimentum totaliter deſinere, & nihil illius permanere; nihil enim poteſt fieri maius per deſitionem alterius, ſed requiritur, vt fiat aliquid maius, additio, & conſervatio alicuius novæ partis ſupra antiquam: at data materia prima facillime hæc, & reliqua ſpectantia ad hominis generationem, & corruptionem intelliguntur: ergo admittenda eſt materi. prima.

§. III.

Solvuntur argumenta.

29 Argumenta, quæ contra noſtram, & communem concluſionē fiunt, nullius fere ſunt momenti; proinde breviter nos ab eis expediemus. Arguunt 1. ex ſacra pagina, in qua ſæpe homo vocatur anima vt Geneſ. 2. *Factus eſt homo in animam viventem*, & cap. 14. *Da mihi animam, cætera tolle tibi*: ergo homo eſt ſimplex entitas, non compoſita ex duabus. Deinde Geneſ. 6. homo dicitur caro: *Non permanebit ſpiritus meus in eo, quia caro eſt*: ergo caro eſt anima: nam, ſi homo eſt anima, & caro eſt homo, ſequitur, quod caro, & homo non ſint duæ entitates, ſed vnica.

Argumentum probat, animam rationalem eſſe corpoream, & corruptibilem: quia caro corporea eſt, & corruptibilis; quapropter, ſi anima eſt caro, ipſa quoque anima non poteſt non eſſe corporea, & corruptibilis. Reſp. ergo in ſcriptura appellari hominem animam, & interdum carnem per figuram ſynedochem, per quam pars pro toto ſolet frequenter accipi.

30 Arguunt 2. Si materia, & forma diſtinguerētur, ex eis non fieret vnum ſimpliciter: nam quæ vniuntur, nō ſunt vnum, ſed vnita, ſicut manipulus quidam. Conf. Si materia, & forma diſtinguerentur, ſequeretur, quod forma eſſet accidens materiæ; nam adveniret ei, & recederet ab ea præter ipſius corruptionem.

Reſpond. quod Verbum, & humanitas ſunt duæ entitates, & tamen ex eis fit vnum per ſe iuxta illud ſymboli, *Qui licèt Deus ſit, & homo, non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus, & iterum, vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ*: Similiter ex partibus integralibus, & diſtinctis, fit vnum

per

per ſe: eſtat ergo, quod materia, & forma ſint diſtinctæ, & tamen ex eis fiat vnum per ſe: vnum quidem non vnitate ſimplicitatis, ſed vnitate compoſitionis; ad quod ſufficit, quod vniantur per modum actus, & potentiæ; & quod vtraque per vnam exiſtat exiſtentiam. Ad conf. reſp. quod Verbum Divinum poteſt adeſſe, & abeſſe ab humanitate, & tamen non eſt accidens illius: probat ergo argumentum, forman eſſe accidens Logicum, cuius eſt definitio poſſe adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem; non quod ſit accidens phyſicum; ad hoc enim erat neceſſariũ, quod adveniret enti in actu complete conſtituto, vt quid omnino extraneum ab eſſentia, & exiſtentia illius, quod minime competit formę ſubſtantiali; potius enim affert materiæ vtrumque eſſe, eſſentiæ videlicèt, & exiſtentiæ.

31 Arguunt 3. Ad probandum, non dari materiã primam diſtinctam ab elementis. Si materia eſſet quid diſtinctum ab elementis, nulla eſſet cauſa productiva elemẽtorum, quando mixtum per ſui corruptionem reſolvitur in elemẽta; conſequens eſt falſum: ergo. Prob. ſequela. Cauſa productiva non eſſet cœlum, non enim decet Philoſophum recurſus ad cauſas vniverſales, omiſsis proximis, & immediatis; nec eſſet mixtum, quod corrumpitur: nam forma, quæ corrumpitur, non habet vim producendi formam, per quam ipſa expellitur: ergo ſcũm reſolvitur mixtum in elementa, hæc non vere generantur, ſed deteguntur.

Reſp. quod cum mixtum reſolvitur in elementa, vere generantur elementa ab elementis extrinſecis circunſtantibus; vt quando ſtuppa comburitur, generatur ignis ab igne proximo ſtuppæ, cum vero non apparet elementum proximum, cui poſsit elementi generatio tribui, ſine inconvenienti tribuitur cauſis ſuperioribus, vt ſine inconuenienti tribuitur eis à Philoſophis generatio viventium, cum fiunt ex terræ putrefactione.

32 Arguitur 4. Ex ſilice educitur ignis ſola colliſione, quæ non eſt generatio: ergo elementa educuntur ex mixtis abſque generatione per ſolã detectionem elementi, quod latebat intus in eis; ac ſubinde ſunt partes materiales.

Reſp. quod cum ex ſilice educitur ignis, vel excutitur ignis, qui formaliter erat intra poros ſilicis concluſus, vel generatur à ſuperioribus cauſis, poſita ſufficienti diſpoſitione ex vi percuſsionis materiæ nimis ſiccæ, & calidæ. Præterquamquod hæc argumenta, ſi quid probarent, ſuaderent, elementa eſſe

tes materiales mixti; non tamē probant, non dari materiam primam, quia ipſa elemēta non ſunt ſimplicia, ſed compoſita ex materia, & forma; ac ſubinde ex eorum formali exiſtētia in mixto non ſequitur mixtum tandē ex materia prima non componi; ac per conſequēs non eſt deneganda materia prima.

§. IV.

Definitur materia prima.

33 Dupliciter explicuit Ariſt. eſsētiam materiæ primæ, negativè, & poſitivè, negativè 7. Met. text. 8. dicens: *Quod materia per ſe ipſam, neque eſt quid, neque quantum, nec aliquid aliud quidpiam eorum, quibus ens denominatur*, cuius ſenſus eſt, quod materia ex ſe non habet determinatam eſsētiam, ſeu naturam, quia caret ex ſe forma dante eſſe determinatum: Poſitivè definit, ſeu potius deſcribit Philoſophus materiam primam in præſenti text. 82. per hæc verba: *Materia eſt primum ſubiectum, ex quo aliquid fit, cum inſit, & non ſecundum accidens*; ſubiectum ponitur loco generis, in quo convenit cum materia ſecunda, quæ ſubiectum eſt accidētium; per ly *primum* differt à materia ſecunda, quæ cum ſit compoſita ex materia, & forma; non eſt primum ſubiectum; ſed ſupponit aliud prius: *ex quo aliquid fit* ponitur ad excludēdum alias cauſas: nam efficiēs eſt à qua aliquid fit, finalis, propter quam fit, exemplaris ad cuius inſtar fit forma, per quam fit; & ſola materia eſt propriè, *ex qua aliquid fit*. Illæ vero particulę, *cum inſit, non ſecundum accidens*, denotant, materiam perſeverare in eo, quod fit ex illa, & ad illud componendum per ſe concurrere; eſſeque proinde partem intrinſecam, & eſſentialem compoſiti per quod diſtinguitur à privatione, quę nec permanet in compoſito, nec per ſe requiritur ad illud, vt in facto eſſe. Verum quidē eſt per priores particulas, ſcilicèt primum ſubiectū, ſufficienter excludi cæteras cauſas, & privationē; non tamē ideò definitio eſt redundās. *Tum*, quia non eſt rigoroſa definitio, ſed deſcriptio. *Tum*: quia ponuntur ad maiorem explicacionem materiæ primæ, quæ cum defectu actualitatis vix ſit cognoſcibilis, tot eget notis, vt eius natura ſatis innoteſcat.

34 Ex prædicta definitione ſic explicata colliges plures proprietates materiæ, quas Philoſophi multiplici eiuſdem appellatione voluerunt indicare. Vocatur quippe à Græcis *Yle*, hoc eſt chaos, vel confuſio; quia rudis eſt, & impolita, & vacua omni forma. *Abyſſus*, quaſi ſinè byſſo, quod eſt genus lini cādidi, ideſt, ſinè candore, quod accidit

ma-

materiæ ratione privationis. *Mater*; quoniam eſt principium paſſivum generationis. *Locus formarum*; propter earum receptibilitatem. *Matrix*; quia in ſuo gremio fovet, & conſervat formas. *Turpis*: quia cùm careat omni actu, caret omni decore. *Malefica*. Quia machinatur ruinam formæ, quam poſsidet. *Prope nihil*: quia habet minimam entitatem, quo proinde minus à nihilo ſecernitur.

ARTIC. II.

Vtrùm materia prima ſit per ſuam eſſentiam potentia receptiva formarum.

35 Rerum eſſentiæ conſiderantur phyſicè, vel metaphyſicè; de eſſentia rei phyſicè conſideratę ſunt omnia prędicata realiter identificàta cùm entitate rei: de eſſentia vero rei metaphyſicè conſideratæ ſunt illa prædicata, quæ primo intelliguntur, & per quæ primo res à qualibet alia differt. De eſſentia materiæ vtrovis modo conſiderata dubitatur modo; vtrum, ſcilicèt ratio potentiæ in materia ſit de eſſentia tàm phyſica, quàm metaphyſica ipſius.

§. I.

Ratio potentiæ ſuſceptivæ formarum ſubſtantialium eſt de eſſentia phyſica materiæ primæ.

36 Est idem, ac dicere, materiam primam immediate per ſe ipſam, & non per potentiam etiam proximam ſibi ſupperadditam, eſſe capacē formarum ſubſtantialium. Aſſertio eſt communis inter Philoſophos, vno, vel altero excepto; & prob. 1. ex Ang. Præceptore in præſenti lect. 15. dicente: *Potentia ad eſſe ſubſtantiale non eſt aliquid extra genus ſubſtantiæ; non igitur potentia materiæ eſt aliqua proprietas ſupra eſſentiam eius, ſed materia ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt potentia ad eſſe ſubſtantiale: & tamen eſt vna reſpectu diverſarum formarum, diverſa tamen ſecundum rationem:* ergo potentia receptiva formarum nō eſt proprietas ſuperaddita, ſed ipſamet ſubſtantia materiæ.

37 2. Prob. hac ratione. Materia prima per ſe ipſam eſt potentia proportionata cùm forma ſubſtantiali: ergo immediatè per ſe ipſam eſt receptiva formæ ſubſtantialis. Antec. prob. Materia prima per ſe ipſam ordinatur ad formam ſubſtantialem: ergo eſt potentia pro por-

portionata cum forma ſubſtantiali. Ant. videtur certum. Nam entitas, quæ propter ſui incompletionem, & eſſentialem dependentiam intelligi non poteſt ſine habitudine ad aliud, eſſentialiter, & ex ſe ipſa ordinatur ad aliud; ſed materia prima propter ſui incompletionem, & eſſentialem dependentiam à forma ſubſtantiali intelligi non poteſt ſine habitudine ad illam: ergo. Conſeq. vero prob. Potentia ſolum ordinatur ad actum, cum quo habet proportionem, non enim ordinatur ad actum excedentem: nam prius eſt potentiam eſſe ſufficientem, & completam, quam ordinari ad actum: ergo ſi materia per ſe ipſam ordinatur ad formam ſubſtantialem, per ſe ipſam eſt immediate receptiva formæ ſubſtantialis.

38 Confirm. hęc ratio: Non minus eſt proportionata materia, vt poſsit formam recipere, quam forma, vt poſſit materiam informare; ſed forma eſt actus ita proportionatus, vt per ſe ipſam proximè ſit informativa materiæ: ergo materia eſt ita proportionata in ratione potentiæ, vt per ſe ipſam poſsit recipere formam ſubſtantialem.

Confirm. 2. Non minus eſt proportionata materia prima reſpectu actus primi, & ſubſtantialis, quam materia ſecunda reſpectu actus ſecundi, & accidentalis: ſed materia ſecunda immediatè per ſe ipſam recipit formas accidentales: ergo materia prima immediatè per ſe ipſam recipit formas ſubſtantiales. Min. eſt certa: Nam compoſitum ſubſtantiale, quod eſt materia ſecunda, immediatè, & per ſe ipſum recipit aliqua accidentia.

Vrgetur. Ideò ſubſtantia non eſt per ſe ipſam immediatè operativa, ſed indiget accidenti ſuperaddito, vt proximè poſsit operari: quia potentia, quæ immediatè reſpicit operationem, ſpecificatur ab ea, & ſubſtantia nequit ſpecificari ab operatione, cum operatio ſit accidens; ac per conſequens; ſi operatio eſſet ſubſtantia, poſſet ſubſtantia per ſe ipſam eſſe proximè operativa; ſed cum formæ, quas recipit materia prima, ſint ſubſtantia, poteſt ab eis ſpecificari materia: ergo poteſt materia ad eas per ſe ipſam ordinari; ac ſubinde erit materia potens proximè per ſe ipſam illas recipere.

39 3. prob. concl. Purus actus immediatè per ſe ipſum poteſt agere: ergo pura potentia immediatè per ſe ipſam poterit recipere. Prob. conſeq. Eo purus actus poteſt per ſe immediatè agere: quia ſi indigeret potentia ſuperaddita, operatio non oriretur ab actu puro, ſed ab actu, & potentia; ſed pura potentia indiget aliquo ſuperad-

mediate, & ex conſequenti reſpiciat: quia igitur materia prima per ſe primo reſpicit formas ſubſtantiales; accidentales vero ſecundario, & vt recipiendas mediate in compoſito, debet potentia materiæ eſſe in genere ſubſtantiæ, in quo ſunt formæ ſubſtantiales; non in genere accidentis, in quo ſunt formæ accidentales. Nec eſt verum, quod potentia ad diſpoſitiones ſit prior in materia, quam potentia ad recipiendas formas, quia licet receptio diſpoſitionum in executione præcedat, in intentione ſubſequitur receptionem formæ; hic enim eſt finis, & vltimata perfectio, quam per ſe materia intendit.

43 Obijcies 3. Materia prima de ſe eſt indifferens ad recipiendū omnes formas: ergo vt poſsit proxime recipere aliquam, indiget aliquo ſibi ſuperaddito.

Diſt. conſeq. Aliquo ſibi ſuperaddito, quod ſit potentia, neg. conſeq. Quod ſit diſpoſitio conced. conſeq. Habet enim de ſe materia proportionem cum omnibus formis, & ideo non indiget potentia ſuperaddita: eſt tamen indifferens ad illas, & idcirco eget diſpoſitionibus, quæ præſtant applicationem, ſeu determinationem ad hanc, præ illa, vel illa recipiendam.

44 Denique obijcies. Quæ realiter ſeparantur, realiter diſtinguuntur; ſed potentia ad formas realiter à materia ſeparatur: ergo realiter à materia diſtinguitur. Prob. min. Amiſſa vna forma, deficit materiæ primæ potentia ad illam: ergo.

Reſpond. quod ad formam amiſſam deficit materiæ potentia, quoad denominationem defectu termini materialis, qui redditur naturaliter impoſſibilis; non tamen deficit potentia quoad entitatem: quia reſtat poſsibilis terminus formalis, qui eſt forma ſubſtantialis ab hac, vel illa in particulari præſcindēs

§. II.

Ratio potentiæ ſuſceptivæ formarum eſt eſſentia metaphyſica materiæ primæ.

45 Circa eſſentiam metaphyſicam materiæ primæ multum diſsident Authores; quia licet fateantur, eam conſiſtere in eo, quod materia eſt primum ſubiectum; hoc tamen non videtur ſatis clarum; & ideo manet ſub lite, quid ſit materiam eſſe ſubiectum.

46 Quare aliqui dicunt, eſſentiam materiæ conſiſtere in ratione primi ſubiecti, & rationem ſubiecti in eo, quod denominationem ab alio ſuſcipiat.

Sed contra 1. Forma recipit denominationem ab alio: & tamen non eſt ſubiectum: ergo ratio ſubiecti non conſiſtit in eo; quod denominationem

ab alio ſuſcipiat. Ant. prob. nam forma denominatur à ſubiecto ſubiectata, à materia coarctata, ab vnione vnita, à productione producta.

2. Deus eſt denominabilis à creatura: denominatur enim offenſus, & adoratus, & non eſt ſubiectum: Verbum prætetea Divinum denominatur ab humanitate humanatum, à carne incarnatum, ab vnione vnitum, & non eſt ſubiectum.

3. Id, à quo aliud ſumit denominationem, non ſemper eſt forma; ergo nec id, quod ab alio denominationem ſuſcipit, ſemper eſt ſubiectum. Ant. prob. circulus denominatur aureus ab auro, & feritas leonina à leone; & tamen nec aurum, nec leo ſunt formæ, ſed ſubiecta: ergo.

47 Denique. Denominatio, vel ſumitur pro nominatione, & appellatione, vt fit per voces, quæ dicuntur nomina denominativa, vel ſumitur pro eo, quod à parte rei exercetur, & à nobis ſignificatur nomine denominativo; ſi dicatur primum, in eo non poteſt conſiſtere ratio ſubiecti, eſt enim talis denominatio extrinſeca; & impertinens, & poſterior conſtitutione materiæ, in denominatione vero ſecundo modo acceptam rationem ſubiecti, vel materiæ non conſiſtere, patet ex dictis, nam plura, quæ ſubiecta non ſunt, denominantur nominibus denominativis; originem, ſcilicet vocis, & ſignificationem trahentibus ab alio, ac ſubinde exercetur in eis ex parte rei aliquid, quod nomine denominativo poſsit ſignificari: ergo ratio ſubiecti non conſiſtit in eo, quod ab alio poſsit ſuſcipere denominationem.

49 Docent alij, rationem ſubiecti, in qua ſita eſt eſſentia materiæ conſiſtere in eo, quod ſit indifferens ad plura compoſita ſubſtantialia, ad quorum ſingula ratione diverſarum formarum determinatur.

50 Sed contra. Materia cœlorum eſt determinata ad vnum tantum compoſitum, vt probabilius cenſent noſtri Thomiſtæ: ergo ratio materiæ in prędicta indifferentia non conſiſtit.

2. Sicut materia determinatur per formam ad hoc, vel illud compoſitum in ſpecie: ita forma determinatur per materiam ad hoc, vel illud numero compoſitum: ergo ſi in prædicta indifferentia ſubiecti eſſentia conſiſteret, non eſſet ratio, cur materia potius quam forma ſubiectum diceretur.

51 Alij putant, materiam eſſe primum ſubiectum; quia præſupponitur natura ad omnes formas.

1. Contra: Etiam forma præſupponitur natura ad materiam, cum ſit cauſa formalis illius, & cauſa ſit natura prior, quam effectus, & tamen non eſt ſubie-

biectum: ergo ratio ſubiecti minus recte per hanc prioritatem explicatur. 2. Quia eſſentia metaphyſica rei eſt primus illius conceptus; at prioritas nullius rei eſt primus conceptus; huius enim, quod eſt, rem vnam eſſe altera priorem, reddi poteſt, & deſideratur ratio: ergo prioritas nullius rei eſt eſſentia metaphyſica.

52 Exiſtimant alij, eſſentiam metaphyſicam materiæ primæ conſtitutam eſſe in eo quod ſit principium paſsivum operationum compoſiti ſubſtantialis.

Sed contra 1. Eſſentia materiæ conſiſtit in habitudine ad terminum, quem per ſe primo reſpicit; ſed non reſpicit per ſe primo operationem: ſubſtantia enim per ſe primo non reſpicit accidentia: ergo non conſiſtit in habitudine per modum principij paſsivi ad compoſiti operationem. 2. Conceptus metaphyſicus formæ non conſiſtit in eo, quod ſit principium activum operationum compoſiti: ergo nec conceptus metaphyſicus materiæ in eo, quod ſit principium paſsivum earumdem operationum.

53 Non multum diſtant ab his Authoribus, qui ſentiunt conſiſtere eſſentiam materiæ in eo, quod ſit radix quantitatis.

Contra quos obſtat 1. Quia radicare proprietates non eſt primus rei conceptus; hominis quippe primus conceptus non eſt eſſe radicem riſibilitatis; ſed conſiſtit in aliqua priori expreſsione, ex qua veluti à priori prob. rem illam tales, vel tales radicare proprietates: vnde quod materia ſit radix quantitatis, non eſt adeo per ſe notum, vt probari non poſsit, & debeat, maxime, cum plures teneant, poſsibilem eſſe materiam ſpiritualem, quæ ſubinde radix non eſt quantitatis: ergo.

54 Tandem plures ex Recentioribus ſuſtinent, eſſentiam metaphyſicam materiæ conſiſtere in ratione ſubſtantiæ incompletæ vnibilis cum alia per modum primi ſubiecti receptivi vnionis.

Contra 1. Eſſentia metaphyſica rei debet inveſtigari inter illa prædicata, quæ rei certiſsime conveniunt, quis enim credet, eſſentiam metaphyſicam conſiſtere in eo prædicato, quod nec ab eſſentia phyſica rei pertinere, plures probabiliter concedunt; ſed materiam eſſe ſubiectum receptivum vnionis non eſt certiſsimum, imò negatur probabiliter ab omnibus, qui modū vnionis realiter diſtinctū à materia, & forma reijciunt: ergo minus recte conſtituitur eſſentia metaphyſica materiæ primæ in ratione ſubiecti recep-

tivi vnionis 2. Eſſentia materiæ debet explicari per ordinem ad actum per ſe primo inſpectum à materia; ſed vnio non eſt actus primo inſpectus à materia: ergo eſſentia materiæ non debet explicari per ſubiectum receptivum vnionis. Prob. min. Vnio eſt medium, vt forma informet materiam: ergo receptio vnionis non eſt actus per ſe primo inſpectus à materia.

55 Conf. Habitudo materiæ ad vnionem eſt poſterior habitudine ipſius ad formam ſubſtantialem: ergo eſſentia metaphyſica materiæ non conſiſtit in habitudine ad vnionem, Conſeq. tenet, quia cum eſſentia metaphyſica ſit primus conceptus rei, ſi conſiſtit in habitudine, non in poſteriori, ſed in priori debet conſiſtere. Antec. vero prob. ex duobus actibus, quorum alter eſt finis, ac præcipuus, alter medium, minuſque principalis, prior eſt habitudo ad illum, quam ad iſtum: ſed vnio, & forma ſubſtantialis ſunt duo actus, quorum forma eſt finis, & perfectior; vnio vero medium, minuſque principalis: ergo habitudo materiæ ad formam ſubſtantialem eſt prior habitudine ipſius ad vnionem.

58 Dices: Habitudinem ad formam non eſſe priorem habitudine ad vnionem: quia materia non reſpicit formam abſolute, ſed vt compartem actuantem ipſam materiam; formam autem actuare materiam ſolum addit præter materiam, & formam, vnionem, media qua forma actuat ipſam materiam; quo circa materia nequit reſpicere formam præſcindendo à ratione ſubiecti receptivi vnionis.

57 Sed contra. Licet forma non poſſit actuare materiam, niſi materia reſpiciente vnionem; nec materia reſpiciat formam, niſi vt vnibilem; nihilominus verum eſt, quod materia recipit vnionem propter formam, & vt per illam actuetur, & non eſt verum, quod actuetur per formam, vt recipiat vnionem: ergo ita reſpicit formam, vt vnibilem vnione in materia recipienda, vt reſpiciat vnionem, quia reſpicit formam; & non ècontra, ac ſubinde, vt reſpiciendo formam, & vnionem, reſpiciat formam propter ſe; vnionem vero propter formam: ergo habitudo ad formam eſt ratio habitudinis ad vnionem, ac ſubinde prior, non quidem prioritate in *quo*, cum forma præſcindendo ab vnione, non terminet habitudinem materiæ, ſed prioritate *à quo*, & rationis à priori, quod ſufficit, vt eſſentia materiæ ſit potius explicanda per habitudinem ad formam, quam per rationem ſubiecti receptivi vnionis.

Conf. Eſſentia metaphyſica materiæ non conſiſtit in ha-

habitudine ad exercitium materiæ in compoſito ſubſtantiali ſecundum ea omnia, quæ realiter involvit exercitium materiæ in compoſito ſubſtantiali; ſed ſecundum aliquam expreſſionem primam noſtro modo intelligendi, & ab alijs præſcindibilem, ſed licet receptio vnionis, & actuatio formæ ſubſtantialis realiter importentur in exercitio materiæ intra compoſitum, actuatio formæ, & eſt principalior expreſsio, & præſcindibilis à receptione vnionis: ergo per ordinem ad eam debet explicari eſſentia metaphyſica materiæ, & non per receptionem vnionis. Prob. min. Materiam actuari, & materiam eſſe vnitam non eſt idem formaliter: ergo actuatio formæ eſt præſcindibilis à receptione vnionis. Prob. ant. Materia actuatur forma ſubſtantiali, & non vnione, ſed eſt vnita vnione, & non forma ſubſtantiali: ergo non eſt idem formaliter materiam actuari, & materiam recipere vnionem, ſiue eſſe vnitam.

58 Vera ergo, & tenenda ſententia eſt, quam continet noſtra ſuperior aſſertio, nempe eſſentiam metaphyſicam materiæ primæ apte ſignificari dicendo, quod eſt primum ſubiectum, & rationem primi ſubiecti conſiſtere in ratione puræ potentiæ receptivæ formarum ſubſtantialium. Ita noſtri Thomiſtæ explicantes definitionem Ariſt.

59 Et prob. 1. Eſſentia metaphyſica rei eſſentialiter ordinatæ ad alteram explicatur optime per ordinem ad terminum, quem per ſe primo reſpicit; ſed materia prima eſt entitas eſſentialiter ordinata ad alterum, & terminus, quem per ſe primo reſpicit eſt forma ſubſtantialis: ergo eius eſſentia metaphyſica explicatur optime per ordinem ad formam ſubſtantialem; ſed ordo quem materia dicit ad formam ſubſtantialem, eſt ordo ad formam per modum potentiæ receptivæ illius: ergo per hunc ordinem per modum potentiæ receptivæ formæ ſubſtantialis explicatur optime eſſentia metaphyſica materiæ. Prob. min. ordo, quem dicit materia ad formam, non eſt ordo tantum ad formam, vt ad compartem, nec eſt ordo tantum ad formam, vt ad extremum vnionis; hic enim ordo eſt communis materiæ, & formæ: ergo eſt ordo ad formam per modum potentiæ ad actum in ea receptibilem.

60 2. Eſſentia metaphyſica formæ exprimitur bene per hoc, quod ſit actus dans eſſe: ergo eſſentia metaphyſica materiæ exprimitur bene per hoc, quod ſit potentia recipiens eſſe; ſed eſſe, quod recipit materia, eſt eſſe ſubſtantiale indiſtinctum à forma: ergo exprimitur bene eſſentia metaphyſica materiæ per hoc, quod ſit potentia re-

receptiva formæ ſubſtantialis. Prima conſeq. tenet: quia oppoſitorum eadem eſt ratio, at materia, & forma ſunt correlative oppoſita: ergo ſi forma metaphyſice conſiderata eſt actus dans eſſe, materia metahyſice conſiderata eſt potentia recipiens illud.

61 3. Eo non conſtitueretur materia per rationem potentiæ receptivæ formæ: quia non recipit omnem formam cum qua componit ens naturale, ſcilicet animam rationalem; ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. min. 1. ex Div. Thom. 1. p. q. 50. artic. 1. dicente: *Quod alia pars materiæ eſt, quæ recipit formam corporalem, & alia, quæ recipit formam ſpiritualem*, & ibidem art. 3. & pluribus alijs in locis docet, Angelos non poſſe ſolo numero multiplicari; quia ſunt formæ per ſe ſubſiſtentes irreceptibiles in materia; animas vero ſolo numero multiplicari: quia recipi poſſunt in materia: ergo materia prima recipit animam rationalem.

2. Ex eodem S. [Thom.] 1. p. quæſt. 40. artic. 1. [vbi pro]bat, proprietates, ſi[ve relatio]nes divinas eſſe non [ſolum per]ſonas, ſed in div[inis perſonis] hoc diſcurſu: *Re[lationes ſignifi]cantur in abſtracto, v[t] quædam for[mæ] perſonarum: vnde cum de ratione formæ ſit, q[uod ſit] [illegible] cuius eſt forma, oportet dicere proprie[tates] eſſe in per[ſon]is.* Quam diſcurſum ibidem Caiet. ſub hac forma proponit: *De ratione formæ eſt eſſe in eo, cuius eſt forma: ergo proprietates oportet eſſe in perſona, & probatur ſequela: quia relatio eſt forma perſonæ.* Vbi Div. Thom. ex hac vniverſali: *De ratione formæ eſt eſſe in eo, cuius eſt forma*: abſtrahente à forma, quæ talis eſt ex modo concipiendi, & ab ea, quæ talis eſt realiter, infert, quod relationes, quæ ſignificantur per modum formæ ſunt in divinis, vt ibidem explicat Caiet. *Ratio enim facta in littera Div. Thom. ex hoc fundamento tenet, quod de ratione formæ, ſive ſuppoſiti, ſive materiæ, ſive cuiuſcumque alterius rei eſt eſſe in eo, cuius eſt forma; eſſe vtique realiter in eo, ſi ab eo, cuius eſt forma realiter diſtinguatur; eſſe vero in eo, cuius eſt forma, ſecundum modum ſignificandi, ſi ab ea ſola ratione diſtinguatur*: ergo iuxta D. Thom. omnis forma ſubſtantialis eſt in materia. Prob. conſeq. Formam ſubſtantialem eſſe in materia, non eſt præciſe vniri materiæ: ergo eſt recipi in materia. Prob. ant. Quia quævis forma taliter vnitur materiæ, quod etiam materia vnitur formæ: ergo formam ſubſtantialem eſſe in materia, non eſt præciſe formam vniri materiæ.

62 3. Anima rationalis dat eſſe materiæ: ergo materia recipit eſſe ab anima rationali, [illegible] & recipere correla-

tiva ſunt; at eſſe, quod accipit ab anima rationali non eſt diſtinctum ab anima rationali: ergo recipit animam rationalem.

63 Si dicas, id non ſufficere ad receptionem animæ, quia potentia materiæ ad recipiendum. eſt potentia ad hoc, vt ſimul cum efficiente concurrat ad formam producendam, recipiendo in ſe actionem agentis.

Animam rationalem in hoc ſenſu non recipi in materia, eſt nobis certiſsimum, ſed aſſerimus, ſine fundamento diſtrahi hanc vocem *receptio*, vt ſignificet concurſum cum efficiente ad producendas formas; id enim ad veram receptionem minime requiritur: nam formæ cœlorum, qui per creationem fuere producti independenter à concurſu materiæ, ſunt in ea receptæ; & gratia, eſto creetur à Deo, vt plures, tenent, recipitur in anima; recipitur enim quidquid eſt in altero, ab eo aliquomodo coarctatum & concluſum.

64 Sed omiſſa quæſtione de vocibus: ergo quantum ad rem attinet, materia prima ſubijcitur animæ rationali, & anima rationalis eſt in materia, & in ea continetur: dicimus enim, animam eſſe in corpore, & non ècontra, corpuſque animam intra ſe claudere, & continere, non èconverſo; ergo materia recipit animam rationalem, ſi per receptionem intelligamus materiam ſubijci, habereque eſſe ab anima, ſive per animam rationalem; aut ſi intelligamus per receptionem, quod anima eſt in materia, & continetur ab ipſa: ergo materia prima conſtituitur metaphyſice per potentiam ad recipiendas formas ſubſtantiales, ſumpta receptione in hoc ſenſu: patet conſequentia: nam fundamentum ad negandum conſtitui materiam metaphyſice per rationem potentiæ receptivæ formarum, erat: quia non recipit animam rationalem; at ſumpta receptione in hoc ſenſu, recipit animam rationalem: ergo. Tunc ſic; ſed ſumpta receptione in hoc ſenſu, receptio formarum non eſt formaliter idem, ac receptio vnionis; nec eſt formaliter idem, ac receptio vnionis; nec eſt formaliter idem, ac eſſe materiam denominabilem ab alio, aut radicem quantitatis, aut principium paſsivum operationum compoſiti, aut indifferentem ad formas: ergo eſſentia metaphyſica materiæ non per prædicta, ſed per potentiam ad recipiendas formas in præfato ſenſu debet explicari.

§. III.

Solvuntur argumenta.

65 Obijcies 1. Eſſentia metaphyſica materiæ eſt, quæ explicatur per eius definitionē: ſed per materiæ definitionem exprimitur potentia receptiva vnionis: ergo eſſentia metaphyſica materiæ eſt potentia receptiva vnionis. Prob. min. per illa verba definitionis: *Primum ſubiectum ex quo aliquid fit*, denominatur materiam primam eſſe primum ſubiectum recipiens generationem totius, in quibus verbis continetur potentia receptiva vnionis; quia generatio totius eſt productio vnionis: ergo.

Conf. Subſtantia incompleta per ſe primo ordinatur ad componendam ſubſtantiam cō pletam; nam pars per ſe primo ordinatur ad componendum totum, cuius eſt pars: ergo illud primario reſpicit, per quod immediatius conſtituit ſubiectum completum; id autem eſt vnio, quam reſpicit per modum potentiæ receptivæ: ergo.

Explicatur. Potentia receptiva formarum noſtro modo concipiendi ſubſequitur vnibilitatem materiæ cum formis ſubſtantialibus: ergo talis potentia non conſtituit metaphyſice materiam. Prob. ant. cum hę formæ non poſsint vniri materiæ, quin prius in ipſa recipiantur, eo ipſo, quod materia eſt vnibilis cum illis, debetur illi potentia receptiva ipſarum: ergo talis potentia ex noſtro modo concipiendi conſequens materiæ vnibilitatem.

66 Reſp. Quod eſſentia metaphyſica materiæ non eſt, quæ explicatur per definitionem Philoſophi adæquate ſumptam: nam definitio Philoſophi adæquate ſumpta non eſt nude, & rigoroſe definitio metaphyſica, ſed miſcet ad maiorem explicationem circumlocutionem, & deſcriptionem per prima, quæ eſſentiam materiæ metaphyſice conſtitutam præſupponunt. Explicatur ergo eſſentia metaphyſica materiæ per illa priora verba, *primum ſubiectum*, non per ſuî ſequentia: per hoc enim præciſe, quod intelligamus *primum ſubiectum*, intelligimus materiam, etiam ſi præſcindamus ab eo, quod ſit receptiva generationis: etenim in cœlo intelligimus totam eſſentiam materiæ primæ, cum tamen materia prima cœli non ſit ſubiectum generationis, imo nec petat recipere generationem; quam enim licet poſsit per generationem fieri, id tamen poſitive non exigit, ſed permiſsive ſe habet ad vtrumque genus productionis, per generationem, ſcilicet, vel per creationem; & licet a receptione vnionis præſcindi nequeat, inde ſolum probatur, potentiam ad receptionem vnionis ingredi aliquo modo eſſen-

tiam

tiam materiæ, non tamen conſtitutive, & ratione ſui, ſed ex conſequenti, & ratione alterius.

67 Ad confirmationem reſpondetur, quod ſubſtantias incõpletas componere, totum eſt eas vniri per modum actus, & potẽtiæ: quare materiam primam cõponere totum eſt materiã primã recipere formam, & formam cõponere totum eſt formam actuare materiam, & licet per vnionẽ immediatius accederet ad cõponendum ſubiectũ completũ, non ſequeretur, quod materia prius reſpiceret vnionẽ: quia nõ id, per quod immediatius in executione conſtituit, ſed id, per quod immediatius, aut prius in intentione conſtituit ſub ectũ completũ, eſt quod primario reſpicit materia, & quod prius reſpicit in intentione, eſt forma, ſive receptio illius: cæterũ in rei veritate vnio non præcedit receptionẽ formæ nec vnum ſine alio poteſt intelligi, ſed vtrumque ſimul ſimultate *in quo*, ita tamen, vt vnio ſit propter receptionẽ, non è converſo; quo circa vnio reſpectiue ad receptionem formæ nõ eſt, id per quod materia immediatus conſtituit ſubiectum completum.

Ad explicationem reſp. neg. quod potentia receptiva formæ ſequitur ad vnibilitatem, & ad prob. fatemur, quod eo ipſo, quod materia eſt vnibilis formæ debetur illi potentia receptiva formæ, non ita vt ly *eo ipſo* dicat rationem à priori, ſed à poſteriori materiæ enim, cui convenit vnibilitas, convenit potentia receptiva formæ, non tamen ideo convenit potentia receptiva formæ, quia ei convenit vnibilitas; ſed potius convenit materiæ vnibilitas; quia convenit illi potentia receptiva formæ.

ARTIC. III.

Vtrum materia prima vſque adeo ſit pura potentia, vt actum metaphyſicum non habeat?

68 Cum potentia receptiva debeat ex ſe carere actu, quem recipit, vt melius dignoſcamus rationem potentiæ, in qua eſſentia metaphyſica materiæ cõſiſtit, opportet inveſtigare, an careat actu metaphyſico, & phyſico, quorum primum in hoc articulo, ſecundũ infra prçſtabimus.

69 Materiam primam vſq; adeo eſſe puram potentiam, vt actum metaphyſicum non habeat, ſentiunt Scotus, PP. Carm. Parra, Prado, P. Rubio, & apud ipſum Dur. Fonſ. & Conimb. contra Maſium, Ortiz. Lerma, Pini, & omnes, qui materiæ concedunt actum entitativum.

Eidem nos ſententiæ ſubſcribimus, & licet in hoc puncto forte ſit de vocibus diſceptatio, maxime ea, quæ geritur inter Thomiſtas nihilominus, qui actum metaphyſicum negant materiæ, loquuntur conſequentius ad ea, quæ circa compoſitionem metahyſicam in logica, & ad ea, quæ circa potentiam materiæ in præſenti docent Thomiſtæ.

Quid

Quid nomine actus metaphyſici ſignificetur, non eſt omnino certum, & ideo diximus, queſtionem hanc magna ex parte eſſe de voce: nam ſi vt aliqui exiſtimant, actus metaphyſicus nihil eſt aliud, quam conceptus, per quem res vna diſtinguitur ab altera, quis neget materiæ actum metaphyſicum: Si vero actus metaphyſicus actualitatem obiectivam in materia ſignificet, nullus ex Thomiſtis actum metaphyſicum concedet in materia. Ne igitur in æquivoco penitus laboremus, & de re ſit diſputatio, oportet ſtatuere aliquam ſignificationem huius vocis *actus metaphyſicus* certam, & conſtantem apud omnes: ſignificat ergo actus metaphyſicus illum conceptum obiectivum, ex quo ſimul cum altero, quod ſe habet, vt potentia, fit compoſitio metaphyſica: quare probare conabimur, in materia prima nullum dari conceptum obiectivum; ex quo ſimul cum formalitate potentiæ poſsit fieri compoſitio metaphyſica.

70 Probatur concluſio 1. ex D. Thom. 1. p. q. 115. art. 1. ad 2. dicente, quod materia prima eſt pura potentia, ſicut Deus eſt actus purus, ſed Deus ita eſt actus purus, vt nullam habeat potentiam metaphyſicam: ergo materia prima, ita eſt pura potentia, vt nullum habeat actum etiam metaphyſicum: confirmatur ex D. Auguſt. lib. 83. quæſt. 54. dicente: *Recte materia ex qua fiunt corpora, quia omni ſpecie caret, nihil dicitur*; at quod caret ſpecie, caret actu metaphyſico, hic enim rationem communem contrahit ad ſpeciem: ergo materia prima caret actu metaphyſico.

71 Secundo probatur ratione. Ideo materia prima haberet actum metaphyſicum, quia in materia prima invenitur ratio ſubſtantiæ; & ratio talis ſubſtantiæ, ſed hæc ratio eſt inſufficiens: ergo materia prima non habet actum metaphyſicum: maior eſt ratio contrariæ ſententiæ, & minor probatur. In ipſa potentia metaphyſica, ex qua ſimul cum actu metaphyſico componitur iuxta adverſarios metaphyſice materia prima, datur ratio potentiæ, & ratio talis potentiæ, vt de ſe patet. Et tamen prædicta potentia nullum habet actum metaphyſicum: ergo ex eo quod in materia prima detur ratio ſubſtantiæ, & ratio talis ſubſtantiæ non infertur, eam habere actum metaphyſicum.

72 Confirmatur. In ſupremo genere ſubſtantiæ datur ratio entis, & ratio talis entis, & tamen ſupremum genus ſubſtantiæ caret potentia metaphyſica: ergo ſtat optime, quod in materia prima detur ratio ſubſtantiæ, & ratio talis ſubſtantiæ, & quod careat actu me-

taphyſico: antecedens eſt certum, quia ſupremum genus ſubſtantiæ, vtpote ſimplicíſsimum, eſt expers metaphyſicæ compoſitionis. Conſequentia vero probatur; ſicut actus metaphyſicus eſt conceptus ſuperadditus rationi communi, ita potentia metaphyſica eſt ratio communis determinabilis per conceptus ſibi ſuperadditos, & ſicut vbi datur ratio ſubſtantiæ, & ratio talis ſubſtantiæ, datur conceptus ſuperadditus rationi communi ſubſtantiæ, ita vbi datur ratio entis, & talis entis datur ratio communis determinabilis per conceptus ſibi ſuperadditos: ergo ſicut ſupremum genus ſubſtantiæ caret potentia metaphyſica, non obſtante, quod in ea detur ratio entis, & ratio talis entis, ita materia prima caret actu metaphyſico, non obſtante, quod in ea detur ratio ſubſtantiæ, & ratio talis ſubſtantiæ.

Confirmatur 2. In Deo datur ratio ſubſtantiæ, & ratio talis ſubſtantiæ, & tamen in Deo, non datur potentia metaphyſica: ergo ex eo quod detur in materia prima ratio ſubſtantiæ, & ratio talis ſubſtantiæ non ſequitur, quod in ea detur actus metaphyſicus.

73 Tertio probatur concluſio. Pura potentia phyſica nullum habet actum metaphyſicum, ſed materia prima eſt pura potentia phyſica: ergo nullum habet actum metaphyſicũ: Prob. min. Pura potentia phyſica excludit omnem actum phyſicum, ſed quod excludit omnẽ actum phyſicum, nullum habet actum metaphyſicum: ergo pura potentia phyſica nullum habet actum metaphyſicum. Prob. min. Quod excludit actum phyſicum, nullum præbet fundamẽtum, vt in eo concipiatur actus; ſed actus metaphyſicus eſt actus, qui concipitur cum fundamento in re ipſa: ergo. Prob. mai. Quod excludit omnem potentiam phyſicam, nullum præbet fundamentum, vt in eo potentia concipiatur: ergo quod excludit omnem actum phyſicum, nullum præbet fundamentum, vt in eo actus concipiatur.

74 Confirmatur. Actus metaphyſicus non eſt quicumque conceptus diſtinguens eſſentialiter vnum ab altero, ſed eſt conceptus obiectiue actualis; de cuius eſſentia non eſt ratio potentialis, quam contrahit: at in materia prima, nullus reperitur conceptus obiectiue actualis, de cuius eſſentia non ſit ratio potentialis, quam determinat: ergo in materia prima nullus datur actus metaphyſicus.

Maior videtur certa 1. Quia potentia metaphyſica eſt conceptus obiectiue indeterminatus, de cuius eſſentia non eſt actus per quem contrahitur: ergo actus metaphyſicus eſt conceptus obiectiue actualis, de cu-

ius eſſentia non eſt ratio potentialis, quam determinat.

75 Secundo. Quia ſi conceptus non eſt actualis obiective, erit actualis tantum ex modo concipiendi, qua ratione ens, vt ſic, eſt potentiale, & ex eo, & vltima quaſi differentia Dei Deus componitur ex modo concipiendi, non tamen metaphyſice, & cum fundamento in re concepta, eo quod ens non eſt potens excludere à proprio conceptu differentiam deitatis.

Tertio. Quia compoſitio metaphyſica conſurgit ex partibus ſe mutuo excludentibus obiective; ſed actus metaphyſicus eſt pars, ex qua ſimul cum altera, aliquid metaphyſice componitur: ergo eſt actualitas obiectiva præſcindens perfecte, & in ſua eſſentia minime includens rationem potentialem, quam determinat. Tum denique, quia ſi non requiritur pro fundamento actus metaphyſici aliqua vera, & realis actualitas, ita vt actus metaphyſicus, nihil aliud ſit, quam vera, & realis actualitas concepta, vt determinans rationem potentialem, ſequeretur, quod privationes, & negationes, & ipſamet carentia actus metaphyſici haberent actum metaphyſicum, quod eſt omnino falſum: ergo cum in his negationibus poſſit concipi aliquid per modum determinabilis, & aliud per modum determinantis, ſequitur, quod ad rationem actus metaphyſici non ſufficiat ita concipi, ſed quod vlterius detur in rebus aliqua vera actualitas, ideſt, aliquod verum eſſe actuale, quod ad prædictum modum concipiendi præbeat fundamentum.

Vrgetur. Actus metaphyſicus non eſt aliquid conceptum per modum actualitatis contrahentis, ac determinantis ſed eſt actualitas vera, & realis concepta per modum determinantis, & contrahentis, ita vt contrahere, & determinare ſit aliquid rationis, ipſa vero actualitas ſit aliquid reale, ſicut potentia metaphyſica eſt ratio ex ſe non determinata contrahibilis per aliam, ita tamen vt ratio illa ex ſe non determinata obiective precedat, vt fundamentum, ad hoc vt per rationem fingi poſſit indifferens, & contrahibilis per alias.

76 Nunc probatur min. Quod ſcilicet in materia prima nullus ſit conceptus obiective actualis, de cuius eſſentia non ſit ratio potentialis, quam determinat. Et primo, quod in ea non ſit conceptus obiective actualis, apud negantes materiæ omnem actum phyſicum debet eſſe certum, quia conceptus actualis obiective eſt vera, & realis actualitas, ſive verum eſſe reale actuale: at materia prima nullum habet eſſe reale actum, ſi nullum habet actum phyſicum:

ergo apud negantes materiæ omnem actum phyſicum debet eſſe certum, in ea non reperiri conceptum obiective actualem.

77 Deinde, quod in materia non reperiatur conceptus actualis, de cuius eſſentia non ſit ratio potentialis, quam determinat: probatur. Quia ratio potentialis, quæ determinari poteſt in materia, eſt ratio potentiæ: ſed nulla datur actualitas in materia, de cuius eſſentia non ſit ratio potentiæ: ergo nulla datur in materia actualitas, de cuius eſſentia non ſit ratio potentialis, quam determinat. Prob.min. Materia in quantum potentia, eſt pura potentia: ergo non datur in materia actualitas, de cuius eſſentia non ſit ratio potentiæ. Prob.min. Si materia, in quantum potentia, non eſſet pura potentia, ſequeretur, quod materia ex potentia metaphyſica eſſet minus potentialis, & ex actu metaphyſico eſſet minus actualis: Conſequens eſt falſum, nam res quælibet ſecundum rationem genericam eſt magis potentialis, etiam phyſice, vtpote ab actu vltimo phyſico, qui eſt exiſtentia, magis elongata, & ſecundum rationem differentialem eſt actualior etiam phyſice, vtpote actui phyſico exiſtendi propinquior, vnde homo vt animal eſt phyſice imperfectior ſe ipſo, vt rationali, & homo, vt rationalis eſt phyſice perfectior, & magis actualis ſe ipſo vt animali: ergo materia, in quantum potentia eſt pura potentia, ita vt ratio potentiæ, & puræ potentiæ ſe invicem includant, ſicut ratio entis, & talis entis, licet penes implicitum, & explicitum poſsit, & debeat inter has rationes aliqua diſtinctio ſuſtineri, quæ tamen non ſufficit ad compoſitionem metaphyſicam, ac proinde, nec ad hoc, vt vna ſit metaphyſica potentia, & altera ſit actus metaphyſicus, ſicut non ſufficit præfata diſtinctio, vt ex ente, & eius differentijs conſurgat metaphyſica compoſitio.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

78 Obijcies 1. vbi vnum differt ſpecie ab alijs, & convenit generice cum illis, ibi datur actus metaphyſicus; ſed materia ſublunaris convenit generice cum materia cœleſti, & differt ſpecie ab illa: ergo datur in ea actus metaphyſicus. *Confirm.* Species perfectior altera habet actum ſaltim metaphyſicum, quia actus, & perfectio idem ſunt; ſed materia cœleſtis eſt perfectior ſublunari: ergo materia cœleſtis habet aliquem actum ſaltem metaphyſicum.

Reſpondetur. Quod vbi da-

tur convenientia generica, & differentia ſpecifica proprie ſumpta, datur actus metaphyſicus, cæterum inter materiam cœleſtem, & ſublunarem non dantur genus, aut differentia proprie ſumpta, qua ratio particularis, per quam contrahitur communis ratio materiæ, non eſt conceptus metaphyſice determinans, ſed tantum determinans logice conceptum materiæ vt ſic; intelligitur quippe materia, dum contrahitur ad ſpeciem materiæ ſublunaris ſub maiori determinatione, non tamẽ ſub maiori actualitate: quod tamen neceſſarium erat, vt metaphyſice determinaretur, animal enim, quod ratio quædam eſt generica, poteſt conſiderari logice, & metaphyſice: logice conſideratur, dum concipitur, vt indifferens ad hominem, & equum; metaphyſice vero, dum concipitur ſecundum ſe præciſſum ab omni actualitate differentiali: prima indeterminatio eſt logica, & tollitur per differentiam, & eſt ratio particularis; ſecunda eſt, potentialitas, & informitas metaphyſica, quæ tolli nequit, niſi per actum vel per differentiam, quæ ſit actualitas: tollitur ergo indeterminatio logica materiæ per id, quo contrahitur ad ſpeciem materiæ ſublunaris, ſcilicet, per capacitatem recipiendi formas amiſsibiliter, non tamen tollitur potentialitas metaphyſica, quia prædicta capacitas non eſt actus, ſed ordo ad actum. Vnde materia cœleſtis, & ſublunaris, non differunt proprie, ſed ſunt primo diverſæ, nam ſunt conceptus ſimplices, qui diſtinguuntur ſe totis, ſicut prædicamenta inter ſe, necnon rationalitas, & hinnibilitas diſtinguntur ſe totis; conveniunt autem prædictæ materiæ, non vnivoce, ſed analogice, & proportionaliter in eo, quod ſicut materia ſublunaris recipit formas amiſsibiliter, ita cœleſtis recipit eas inamiſsibiliter, & dicuntur differre ſpecie, quia habent prædicata eſſentialiter diverſa vlterius indeterminabilia per rationes particulares.

Ad confirm. reſp. Quod ſpecies intrinſece, & actu perfectior altera habet actum metaphyſicum; materia autem cœleſtis non eſt ſpecies perfectior ſublunari actu, & intrinſece, ſed extrinſece, & in potentia, quia, videlicet, eſt receptiva formæ perfectiori modo informantis.

79 Obijcies 2. Sicut materia eſt potentia ad formam, ita forma eſt actus materiæ. Sed forma componitur metaphyſice ex actu, & potẽtia: ergo, & materia. Admiſsis mai. & min. neg. conſeq. Quia materia eſt pura potentia, in qua nihil cum fundamẽto in re poteſt concipi per modum actus, forma vero non eſt actus purus, ſed actus admixtus potentialitati, quo circa habet plura prædicata, quorum alia per modum

dum potentiæ determinabilis, alia per modum actus determinantis cum fundamento in re poſſunt cognoſci.

80 Dices. Sicut ordo ad formam eſt differentia materiæ ita ordo ad materiam eſt differentia formæ: ſed ordo ad materiam ita eſt formæ differentia, vt ſit actus metaphyſicus illius; ergo ordo ad formam poteſt eſſe differentia materiæ, ita vt ſit actus metaphyſicus illius; ſi enim ordo ad materiam, quæ eſt pura potentia, eſt actus metaphyſicus formæ, cur ordo ad formam, qui eſt actus, non erit actus metaphyſicus materiæ?

Reſpondeo. Quod ordo ad materiam, cum ſit ordo actus potẽtis informare materiam eſt actualitas intrinſeca formæ, ordo vero ad formam, cum ſit potentiæ ad recipiendam actualitatem à forma, non eſt actualitas intrinſeca materiæ, ſed importat actualitatem extrinſece, & in termino habitudinis, vnde non eſt hic ordo actus metaphyſicus materiæ, quia actus metaphyſicus non eſt ordo ad actualitatem, ſed actualitas intrinſeca rei, quam conſtituit. Ex quo etiã patet, quo modo ordo ad materiam, quę imperfectior eſt, ſit perfectior ordine ad formã, quæ perfectior eſt; quia ſcilicet, ordo ad materiam eſt actualitas, cum ſit ordo ad dandum eſſe; ordo vero materię eſt potentialitas, cum ſit ordo ad illud recipiendum.

ARTIC. IV.

Vtrum materia prima habeat actum entitativum?

81 Cum potentia, & actus dicantur correlative, ex diverſis acceptionibus potentiæ conſtabit, actus etiam accipi diverſimode: duplex eſt potentia alia obiectiva, alia ſubiectiva, potentia obiectiva, quæ ſolet etiam vocari potentia logica, eſt non repugnantia ad exiſtendum, ideo dicitur obiectiva; quia res in potentia obiectiva nihil eſt aliud, quam obiectum alicuius potentiæ valentis illam producere, actus huic potentiæ correſpondens eſt ipſamet res, prout exiſtens, nam potentia obiectiva, & etiam actus, ſunt eadem res cum ſola differentia penes ſtatum, res enim dum poteſt exiſtere, & non exiſtere, eſt in potentia obiectiva, dum vero exiſtit, eſt in actu huius potentiæ. Potentia ſubiectiva eſt ſubiectum potens recipere actus à ſe diſtinctos, vt ſuperficies eſt receptiva coloris, & lignum formæ artificialis.

82 Hinc evenit, actum etiam phyſicum (de eo enim eſt ſermo in præſenti) eſſe duplicem, alium entitativum, alium vero formalem; entitativus reſpondet potentiæ obiectivæ, & eſt ille, quo res, quæ dum erat in potentia obiectiva, erat nihil, modo eſt

ali-

aliquid, actus vero formalis eſt actus realiter informans ſubiectum, in quo recipitur.

Rurſus actus entitativus eſt duplex, alter exiſtentialis, quo videlicet res ponitur extra cauſas, alter eſſentialis, quo nimirum res, prout diſtinguitur ab exiſtentia, eſt actu ens; actualis realitas, & actuale ſubiectum, in quo recipitur exiſtentia.

83 Certum eſt, materiam primam poſt illius creationem non manere in potentia obiectiva, ſed habere vtrumque actum entitativum: nam materia prima poſt creationem exiſtit, & eſt entitas, ſive realitas, actualis actu recipiens formam, & cum illa compoſitum conſtituens. Quod ingerit difficultatem eſt, vtrum prædictum actum habeat ex ſe ipſa, an potius per aliquid à ſe realiter diſtinctum. De exiſtentia erit ſermo articulo ſequenti, modo ſolum diſputabimus vtrum ex ſe, & independenter à forma habeat actum entitativum eſſentialem, ideſt vtrum ex ſe, & per ſe ipſam ſit actualis entitas, ſive ens actu.

84 Sententiam affirmativam tenent quicumque materiæ exiſtentiam negant diſtingui ab ea, & præter eos aliqui Thomiſtæ, vt Cabrera, Maſsius, Ortiz, & alij. Negativa eſt communis inter Thomiſtas, eamque tuentur Capreol. Caiet. Soncin. Ferrar. Bañez, Ioann. à S. Thom. PP. Carm. Parra, Lerma, Prado.

§. I.

Vnica Concluſio.

85 Materia prima ex ſe nullum habet actum entitativum eſſentiæ. Probatur 1. Materia prima non habet ex ſe id, ad quod eſt in potentia; ſed eſt in potentia ad actum entitativum: ergo non habet ex ſe actum entitativum. Prob. min. Eſt in potentia ad eſſe: ergo eſt in potentia ad actum entitativum.

Antecedens, in quo eſt tota difficultas, probatur 1. authoritate Philoſophi 11. Metaph. qui loquens de materia prima, ait: *Hæc tamen actu quidem non eſt, potentia autem eſt*: & D. Thom. ibi: *materia non eſt in actu, ſed in potentia.* Et 8. metaph. Philoſophum dicentem materiam eſſe in potentia, exponit Div. Thom. lect. 1. litt. F. dicens: *Materia dicitur ſubſtantia, non quaſi ens aliquid actu exiſtens in ſe conſiderata, ſed eſt quaſi in potentia, vt ſit aliquid actu, hæc dicitur eſſe hoc aliquid*, & 1. p. quæſt. 5. artic. 3. ad 3. ait: *Quod materia prima non eſt ens, niſi in potentia*: ergo materia prima eſt in potentia ad eſſe: ac ſubinde eſt in potentia ad actum entitativum, eſſe enim eſt actus entis, ſive actus entitativus.

86 Secundo probatur idem antecedens. Materiæ dat eſſe forma ſubſtantialis: ſed materia eſt in potentia ad formam ſubſtantialem: ergo eſt in potentia ad eſſe. Prob. mai. Forma ſubſtantialis dat primum eſſe materiæ: ergo dat illi eſſe abſolutè: Prob. anteced. dat materiæ eſſe ſubſtantiale; ſed eſſe ſubſtantiale eſt primum eſſe: ergo forma dat materiæ primum eſſe.

Confirmatur. Forma ſubſtantialis eſt primus actus materiæ: ergo dat primū eſſe materiæ: probatur conſequent. Nam actus eſt, qui conſtituit: ergo primus actus materiæ conſtituit materiam in primo eſſe: *Vrgetur*: Forma ſubſtantialis eſt primus actus materiæ: ſed primus actus eſt actus entitativus eſſentiæ, ideſt, eſt actus, quo res quælibet redditur eſſentia actualis: ergo forma ſubſtantialis eſt ipſemet actus entitativus eſſentiæ materiæ primæ, ac ſubinde reſpectu materiæ primæ actus entitativus non eſt diſtinctus à formali.

87 Dices. Forma ſubſtantialis dat materiæ primum eſſe formale completum, & ſpecificum, non tamen dat illi primum eſſe entitativum, quia non dat materiæ ea, quæ neceſſario ſupponuntur in ipſa, vt poſsit formam recipere. Eſt etiam forma ſubſtantialis actus primus formalis, vel primus inter eos, qui diſtinguntur à materia, & in ea recipiuntur, non tamen primus omnibus modis, ita vt actum entitativum cum materia identificatum non ſupponat.

88 Contra 1. Si forma non dat materię eſſe omnino primum: ergo materia per formam non habet eſſe ſimpliciter, ſed eſſe ſecundum quid. Prob. conſeq. Quia eſſe ſimpliciter eſt eſſe abſolutè prolatum; eſſe ſecundum quid eſt eſſe cum addito: vt in homine eſſe, quod præſtat humanitas eſt eſſe ſimpliciter, quia abſolute eſt verum dicere, homo per humanitatem habet eſſe, eſſe vero, quod præſtat albedo, eſt eſſe ſecundum quid, quia non eſt abſolutè verum dicere, hominem habere eſſe per albedinē, ſed cum addito, habere, ſcilicèt, tale eſſe, nempe eſſe album, qua etiam ratione cum in homine incipit, vel deſinit humanitas, abſolutè dicitur homo incipit eſſe, aut deſinit eſſe, ſi vero incipiat, aut deſinat albedo, non dicetur abſolutè, quod homo incipit eſſe, ſed cū addito, quod incipit eſſe albus, nec dicetur, quod deſinit eſſe, ſed quod deſinit eſſe albus.

89 Contra 2. Eſſe, quod præſtat forma ſubſtan-

tialis eſt terminus generationis ſubſtantialis; ſed terminus generationis ſubſtantialis eſt, eſſe omnino primum: ergo eſſe, quod præſtat forma ſubſtantialis, eſt eſſe omnino primum. Prob. min. Quia generatio ſubſtantialis eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe ſimpliciter; ſed ſolum primum eſſe eſt eſſe ſimpliciter: ergo: *Tum* quia generatio non differret ab alteratione ſi terminus generationis non eſſet primum omnino eſſe: conſeq. eſt falſum: ergo. Prob. min. Alteratio eſt motus ad formam advenientem enti præhabenti ſuum eſſe ſubſtantiale; ſed ſi terminus generationis non eſſet primum eſſe, generatio eſſet motus ad formam advenientem ſubiecto præhabenti ſuum eſſe ſubſtantiale: ergo.

90 Dices: quod generatio terminatur ad formam advenientem ſubiecto præhabenti ſuum eſſe incompletum, nimirum eſſe puræ potentiæ, quæ ex ſe ordinatur, vt formam recipiat, & in hoc differre ab alteratione, cuius terminus eſt forma adveniens ſubiecto præhabenti eſſe completum.

91 Contra. Ideo forma, quæ eſt terminus alterationis, advenit ſubiecto habenti ſuum eſſe completum, & non complet eſſe ſubiecti, nec ſubiectum ordinatur, vt potentia ad illum, quia ſubiectum antecedenter ad illam formam habet ſuum eſſe ſubſtantiale: ergo ſi forma, quę eſt terminus generationis, advenit ſubiecto pręhabenti ſuum eſſe ſubſtantiale, advenit ſubiecto habenti eſſe completum, & nec forma complet illud, nec ſubiectum ordinatur, vt potentia ad illum.

Vrgetur. Id, quod habet ſuum eſſe ſubſtantiale, nõ ordinatur, vt quid incompletum, ad aliud eſſe ſecundum, & ſuperadditum in ſe recipiendum: ergo ſi materia habet ſuum eſſe ſubſtantiale, non ordinatur, vt quid incompletum ad recipiendum eſſe ſecundum, & ſuperadditum proveniens à forma.

92 Denique. Si forma adveniret ſubiecto habenti eſſe ſubſtantiale, non eſſet forma ſubſtantialis: ſed ſi forma non eſſet ſubſtantialis, ſubiectum haberet eſſe completum, non vero incompletum, & ordinatum per modum potentiæ ad formam: ergo ſi forma adveniret ſubiecto habenti eſſe ſubſtantiale, ſubiectum haberet eſſe completum, & non incompletum, & ordinatum per modum potentiæ ad formam. Maior probatur. Si forma adveniret ſubie-

ecto habenti eſſe ſubſtantiale; eſſe præſtitum à forma, non eſſet ſubſtantiale, quia non eſſet primũ, fundamentale, & ſubſiſtans omnibus, ſed potius ſecundum, fundatum, & in alio eſſe priori ſubſtentatũ: ergo forma præſtans illud neutiquam eſſet ſubſtantialis.

93 Ex quo colliges, & roborabis concluſionem. Quod ſi materia eſſet ens actu per ſe ipſam, redderentur inefficaces rationes, quibus Ariſtoteles probavit contra antiquos Philoſophos formam diſtingui à materia, id enim probat ex differentia generationis ab alteratione, quarum illa eſt ad eſſe ſimpliciter, iſta vero ad eſſe ſecundum quid; ex quo inferebat, materiam, quæ per modum ſubiecti ſupponitur generationi, ex ſe non habere eſſe ſimpliciter, ac ſubinde diſtingui à forma dante primum eſſe. Huic ergo rationi, ſi vera eſſet ſententia contraria, poſſent Philoſophi reſpondere, generationem non differre ab alteratione, quia generatio non terminatur ad primum eſſe, ſed ad eſſe ſecundum quid, ſubiectum enim, quod ſupponitur generationi, non fit ens per generationem, ſed fit tale ens quod eſt, non fieri ſimpliciter, nec generari, ac ſubinde non dari formã ſubſtantialem, quæ poſsit dare primum eſſe, quia cum ſupponat materiam habentem eſſe primũ, poteſt per eam habere materia tale eſſe, non tamen eſſe abſolutè.

94 Contra quos non poſſet replicari dicendo, quod eſſe præſuppoſitum in materia eſt partiale, & quod ex eo ſimul cum eſſe formali fit eſſe ſubſtantiale primum. Nam reſpondebunt, peti principium. Philoſophi enim antiqui dicebant materiam eſſe ſubſtantiam cõpletam habentem in ſe primum eſſe, & idcirco formam ſupervenientem non eſſe ſubſtantialẽ, ſed accidentalem, vtpote advenientem enti in actu completo conſtituto. Si ergo probetur, dari formam ſubſtantialem, quia etiam ſi adveniat enti habenti ſuum eſſe, advenit enti habenti eſſe partiale, & incompletũ, aſſumitur pro certo id ipſum, quod aliunde erat probandum: ergo dicendum eſt, materiam ex ſe nullum habere eſſe actuale, ſed totum prorſus eſſe à forma ſubſtantiali provenire.

59 Si dicas formam dare primum eſſe, quia cõplet eſſe ſubſtantiale ſpecificum, quod eſt primũ incompoſito. *Contra*: nã forma ſubſtantialis eſt, quæ dat primũ eſſe, non quidem compoſito ex ipſa, & ex ſubiecto quod ad ipſum præſupponitur, ſed ipſimet ſubiecto: ergo ſi forma

 non

non dat primum eſſe materiæ; licèt det primum eſſe compoſito, quod ex ipſa ſimul cum materia coaleſcit, non ſequitur, quod ſit forma ſubſtantialis. Antecedens probatur: Compoſito ex ipſa forma, & ex ſubiecto, etiam forma accidentalis dat primum eſſe; primum eſſe albi præſtat vtique formaliter, & completivè albedo, quæ tamen forma ſubſtantialis non eſt, quia ſubiecto, quod informat, non dat primum eſſe: ergo proprium formæ ſubſtantialis, vt diſtinguitur ab accidentali, eſt dare primum eſſe nedum compoſito, ſed ſubiecto quod informat.

69 Nec dicas albedinem ideò non eſſe formam ſubſtantialem, quia advenit ſubiecto habenti formam ſubſtantialem; advenit enim homini v. g. compoſito ex materia, & forma; at forma ſubſtantialis, licèt adveniat enti in actu, non tamen advenit enti in actu per formam ſubſtantialem; ſivè compoſito ex materia, & forma, ſed ſimplici, ac ſubinde ordinabili per modum partis ad componendum cum ipſa eſſe completum ſubſtantiale.

97 Nam contra eſt. Ideo albedo adveniens cōpoſito ex materia, & forma, eſt forma accidentalis, quia eo ipſo, quod adveniat compoſito ex materia, & forma, non dat illi primum eſſe, ſed eſſe ſecundum; at eo ipſo, quod materia, etiam ſi ſimplex ſit, habeat ex ſe ſuum eſſe, forma adveniens, non dat illi primum eſſe, ſed ſecundum: ergo non erit forma ſubſtantialis. *Confirmatur*. Forma quælibet adveniens Angelo, eſt accidentalis, non quia advenit ſubiecto habenti formam ſubſtantialem, aut compoſito ex materia, & forma, ſed præciſſe, quia Angelo licèt ſimplex ſit, non dat primum eſſe, ſed ſecundum: ergo licet materia ſit ſimplex, & non compoſita, forma, quę illi non communicat eſſe primum, ſed ſecundum, erit forma accidentalis.

98 Denique probatur concluſio ratione deſumpta ex Div. Th. lib. 7. Metaph. lect. 13. dicente ex Philoſoph. ibidem text. 49. *Duo quæ ſunt in actu: nunquam ſunt vnum actu*, quæ ſub hac forma proponitur. Ex duobus entibus in actu non fit vnum per ſe, ſed ex materia, & forma, fit vnum per ſe: ergo materia, & forma, non ſunt duo entia in actu ergo.

Maior ſuadetur, & explicatur primo. Quia ea quę ſunt ſimpliciter, & per ſe plura, non poſſunt eſſe vnum, niſi

niſi ſecundum quid, & quatenus per accidens coniunguntur; ſed quæ ſunt entia in actu, ſunt ſimpliciter, & perſe plura: ergo ex entibus in actu non fit vnum per ſe.

Secundo, vnum album per ſe, nequit fieri ex duplici albo, id enim erit vnum, non per ſe, ſed per aggregationem, ſed fit ex ſubiecto, quod nullatenus eſt in actu alvum, ſed in potentia, & ex albedine: ergo vnum ens per ſe nequit fieri ex duobus entibus in actu, ſed debet fieri, ex vno, quod actu non ſitens, ſed ens in potentia, & ex alio quod ſit ens in actu.

Tertio, quia licèt ex ſubiecto, & albedine fiat vnum album per ſe, vel fiat album vnum ſimpliciter, tamem ex ſubiecto, & ex albedine non fit vnum ens per ſe; nec vna quidditas ſimpliciter, non alia ratione, niſi quia album illud non componitur ex duplici albo in actu, ſed ex ſubiecto in pura poteutia ad albedinem, ex albedine, non tamen componitur ex ente in potentia, & ex ente in actu, ſed ex duobus entibus in actu: ergo, vt ex duobus reſultet vnum per ſe in aliqua ratione, reqniritur, quod in ea ratione non ſit vtrumque quid actuale, ſed vnum ſit potentia, & alterum ſit actus: ergo ens vnum per ſe reſultare nequit ex duobus, niſi alterum eorum ſit ens tantum in potentia, & alterum ſit ens in actu.

Quarto, vnum per ſe dicitur, quod eſt vnum vnitate formæ, ſivè rationis formalis; ſed forma; ſivè ratio formalis entis eſt eſſe: ergo ex duobus nõ poteſt reſultare vnum per ſe, niſi in vtroque ſit vnicum eſſe: ergo alterum ex eis debet eſſe non ens actu, ſed potentia ad eſſe. Mai. eſt perſpicua; id enim habet homo per ſe, quod habet ratione formæ; quod autem non habet ratione formæ, ſunt accidentia communia.

69 *Conf.* Si ex duobus entibus in actu poſſet fieri vnum per ſe, poſſet admitti, materiam ex ſe habere aliquem actum formalem, & nihilominus ex ea, & alia forma advenienti fieri vnum ſimpliciter: conſeq. eſt falſum: ergo, & illud, ex quo ſequitur. Falſitas conſequentis patet: nam ſi ex materia, habente ex ſe formam, ſimul cum alia forma adveniente, poſſet fieri vnum ſimpliciter; poſſet ex illa fieri ens ſimpliciter; eadem enim eſt ratio entis, & vnius entis, quod ſi fieri poteſt ens ſimpliciter, poteſt generari ſubſtantialiter: ergo ex generatione ſubſtantiali male Ariſt. probaviſſet, materiam ex ſe nullam habere formam ſubſtantialẽ, & ſubiectum generationis debere ſupponi in potentia ad omnem formã. Sequela vero prob.

quia ſi non obſtat, materiam exiſtere ſub actu entitativo, vt ex illa, & ex forma ſuperveniente fiat vnum ens per ſe; nec obſtabit, materiam præſupponi ſub aliquo actu formali, vt ex ipſa, & ex vlteriori forma superveniente fiat vnum ens ſimpliciter: vnde veteres Philoſophi non negabant, in productione hominis produci vivens, animal, & hominem; & tamen negabant, produci formam ſubſtantialem: quia dicebant, formam dantem hos gradus ſubiecto habenti eſſe in actu non eſſe ſubſtantialem, contra quos non probat Ariſt. eam eſſe formam ſubſtantialem, & ſi det hos gradus ſubiecto habenti eſſe in actu, ſed probat eam eſſe ſubſtantialem, quia ſolam ſupponit materiam, quæ eſt ens in potentia: ergo ſentit Philoſophus, non eſſe formam ſubſtantialem, quæ ſuum effectum formalem communicat ſubiecto, quod eſt ens in actu.

100 Nec valet effugium, ad quod ſe communiter recipiunt adverſarij dicentes, ex duobus entibus, quorum vtrumque, vel alterum eſt in actu completo, non poſſe fieri vnum per ſe; & ideò ex materia cum forma, ſimul cum vlteriori forma non poſſe fieri vnum per ſe; quia videlicèt alterum extremum, nempe materia cum forma eſſet ens completum; cæterum ex materia habente actum entitativum, & ex forma fieri vnum per ſe; quia tàm materia cum actu entitativo, quam forma ſunt entia incompleta.

Nam contra ſolutionem iſtam obſtant 1. quæ ſupra diximus inter confirmandam rationem præcedentem. Quia ſicut eſſe eſt quid incompletum reſpectu graduum inferiorum, ita ſubſtantia corpus, & vivens ſunt quid incompletum reſpectu graduum ipſis inferiorum: ergo ſi materia ſub actu entitativo eſt in actu incompleta, & id circo capax, vt ex ipſa, & ex forma præſtante reliquos gradus fiat vnum per ſe, etiam materia ſub forma ſubſtantiali corporis, aut viventis erit in actu incompleto, ac ſubinde capax, vt ex ipſa cum his formis, & alia vlteriori reſultet vnum per ſe.

Vrgetur. Materia ſub forma corporeitatis non haberet eſſe completum: & tamen, nec forma adveniens illi eſſet ſubſtantialis, nec ex illa, & forma adveniente fieret vnum ens ſimpliciter: quia non ſupponeretur in pura potentia, ſed in actu: ergo etiam ſi materia ſub actu entitativo non haberet eſſe completum, tamen quia non ſupponeretur in pura potentia, ſed in actu, nec forma illi adveniens eſſet ſubſtantialis, nec ex illa, & forma ſuperveniēte fierit vnum ens ſimpliciter.

101 Denique. Repugnat, quod materia ſit ens in actu, & quod in ratione entis ſit incōple-

pleta; ſed ex duobus entibus in actu, quorum alterum in ratione entis eſt completum, nequit reſultare vnum ens per ſe: ergo ſi ex materia, & forma vnum ens per ſe reſultat, materia non eſt ens in actu. Prob. mai. Materia non eſt ens in actu, vt *quo*, ideſt per modum actus, quo ſubiectum aliquod à ſe diſtinctum conſtituitur actuale. ſed vt *quod*, & per modum ſubiecti habentis in ſe actum; ſed quod hoc modo eſt in actu, non poteſt eſſe incompletum in ratione entis: ergo. Prob. min. Illud eſt incompletum in ratione entis, cui, vt ſit ens, deeſt aliquid: qua ratione, in noſtra ſententia, materia eſt in completa in ratione entis; quia illi, vt ſit ens, deeſt actus, & forma eſt in completa in ratione entis, quia deficit illi, quod ſit ens, vt *quod*; propterea quod ex natura ſua eſt deſtinata, vt per eam materia habeat eſſe: at materiæ primæ, ſi eſt ens in actu, nihil deeſt, vt ſit ens; quia nec deficit actualitas, nec eſt id, quo, vel per quod illud ſubiectum eſt ens: ergo licèt in alijs rationibus, puta corporeæ viventis &c., poſsit eſſe incompleta, tamē in ratione entis eſſet cōpleta; ſed eo ipſo, quod in ratione entis ſit completa, reliqui gradus non ſunt ſubſtantiales, nec ad eos poteſt ordinari, vt cum eis componat vnum per ſe. ergo eo ipſo, quod ſit ens in actu, nec poteſt eſſe ſubſtantialis, forma ſuperveniens ad dandos reliquos gradus, nec ad illam poteſt ordinari, vt cum ea vnum per ſe poſsit componere.

102 Si dicas, materia prima eſt incompleta; quia licèt illi nihil deſit, vt ſit ens in actu; eſt tamen entitas ordinata ad conſtitutionē totius. *Contra*; Id, cui nihil deeſt, vt ſit ens actu, quia ſcilicèt in ſe eſt actus non vt quo, & receptus, ſed vt quod & per ſe ſubſiſtens, non ordinatur ad totius conſtitutionem: partes enim ordinantur ad conſtitutionem totius; quia extra illud non habent eſſe: ergo. 2. Nulla pars ordinatur ad compoſitionem totius, niſi media dependentia ab altera comparte; vnde id, quod altera comparte non indiget, non ordinatur ad componendum totum; hac enim ratione homo non ordinatur ad componendum hominem album, quia non indiget albedine, nec ab ea dependet in eſſe, & ſi ex natura ſua ordinaretur ad componendum hominem album, prius in executione penderet, vel reciperet ſuum eſſe ab albedine; ſed ſi materiæ primę nihil deeſt, vt ſit ens in actu, non dependet à forma ſubſtantiali: ergo non eſt entitas ordinata ad compoſitionē totius. Prob. min. hoc ipſo, quod per ſe ſit ens in actu, non eſt potentia receptiva formæ ſubſtantialis, vt ab ea accipiat ſuum

eſſe ſimpliciter, & ſubſtantiale, ſed vt ab ea accipiat eſſe ſecundum ſuperadditum, & accidentale: ergo non dependet ab ea; ſicuti à forma accidentali non dependet homo, quia ab ea non accipit eſſe primum, ſed ſecundum.

103 Ex dictis inferes, quod ſi materia eſt ens in actu per ſe ipſam, eius actualitas non conſiſtit in eo, quod ſit actualis capacitas, aut actualis potentia receptiva formarum: quia nullius entitatis eſſe poteſt conſiſtere in capacitate, aut potentia recipiendi actus ſibi accidentales, at actus omnis, quem poteſt recipere ens actuale, eſt illi accidentalis, cum ſit ei ſecundus, & ſupperadditus: ergo ſi materia eſt in actu per ſe ipſam, eius actualitas non conſiſtit in eo, quod ſit actualis capatitas, aut actualis potentia receptiva formarum.

104 Inferes 2. Quod ſi materia prima eſt ens in actu, omnis forma erit accidentalis, & nullus actus formalis erit ſubſtantialis, propter rationem ſæpe traditam: quia nimirum quilibet actus formalis eſt poſterior ſubiecto in ſuo eſſe conſtituto, & eſſe à qualibet forma proveniens eſt ili ſecundum, & ſuperadditum, non primum, & conſtituens, cuiuſmodi eſt eſſe ſubſtantiale.

105 Inferes 3. Quod ſi materia eſſet ens in actu, ad ſuum eſſe ſubſtantiale non indigeret forma; ac ſubinde non ordinaretur ad conſtitutionem compoſiti ſubſtantialis. *Nec poteſt* dici, quod dependeret à forma propter indigentiam illius ad operandum: *Nam*: eo ipſo, quod in eſſendo non dependeret à forma, nec dependeret ab illa ſaltim, vt à ratione formali in operando; nam operari ſequitur ad eſſe, & ex eo principio, ex quo res habent eſſe, habent quod poſſint operari: quare ſi materia eſſet ſibi ſufficiens principium eſſendi, eſſet etiam ſibi ſufficiens principium operandi. Dicamus ergo oportet cum Boetio lib. de Vnitate, & vno, & cum D. Thom. 1.p.q.42. artic. 2. ad 1. & alibi ſæpe; omne eſſe in rebus creatis eſſe à forma; ac per conſequens materiam primam nullum ex ſe ipſa habere eſſe, ſed ex ſe eſſe potentiam, aut capacitatem, vt per formam ſubſtantialem ſit entitas actualis.

§. II.

Dilvuntur obiectiones.

106 OBijcies 1. Materia prima, vt præſupponitur formæ, & vt eſt ſubiectum generationis, non eſt omnino nihil: quia ex nihilo nihil fit per generationem: ergo eſt entitas creata: ergo actualis; quia creatio non niſi ad entita-

titatem actualem terminatur.

Conf. 1. Materia prima, vt eſt ſubiectum generationis, eſt reale ſubiectum,& realis potentia paſsiva; ſed reale ſubiectum realiſque potētia inteligi nō poteſt ſinè entitate actuali: ergo.

Conf. 2. Actus entitativus eſt ille, quo res conſtituitur diſtincta à ſe ipſa in ſtatu poſsibilitatis; ſed ante formam intelligitur materia diſtincta à ſe ipſa, vt eſt in ſtatu poſsibilitatis, quia per ſe ipſam res quælibet diſtinguitur ab omni non ipſa:ergo ante formam habet actum entitativum.

Conf. 3. Materia prima ſecundum ſe non eſt nihil: ergo ſecundum ſe eſt id,quo formaliter excluditur nihil: ergo ſecundum ſe eſt aliquid verum ens. Prob. conſeq. Sicut opponuntur contradictoriè eſſe, & non eſſe, ita opponuntur contradictoriè ens, & non ens: ſed excluſio vnius contradictorij eſt formaliter alterum contradictorium: ergo materia prima ſecundum ſe eſt verum ens; atqui verum ens eſt ens in actu; ens enim in potentia non eſt verum ens, ſed poteſt eſſe nihil: ergo materia prima ſecundum ſe eſt ens in actu, non in actu formali: ergo in actu entitativo.

107 Reſp. quod vt ex Philoſopho refer D. Thom. 7. met. lect. 2. & 1. de Generat. lect. 1. & 1. Phyſici text. 66. hoc idem argumentum proponebant antiqui philoſophi, ad probandum non dari generationem ſubſtantialem diſtinctam ab alteratione, nec dari formam ſubſtantialem: quia per generationem nō fit aliquid ex nihilo: nam ex nihilo nihil fit, nec fit aliquid ex ente in actu: quia iam res eſſet, antequam per generationem fieret: ergo nihil poteſt generari. Cui argumento, ſi vera eſſet ſententia contraria, facilè occurrerēt Philoſophus, & D. Th. dicēdo: id quod generatur, fieri ex ente in actu, ſed incompleto, & receptivo formarum; at non ſic reſpondent, ſed dicunt, vt conſtat ex Div. Th. locis citatis, & præſertim lib. 12. met. text. 8. lect. 3. quod duplex eſt ens, ſcilicèt ens actu, & ens in potentia; omne igitur quod generatur, tranſmutatur ex ente in potentia in actum eius, ex quibus verbis patet, Philoſophum, & Div. Th. aſſerere materiam primam non eſſe nihil; non tamen fateri illam eſſe actu ens, ſed eſſe ens in potentia: agnoſcunt ergo medium inter nihil, & ens actu, ſcilicèt potentiam ad eſſe, ſivè ens in potentia.

108 Ex hac doctrina reſpond. ad arg. diſt. conſeq. ergo materia prima eſt entitas actualis per formam, concedo conſeq. per ſe ipſam, nego conſeq. Quia in hoc complexo, ſivè concreto *entitas actualis* in

invenitur ſubſtractum, & formi, nempe entitas, quę denominatur actualis, & actus, qui actualē denominat entitatem; primum habet materia ex ſe, quia ex ſe eſt entitas capax actualitatis; ſecundū vero habet à forma ſubſtantiali: quia cum forma ſit primus actus materiæ, à forma participat materia primam ſui actualitatem,

109 Si dicas: materia, & forma ſunt duæ entitates actuales: ergo ſunt duæ entitates cum duplici actualitate. Prob. conſeq. Nam multiplicato concreto ſubſtantiali, multiplicantur formæ; ſicut multiplicatis hominibus, multiplicantur animæ rationales. Secundo. Materia prima, vt adæquatè diſtincta à forma eſt entitas actualis: ergo non eſt entitas actualis per formam. Conſeq. patet: Quia concretum non diſtinguitur adæquatè à ſuis conſtitutivis; ſed entitas actualis eſt concretum, cuius alterum conſtitutivum eſt actualitas: ergo non diſtinguitur adęquatè à ſui actualitate: ergo, ſi materia, vt eſt entitas actualis, diſtinguitur adæquatè à forma: forma non eſt ipſius actualitas; ac ſubinde materia non eſt actualis per formam. Antec. vero prob. Materia prima, vt adæquatè diſtincta à forma eſt ſubiectum proximè receptivum formæ; ſed vt proximè receptiva formæ eſt entitas actualis: ergo vt adæquatè diſtincta à forma eſt entitas actualis.

100 Reſp. quod materia, & forma ſunt duæ entitates materialiter, non formaliter, ideſt; duo ſubiecta ſub vna tamen forma; ſicut humanitas Chriſti D. & ſuppoſitum divinum ſunt duę res ſubſiſtentes, vnica tamē ſubſiſtentia; & eſſentia, & exiſtentia ſunt duę res exiſtentes, vna tamē exiſtentia: & demum ſubſtantia, & quātitas ſunt duę res extenſę, ſed per vnam, & eadē quantitatem. *Nec obſtat*, quod entitas actualis ſit concretum ſubſtātiale: *Nam* concretū poteſt ſumi ſubſtantivè, & adiectivè; ſi ſumatur ſubſtantivè, multiplicato concreto debet multiplicari forma: ſi vero ſummatur adiectivè, vt multiplicetur concretum, ſufficit, quod ſubiecta multiplicētur; vt patet in hoc termino *omnipotens*, qui ſi ſummatur ſubſtantivè, non poteſt dici pluraliter de Deo at poteſt dici pluraliter, ſi ſummatur adiectivè pro eodē, ac habens omnipotentiam: cum ergo lŷ *entitas naturalis*, prout dicitur de materia, ſit nomen adiectivum ſignificans idem, ac habens actualitatem; fit conſequēs poſſe dici pluraliter de materia, & forma, ex hoc quod ſubiecta ſint diverſa, & ſi actualitas, quæ eſt forma illius concreti, ſit vna tantum.

Ad 2. replicam reſp. quod ly *prout entitas actualis* poteſt ſumi ſpecificativè pro ſubſtracto, quod ab actu denominatur

actuale,& poteſt ſumi reduplicative pro complexo ex entitate,& actualitate; ſi primo modo ſumatur materia,vt adæquate diſtincta forma, eſt entitas actualis,& eſt ſubiectum proxime receptivum formæ, cuius nullum conſtitutivum eſt actualitas;ſi vero ſecundo modo conſideretur,non diſtinguitur adæquate ab actu, ſed inadæquate, vt includens ab incluſo; & hoc modo non eſt præciſe ſubiectum proxime receptivum formæ, ſed ſubiectum, & forma ſimul ſumptæ.

111 Ad 1.conf. reſp. quod poteſt intelligi reale ſubiectum ſine entitate actuali, ita vt actualitas ſit intrinſecum ſubiecti realis conſtitutivum licet non poſsit intelligi, vt ſtatim dicemus,reale ſubiectum ſine entitate actuali, actualitate ingrediente connotative, vel per modum conditionis, vt materia ſit ſubiectum reale.

112 Ad 2.conf.qua aliqui ex noſtris Thomiſtis convincuntur. *Reſ.* eam ab eis debere ſolvi;quia æque militat contra diſtinctionem eſſentiæ ab exiſtentia, ſi proponatur eis ſub hac forma. Exiſtentia videtur eſſe id,quo eſſentia conſtituitur diſtincta à ſe ipſa, vt in ſtatu poſſibilitatis, ſed eſſentia per ſe diſtinguitur à ſe ipſa, vt in ſtatu poſsibilitatis:ergo ſe ipſa eſt exiſtentia. *Imo* argumentum non videtur militare directe contra noſtram concluſionem id, quo res conſtituitur extra ſtatum poſsibilitatis,non eſt actus entitativus eſſentiç,de quo in præſenti,ſed exiſtentiæ,de qua in artic.ſequenti erit diſputatio. Quia tamen actus entitativus eſſentiæ conſtituit rem,quæ erat poſsibilis in ratione eſſentiæ actualis id eſt in ratione eſſentiæ proxime capacis exiſtentiæ,qua complete redditur actualis, ideo ad argumentum quatenus militat contra potentialitatem materiæ ad actualitatem,in hoc ſenſu.

113 Reſp.2.Quod in ſtatu poſsibilitatis, ſive in potentia obiectiva reperitur ens in actu, & reperitur ens in potentia: actus ergo entitativus eſſentiæ eſt ille,quo ens in actu conſtituitur diſtinctum à ſe ipſo, vt erat in ſtatu poſsibilitatis; non ille, quo ens in potentia conſtituitur diſtinctum à ſe ipſo, vt erat in ſtatu poſsibilitatis; quare, licet materia ex ſe ante formam ſit diſtincta à ſe ipſa, vt erat in ſtatu poſsibilitatis, non ſequitur, quod ex ſe ante formam habeat actum entitativum.

114 Dices. Actus entitativus eſt ille, qui explet potentiam obiectivam;conſiſtit enim præciſe in eo quod id, quod erat poſsibile,non ſit iam pure poſsibile,ſed exercitum; at materia prima,eo ipſo, quod per ſe ſit diſtincta à ſe ipſa in ſtatu poſsibilitatis, per ſe ipſam explet po-

ten-

tentiam obiectivam, & per ſe ipſa n habet, quod iam non eſt pure poſsibilis, ſed exercita: ergo eo ipſo, quod ſit per ſe diſtincta à ſe ipſa, vt in ſtatu poſſibilitatis, habet actum entitativum.

115 Reſp. quod actus entitativus non eſt ille, qui explet potentiam obiectivam denominativè, ſed qui illam explet formaliter, explet denominativè ſubiectum, quod erat poſſibile, & modo eſt in actu; explet formaliter id, per quod ſubiectum, quod erat poſſibile, modo eſt in actu: vnde materia non habet ex ſe actum entitativum; quia licèt ſit ſubiectum, quod cum antea eſſet poſſibile, modo eſt in actu, non tamen per ſe ipſam, ſed per formam modo eſt in actu: deinde actus entitativus non eſt ſubiectum, quod antea erat poſſibile, & modo eſt exercitum; ſed id, per quod modo eſt exercitum ſubiectum, quod erat antea poſſibile; materia autem prima non eſt id, per quod ipſa ſuum eſſe exercitum habet, licèt ſit diſtincta per ſe ipſam à nihilo; quia vt per ſe ipſam ſit à nihilo diſtincta, ſufficit, quod per ſe ipſam ſit id, quod recipit actum eſſendi, vt autem per ſe ipſam haberet ſuum eſſe exercitum, neceſſum erat, vt per ſe ipſam, & non à forma haberet actum eſſendi.

116 Ad 3. conf. reſp. quod materia prima ex ſe non eſt nihil, ſed verum ens, cum quo ſtat quod ſit ens in potentia, & licèt ens in potentia tantum obiectiva poſsit eſſe nihil, ens in potentia ſubiectiva, qualis eſt materia prima, nihil eſſe non poteſt, ſed eſſentialiter eſt verum ens.

117 Obijcies 2. Materia prima ex ſe ipſa aſsimilatur Deo iuxta D. Thom. q. 3. de Verit. artic. 5. ad 1. ergo media aliqua actualitate. Nã, Deo, qui eſt actus purus aſsimilari nequit, quod nullam habet actualitatem.

Confirm. ex D. Thom. ibidem; materia prima eſt actu bona: ergo actu eſt ens. Prob. conſeq. Tum, quia bonitas eſt actualitas, & perfectio. Tum, quia bonitas eſt paſsio, ac ſubinde, quod actu eſt bonum, actu eſt ens.

Reſp. quod materia prima aſsimilatur Deo, non ratione ſui, ſed ratione formæ, nec eſt bona ratione ſui, ſed ratione formæ, & exiſtentiæ, cuius eſt capax: quo circa nec per ſe, ſed per formam, cuius eſt capax, eſt ens in actu: per quod patet ad confir.

118 Obijces 3. Ma- Materia prima, dum componit totum, actu diſtinguitur à forma; ergo habet ex ſe aliquẽ actum. Prob. conſeq. Nam actus eſt, qui diſtinguit. Reſpond. quod actus eſt qui diſtinguit, vel per modũ

for-

formæ vel per modū conditionis: materiam ergo diſtinguit actus per modum conditionis: quia ſicut actus eſt conditio, vt actu materia ſit illa entitas, quæ eſt ipſamet materia, & non forma, ita eſt conditio, vt actu materia ſit diſtincta à forma.

119 Obijcies 4. Actus potentiæ obiectivæ materiæ eſt entitas intrinſeca materiæ; ſed actus potentiæ obiectivæ eſt actus entitativus: ergo entitas intrinſeca materiæ eſt actus entitativus. Prob. mai. potentia obiectiva materiæ eſt poſſe materiā eſſe ſubiectum proximè ſuſceptivū omnis actualitatis provenientis à forma: ſed huius poſsibilitatis actus eſt entitas intrinſeca materiæ: ergo actus potentiæ obiectivæ materiæ, eſt entitas intrinſeca materiæ.

Confirmatur. Entitas intrinſeca materiæ præſcindendo à forma eſt poſsibilis; ſed actus huius poſsibilitatis eſt entitas intrinſeca materiæ præſcindendo à forma: ergo entitas intrinſeca materię pręſcindendo à forma eſt actus poſsibilitatis, ac per conſeq. potentiæ obiectivæ:

Confirmat. 2. Implicat, quod aliquid ſecundū ſe ſit tale, & quod non ſit ſecundū ſe tale in actu, vel in potentia; ſed materia prima ſecundū ſe, & nō per formā, eſt potentia realis, reale ſubiectū, entitaſque realis, & non eſt ſecundū ſe potentia realis in potentia, nec reale ſubiectum in potentia, nec entitas realis in potentia: ergo eſt ſecundū ſe, & non per formā realis potentia in actu, reale actualiter ſubiectum, entitaſque actu realis; quibus conſonat dictum Commentatoris tertio de Cœlo Cōment. 29. dicentis omnē potentialitatē in aliqua actualitate fundari: non ergo poteſt materia eſſe per ſe adeo pura potentia, vt actu non ſit ſaltim pura potentia.

120 Reſpond. quod actus potentiæ obiectivæ eſt quidquid erat poſsibile, & poſtea habet eſſe actuale, ſivè illud habeat à ſe, ſivè ratione alterius, cū ergo entitas intrinſeca materiæ ſit actu in rerū natura, licèt ratione formæ, ſit conſeq. quod ipſa ſit actus potentię obiectivæ, non tamē ideo eſt actus entitativus per ſe ipsā, ſed eſt in actu entitativo per formā; quia licèt per ſe id, quod ratione formæ eſt actu in rerū natura, non tamen eſt per ſe, ſed per formam actu in rerū natura, ſicut homo per ſe eſt id quod eſt album, non tamē eſt album per ſe, ſed per albedinem.

121 Ad conf. reſp. quod ſicut entitas intrinſeca materię præſcindēdo à forma, & per ſe ipſam eſt id, quod eſt in actu, non tamē eſt in actu, niſi per for-

formam, ita eſt id, quod poteſt eſſe in actu præſcindendo à forma, & per ſe ipſam; non tamen poteſt eſſe in actu, niſi per formam; vnde per ſe ipſam eſt poſſibilis pro materiali, non pro formali ſicut enim eſſe materiæ pro formali eſt ipſa forma, ita poſsibilitas materiæ eſt formæ poſsibilitas: eſt ergo entitas materię præſcindendo à forma, actus pro materiali poſsibilitatis materiæ, non pro formali. Cum vero dicimus, materiam præſcindendo à forma eſſe id, quod eſt in actu, intelligendum eſt pręſcindendo à forma, vt à conſtitutivo, non vt à conditione: quia licèt forma ita conſtituat materiam in actu, vt non conſtituat ipſam materiam, quæ eſt in actu; ipſa tamen materia, quæ eſt in actu non poteſt intelligi ſine forma, vt conditione; quia materia, quæ eſt in actu, eſt materia, quæ non eſt nihil, ſed aliquid reale, & nequit intelligi materia ens reale ſine forma, vt conditione; non enim poteſt intelligi materia ens reale, niſi intelligatur terminus creationis; nec intelligi poteſt terminus creationis, niſi ſit in actu per formam.

122 Ad 2. conf. reſp. quod materia prima per ſe ipsã eſt potentia in actu ly *potentia in actu* ſumpto pro materiali non pro formali, ideſt, per ſe ipſam eſt potentia, quæ eſt in actu, nõ tamen per ſe ipſam eſt potentia; & eſt in actu, ſicut Petrus eſſentialiter eſt hic homo exiſtens, ideſt, eſſentialiter eſt homo, qui exiſtit, non tamen eſt eſſentialiter hic homo, & eſſentialiter exiſtit; nec requiritur, quod quidquid eſt ex ſe potentia, ſit ex ſe potentia in potentia, vel in actu, ſed ſufficit, quod ex ſe ſit potentia ex ſe potens eſſe in actu per aliud, nempe per formam.

ARTIC. V.

Vtrum materia prima habeat propriam exiſtentiam?

123 Actus entitativus eſt actus potentiæ obiectivæ, quo ſcilicet res ponitur extra ſuas cauſas; ſed quia res ponitur extra cauſas per actualitatem eſſentiæ, quaſi cauſaliter; formaliter vero per exiſtentiam, dicitur actus entitativus, tum actualitas eſſentiæ, tũ ipſa exiſtentia. Carere ex ſe actu entitativo primi generis, hoc eſt actualitate eſſentiæ materiã primam, probavimus in ſuperiori art. in præſenti quæritur, vtrum propriam habeat exiſtentiam, an potius etiam exiſtentia, ac ſubinde omni prorſus actu careat entitativo.

124 Supponendum eſt 1. nomine exiſtentiæ intelligi actum, quo res ponitur extra cauſas: ponitur autem res extra cauſas, cum omnes cauſæ exerce-

tent iam ſua munera circa illã, ita vt nullius iam concurſus vltra deſideretur ad hoc, vt res ſit in rerum natura.

125 Supponendũ eſt 2. pro nunc: eſſentiam realiter diſtingui ab exiſtentia: quia licèt de hoc alias ſit maxima inter Philoſophos diſſenſio, vt tamen locus detur præſenti diſputationi, neceſſariũ eſt hanc hypotheſim præmittere; nam ſi res, quæ exiſtunt, identificarent ſecum ſuas exiſtentias, materia, quæ propriã habet entitatẽ ſeorſim à forma ſubſtantiali, propriã proculdubio haberet exiſtentiam diſtinctam ab exiſtẽtia formæ ſubſtantialis; quo circa omnes Auctores in hac conveniunt hypotheſi, vt ad præſentis diſp. arcàm deſcendant.

126 Affirmativæ ſententiæ adhærent omnes, qui eſſentiam identificari realiter cũ exiſtẽtia contendunt, hic ſunt omnes Scotiſtæ, & fere omnes ex ſchola Societatis, quorum aliqui putant; vix poſſe hanc ſententiã efficaciter probari, admiſſa diſtinctione reali inter eſſentiam, & exiſtentiam, alijs pluribus videtur identitas eſſentiæ cum exiſtentia adeo neceſſaria, vt independenter ab ea nequeat propria exiſtentia materiæ propugnari. Affirmativam ſententiam tenent omnes Thomiſtæ, cum quibus ſit.

§. I.

Vnica concluſio.

127 Materia prima non habet propriam exiſtẽtiam ſed exiſtit per exiſtentiam formæ ſubſtantialis. Eam clariſsimè tenent Ang. Mag. pluribus in locis; præſertim 1. p. quæſt. 7. art. 2. ad 3. ibi. *Materia prima non exiſtit in rerum natura per ſe ipſam, cum non ſit ens in actu, ſed potentia tantum*, & 1. 2. quæſt. 4. artic. 5. ad 2. *Idem eſt eſſe formæ, & materiæ, & hoc idem eſt eſſe compoſiti*: ergo materia non habet proprium eſſe, ſivè propriam exiſtentiam; & 4. contrag. cap. 81. ad 3. *Manifeſtum eſt enim, quod materiæ, & formæ vnum eſt eſſe, non enim materia habet eſſe in actu, niſi per formam*. Denique quæſt. 4. de potẽtia artic. 1. in corp. *Materia prima non poteſt in rerum natura exiſtere, quin aliqua forma formetur, quidquid enim in rerum natura invenitur, actu exiſtit, quod quidem non habet materia niſi per formam, quæ eſt actus eius: vnde non habet ſine forma in rerum natura inveniri.*

128 Nec dicas 1. Div. Th. non eſſe intelligendum de eſſe entitativo, ſed de cõplexivo; dum eſſe, ſivè exiſtentiam formæ appellat eſſe compoſiti: nam ſolum vult, exiſtentiam formæ determinare exiſten-

tiam materiæ ad hoc,vt ſit exiſtentia hominis,vel equi.

129 Contra 1. Nam materiam per ſe exiſtentem determinari ad ſpeciem compoſiti per formam,non eſt, materiã exiſtere per exiſtentiam formæ, ſed intelligi D.Th. de actu completivo,dum dicit materiã exiſtere per formam,eſt dicere,materiã ex Div. Th. determinari ad ſpeciem compoſiti per formã: ergo D. Th. dicens materiam exiſtere per formam, non poteſt niſi violenter intelligi de actu completivo.

130 2.D.Th.loco cit. probat, in anima ſeparata manere, nedũ eſſe partiale, ſed perfectum, hoc diſcurſu: idem eſt eſſe formæ, & eſſe compoſiti; ſed in anima ſeparata manet eius eſſe, vtpote eſſe ſubſiſtens; ergo manet eſſe perfectum: at diſcurſus iſte nihil concluderet, ſi exiſtentia formæ non eſſet actus, nedum completivus, ſed totalis, & entitativus compoſiti: ergo, dum Div. Th. exiſtentiam formæ appellat exiſtentiã materiæ, & compoſiti, loquitur de actu, nedũ completivo, ſed entitativo; ac ſubinde materia ex Div.Th. nedũ determinatur, vt ſit materia illius compoſiti, ſed exiſtit in rerum natura per exiſtentiam formæ talis compoſiti. Min.prob.Actus cõpletivus compoſiti non eſt eſſe perfectum, ſed partiale, & incompletum: ergo ex quo permaneret in anima actus cõpletivus cõpoſiti, male inferret D. Th. permanere in ea eſſe perfectum.

131 Nec iterum dicas: D. Th. dum dicit, materiam non exiſtere in rebus per ſe ipſam, ſed per formam, ſolũ negare, quod materia per ſe ipsã exiſtat in actu cõpleto, nõ quod exiſtat per ſe ipſam in actu incompleto, & entitativo.

132 Nam contra eſt 1. Non exiſtere in actu cõpleto, ſed in incõpleto non eſt propriũ materiæ, ſed commune formæ, & materiæ, quarum vna ab altera mutuo pendent, vt in actu completo poſsint exiſtere; & tamen apud D. Th. forma exiſtit per ſe ipſam, & non per materiam: ergo in Div. Th. exiſtere materiam per formam, & non per ſe ipſam,non ſolum eſt materiam non exiſtere per ſe ipſam in actu completo, ſed eſt illam nullo modo exiſtere per ſe ipſam.

133 2. Quia q. 4. cit. de potentia probat, materiã non poſſe exiſtere in rerũ natura ſine forma; quia exiſtit per formã, non quia præciſſe exiſtit per formam in actu completo: ergo quia niſi per formã,nec complete exiſtit, nec incomplete.Prob.min.1.Quia forma non exiſtit in actu cõpleto ſine materia; & tamen non exinde probatur formam ſine materia non poſſe exiſtere. 2. Quia non habe

bet apparentiam hæc conſeq. Materia exiſtit per formam in actu completo: ergo ſine forma non poteſt exiſtere incomplete: ergo non quia præciſe materia exiſtit per formam in actu completo, probat D. Th. eam non poſſe exiſtere ſine forma. 3. Quia rationem, qua probat materiam exiſtere non poſſe ſine forma, proponit D. Tho. in hunc modum: quidquid invenitur in rerum natura, actu exiſtit: ſed hoc habet materia per formam: ergo ſine forma nequit exiſtere: at in maiori non loquitur de exiſtentia in actu completo, ſed de exiſtentia entitativa: ergo in minori non loquitur de exiſtentia in actu completo, ſed de exiſtentia abſoluta, vel entitativa. Patet conſeq. Tum, quia relativum illud poſitum in minori manifeſte indicat, ſermonem eſſe in minori de exiſtentia, de qua locutus eſt S. D. in maiori. Tum, quia, ſi in maiori loqueretur de exiſtentia abſoluta, & entitativa, & in minori de exiſtentia in actu completo, aperte committeretur æquivocatio, & nihil concluderet argumentum, vt patet ex hac forma arguendi: quidquid invenitur in rerum natura, actu exiſtit exiſtentia entitativa; ſed materia exiſtit per formam exiſtentia non entitativa, ſed completa: ergo materia ſine forma nequit exiſtere entitative: ergo dum Div. Thom. dicit, materiam exiſtere per formam, vult eam exiſtere nedum complete, ſed entitative per formam.

134. Rationes noſtræ aſſertionis petendæ ſunt ex dictis præcedenti art. quas breviter proponemus in præſenti. Sit prima, eaque potiſsima. Si materia prima haberet propriam exiſtentiam, materia, & forma eſſent duo entia in actu; ſed materia, & forma non ſunt duo entia in actu: ergo materia prima non habet propriam exiſtentiam. Mai. eſt certa: nam quidquid per ſe ipſum exiſtit, eſt ens in actu; ſed ſi materia haberet propriam exiſtentiam, materia per ſe exiſteret, & forma exiſteret per ſe ipſam: ergo materia, & forma eſſent duo entia in actu. Min. vero prob. Ex duobus entibus in actu non fit vnum ens per ſe: ergo materia, & forma non ſunt duo entia in actu.

135 Reſp. contrarij ex duobus entibus in actu completo non poſſe fieri vnum per ſe: ex materia vero, & forma exiſtentibus proprijs exiſtentijs vnum per ſe fieri, quia ſunt entia in actu incompleto, quippe quælibet earum exiſtit exiſtentia partiali, & per ſe ordinata, vt ex ea ſimul cum altera vna totalis compoſiti reſultet exiſtentia.

126 Pluribus hanc ſo-

lutionem expugnavimus articul. præcedenti, vlterius ea vrgemus, ſolutionemque reijcimus 1. quia ſi materia exiſteret per exiſtentiam propriam, eſſet ens completum: ſed ex duobus quorum vtrumque, vel alterum eſt ens completum, non poteſt fieri vnum per ſe: ergo ſi ex materia, & forma fit vnum per ſe, materia non habet propriam exiſtentiam. Maior probatur: res quælibet completur entitative per ſuam exiſtentiam: ergo, ſi materia haberet propriam exiſtentiam, eſſet ens completum. Anteced. probatur: Res quælibet completur per vltimum actum, ad quem erat in potentia; ſed exiſtentia eſt vltimus actus entitativus, ad quem res quælibet erat in potentia: ergo res quælibet completur per ſuam exiſtentiam. Prob. min. Actus entitativus eſt id, quo res actu eſt ens, vel id, quo res eſt ens actuale, ſed ſola exiſtentia eſt huiuſmodi: ergo.

137 Confirm. res quælibet eo modo exiſtit, quo producitur; ſed ſi materia habet propriam exiſtentiam hoc ipſo ſeorſim à quolibet alio producitur complete: ergo ſi habet propriam exiſtentiam, per ſe ipſam exiſtit complete. Prob. min. Illa productio eſt ſubſtantialiter completa, quæ vt abſolute exiſtat effectus in rerum natura, nihil deſiderat producendum; ſed ſi materia prima habet propriam exiſtentiam, productio ipſius, vt ea abſolute exiſtat in rerum natura, nil deſiderat producendum: ergo. Prob. mai. Ideo productio compoſiti intelligitur ſubſtantialiter completa pro priori ad productionem proprietatum; quia licet proprietates ſint neceſſariæ ad conſervationem, vel operationes compoſiti, eas tamen ad primam compoſiti exiſtentiam non deſiderat; exiſtit quippe compoſitum pro priori ad proprietates: ergo illa productio eſt ſubſtantialiter completa, quæ vt abſolute exiſtat effectus, nihil vltra expectat producendum.

138 Si dicas ſicut forma exiſtit per ſe ipſam, & tamen eſt ens incompletum, quia ordinatur ad conſtituendum totum, ita licet materia exiſtat per ſe ipſam non eſt ens completum; quia ex natura ſua ad compoſitionem totius ordinatur, *Contra*. Ideo forma, licet per ſe exiſtat, eſt ens incompletum, & ad totius compoſitionem ordinatur; quia cum ſit actus materiæ, non exiſtit, vt *quod*, ſed vt *quo*: non tam habet exiſtentiam ſibi, & in ſe, quam eſt ratio vt alterum exiſtat; at materia, cum ſit primum ſubiectum in nullo receptum, ſed potius omnibus ſubſtans, ſi propriam haberet exiſtentiam, non exiſte-

ret

ret vt *quo*, ſed vt *quod*, nec exiſteret, vt eſſet alteri, ſcilicet, formæ ratio exiſtendi, ſed exiſteret ſibi: eſſet ergo materia, ſi per ſe exiſteret, ens completum, licet forma, quæ per ſe exiſtit, ens partiale ſit, & incompletum; exiſientia enim, ex qua probamus, rem aliquam eſſe completam eſt exiſtentiá, qua res illa exiſtit, vt *quod*, quo pacto exiſteret materia, ſi per ſe exiſteret.

139 Deinde forma, licet per ſe exiſtat, poteſt ordinari ad compoſitum, quia cum ſit actus receptus, & dans eſſe, non poteſt ſe ſola ens completum conſtituere, ſed indiget præter ſe ipſam materia, in qua poſsit recipi, at materia ſi exiſteret per ſe ipſam, eſſet ſubiectum habens eſſe, & non indigens forma præter ipſamet materiam: ergo non ordinaretur ad compoſiti conſtitutionem, ſed per ſe ipſam eſſet ens completum.

140 Quo circa bene notavit Div. Thom. opuſc. 15. cap. 7. *Quod vbi ponitur materia ens actu, nihil differt dicere materiam, & ſubſtantiam rei, ſic enim antiqui naturales, qui ponebant, materiam primam ens actu dicebant materiam omnium rerum ſubſtantiam.* Approbat enim S. D. his verbis conſequentiam veterum Philoſophorum, qui ex quo materia eſt ens in actu, inferebant, ipſam per ſe ſolam eſſe omnium rerum ſubſtantiam formaſque eidem advenientes eſſe omnino accidentales: ergo idem eſt dicere, materiam per ſe exiſtere, eo modo, quo antiqui ponebant illam exiſtere, & dicere, eam eſſe ens ſubſtantialiter completum, cui proinde nulla forma ſubſtantialis poteſt advenire, nec compoſiti ſubſtantialis competere conſtitutio; At antiqui naturales ponebant, materiam exiſtere entitative, non vero exiſtere complete in ſpecie equi, vel leonis: quia in his ſpeciebus, quæ apud ipſos erant accidentales, fatebantur, exiſtere materiam per formas pariter accidentales equi, vel leonis: ergo ex hoc præciſe, quod materia per ſe ipſam exiſtat entitative, ſequitur, ipſam eſſe ens completum, & ad nullius compoſiti ſubſtantialis compoſitionem poſſe ordinari.

141 2. Impugnatur principalis ſolutio. Ex materia, & forma reſultat vnum per ſe exiſtens, ſive vnum per ſe in ratione exiſtentis; ſed ex materia, & forma exiſtentibus proprijs, & partialibus exiſtentijs nequit reſultare vnum per ſe exiſtens: ergo materia, & forma non habent proprias, & partiales exiſtentias: ergo exiſtit materia per exiſtentiam formæ. Probo minorem: ex duabus exiſtentijs non poteſt fieri vna per ſe totalis exiſtentia:

ergo ex materia, & forma exiſtentibus proprijs, & partialibus exiſtētijs nequit reſultare vnum per ſe in ratione exiſtentis. Antec. prob. 1. Quia ex pluribus non poteſt fieri per ſe vnum, niſi ea comparentur, vt actus, & potentia: quo circa, nec coniunctum ex pluribus materijs, nec coniunctum ex pluribus formis poteſt dici vnum per ſe; ſed exiſtentiæ non poſſunt comparari, vt actus, & potentia: quia nec exiſtentia, nec res ſemel exiſtens manet in potentia ad abſolute exiſtendum: ergo ex duabus exiſtentijs nequit fieri vna per ſe totalis exiſtentia.

142 2. Et præcluditur reſponſio, qua poſſet occurri huic rationi. Licet Verbum Divinum ita vniatur humanitati, vt ex eis reſultet vna perſona; tamen ex intellectu divino Verbi, & ex intellectu creato humanitatis non reſultat vnus totalis intellectus, nec ex Verbo, vt intellectivo proprio intellectu, & ex humanitate, vt intellectiva proprio intellectu reſultat aliquid intellectivum per ſe vnum, ſed vnum ratione ſubiecti per accidens, & per idiomatum communicationem; non alia ratione, niſi quia licet Verbum, & humanitas comparentur quaſi potentia, & actus, vel per modum perfectibilis ad perfectionem dantem illi propriam denominationem: ipſi tamen intellectus nullum inter ſe ordinem habent potentiæ, & actus, aut naturæ, & complementi, ſed exiſtentia materiæ, & exiſtentia formæ nec comparantur per modum potentiæ, & actus, nec per modum naturæ, & complementi, exiſtentia quippe materiæ non exiſtit per exiſtentiam formæ: ergo licet ex materia, & forma poſſet fieri vnum per ſe, quia comparantur, vt potentię, & actus; ex earum tamen exiſtentijs vna per ſe totalis exiſtentia minime poſſet reſultare.

143 3. Ea, quæ ſunt realiter diſtincta, non poſſunt per ſe eſſe vnum, niſi conveniant in aliquo eis communi, quod ſit vnum per identitatem: ergo ex materia, & forma non poteſt fieri vnum per ſe exiſtens, ſive in ratione exiſtendi, niſi conveniant in aliqua exiſtentia eis communi, quæ ſit vna per identitatem: Antec. prob. *Tum*, quia plura ſunt vnum, quatenus participant aliquid omnibus eis commune; ſed ſolum id, quod eſt vnum per identitatem, eſt omnibus commune: quia vbi non eſt vnum per identatem, ibi nihil eſt omnibus commune, ſed omnia ſunt ſingulis propria: ergo quæ ſunt realiter diſtincta non poſſunt fieri vnū per ſe, niſi conveniant in aliquo eis communi, quod ſit vnum per identitatem.

Tum

Tum, quia ita apparet in omnibus, quæ ex reali diſtinctione inter ſe, obtinent vnitatem in aliqua ratione; verbum enim, & humanitas dicuntur vnum: quia cõveniunt in perſona divina illis communi; imò in his, quę per accidens ſecundum rationem, & extrinſece ſunt vnum, hoc ipſum apparet; contingit enim, muſicã, & medicinam eſſe vnum: quia ſubiectum vtriuſque artis eſt idem, ea præterea ſunt vnum ſecundũ rationem, quorum ratio, ſive cognitio eſt vna: ea tandem ſunt vnum ſecundum locum, ſecundum tempus, ſecundum continuationem, quorum locus, tempus, & continuativum eſt eis commune: ergo ex materia, & forma nequit fieri vnum per ſe exiſtens, niſi exiſtant per exiſtentiam vnam per identitatem, illiſque communem.

144 Ex quibus exemplis roboratur præcedens diſcurſus. Ea quæ ſunt vnum per accidens, conveniunt in vno ſubiecto communi; vt muſica, & medicina habent nonnunquam vnitatem per accidens; quia adunantur in ſubiecto eodem; ea vero, quæ ſunt vnum per ſe conveniunt in forma illis communi, vt materia, & forma in compoſito ſubſtantiali; ſed exiſtentia materiæ, & exiſtentia formæ non conveniunt in ſubiecto illis communi: materia quippe, & forma ſunt propria, & diſtincta ſingularum ſubiecta, nec conveniunt in forma, hoc eſt, in exiſtentia, quæ ſit vtrique communis: ergo ex exiſtentijs materiæ, & formæ non poteſt reſultare exiſtentia totalis, quæ ſit vna per ſe; imo nec exiſtentia totalis, quæ per accidens ſit vna. Cætera patent, & min. quoad ſecundam partem probat. Quia exiſtentia per nullam aliam exiſtentiam poteſt reddi exiſtens: nam quod eſt iam productum, & extra cauſas poſitum, ſi vt ex potentia obiectiva extractum, fieri non poteſt, vt adhuc producatur; ponatur extra cauſas, & à potentia obiectiva amplius extrahatur: ergo exiſtentijs materiæ, & formæ nulla eſt poſsibilis exiſtentia, in qua conveniant.

145 3. Prob. concl. Si materia exiſteret per ſe ipſam, ſequeretur, quod ſubiectum formæ ſubſtantialis non eſſet primum ſubiectum; conſeq. eſt falſum: ergo, & illud, ex quo ſequitur. Prob. ſequela. Subiectum formæ ſubſtantialis eſſet compoſitum ex materia, & forma, vt ex ſubiecto recipiente, & actu informante: ergo non eſſet primum ſubiectum. Prob. conſeq. Ideo ſubiectum formæ accidentalis, ſcilicet totum ſubſtantiale, non eſt primum ſubiectum; quia componitur ex materia, & forma, vt ex ſubiecto recipiente, & actu informante: ergo pari ratione ſubiectum formæ ſubſtantialis non eſſet primum ſubiectum.

Conf. Si materia haberet propriam exiſtentiam, ſequeretur, quod forma ſubſtantialis non eſſet actus primus materiæ primæ: conſeq. eſt falſum: ergo. Prob. ſequelam. Actus ſupponens in materia alium priorem non eſt primus, ſed ſi materia prima haberet propriam exiſtentiam, forma ſubſtantialis ſupponeret in materia actum priorem: ergo ipſa non eſſet actus primus.

146 Denique prob. concluſ. Si materia prima haberet propriam exiſtentiam, illam haberet pro priori ad formam ſubſtantialem: conſeq. eſt falſum: ergo non habet propriam exiſtentiam. Min. prob. Exiſtentia eſt vltima actualitas materiæ: ſed pro priori ad formam, non habet materia vltimam actualitatem: ergo pro priori ad formam non habet propriam exiſtentiam. Prob. mai. vltima actualitas eſt vltimus terminus productionis rei; ſed exiſtentia eſt vltimus terminus productionis materiæ; ergo exiſtentia eſt vltima actualitas materiæ. Probat. min. Poſita re ſub exiſtentia, nihil reſtat producendum circa rem ipſam quoad intrinſeca ipſius, ſed tantum quoad accidentia: ergo exiſtentia eſt vltimus terminus productionis rei, id eſt, productionis, vt ad rem ipſam quoad intrinſeca rei terminatur.

147 Dices exiſtentiam non eſſe vltimam rei actualitatem: quia poſt illam ſequitur ſubſiſtentia. *Contra* 1. Quia ſatis probabile eſt, ſubſiſtentiam non diſtingui ab exiſtentia per ſe, in naturis ſubſtantialibus: quare, ſi ſubſiſtentia eſt vltima actualitas, erit quoque exiſtentia in naturis ſubſtantialibus vltima actualitas. 2. Quia inter eos, qui materiæ primæ concedunt propriam exiſtentiam, communiter aſſeritur, eam quoque gaudere propria ſubſiſtentia: ergo ſi ſubſiſtentia eſt vltima actualitas, materia pro priori ad formam habebit vltiman actualitatem: patet conſeq. materia pro priori ad formam habet ſubſiſtentiam: nam ſi exiſtit pro priori ad formam, quia habet propriam exiſtentiam, etiam ſubſiſtit pro priori ad formam, cum habeat propriam ſubſiſtentiam: ergo ſi ſubſiſtentia eſt vltima actualitas, habet materia pro priori ad formam vltimam actualitatem.

148 Dices iterum, exiſtentiam eſſe vltimam actualitatem entitativam materiæ, id eſt actum vltimo requiſitum, vt ſit ens quo non obſtante manet in potentia ad actualitatem formalem, qua non conſtituitur ens, ſed in hac, vel illa ſpecie entis ſubſtantialis.

149 Contra 1. Materia prima poſt vltimam actualitatem entitativam, ſolum eſt in potentia ad formas accidentales: ergo

go propriori ad formam ſubſtantialem nequit habere vltimam actualitatem entitativam. Ant.prob. Id, quod eſt ſub vltima actualitate entitativa, eſt entitative completum; ſiquidem nihil illi deeſt, vt omnino ſit entitative; ſed quod eſt entitative completum ſolum eſt in potentia ad formas accidentales: ergo. Prob. min. Quidquid advenit enti completo, non eſt ſubſtantia, ſed accidens; ſed id, quod eſt entitative completum, eſt ens completum, quia ens completum nihil eſt aliud, quam res completa in ratione entis; res autem completa in ratione entis, eſt res completa in eſſendo; eſſe quippe eſt ratio entis: ergo.

150 *Conf.* Quia ſi ens completum non eſt, quod habet actum entitativum exiſtentiæ, ſed poteſt ſubſtantialiter compleri per formam advenientem res ſub actu exiſtentiæ conſtituta; eadem ratione poſſet dici, materiam informatam forma equi non eſſe completam, ſed poſſe vlterius compleri per quātitatem, vel per primas qualitates; nec eſſet ratio, cur forma equi potius quam reliquæ ſupervenientes, eſſet dicenda ſubſtantialis, vel cur ſupervenientes, potius quam forma equi eſſent dicendæ accidentales: nam regula hucuſque à Philoſophis aſsignata eſt ea, quæ docet, formam ſubſtantialem eſſe illam, quæ primo conſtituit rem; accidentalem vero, quæ advenit rei conſtitutæ: quod ſi nomine rei in actu conſtitutæ intelligi quis vellit aliud quidpiam, præter hoc, quod eſt, rem habere ſuum eſſe exiſtens in rerum natura, reſtat videre, quid illud ſit: nam ſi dicas, nomine rei in ſuo eſſe conſtitutæ debere intelligi, quod ſit res in ſuo eſſe completo conſtituta, inquiritur, quid ſit, rem habere eſſe completum, ſi non eſt habere propriam eſſentiam in rerum natura exiſtentem, & ſubſiſtentem? Si reſpondeas rem eſſe completam, cum non ordinatur ad aliud componēdum; rurſus inquirimus, ſi non obſtat rem habere ſuum eſſe exiſtens, & ſubſiſtens, vt ordinetur ad aliud componendum, cur non ordinatur ad aliud componendum, compoſitum ſubſtantiale: cur homo v. g. non ordinabitur ad hoc concretum *ſanum*, vel *operans*: cur etiam elementa, quæ veteres Philoſophi aſſerebant eſſe ſimplicia, & dicebant eſſe entia in actu, non poſſent ordinari ad mixti compoſitionem: ergo tandem dicendum eſt, illud ens eſſe completum, & incapax, vt compoſitum ſubſtantiale conſtituat, quod ſemel habet eſſentiam propriam completam per propriam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam: ergo ſi materia eſſet huiuſmodi, eſſet ens completum,

ad aliud componendum ordinari non poſſet, & illi ſolum formæ accidentales poſſunt advenire.

151 4. Prob. concluſ. Materia prima ex ſe non habet actualitatem eſſentiæ: ergo per ſe ipſam non habet exiſtentiam. Antec. probatum eſt art. præcedenti, & conſeq. patet, quia actualitas eſſentiæ eſt actus primus, ad quem per modum actus ſecundi comparatur exiſtentia: ergo ſi materia ex ſe caret eſſentiæ actualitate, nequit per ſe habere exiſtentiam. Antec. patet. Nam exiſtentia eſt veluti exercitium eſſendi, ſive eſſentiæ: ergo actus, quo eſſentia in propria linea conſtituitur, eſt prior, & ad illam exiſtentia per modum actus ſecundi comparatur. Conſeq. vero prob. Quia repugnat materiam habere per ſe, & independenter à forma actum ſecundum, & illam ſpectatam in ſe, & independenter à forma carere actu primo, ſicut repugnat rem aliquam habere per ſe, & independenter ab alio operationem, quæ eſt actus ſecundus, & carere virtute operativa, quæ eſt actus primus: ergo.

152 Denique prob. concluſ. Admiſſa diſtinctione eſſentiæ ab exiſtentia, ruunt fundamenta, quibus nititur ſententia negans materiam exiſtere per exiſtentiam formæ: ergo admiſſa prædicta diſtinctione tenendum eſt, materiā exiſtere per exiſtentiam formę. Ant. prob. fundamēta ſententiæ adverſæ ſunt: quia materia, vt diſtincta ab exiſtentia formæ eſt diſtincta à nihilo, ac per conſ. exiſtens, & quod materia eſt cauſa exiſtentiæ formæ, ac ſubinde propriori ad illam ſupponitur exiſtens: ſed ſuppoſita diſtinctione inter eſſentiam, & exiſtentia, hæc fundamenta nullam vim habent: ergo. Prob. min. Eſsētia ut diſtincta à ſua exiſtentia, eſt diſtincta à nihilo, & tamen nō per ſe ipſam, ſed per exiſtentiam à qua diſtinguitur, exiſtit: ergo etſi materia, vt diſtincta ab exiſtentia formæ diſtinguatur à nihilo, poterit exiſtere per exiſtentiam formæ: ruit ergo primum fundamentum. Deinde eſſentia eſt ſubiectum, & cauſa materialis ſuæ exiſtentiæ, & tamen non ſupponitur pro aliquo priori exiſtens ante exiſtentiam ſuam: ergo ex quo materia ſit cauſa materialis exiſtentiæ formæ, non ſequitur; quod in aliquo priori debeat ſupponi exiſtens ante illam: nullam ergo vim habet poſterius fundamentum.

153 Dices, exiſtentiam materiæ non recipi in eſſentia illius tanquam in cauſa materiali, ſed creari per eandem actionem per quam creatur eſſentia, & ideo neutra reſpectu alterius eſt prior aut poſterior, ſed ſe invicem comitantur.

154 Contra 1. Quia licet exiſtentia non vniatur eſſentiæ, vt cauſæ materiali, ex qua fit, vnitur

tur ei, vt cauſæ materiali; in qua recipitur, vnitur quippe illi, vt ſubiecto à quo dependet in eſſendo: & tamen eſſentia non ſupponitur exiſtens pro aliquo priori ad exiſtentiam: ergo nec materia debet ſupponi exiſtens pro aliquo priori ad exiſtentiam formæ, etiam ſi ſit cauſa materialis exiſtentiæ formæ.

155 2. Creatio, cum ſit actio formaliter tranſiens iuxta adverſarios, recipitur in eſſentia, vt in cauſa materiali; eſt quippe accidens dependens in eſſe à materia, vt à ſubiecto, & tamen eſſentia non præſupponitur exiſtens pro aliquo priori ante ipſam creationem: ergo etiam ſi exiſtentia formæ recipiatur in materia, vt in cauſa materiali, non ſequitur, quod debeat exiſtere materia pro priori ad exiſtentiam formæ.

156 3. Eſto, eſſentia non cauſet materialiter exiſtentiam, eſt tamen ſubiectum informationis, à quo naturaliter dependet exiſtentia, & tamen non ſupponitur exiſtens eſſentia ante exiſtentiam: ergo nec materia, eſto, cauſet exiſtentiam formæ, debet ſupponi exiſtens ante ipſam. Prob. conſeq. Quia ſicut cauſa materialis pro priori ad cauſalitatem eſt potens proxime cauſare, ita ſubiectum informationis pro priori ad informationem eſt potens proxime informare: ergo ſi ſubiectum pro priori ad informationem non debet ſupponi exiſtens, nec materia pro priori ad cauſalitatem materialem ſupponi debet exiſtens. Prob. conſ. ideo materia deberet ſupponi exiſtens, quia pro illo priori eſt potens proxime cauſare, & poſſe proxime cauſare ſolum poteſt convenire materiæ, vt exiſtenti; at ſi poſſe proxime informari poteſt convenire eſſentię præſcindendo ab exiſtentia nulla eſt ratio ad hoc, vt poſſe proxime materialiter cauſare non poſſit convenire materiæ præſcindendo ab exiſtentia: ergo ſi ſubiectū pro priori ad informationem non debet ſupponi exiſtens, nec cauſa materialis pro priori ad cauſalitatem materialem ſupponi debet exiſtens.

§. III.

Solvitur obiectio principalis.

157 Obijcies 1. Præcipuum contrariæ ſententiæ fundamentum. Materia prima ſupponitur exiſtens ante formam: ergo non exiſtit per exiſtentiam formæ. Prob. antec. Materia prima cauſat materialiter formam: ergo ſupponitur exiſtens ante formam: prob. conſeq. Omnis cauſa ſupponitur exiſtens ante effectum ſuum: ergo, ſi materia eſt cauſa formæ, ſupponitur exiſtens ante formam. Prob. antec. Omnis cauſa pro priori ad effectum præcedit potens tunc proxime ad ipſum, potius quam antea: ergo exiſtens: nam

cau-

cauſa præſcindens ab exiſtentia non eſt nunc potens proxime ad effectum potius quam antea.

158 *Conf.* cauſæ pro priori proximo, & immediato ad effectum debetur concurſus Dei ad illum; ſed concurſus Dei ſolum debetur cauſæ exiſtenti, non cauſæ pure poſsibili, aut etiam ab exiſtentia præſcindenti: ergo cauſa pro priori proximo, & immediato ad effectum ſupponitur exiſtens.

159 *Inſtatur totum* argumento in eſſentia, quæ pro nunc ſupponitur diſtincta ab exiſtentia; eſſentia enim pro aliquo priori eſt ſuſceptiva exiſtentię, quin pro priori ad exiſtentiam ſit exiſtens: pariter ergo dicemus materiam pro aliquo priori ſupponi ſuſceptivam exiſtentiæ, quin propterea exiſtens ante exiſtentiam debeat ſupponi. In hunc modum omnia fere argumenta contra noſtram ſententiam ſubijcienda, inſtantiam pati, facile perſpicies, eaque debere ſolvi a contrarijs, ſi admittant, eſſentiam realiter diſtingui debere ab exiſtentia.

150 Deinde reſp. quod omnis cauſa, ſi ſit efficiens, præſupponitur exiſtens; at non omnis cauſa materialis requiritur, quod ſupponatur exiſtens, ſed ſufficit, quod in inſtanti, in quo cauſat, ſit exiſtens; cuius ratio eſt, quia cauſa efficiens dat eſſe effectui, quare ex ſe, & non ab effectu debet habere exiſtentiam, aliqua vero cauſa materialis recipit eſſe ab effectu; quare non debet per ſe ipſam ante effectum exiſtere, ſed ſupponitur potius in potentia ad illud recipiendum.

161 Et cum vrgetur, materia pro priori ad formam eſt potens proxime recipere, potius quam antea: ergo exiſtit.

Negant plures ex noſtris conſeq. quia vt materia ſit proxime potens nunc potius quam antea, ſufficit quod habeat actualitatem eſſentiæ convenientem ſibi, prout ſubijcitur agenti, per quam, ſcilicet, neque eſt nihil, nec eſt exiſtens, ſed eſt incomplete extra cauſas, hoc eſt extra cauſam efficientem, non extra cauſam formalem, ſed in via, & tendentia ad exiſtentiam per receptionem cauſæ formalis acquirendæ: quia licet inter eſſe omnino intra cauſas, vel eſſe extra omnes cauſas in re non ſit medium, cæterum datur fundamentum, vt præciſsive conſideremus, quid pro illo priori habeat materia ex vi efficientis, & quid nondum habeat ex vi cauſalitatis cauſæ formalis.

162 Probabiliſsima ſolutio; ingerit tamen non contemnendam difficultatem 1. quod ægre percipitur, quid ſit ſtatus ille vialis, ſub quo materia conſi:

ſideratur pro priori ad exiſtentiam: nam ſi materia pro illo priori vere tendit ad acquirendum exiſtentiam: ergo hoc, quod eſt, materiam tendere ad exiſtentiam, vere exiſtit in rerum natura: nam ſicut Petrum currere eſt curſum Petri exiſtere, ita materiam tendere eſt tendentiam materiæ vere exiſtere: tunc ſic: ergo materia pro illo priori iam exiſtit. Patet conſeq. Quia implicat, materiam pro illo priori exerceri exercitio exiſtenti, & eam non exiſtere.

163 2. Status ille vialis, vel eſt actus ſuperadditus materiæ, vel eſt ipſamet materia, vt ſubijcitur agenti, primum eſt falſum. *Tum*, quia materia reciperet aliquem actum ante formam, ac ſubinde forma non eſſet primus actus: *Tum*, quia redit iterum difficultas; materia non poteſt hunc actum recipere, quin illum cauſet materialiter: ergo nec quin propriori naturæ ſit potens illum recipere nunc, potius quam cum ipſa erat intra cauſas: ergo non poteſt illum recipere, quin pro priori intelligatur à nihilo diſcerni, ac per conſeq. eſſet aliquo modo in actu. Si dicatur ſecundum: ergo quemadmodum materia ſe ipſa per ſolam ſubiectionem ad cauſam efficientem tranſit de potentia obiecta ad ſtatum illum vialem ſibi accidentalem, ſe ipſa poterit tranſire de potentia obiectiva ad exiſtentiam ſibi accidentalem per ſolam ſubiectionem ad cauſam efficientem: conſequens non poſſunt admittere AA. huius ſolutionis: ergo nec anteced. eſt à nobis ſuſtinendum.

164 3. Status ille vialis repugnat materiæ primæ exiſtenti in potentia tantum obiectiva, & (ſi ita licet loqui) exiſtenti ſub nihilo: ergo materia ſub eo ſtatu habet aliquid, per quod diſtinguitur à nihilo: ergo, vel ſub eo ſtatu materia habet exiſtentiam, vel exiſtentia non eſt neceſſaria, vt res à nihilo diſcernatur.

165 4. Ergo materia prima pro illo priori non habet poſſibiliter, ſed actu ex ſe rationem pure potentiæ, & primi ſubiecti receptivi formæ ſubſtantialis: ergo ex ſe & per ſe ipſam eſt entitas actualis, ſive ens in actu eſſentiali, & exiſtentiali, eſſentiali, quia per ſe ipſam, & non per aliquid ſuperadditum habet præfatam actualitatem: exiſtentiali vero, quia per illam actualitatem eſt actu, & non ſolum poſſibiliter pura potentia: vt enim ait Div. Thom. 1. p. quæſt. 5. artic. 1. ad 1. *Cum ens dicat aliquid proprie eſſe in actu, actus autem proprie ordinem habet ad potentiam, ſi ſecundum hoc aliquid ſimpliciter dicitur ens, ſecundum quod primo diſcernitur ab*

eo, quod eſt in potentia tantum: ergo ſi materia diſcernitur primo à ſe ipſa, vt eſt poſsibilis per hūc ſtatum vialem, per illum materia conſtituitur ens ſimpliciter, quod ex Div. Thom. eſt ens in actu.

166 5. Sub illo ſtatu materia eſt extra cauſam efficientem: ergo eſt extra omnes cauſas, ac per conſequens exiſtens. Conſeq. prob. Quia intelligi non poteſt aliquid produci à cauſa efficienti, & non accipere exiſtentiam ab illa; ſed eſſe extra cauſam efficientem eſt produci à cauſa efficienti: ergo ſi materia in ſtatu viali, eſt extra cauſam efficientem, eſt etiam extra omnes cauſas. Prob. mai. cauſa efficiens non aliter producit effectum, quam extrahendo illum ab alijs cauſis: producit enim ſuos effectus educendo formam ex potentia materiæ, vel dando eſſe materiæ, media ipſius cauſa formali; vnde implicat, formam, quæ à cauſa efficienti educitur de potentia materię, intelligi extra cauſam efficientem, & non intelligi extra potentiam materiæ: ergo.

167 *Confirm.* Cauſa efficiens, cum ſit extrinſeca effectui non dat illi eſſe per ſe ipſam, ſed media cauſa formali: ergo implicat, intelligi effectum extra cauſam efficientem, niſi intelligatur, cauſalitatem cauſæ formalis exerceri circa illam. Anteced. prob. Quia homo generat hominem, vniendo materiæ animam, quæ eſt cauſa formalis hominis; & album non poteſt effectiue produci, niſi quatenus efficitur in ſubiecto albedo, quæ eſt cauſa formalis: ergo produci materiam, eſt dare illi eſſe mediante aliquo principio intrinſeco dante illi eſſe; ſed hæc eſt cauſa formalis: ergo nihil producitur à cauſa efficiente, quod eo ipſo extra omnes cauſas non debet intelligi conſtitutum.

Conf. 2. Vt aliquis effectus non ſit nihil requiritur, quod ille ſit extra omnes cauſas omnes enim illæ ſunt neceſſariæ, vt tranſeat de non eſſe ad eſſe; ſed eo ipſo quod effectus in telligatur extra cauſam efficientem, effectus non eſt nihil: ergo hoc ipſo intellligitur, cæteras cauſas circa illum ſuas cauſalitates exercuiſſe.

168 *Vrgetur*: Non minus, imò multo magis dependet materia à forma, quam forma à materia; ſed repugnat, formam, quæ educitur à materia, intelligi pro aliquo priori, vt ab efficiente, & nondum educta ex potentia materiæ; ergo implicat materiam, quæ producitur per hoc, quod illi exiſtentia formæ communicatur, intelligatur, vt habens eſſe ab efficienti nondum tamen habens ſuum eſſe à forma.

169 *Denique.* Illud eſſe quod in ſtatu viali materia pro illo

illo priori recipit ab efficiente, vel ſimul in eodem inſtanti reali accipit materia à forma, vel non accipit? Si illud accipit à forma: ergo non poteſt intelligi ante formam: nam effectus formalis implicat intelligi ante formam, ſicut nec album ante albedinem, nec homo ante animam rationalem poteſt intelligi, ſi illud non accipit à forma: ergo cauſa formalis illius nõ eſt forma: ergo effectus pro illo priori productus ab efficienti, antecedenter ad formam habet in ſe cauſam formalem: ergo eſt complete productus, & extra omnes ſuas cauſas conſtitutus, ac ſubinde eſt vere exiſtens.

170 Quare hac ſolutione in ſua probabilitate relicta. Reſpond. ad argum. materiam primam propriori ad exiſtentiam intelligi potentem proxime recipere exiſtentiam; in illo autem priori iam intelligi exiſtentem non per id, per quod eſt prius natura ſuo effectu, ſed per effectum, à quo nec in illo priori valet præſcindi.

171 Pro cuius ſolutionis intelligentia, nota, materiam, vt proxime potentem recipere formam, & exiſtentiam, eſſe priorem exiſtentia prioritate *à quo*, non vero prioritate *in quo*, etiam rationis: inter has autem prioritates eſt magnum diſcrimen; nam prioritas *in quo* eſt ordo dependentiæ inter duo, quorum vnum infert aliud, & poteſt intelligi ſine illo, vt ſol eſt prior prioritate *in quo* illuminatione: quia licet vtrumque ſit in eodem inſtanti reali; tamen ſol infert illuminationem, poſtque intelligi ſol, quin actu illuminans intelligatur: prioritas autem *à quo* eſt ordo inter duo, quorum vnum infert aliud, ita tamen, vt ſine illo non poſsit intelligi; vt in Divinis Pater eſt prior prioritate *à quo* Filio, quia Pater eſt principium Filij, ita tamen, vt ſine Filio in nullo ſigno, in nullo ve priori Pater poſsit intelligi; ſic etiam ſcientia viſionis in Deo eſt cauſa rerum, ac ſubinde prior illis, ſed prioritate tantum à *quo*, quia in nullo priori ab eis poteſt præſcindi, actus etiam liber Dei eſt prior effectibus, à quibus, nec in ſigno, in quo eſt prior, poteſt præſcindi: eſt ergo materia, vt potens recipere formam, & exiſtentiam, prior forma, & exiſtentia, prioritate tantum *à quo*; quo circa non oportet, quod pro illo priori non intelligatur exiſtens; cum ergo pro illo priori intelligatur materia, vt proxime potens recipere exiſtentiam, ſimul intelliguntur materia, & exiſtentia; materia, vt principium, & exiſtentia, vt effectus, à quo materia nequit præſcindi, quia materiam poſſe proxime recipere exiſtentiam duo dicit, nempe entita-

tem intrinſecam materiæ, & quod illa non ſit pure poſsibilis; ſed actualis, quorum primum eſt ratio formalis cauſandi, & habet materia à ſe ipſa; ſecundum vero eſt conditio neceſſario concomitans materiam, vt poſsit proximè cauſare, & illam non habet materia ex ſe ipſa, ſed ab effectu, quem cauſat, ſcilicet, à forma.

172 Cuius doctrinæ aliquale exemplum habes in ſubiecto quantitatis: ſubſtantia enim, quæ ſubiectum eſt quantitatis propriori ad quantitatem eſt potens proxime illam materialiter cauſare: *Etſi* quærenti, an pro illo priori ſit extenſa, vel inextenſa, reſpondeas, illam pro illo priori eſſe extenſam, opponet tibi, id repugnare: quia non poteſt ſubſtantia denominari ab effectu formali quantitatis propriori ad quantitatem; ac per conſequens cùm extenſio ſubſtantiæ ſit effectus formalis quantitatis, nequit ſubſtantia eſſe extenſa pro priori ad quantitatem. *Si vero* reſpondeas, ſubſtantiam pro illo priori eſſe inextenſam, opponet iterum, id eſſe impoſsibile: quia ſubſtantia pro eodem inſtanti reali, nequit eſſe extenſa, & in extenſa: ergo cum in eodem inſtanti reali, pro poſteriori naturæ ſit per quantitatem extenſa, nequit in prædicto inſtanti pro priori ad quantitatem eſſe inextenſa: ſed ſatisfacies, ſi dixeris, ſubſtantiam propriori ad quantitatem eſſe extenſam: quia nec quantitas poteſt recipi, niſi in ſubſtantia extenſa, nec ſubſtantia eſt potens proxime recipere quantitatem, niſi ſit extenſa; inde tamen non ſequi, quod ſit extenſa ſine quantitate: quia cum prioritas illa ſubſtantiæ, vt potentis proxime recipere quātitatem, ſit prioritas *à quo*, ſtat quod in ipſomet priori ad quantitatem, non poſſit à quantitate præſcindi, & quod in eo debeat intelligi ſubſtantia extenſa, ita tamen, vt ly *ſubſtantia* ſit ratio formalis recipiendi quantitatem: extenſio vero ſit conditio neceſſario concomitans ſubſtantiam, vt poſsit proxime recipere quantitatem.

173 Etſi dicas 1. Sequitur ex hac ſolutione, nullum eſſe diſcrimen inter cauſam efficiētem, & materialem, quoad exiſtētiam pro priori vtriuſque ad ſuos effectus, quia ſicut cauſa materialis propriori ad eius effectum debet eſſe exiſtens, non ita vt exiſtentia ſit ratio formalis recipiendi, ſed conditio, vt poſsit recipere, ita cauſa efficiens debet pro priori ad ſuum effectum ſupponi exiſtens, ita vt exiſtentia non ſit ratio formalis efficiendi, ſed conditio, vt poſsit proxime efficere: ergo cauſa efficiens, & materialis in eo quod eſt exigere exiſtentiam pro priori ad ſuos effectus, non diſcriminantur.

Reſp. adhuc ſubſiſtere diſcrimen inter cauſam efficiētem, & ma-

materialem:quia cauſa efficiens pro priori ad effectum ſupponitur exiſtens, ita vt exiſtentiam habeat à ſe, & nequeat illam habere ab effectu, quare cum exiſtentia ſit conditio requiſita ex parte cauſæ, & aliàs independens ab effectu, non ſolum eſt concomitans, ſed præcedens natura ipſum effectum; at cauſa materialis, ita ſupponitur, vt exiſtens pro priori ad effectum, vt exiſtentiã non habeat à ſe, ſed ab effectu; quo circa exiſtentia comitatur effectum, illum vero minime præcedit; cauſa igitur efficiens præcedit effectum, vt exiſtens ſpecificative, & reduplicative: quia nedum virtus operativa titulo principij præcedit effectum, ſed ipſa exiſtentia titulo cõditionis, aliàs independentis ab effectu, ordinẽ prioris dicit ad effectum; cauſa vero materialis præcedit, vt exiſtens ſpecificative; quia licet potentialitas illius, titulo rationis formalis præcedat effectum, exiſtentia, quæ licet conditio ſit ad recipiendum, eſt tamen dependens ab effectu, effectum minime præcedit.

174 Si 2. dicas, ipſemet effectus nequit eſſe conditio, vt cauſa influat in illum, ſed exiſtentia per nos eſt effectus materiæ: ergo nequit eſſe conditio, vt illam materia poſsit proxime cauſare. *Reſp.* quod effectus nequit eſſe conditio concurrens in eodem genere cauſæ, vt cauſa influat in illum, poteſt tamen effectus concurrere in alio genere cauſæ, vt conditio ad hoc, vt cauſa influat in illum: vnde ſicut vltima diſpoſitio eſt effectus formæ: cum quo compatitur, vt ipſa ſit neceſſaria, vt forma in eam per modum principij dimanationis poſsit influere; ita exiſtentia, licet ſit effectus formæ in genere cauſæ formalis, poteſt eſſe conditio neceſſaria, concurrens, in genere cauſæ materialis ad hoc, vt materia poſsit illam recipere. Plura congerunt adverſarij contra mutuam hanc prioritatem, quæ per otium lib. 2. diſcutiemus.

175 *Ad conſ.* principalis argum. reſp. quod materiæ, vt vltimo diſpoſitæ debetur concurſus Dei ad cauſandum materialiter formam: vnde propriori ad formam debet eſſe materia vltimo diſpoſita; vt autem ſit vltimo diſpoſita, debet eſſe pro illo priori exiſtens, non quidem exiſtentia, quæ præcedit formam, ſed per ipſam formæ exiſtentiam: quia ratio formalis recipiendi formam eſt entitas materiæ, quæ diſponitur; exiſtentia vero tantum eſt conditio: quare licet præcedat, vt exiſtens, non præcedit, vt exiſtens reduplicative, ſed vt exiſtens tantum ſpecificative. Quod nullæ præcederent diſpoſitiones, vt contingeret caſu, quo Deus in primo inſtanti creationis materiæ educeret ex ea formam ignis; tunc materia pro priori

ad formam deberetur concurſus ad aliquam formam vage recipiendam; ex quo convincitur, materiam pro illo priori non eſſe materiam pure poſsibilem, ſed exiſtentem, exiſtentia tamen comittanti, non præcedenti formæ introductionem.

176 Sed inſtas. Pro priori ad formam non eſt forma; ſed materia eſt vltimo diſpoſita pro priori ad formam: ergo in illo priori nondum eſt forma: ergo pro illo priori nondum eſt exiſtentia formę; ſed pro illo priori materia non eſt exiſtens, cum ſoli materię exiſtenti debeatur concurſus Dei, quem concedimus deberi materiæ vltimo diſpoſitæ: ergo exiſtit per exiſtentiam propriam.

Reſp. quod ſicut pro priori Patris ad Filium exiſtit Filius, & priori ſcientiæ viſionis determinatæ ad creaturas exiſtunt creaturæ; necnon pro priori actus liberi Dei terminati ad effectum, intelligitur effectus, ita pro priori materiæ vltimo diſpoſitæ ad formam eſt forma: quia prioritas *à quo* inter hæc omnia ſtat cum eorum ſimultate quoad exiſtere, & intelligi.

§. IV.

Cætera argumenta ſolvuntur.

177 Obijcies 1. Quæ diverſis actionibus producuntur, diverſas habent exiſtentias; ſed materia, & forma diverſis actionibus producuntur: ergo habent diverſas exiſtentias. Mai. videtur certa: quia productio terminatur ad exiſtentiam, & conſequenter diverſa productio ad diverſam exiſtentiam. Min. autem prob. Materia non producitur ab agente naturali, ſed fit à Deo per creationem: forma vero fit per eductionem ab agente naturali: ergo materia, & forma diverſis actionibus producuntur.

Reſp. Quod quæ diverſis actionibus completis producuntur, habent diverſas exiſtentias; materia vero, & forma producuntur diverſis actionibus incompletis, quarum vna expectat aliam, vt termino à ſe producto conferat exiſtentiam: vnde non omnis productio terminatur ad exiſtentiam, illam per ſe communicando, ſed communicando eam, vel per ſe, vel per aliam actionem, qua completur.

178 Et ſi inſtes, pro ſigno, in quo intelligitur materia terminans creationem, intelligitur materia diſtincta ab eo, quod eſt tantum in potentia: ergo intelligitur exiſtens. Reſpond. quod pro ſigno, in quo intelligitur materia terminans creationem, intelligitur exiſtens ſpecificative, non reduplicative, ideſt, non intelligitur exiſtentia, vt terminans per ſe creationis, terminus enim formalis creationis materiæ non

non eſt exiſtentia, ſed entitas intrinſeca materiæ, quæ exiſtit, intelligitur tamen in illo ſigno materia exiſtens: quia prioritas illius ſigni non eſt *in quo* etiam rationis, ſed eſt prioritas tantum *à quo*, vi cuius vnum intelligitur, vt ratio, & cauſa alterius, vtrumque tamen ſimul eaque indiviſione, vt vnum ſeorſim ab altero, neque eſſe poſsit, neque intelligi.

Quare ſicut diximus §. antecedenti materiam eſſe cauſam formę, illam tamen vt eſt proximè potens ad effectum, præſcindi non poſſe à forma, ita dicimus, creationem materiæ precedere eductionem formæ, quia ſicut terminus eductionis pendet, & eſt poſterior termino creationis, ita ipſa eductio pendet, & eſt poſterior creatione; cæterum creatio eſt prior prioritate tantum *à quo* eductione: quare intelligi non poteſt, quin ſimul intelligatur eductio, non vt ratio formalis dandi materiæ intrinſecam entitatem, ſed vt conditio, ſine qua intelligi nequit, quod creatio dat materiæ intrinſecam entitatem: quia cum dare materiæ intrinſecam entitatem non ſtet, niſi dando materiæ aliquid, quod antea, dum erat pure poſsibilis, non habebat, & conſequenter eam à nihilo diſcernendo, & eam à nihilo diſcerni independenter ab exiſtentia, repugnat; ſit conſequēs creationem materiæ intelligi non poſſe, quin ſimul intelligatur eductio formę, ſub cuius exiſtentia pro illo priori materia debet conſtitui.

279 3. obijcies. Materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis: ergo non poteſt exiſtere per exiſtentiam formæ. Prob. conſeq. Quia, ſi materia exiſteret per exiſtentiam formæ; toties amittet exiſtentiam, quoties amittret formam, & toties reciperet exiſtentiam, quoties novam formam recipit, ſed recipere exiſtentiam eſt generari, & amittere exiſtentiam eſt corrūpi: ergo materia non eſſet ingenerabilis, & incorruptibilis, ſi exiſteret per exiſtentiam formæ.

Reſp. quod materia non generatur, dum adveniente nova forma acquirit novam exiſtentiam, nec corrumpitur, dum abſente forma antiqua, priorem amittit exiſtentiam: quia generatio eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe, & cùm forma acquirit novam exiſtentiam non tranſit de non eſſe ad eſſe, ſed de vno eſſe ad aliud eſſe: ſimiliter corruptio eſt tranſitus de eſſe ad non eſſe, & materia, dum amittit priorē exiſtentiam, non tranſit de eſſe ad non eſſe, ſed de vno eſſe ad aliud eſſe; quo circa; nec in primo caſu generatur, nec in ſecūdo corrumpitur.

108 Obijcies 4. Materia hominis non exiſtit per exiſtentiam animæ: ergo

exiſtit per exiſtentiam propriã. Prob. ant. Exiſtentia animæ rationalis eſt ſpiritualis, ſed materia hominis non exiſtit per exiſtentiam ſpiritualem, quia exiſtentia, cum ſit actus rei, quæ per illam exiſtit, debet illi proportionari: ergo.

Reſp. quod ſicut anima rationalis etiam ſi ſpiritualis, eſt proportionata materiæ, & eſt vera illius forma, ita exiſtentia animæ rationalis, licèt ſit ſpiritualis, eſt proportionata materiæ, & eſt illius vera actualitas.

181 Obijcies 5. Si materia exiſteret per exiſtentiam formæ, ſequeretur, quod agens creatum conſervaret materiam: conſeq. eſt falſum: ergo. Sequelã patet: nam qui cõſervat exiſtentiam materiæ, conſervat materiam. Falſitas vero conſeq. eſt perſpicua: quia conſervatio materiæ eſt ſuper vires agentis creati, ſicut, & eius creatio; eiuſdẽ enim naturæ ſunt actio conſervativa, & actio primo productiva.

Reſp. quod ſicut ille, qui primam exiſtentiam communicat materiæ, non ſtatim illam producit; ſed ſupponit actionẽ, qua entitas materæ producitur, vt contingit in generatione vermium ex ſpeciebus ſacramentalibus, in qua agens naturale communicat materiæ in primo illius generationis inſtanti productæ primam exiſtentiam, & tamen illam non producit, ita qui exiſtentiam materiæ conſervat, non ideò conſervat materiam; quia non conſervat entitatem materiæ, ſed illam à Deo ſupponit conſervari per actionem creativam continuatam, quantum ad terminationem, ad terminum materialem, & inadæquatem primæ creationis.

182 Obijcies 6. Si materia exiſteret per exiſtentiam formæ, cauſaret ſe dum cauſat formam: quia ſaltim mediatè cauſaret exiſtentiam ſui; conſeq. non poteſt admitti: ergo nec ant.

Neg. conſeq. *Tum*, quia, vt ſe ipſam cauſaret mediatè materia, neceſſarium erat, quod cauſaret formam, & forma cauſaret exiſtentiam materiæ; at forma non eſt cauſa propriè loquendo exiſtentiæ materiæ, ſed eſt actus reddens materiam proximè capacem, vt ab efficiente, eidem exiſtentia communicetur. *Tum*, quia materiam non cauſat, qui præciſsè cauſat exiſtentiam eius, ſed qui præter exiſtentiam cauſat eius intrinſecam entitatem. *Tum* denique: quia forma materiæ communicans exiſtentiam, non eſt effectus materiæ, ſed pòtius cauſa formalis eius: quare, licèt materia ſit cauſa formæ, & forma communicet exiſtentiam materiæ, non ſequitur, quod materia

tia ſit cauſa mediata ſui.

183 7. Obijcies. Materia eſt cauſa efficiens ſuarum proprietatum pro priori ad formam; ſed cauſa efficiens debet ſupponi exiſtens: ergo pro priori ad formam ſupponitur exiſtens.

Respond. quod materia nullas habet proprietates, quas effectivè cauſet; illius quippe proprietates ſunt eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem, eſſe incognoſcibilem eſſe principium paſsivum operationum, & appetere formas; has autem proprietates effectivè non cauſat: quia earum plures ſunt negativæ, vel omnes ſola ratione diſtinguatur à materia.

184 Dices: Quantitas eſt proprietas materiæ, cum conveniat omni, ſoli, & ſemper: & alias eſt proprietas poſitiva, realiterque diſtincta à materia: ergo datur proprietas materiæ, quæ effectivè poſsit cauſari ab illa. *Respond.* 1. quod ſicut forma ſubſtantialis convenit omni materiæ, ſoli, & ſemper; & tamen non eſt proprietas: quia licèt petat formam vage; nullam tamen petit in particulari, quod erat neceſſum, vt poſsit effectivè cauſari, id enim, quod cauſatur, debet eſſe determinatum, & particulare; ita quantitas, licèt conveniat omni materiæ, ſoli, & ſemper non eſt proprietas illius: quia materia petit aliquam quãtitatem vage, nullam vero in particulari; cuius ratio eſt, quia determinata quantitas nequit inveniri, niſi ſub determinata magnitudine, forma, & figura, & materia non petit determinatam magnitudinem, formam, aut figuram, ſed eſt capax maximè diverſitatis in his accidentibus pro diuerſitate formarum, quibus poteſt informari.

185 Reſp. 2. quod quantitas non eſt proprietas materiæ, ſed compoſiti materialis, cui ſoli convenit immediatè, & per ſe; immediatè, quia eſt accidens, cuius materia immediatè non eſt capax; *per ſe*, quia quantitas convenit rebus, vt per eam poſsint elicere, & recipere operationes materiales; elicere autem, & recipere operationes materiales non convenit materiæ, ſed compoſito ratione ſui.

ARTIC. VI.

Vtrum materia prima poſsit diviniutus exiſtere ſine forma.

186 ETiam, ſi materia propriam exiſtentiam non habeat habet locum præſens diſp. quia licèt ſit certo certius materiam ſine forma non poſſe exiſtere

per exiſtentiam formæ ; poſſet quis exiſtimare materiam ſine forma poſſe exiſtere per exiſtentiam aliam, ſivè Divinam, ſivè creatam ei divinitus communicatam.

187 Non poſſe naturaliter exiſtere materiam abſque omni forma omnium eſt Philoſophorum ſententia, ſi paucos excipias, & ratio eſt, quia corruptio vnius eſt generatio alterius: nunquam ergo datur vacuum in materia, vt potentialitas eius ſit omni forma deſtituta. Antecedens probatur. Quia agens naturale, cum per ſe non intendit corruptionem, non expellit vnum, quin alterum introducat; ergo corruptio vnius eſt generatio alterius. *Deinde*, materia nunquam fuit ſine forma, ergò naturaliter nequit exiſtere ſine forma. Patet conſequentia: quia ex ſimili principio conſtat nobis, nec ignem ſine calore, nec ſolem ſine luce poſſe naturaliter exiſtere. *Denique*: Nulla res poteſt naturaliter exiſtere ſine requiſitis ad vnam, vel alterã operationem; ideò enim formæ materiales non poſſunt exiſtere ſeparatę quia nullam per ſe poſſunt habere operationem; anima vero rationalis poteſt ſeparata exiſtere, quia poteſt per ſe operari; ſed materia ſine omni forma nullam habet operationem: ergo nequit exiſtere abſque omni forma.

188 Nec D. Aug. eſt nobis contrarius, dum lib. 12. confeſſ. cap. 12. & lib. de Geneſ. ad litteram cap. 11. explicans illa verba, Geneſ. 1. *Terra autem erat inanis, & vacua*, ſivè vt habet alia verſio *invisibilis, & incompoſita*, interpretatur de materia prima, quæ erat informis, & vacua ob carentiam formarum.

Nam reſp. cum D. Thom. 1. part. quæſt. 66. artic. quod D. Auguſt. per informitatem, non intelligit carentiam formarum omnium, ſed tantum vult materiam præceſſiſſe formationem ſui, origine tantum, & ordine naturę, vt expreſsè aſſerit lib. 13. conf. cap. 33. per hæc verba: *Cum aliud ſit cœli, & terræ materia, aliud ſpecies, materiam quidem de omnino nihilo: mundi autem ſpecies de informi materia: ſimul tamen vtrumque feciſti, vt materiam forma, nulla moræ intercapedine ſequeretur.*

189 Vtrum vero divinitus poſsit abſque omni forma exiſtere materia prima, anceps eſt quæſtio ſuis pro vtraque parte fulcita Patronis. Sententiam affirmativam tenent omnes, qui materiæ primæ concedunt propriam exiſtentiam: negativam vero tuente Thomiſtæ cum Ang.

Præcep.

§. I.

Vnica Concluſio.

190 MAteria prima non poteſt etiam divinitus exiſtere, ſine forma: eam eſſe de mente Ang. Præcep. clariſſima teſtimonia convincunt primum habetur 1.p.quæſt.66.artic. 1. ibi: *Si materia informis præceſsit duratione, hec iam erat in actu; hoc enim duratio importat: creationis autem terminus eſt ens actu; ipſum autem, quod eſt actus eſt forma: dicere igitur materiam precedere ſine forma, eſt dicere ens actu ſine actu, quod implicat contradictionem.* Quid clarius?

191 Nihilominus non deſunt qui Angelicum Doctor. interpretantes dicant S. D. nomine formæ intellexiſſe quemcumque actum etiam accidentalem, & entitativum, & quia ſine hoc actu, vel forma implicat exiſtere materiam, ideò docuiſſe materiam nō poſſe exiſtere ſine forma.

192 Alij ad eundem lapidem iterum impingentes aſſerunt, D. Th. ſolum docere implicatorium eſſe materiam eſſe in actu completo ſubſtantiali ſine forma.

193 Sed quantum vtraque ſolutio aberret à mente D. S. ſatis, ſuperque demonſtrat ſola, & per ſe patens littera textus precitati: & vt omittam abſque fundamento dici Div. Thom. nomine formæ vſum fuiſſe in extranea, nova que ſignificatione contra primam in particulari obſtat. 1. quod Div. Thom. cum dicit, implicare materiam exiſtere abſque omni forma, no nine formæ intelligit id, cuius omnimodam carentiam, docet non potuiſſe præcedere tempore, præceſiſsè tamen ibidem natura, & origine in materia; ſed carentia omnis formæ, intelligendo nomine formæ omnem actum, ſivè accidentalem, ſivè entitativum, non potuit præcedere nedam tempore, ſed nec natura, aut origine in materia; iuxta AA. enim huius ſolutionis actus entitativus materiæ ab entitate materiæ eſt indiſtinctus; ergo nomine formę non intellexit D. Thom. actum, ſivè accidentalem, ſivè entitativum, ſed formam ſubſtantialem proprie ſumptam.

194 2. Nomine formæ in prædictis verbis inteligi: Div. Thom. id ipſum; quod in titulo, argumentis, & eorum ſolutione: at in his nomine formę intelligit formam ſubſtantialem proprie ſumptam: ergo. Min. patet: Nam cum in titulo quæſiviſſet vtrum informitas materiæ (id eſt carentia formæ in materia) tempore

præceſsit formationem ipſius, ad probandum, quod ſic, obijcit tertio loco: *Materia prior eſt accidente: quia materia eſt pars ſubſtantiæ; ſed Deus poteſt facere, quod accidens ſit ſine ſubiecto, vt patet in Sacramento Altaris: ergo potuit, facere, quod materia eſſet ſine forma.* Vbi in primis, vt vides, formam condiſtinguit ab accidenti. *Deinde*, ſi nomine formæ intelligeret actum, ſivè entitativum, ſivè accidentalem, facilius reſponderet dicens; materiam ſine omni forma non poſſe exiſtere: quia aliqua forma, hoc eſt, actus entitativus, eſt eſſentia phyſica illius; poſſe tamen exiſtere accidens ſine ſubiecto: quia nullum ſubiectum eſt de eſſentia phyſica accidentis: at non ſic reſpondet, ſed ait, ad 3. *Dicendum, quod accidens, cum ſit forma, eſt actus quidam; materia autem ſecundum id, quod eſt, eſt ens in potentia: vnde magis repugnat eſſe in actu materiæ ſine forma, quam accidenti ſine ſubiecto.* At qui eſſe ſine omni actu tàm accidentali, quàm entitatiuo non repugnat materiæ, quia ens in potentia eſt: ſed quia ens eſt abſolute: ergo nomine formæ non intelligit actum, ſivè entitatiuum, ſive accidentalem, ſed determinate actum formalem ſubſtantialem.

195 *Contra* ſecundam etiam ſolutionem obſtat: quia intentum Div. Thom. non erat, quod materia non potuit præcedere tempore in actu cōpleto omnem formam; ſed quod ſine forma nullo modo potuit tempore præcedere. *Tum*, quia ait Div. Thom. quod non potuit materia præcedere informis; ſed materia informis eſt materia incompleta: ergo ſentit, nec in actu incompleto potuiſſe tempore præcedere. *Tum*, quia dicit, non potuiſſe præcedere formam tempore, præceſsiſſe tamen origine, & natura; ſed materia in actu completo non poteſt præcedere origine, & natura formam: ergo non eſt materia in actu completo, ſed materia nude ſumpta ea, de qua Div. Thom. ait, implicare, quod tempore præcedat formam; patet conſequentia: quia de materia, de qua affirmat præcedere natura, negat poſſe tempore præcedere: ergo, ſi materia, de qua affirmat præcedere natura; non eſt materia in actu completo, ſed materia nude ſumpta, de eadem negat poſſe formam in tempore præcedere. *Tum*, quia S. D. falſo, & inutiliter recurreret in ſolutione tertij argumenti proxime relati ad diſcrimen inter materiam, & accidens, per hoc, quod accidens

eſt actus; materia vero eſt ens in potentia, *falſo*: quia materia in actu completo non eſt ens in potentia, *inepte*; quia ratio, quare non poteſt materia in actu completo exiſtere ſine forma, non eſt, quia eſt ens in potentia; ſed quia prout ſic conſtituitur per formam, & nulla res poteſt exiſtere abſque omnibus ſuis conſtitutivis: ergo.

196 Id ipſum clarius conſpicies in verbis ex quodlibet. 3. articul. 2. ibi: *Quod aliquid ſimul ſit, & non ſit, à Deo fieri non poteſt, neque aliquid contradictionem in volvens, & huiuſmodi eſt, materiam eſſe in actu ſine forma; omne enim, quod eſt actu, vel eſt ipſe actus, vel eſt potentia participans actum; eſſe autem actum repugnat materiæ, quæ ſecundum propriam rationem eſt ens in potentia: Relinquitur ergo, quod non poteſt eſſe in actu, niſi in quantum participat actum: actus autem participatus à materia, nihil aliud eſt quam forma: unde idem eſt dicere, materiam eſſe in actu, & materiam habere formam: dicere ergo quod materia ſit in actu ſine forma, eſt dicere contradictoria eſſe ſimul.*

Ex quibus verbis inferes 1. Div. Thom. non velle dicere, quod materia non poteſt eſſe ſine forma, ideſt, ſine actu formali, vel entitativo, ut dicebat prima ſolutio; nam dicit, quod materia non poteſt eſſe in actu ſine forma: quia ſolum poteſt eſſe in actu per hoc, quod participat actum, qui eſt forma, & quem dixit non eſſe ipſam materiam; at actus, qui non eſt materia, ſed participatur à materia, non eſt abſtrahens ab entitativo, & formali proprie ſumpto, ſed eſt ſolus formalis proprie ſumptus: ergo cum dicit materiam non poſſe exiſtere ſine forma, intelligit nomine formæ ſolum actum formalem proprie ſumptum.

197 Inferes 2. Nō eſſe ſenſum verborum, quod materia non poteſt exiſtere in actu completo ſine forma, & patet: quia probat Div. Thom. materiam non poſſe eſſe in actu ſine forma: quia omne, quod eſt in actu, vel eſt ipſe actus, vel eſt potentia participans illum: ſed in hoc antecedenti non loquitur de eo, quod eſt in actu completo, ſed de eo, quod eſt in actu, ſive completo, ſive incompleto: ergo nec in conſequentia, dum infert, materiam non eſſe in actu ſine forma, loquitur determinatè de actu completo, ſed abſolutè de quocumque actu, ſivè completo, ſivè incompleto. Conſequentia tenet; nam

ex eo, quod aliquid non poſsit eſſe in actu, nec completo, nec incompleto ſine forma; non ſolum infertur, materiam ſine forma, non eſſe in actu completo, ſed infertur, nec eſſe in actu incompleto. Anteced. vero prob. Actus, quem potentia participat, non eſt actus completus: hic enim eſt forma, quem tantum habet eſſe partiale, & incompletum: ergo dum dicit D. Thom. quod omne, quod eſt in actu eſt actus, vel potentia illum participans, non loquitur de eo quod eſt in actu completo.

198 Ratio concluſionis deſumenda eſt ex præfatis Div. Th. teſtimonijs, & in hunc modum formatur. Si materia exiſteret ſine forma, eſſet in actu, & non eſſet in actu, hoc implicat contradictionem: ergo. Prob. maiorem: in primis eſſet in actu, quia exiſteret, deinde non eſſet in actu, quod ſic prob. Materia ſinè forma nullum haberet actum: ergo non eſſet in actu, antecedens prob. Non haberet actum primum; ſed nec haberet actum vltimum, vel ſecundum: ergo nullum haberet actum. Mai. eſt certa; Quia primus actus eſt forma. Min. vero prob. Implicat habere actum vltimum, vel ſecundum, eum qui non habet actum primum: ergo, ſi non haberet actum primum, nec haberet actum ſecundum.

Confirm. Quia virtus intellectiva eſt actus primus, & actualis operatio eſt actus vltimus, vel ſecundus, implicat, aliquem intelligere ſine intellectu; & quia extenſio partium in ordine ad ſe eſt effectus primarius quantitatis, extenſio vero earum in ordine ad locum eſt effectus ſecundarius eiuſdem quantitatis, implicat eum, qui non habet extenſionem in ordine ad ſe, extendi in ordine ad locum: ſimiliter, quia reddere animam conſortem divinæ naturæ eſt effectus primarius gratiæ, & conſtituere filium Dei adoptivum eſt effectus ſecundarius eiuſdem gratiæ, repugat gratiam conſtituere filium adoptivum, ſi prius non conferat divinę naturæ participationem; ergo ſi forma eſt actus primarius materiæ, & exiſtentia ſecundus, repugnat materiam exiſtere ſine forma.

199 Explicatur. Exiſtentia non eſt actus primus, ſed ſecundus, & ſupponens actum eſſentiæ ſed materia ſine forma non habet actum eſſentiæ: ergo ſine forma non poteſt exiſtere. Patet conſequentia, quia deficiente actu primo, non ſtat ſecundus illum eſſentialiter ſupponens. Min. conſtat ex dictis artic. 3. huius quæſt. & maior probat. *Tum*, quia exiſtentia non conſtituit rem in ſua eſſentia, ſed eſſentiam

in ſe, & per ſuam definitionem conſtitutam ponit extra cauſas: ergo non eſt actus eſſentiæ, ſed ſupponit illam. *Tum* ex Div. Thom. 1. p. quæſt. 4. artic. 1. ad 3. dicente. *Quod ipſum eſſe eſt perfectiſsimum omnium; comparatur enim ad omnia, vt actus, nihil enim habet actualitatem, niſi in quantum eſt; vnde ipſum eſſe eſt actualitas omnium rerum, & ipſarum formarum*: ergo eſſe, ſivè exiſtentia eſt vltimus actus omnium rerum.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

200 OBijcies 1. Magis dependet accidens à ſubiecto, quam materia à forma, ſed accidens poteſt exiſtere divinitus ſine ſubiecto, vt patet in Sacramento altaris: ergo materia poteſt divinitus exiſtere ſinè forma.

Reſpond. ex Div. Thom. vbi ſupra, accidens non pendere magis à ſubiecto in exiſtendo; quia cum ſit actus, eſt immediate capax exiſtendi; materia vero, cū ſit pura potentia, nō eſt capax exiſtentiæ, quæ eſt actus ſecūdus, niſi mediante forma, quæ eſt actus primus.

201 Obijc. 2. Quidquid Deus poteſt facere mediante cauſa ſecunda, poteſt facere ſe ſolo; ſed poteſt mediante forma communicare exiſtentiam materiæ: ergo ſe ſolo.

Reſpond. Deus poteſt facere ſe ſolo quidquid facit mediante cauſa ſecunda efficiente non tamen quidquid facit mediante cauſa formali: quia cum genus cauſæ efficientis non dicat imperfectionem, poteſt ſuppleri a Deo genus vero cauſæ formalis ſuppleri nequit à Deo, quia imperfectionem involuit: quia igitur forma dat materiæ in genere cauſæ formalis primum eſſe, medio quo reddit illam capacem exiſtendi, id circo exiſtentiam, quam Deus mediante forma communicat materiæ, nequit communicare ſe ſolo.

102 Dices forma non concurrit in genere cauſæ formalis ad hoc, vt materia exiſtat: ergo poteſt Deus ſupplere concurſum formæ in ordine ad ad exiſtentiam materiæ. Prob. antecedens: exiſtentia non eſt effectus formalis formæ: ergo forma ad illam non concurrit in genere cauſæ formalis. Prob. antecedens, effectus formalis eſt ipſa forma ſubiecto communicata; ſed exiſtentia non eſt forma communicata materiæ, ſed modus realiter diſtinctus à forma: ergo.

Reſp. quod exiſtentia non eſt effectus formalis formæ ſubſtantialis; nec forma ſubſtantialis concurrit ad eam in genere cauſæ formalis ſe ipſa materiæ

ri ei redJentis exiſtentiam, ſed in genere cauſæ formalis proportionantis materiam, & reddentis eam immediate capacē exiſtentiæ: ſicut ergo effectum habilitandi materiam, quem præſtat forma per modum cauſæ formalis, Deus ſe ſolo nequit ſupplere, & quia effectus iſte debet neceſſario præſupponi ad exiſtētiam, idcirco Deus non niſi mediante forma, poteſt materiæ communicare exiſtentiam.

203 Inſtabis: ergo forma ſe ipſa non reddit materiam exiſtentem, ſed diſponit antecedenter materiam, vt exiſtētiam poſſit recipere, ſed poteſt Deus ſupplere diſpoſitiones, & independenter ab eis quoſcumque effectus producere: ergo poteſt independenter à forma materiam reddere exiſtentem.

Reſp. quod diſpoſitiones, aliæ ſunt, quæ ſupponunt ſubiectum capax formæ, & tantum determinant agens, vt educat formam, & ſubiectum, vt hanc præ illa recipiat: illas poteſt Deus miraculoſe ſupplere, & ſupplet pleruumque in reſurrectionibus, & ſanitatibus miraculoſe conceſsis; aliæ ſunt diſpoſitiones, quæ ſubiectum reddunt proxime capax formę, qua ratione diaphaneitas reddit aerē capacem recipiendi interius lucem; quantitas reddit lignum capax, vt figuretur, & lumen gloriæ habilitat intellectum vt viſionē Dei poſsit recipere, hoc genus diſpoſitionū nequit diuinitus ſuppleri: quia nec diuinitus poteſt fieri, quod ſubiectum incapax formæ illam recipiat: quia ergo forma diſponit materiam, non tantū illam determinando, ſed proportionando, reddēdoq́ eā capacē exiſtendi, nec diuinitus poteſt fieri, quod materia omni forma deſtituta, actu exiſtat.

204 Obijc. 3. Poteſt Deus efficere, quod materia non exiſtat per exiſtentiam formæ: ergo quod exiſtat independenter à forma. Patet conſequentia: quia forma ad hoc eſſet neceſſaria, vt ab ea materiæ proveniret exiſtentia. Et antec. prob. quia de facto in ſententia D. Thom. 3. p. q. 17. humanitas Chriſti D. exiſtit per exiſtentiam Verbi Diuini.

Conceſſo antecedente neg. conſeq. Quia forma eſt neceſſaria ad hoc, vt ab ea proveniat exiſtentia materiæ, & ad hoc vt materiam reddat capacem exiſtentiæ, mediante primo eſſe, quod illi communicat: primum requiritur connaturaliter, & poteſt diuinitus ſuppleri; quia cum effectus formalis exiſtentiæ poſsit depurari ab imperfectione, poteſt diuina exiſtentia præſtare ſe ipſa, quod præſtare debebat exiſtentia formæ; ſecundum vero, ſcilicet habilitare materiam, dando illi primum eſſe ſubſtantiale, requiritur eſſentialiter, & cum hoc à labe informationis abſtergi non poſsit à Deo ſuppleri numquam po-

poteſt: poteſt ergo Deus reddere per ſe materiã exiſtentem, non tamen independenter à forma.

205 Obij. 4. Intellectus eſt pura potẽtia ad intellectionẽs & tamen poteſt exiſtere ſine vlla intellectione: ergo etſi materia ſit pura potentia ad formam, poteſt exiſtere ſine vlla forma.

Neg. conſeq. Quia intellectio non eddit intellectum capacem exiſtentiæ, & ideo ſine vlla intellectione intellectus exiſtit, forma vero reddit materiam capacem exiſtendi, quo circa ſine vlla forma nequit exiſtere materia: imò ex argumento ſumitur confirmatio concluſionis. Quia ſicut materia in eſſe phyſico eſt pura potentia, cuius actus primus eſt forma, & actus ſecundus exiſtentia, ita intellectus in eſſe intelligibili eſt pura potentia, cuius actus primus eſt ſpecies, & actus ſecundus intellectio: ergo ſicut repugnat, intellectũ abſque vlla prorſus ſpecie intelligere, ita repugnat, materiam abſque vlla prorſus forma exiſtere.

206 Et ſi dicas. Poteſt diuinitus fieri, quod intellectus intelligat, Deo ſupplente defectum ſpeciei, vt cõtingit in viſione beata: ergo poteſt fieri diuinitus, quod materia exiſtat, Deo ſupplente defectum formæ ſubſtantialis.

Neg. conſ. Deus ſupplet defectũ ſpeciei gerendo per ſe ipsũ munus ſpeciei in viſione beata: quia in eo munere nulla inuoluitur imperfectio; at gerere non poteſt per ſe ipſum munus formæ eo quod in illo inexcuſabilis lucet imperfectio, ac ſubinde, vt materia exiſtat, Deus defectum formæ ſubſtantialis ſupplere nequit.

207 Ob. 5. Prius non dependet à poſteriori, ſed materia eſt prior forma, eſt enim cauſa illius: ergo poteſt exiſtere ſine forma.

Reſp. quod prius poteſt depẽdere à poſteriori, ſi in alio genere cauſæ ſit poſterius, & quia materia, licèt ſit prior forma in genere cauſæ materialis, eſt poſterior illa in genere cauſæ formalis, ſtat bene, quod à forma poſsit dependere.

208 Dices. Forma nõ eſt cauſa formalis materiæ: ergo materia non dependet ab ea in genere cauſæ formalis. Prob. ante. Materia non eſt effectus formalis formæ: ergo forma non eſt cauſa formalis materiæ. Prob. antec. effectus formalis formæ eſt, qui reſultat ex vnione formæ cum materia. ſed effectus, qui reſultat ex prædicta vnione, non eſt materia, ſed compoſitum: ergo.

Reſp. quod forma eſt cauſa materiæ, quia dat illi primum eſſe, & licèt ex vnione formæ cum materia non reſultet materiã, vt præciſè dicit rationem puræ potentiæ, reſultat tamen materia, prout ens in actu, vel prout entitas:

actualis, quod ſufficit, vt materia, prout entitas actualis, ſit effectus formalis formæ, & poſterior illa.

209 Obijcies 6. Poteſt res aliqua exiſtere ſine omni ſubſiſtentia: ergo materia ſine omni forma. Antecedens probabiliter concedunt plures Thomiſtæ 3. p. quæſt. 3. & conſeq. probatur. Quia ſicut forma eſt actus debens præſupponi ad exiſtentiam, ita ſubſiſtentia; eſt enim exiſtentia vltimus actus, & conſequenter poſterior ſubſiſtentia.

Reſp. neg. conſequentia. Quia ſubſiſtentia eſt actus debens præſupponi tantum connaturaliter: forma vero eſſentialiter; & ratio eſt, quia ſolùm eſt potens exiſtere eſſentia actualis: vnde, cum forma ſit actus eſſentiæ, ſolum eſt potens exiſtere, quod habet formam: at poteſt divinitus exiſtere eſſentia carens aliqua ſui perfectione, aut complemento: quare cum ſubſiſtentia tantum pertineat ad eſſentiæ complementum, poteſt exiſtere divinitus eſſentia ſine ſubſiſtentia.

210 Denique obijcies. Quæ realiter diſtinguntur realiter ſeparantur; ſed materia diſtinguitur realiter ab omni forma: ergo poteſt realiter ſeparari ab omni forma.

Reſp. non poſſe materiam ſeparari ab omni forma collectivè, poſſe vero ſeparari ab omni dviſivè; quia nulla eſt in particulari, à qua nequeat ſeparari, & hoc ſufficit, vt realiter diſtinguatur materia ab omni forma, nam, & quantitas diſtinguitur realiter ab omni figura, quin poſsit ab omni collectione ſeparari, licèt ſine qualibet diviſivè ſumpta poſsit exiſtere.

ARTIC. VII.

De Appetitu materiæ primæ reſpectu formarum.

211 DEveniendo ad proprietates materiæ quarum vna, eaque ſcitu dignisſima, eſt formarum appetitus, ſub hac generalitate hūc artic. inſeri bimus, vt ſub vno titulo poſsimus exagitare plures difficultates circa appetitum materię, quę tantæ non ſunt, vt ſingulæ ſingulos articulos expoſcant. Hæ ſunt an materia appetat formas, quid ſit appetitus ille, & cuius ſpeciei: appetat ne omnes formas, quas poteſt habere, vtrum eas appetat æqualiter, & tandem vtrum appetat formas, quas amiſſit.

§ I.

Vtrum materia proprie appetat formas?

212 Appetitus eſt propenſio, ſivè inclinatio ad bonum conveniens appetenti; & eſt duplex, innatus, & elicitus. Innatus eſt propenſio indita ab Authore naturæ, qua res quælibet tendit abſque vlla cognitione in ſuum bonum: ſic lapis appetit centrum. Elicitus eſt actus facultatis appetitivæ, quo res fertur ad bonum per aliquam cognitionem apprehenſum, quę cognitio, ſi ſenſitiva ſit, appetitus dicatur animalis; ſi vero ſit intellectiva, dicitur appetitus rationalis, Ita Div. Thom. 1. p. q. 19. art. 1.

213 Sed quia ex D. Th. ibidem; quælibet res ad ſuam formam hanc habet habitudinem, vt quando non habet ipſam, tendat in eam, & quando habet ipſam, quieſcat in ea; id circo appetitus etiam naturalis dividitur cum proportione ad elicitum, in appetitum deſiderij, & appetitum complacentiæ, ſeu fruitionis. Deſiderium eſt motus, & propenſio in bonum abſens. Complacentia, gaudium, ſeu, fruitio eſt delectatio, vel quies in bono præſenti, & poſſeſſo. Si nominis impoſitionem attendas, fruitio non eſt appetitus; quia appetitus ex vi ſuæ ſignificationis ſignificat motum ad rem, quam quis non habet; quis enim petat ſibi, aut ad ſe bonum, quod poſsidet; in hoc ſenſu dicit D. Th. 1. Phyſic. lect. 15. litter. E ex Philoſopho quod ſi materia appetit formã, non appetit eam ſecundũ quod eſt ſub ipſa forma: quia iam non indiget eſſe per eam, appetitus autem omnis eſt propter indigentiam: quia eſt non habiti: ſi vero attendas rem ſignificatam per nomen, *fruitio* proprie eſt appetitus; quia res quælibet in bono poſſeſſo, pondere quodam, & inclinatione quieſcit; vi cuius ab eo naturaliter refugit avelli: vnde eleganter D. Thom. vbi ſupra art. 2. nos docuit, quod licèt pars apetitiva ab appetendo nominetur; non tamen hunc ſolum actum habet, vt appetát, quæ non habet, ſed etiam vt amet, quod habet, & delectetur in eo.

214 *Concluſio.* Materia prima proprie loquendo appetit formam ſubſtantialem: tenent eam communiter Philoſophi contra Avicenam, Scaligerum, & Iuſtinum Martyrem, & prob. 1. ex Philoſoph. 1. Phyſic. text. 81. ibi: *Sed hoc eſt materia proinde appetens illud, atque ſi fœmina marem, & turpe appetat pulchrum.*

215 2. ratione appetitus proprie dictus erga rem aliquam eſt propenſio, qua ap-

petens ex natura ſua fertur, & in clinatur ad rem illam; ſed materia prima habet propenſionē vi cuius fertur, & inclinat ad formam ſubſtantialem: ergo appetit appetitu proprie dicto formā ſubſtantialē. Prob. min. Res quę libet ex natura ſua fertur, & inclinat in ſuum finē, & ad ſuam connaturalem perfectionē; ſed finis, & connaturalis perfectio materiæ eſt forma ſubſtantialis: ergo ex natura ſua fertur, & inclinat ad formam ſubſtantialem. Prob. mai. Rem ex natura ſua ferri, & inclinari ad aliquid, eſt ex natura ſua petere, vt illud ſibi ab aliquo principio activo conferatur, id eſt, illud naturæ ſuę deberi ab Auctore, ſi iuxta naturæ leges operatur; ſed res quælibet ex natura ſua petit, vt ab aliquo agēte ad ſuum finē perducatur, eique debetur connaturalis perfectio ab Auctore agēte iuxta leges naturæ: ergo res quælibet ex natura ſua fertur, & inclinat ad ſuum finē, & ad perfectionem ſibi connaturalem.

Conf. Res quælibet exigit naturaliter perfectionē, cuius habet indigentiam ad exiſtendum in rerum natura, & ad finem intrinſecum ſibi conſequēdum; ſed materia indiget forma, vt exiſtat, & conſtituat totum, qui eſt finis eius intrinſecus: ergo naturaliter exigit formam: ex quo inferes, materiam appetere formam appetitu proprie dicto, & hunc appetitum eſſe innatū; quia fundatur in ipſa natura materiæ, quæ cum ſit pura potentia, ex ſe ordinatur, petitque compleri per actum ſibi proportionatum, quē conſtat eſſe formam ſubſtantialem.

216 Obijc. 1. Appetitus naturalis eſt inclinatio conſequēs formam naturalē ex Div. Th. 1. p. q. 87. ſed materia prima caret ex ſe omni forma naturali: ergo nullum habet appetitum naturalē. *Reſp.* 1. quod D. Th. non dixit, quod appetitus naturalis eſt inclinatio conſeq. ſolam formam 2. Loquebatur de appetitu compoſiti. 3. erat illi ſermo de appetitu activo, nō de inclinatione paſſiva, quam Div. Tom. non negat ſed materiæ concedit in præſenti lib. 1. lect. 15.

217 Obijc. 2. Appetitus omnis fundatur inconvenientia, & ſimilitudine vnius cum alio iuxta D. Th. q. 22. de Verit. art. 1. ad 3. ſed materia cum forma non habet ſimilitudinē: ergo. *Reſp.* quod appetitus non fundatur in ſimilitudine ſtricta, ſed late ſumpta, hoc eſt in ſimilitudine, vel proportione, & hanc habet forma cum materia: nam actus, & potentia maximè proportionantur.

§. II.

Quid ſit appetitus materiæ?

218 CONcluſio. Appetitus materię primę non diſtinguitur realiter ab illius entitate. Patet ex Div. Thom. 1. p. q. 59. art. 2. vbi ait: *Inclinatio, quæ eſt ad eſſe rei, non eſt per aliquid ſuperadditum eſſentiæ, ſed per materiam, quæ appetit eſſe, antequam habeat, & per formam, quæ tenet rem in eſſe poſtquam fuerit.*

Et prob. ratione. Materia appetit formam per id, per quod ordinatur ad eam, vt ad actum ſibi proportionatum; ſed per ſe ipſam ordinatur ad eam, vt ad actum ſibi proportionatũ: ergo per ſe ipſam appetit formã. Mai. prob. Pura potentia per ſe ipſam reſpicit primum actum, vt ſibi proportionatum, ſed materia prima per ſe ipſam eſt pura potẽtia: ergo per ſe ipſam petit, & ordinatur ad formam, quæ eſt actus primus, vt ad actum ſibi proportionatum.

219 Ob. 1. Appetitus elicitus eſt aliquid ſuperadditũ appetenti: ergo, & innatus: tenet conſeq. à paritate rationis. Confirm. appetitus eſt inclinatio; at inclinatio non eſt eſſẽtia rei, ſed cõſequitur eam: ergo appetitus materiæ eſt quid conſeq. & ſuperadditum eſſentiæ.

Neg. conſeq. quia cum appetitus elicitus tẽdat ad bonum extrinſecum appetẽti, debet diſtingui a ſubſtantia ipſius: nam ſubſtantia, cum in ſe ſiſtat, nequit per ſe ipſam ad extrinſeca ordinari: apetitus autem innatus materiæ ad formam eſt ad eſſe primum, & ſubſtantiale materiæ; vnde nihil mirum, quod ad formam per ſe ipſam ordinetur.

220 2 Reſp. quod appetitus elicitus convenit appetenti media cognitione, quæ diſtinguitur ab ipſo, & ideo ipſe quoque debet realiter diſtingui ab appetẽte; at appetitus innatus convenit appetẽti ratione propriæ entitatis, vt ab Auctore naturæ ad aliquẽ finem ordinatur, cumque ad aliquem finẽ contingat rem intrinſecè per ſe ipſam ordinari, fit conſeq. appetitum innatum poſſe eſſe à ſubſtantia appetentis indiſtinctum.

Ad conf. reſp. quod inclinatio materiæ ad formam non eſt eſſẽtia metaphiſica illius; eſt tamẽ eſſẽtia phyſica, ac ſubinde indiſtincta realiter ab ipſius entitate, quia inclinatio non ſẽper realiter, ſed re, vel ratione eſſẽtiam rei conſequitur.

221 Ob. 2. Quæ realiter ſeparantur, realiter diſtinguntur; ſed appetitus, quo materia deſiderat formam non dum habitã, ſeparatur à materia, ſiquidem, cum de curſu temporis illas acquirit, eas iam non deſiderat: ergo prædictus appetitus diſtinguitur realiter à materia.

Reſ-

Reſp. quod deſiderium formæ nondum habitæ ſeparatur à materia quoad denominationem, non quoad entitatem; quia ſeparatur quoad extrinſeca, quæ connotat in obliquo, non quoad intrinſecum, quod ipſa dicit in recto: eadem enim entitas, vt connotat privationem formæ, eſt, & dicitur deſiderium, vt vero connotat poſſeſſionem, eſt, & dicitur fruitio.

§. III.

Quo appetitu apetat materia formas.

222 Poſſumus loqui de formis, quas materia nō habet, & poteſt habere, vel de forma, quam actu poſsidet.

Prima Concluſio. Materia prima appetit formas, quas non habet, & poteſt habere, appetitu deſiderij. Prob. materia prima appetit formas; quas non habet, & poteſt habere; ſed appetitus materiæ terminatus ad formam, quam non habet, & poteſt habere, eſt appetitus deſiderij: ergo appetit prædictas formas appetitu deſiderij. Min. patet: Nam appetitus boni abſentis eſt deſiderium. Mai. vero prob. Quia res quælibet talem habet habitudinem ad ſuam perfectionem connaturalem, vt quando non habet ipſam, in eam tendat, quæ tendentia proculdubio eſt appetitus, cum ſit motus, & tendentia ad bonum conveniens: ergo cum forma ſit perfectio connaturalis materiæ, materia apetit formas, quas habere poteſt, quando eas actu non habet.

223 Etſi obijcias 1. Appetitus perfecte ſatiatus nequit aliquid appetere per deſiderium; ſed appetitus materiæ perfecte ſatiatur per vnum formam quia per illam habet quidquid perfectionis illi poteſt ex alia provenire: ergo quandiù vnam habet non poteſt aliam appetere appetitu deſiderij: ſed ſemper habet aliquam: ergo nullam poteſt deſiderare.

Conf. Materia dum eſt ſub vnâ forma, non indiget alia; ſed deſiderium fundatur in indigentia: ergo dum eſt ſub vna forma non deſiderat aliam.

Conf. 2. Materia dum eſt ſub vna forma, nequit habere aliam: ergo dum eſt ſub vna forma, non deſiderat aliam. Patet conſeq. Quia deſiderium naturale, ſivè innatum non eſt ad impoſsibile.

Conf. 3. Materia non appetit deſtructionem formæ, quam habet: ergo non deſiderat formam, quam non habet. Antecedens videtur certum. *Tum* quia appetitus non eſt ad malum, ſed eſt inclinatio ad bonū; deſtructio autem formæ nihil habet boni, ſed eſt malum quod-

dam. *Tum*, quia, gaudet, & complacet in forma, quam poſſidet: ergo non deſiderat deſtructionem eius. Conſeq. vero prob. Quia deſiderans finem, deſiderat media ex natura rei neceſſaria pro finis adeptione; ſed corruptio vnius formæ eſt medium ex natura ſua neceſſarium ad generationem alterius: ergo ſi materia deſideraret generationem novæ formæ, appeteret corruptionem formæ poſſeſſæ.

224 Reſp. neg. min. quia materia non perfecte ſatiatur, niſi per formam, per quam perpetuo poteſt conſervari; & cum forma, quam poſsidet, ſufficiens non ſit, vt per illam materia conſervetur, nam materiam amiſsibiliter informat; poteſt autem perpetuo conſervari per aliam, & alias plures invicem ſibi ſuccedentes, fit inde, quod appetitus materiæ non ita quieſcat in forma, quam poſsidet, vt ad alias deſiderandas pro duratione, in qua illam deficere contingat, non ſe extendat. Verum eſt, materiam per formam, quam poſsidet, habere intenſive quidquid habet per formam, quam poteſt habere: quia per eam ſubſtantialiter completur: non tamen extenſive, quia per vtramque propinquius accedit ad ſuum finem, nempe ad bonum vniverſi, quod varietate rerum per plures generationes, & corruptiones maxime conſiſtit.

225 Ad confir. reſpond. quod cum materia exiſtit ſub vna forma, indiget alia, vt conſervetur per illam, non vt conſervetur per illam, dum eſt ſub forma præſenti, ſed vt conſervetur per illam, cum forma præſens deceſſerit; ſicut habens vnam veſtem, etiam dum illam habet alteram ſibi providet; & quærit, non vt vtramque ſimul induat, ſed vt deficiente priori, alia ſuccedat, quo ſe veſtitum ſemper conſervet.

226 Ad 2. conſervationem reſp. quod materia dum eſt ſub vna forma, non poteſt habere aliam ſimul cum forma præſenti, ſed aliam ſecundum ſe, vel præciſive a forma præſenti, quod eſt poſſe habere aliã in ſenſu diviſo, non in ſenſu compoſito, ſicut ſedens poteſt currere, non coniungendo curſum cum ſeſsione, ſed ponendo curſum diviſum à ſeſsione: habet ergo materia, dum eſt ſub forma ſimul cum forma potentiam ad habendam aliam ſimultate potentiæ, non potentia ſimultatis, id eſt, potentia ad aliam formam habendam, eſt ſimul cum forma, quam poſidet, non tamen habet potẽtiam, vt aliam formam habeat ſimul cum ea, quam poſſidet.

127 Ad 3. confir. reſp.

1. quod materia appetit per ſe primo habere alias formas, & ſecundario deſtructionem formæ præſentis; quia licet deſtructio non poſsit eſſe de primaria intentione alicuius rei; eſt tamen de ſecundaria intentione vniverſi, cuius bonum in rerum variatione, & innovatione magna ex parte conſiſtens, aliter obtineri non poteſt; nec defectu bonitatis repugnat appeti: quia licet non habeat intrinſecam bonitatem, corruptio eſt bona extrinſece, cum ſit vtilis, & conducat ad bonum materiæ, & vniverſi; & licet materia complaceat in forma poſſeſſa, poteſt nihilominus eius abſentiam per accidens appetere: quia cum formam amiſsibiliter poſsideat, non ita perfecte complacet in vnius poſſeſsione, vt non poſſit appetere eiuſdem aliquando abſentiam, vt ſit locus ſucceſsioni formarum, quibus poſsit perpetuo conſervari.

228 2. Reſpond. materiam cum complaceat in forma, quam poſsidet, eiuſdem corruptionem non appetere; quia corruptio non quæritur, vt medium ad habendam novam formam, ſed eſt occaſio querendi, & appetendi novam formam; non enim materia deſiderat præſentem formam corrumpi, vt novam acquirat, ſed quia forma præſens corrumpi debet, appetit habere novam formam.

229 *Secunda concluſio. Materia prima non appetit apetitu deſiderij formam, quam habet.* Prob. Deſiderium eſt boni abſentis; vnde nemo deſiderat, quod habet; ſed forma quam materia actu habet, non eſt abſens: ergo illam materia non deſiderat.

230 Dices: Deſiderium non eſt boni abſentis poſitive, id eſt, boni, cuius carentia datur in eo inſtanti, in quo eſt deſiderium, ſed eſt boni abſentis præciſsiue, ideſt boni, cuius neque carentia, neque præſentia datur pro ſigno deſiderij, ſed præſcinditur ab vtroque: vt ergo materia deſideret formam, ſufficit, quod pro priori, quo cauſat illam, præſcindat ab exiſtentia formæ exiſtentis pro poſteriori.

231 Contra. Deſiderium eſt boni abſentis poſitive, & non boni præſcindentis à præſentia, & abſentia, ſed forma poſſeſſa non eſt abſens poſitive: ergo non datur in materia deſiderium formæ poſſeſſæ. Antecced. prob. Quia appetitus boni præſcindendo ab abſentia, & præſentia illius, eſt amor ſtrictus, ſed deſiderium non eſt amor ſtrictus: ergo. Prob. antec. Nam hi tres actus, amor, gaudium, & deſiderium diſtinguntur

tur in eo, quod desiderium eſt boni abſentis, gaudium boni præſentis; amor vero boni præſcindentis à præſentia, & abſentia.

232 Nec dicas, deſiderium diſtare ab amore ſtricte ſumpto per id, quod deſiderium eſt amor cauſativus, & procurativus boni abſentis præciſsive, amor vero ſtrictus tendit ad bonum abſens præciſsive, non procurando illius exiſtentiam, ſed ita vt ad ipſum per accidens ſe habeat, quod bonum ſit, vel non ſit futurum.

233 Contra: Amor procurativus boni eſt amor tendens ad bonum conſequendum; ſed amor tendens ad bonum cõſequendum non eſt boni abſentis præciſsive, ſed poſitive: ergo implicat in terminis, quod deſiderium ſit amor boni procurativus, & quod ſit boni abſentis præciſsive.

234 2. Cauſare, vt diſtinguitur à conſervare, eſt rem transferre de non eſſe ad eſſe: ergo amor cauſativus eſt amor tendens ad transferendum bonum de non eſſe ad eſſe: ſed huiuſmodi amor eſt boni abſentis poſitive: ergo deſiderium, ſi eſt amor cauſativus boni, eſt boni abſentis poſitive. Prob. min. Amor tendens ad transferendum bonum de non eſſe ad eſſe per ſe petit, quod bonum non exiſtat; ad amorem boni abſentis præciſsive per accidens ſe habet, quod bonum non exiſtat: ergo amor tendens ad transferendum rem de non eſſe ad eſſe, non eſt boni abſentis præciſsive.

235 Conf. Id appetit materia apetitu innato deſiderij quod ſi duceretur cognitione, poſſet per apetitum elicitum deſiderare; ſed appetitu elicito non poteſt deſiderare bonum abſens præciſsive: ergo. Prob. min. Id poteſt deſiderari, quod poteſt efficaciter intendi; at intendi non poteſt bonum abſens præciſsive: ergo. Prob. min. Intendi non poteſt efficaciter id, quod neſcitur, vtrum ſit conſequibile, nec probabiliter putatur poſſe conſequi, ſed bonum abſens præciſsive, eſt huiuſmodi: ergo. Prob. min. Bonum conſequibile eſt bonum abſens poſitive: nam, quod actu poſsidetur eſt conſervabile, non tamen conſequibile; ſed bonum abſens præciſsive neſcitur, nec probabiliter putatur abſens poſitive; ergo.

236 Denique. Ad actum gaudij non ſufficit, quod bonum non cognoſcatur, vt abſens: ergo ad actum deſiderij non ſufficit, quod bonum non cognoſcatur, vt præſens. Prob. conſeq. Quia ſicut de ratione gaudij eſt quies, & quies requirit poſſeſsionem, ac ſubinde præſentiam poſsitivam, ita de ra-

ratione deſiderij eſt motus, ſive tendentia, & motus petit diſtantiam, ac per conſequens abſentiam poſitivam: ergo.

237 Obijcies 1. Deſiderium eſt inclinatio in bonum de ſe cauſativa boni; talis eſt appetitus materiæ erga formam poſſeſſam: ergo deſiderat eam. Min. prob. Materia actu cauſat formam ex vi ſuæ inclinationis: ergo datur in ea inclinatio cauſativa formæ, quam poſſidet.

238 Reſpond. quod deſiderium non eſt inclinatio actu cauſans, nec conſervans bonum, ſed cauſativa boni in actu primo; ac proinde tendens ad illud cauſandum: cumque cauſabile non ſit bonum poſſeſſum, ſed ſolum bonum poſitive abſens, fit conſequens, quod deſiderium non ſit boni poſſeſſi, ſed boni poſitive abſentis.

139 Inſtas. Pro priori, quo materia cauſat formam materia appetit formam non appetitu gaudij; quia in illo priori præſcinditur à poſſeſſione, à qua præſcindere gaudium nequit: ergo appetitu deſiderij, & tamen non eſt abſens poſitive: ergo.

240 Reſpond. quod pro illo priori non appetit materia formam appetitu deſiderij, aut gaudij, ſed amoris ſtricti, qui conſiſtit in proportione, ſeu coaptatione materiæ cum forma, vt cum actu ſibi proportionato, præſcindendo ab eo, quod ſit præſens, vel abſens: nec in eo amore vllum apparet inconveniens, ſed videtur debere ſupponi in materia, vt principium gaudij, & deſiderij, ſi de his actibus, vel metaphorice, vel per proportionem ad actus appetitus eliciti, eſt philoſophandum

241 2. Reſp. quod ſicut in re forma debet eſſe præſens, vel abſens, in eo tamen priori præſcinditur ab vtroque, ſic in re nunquam materia non appetit formam per gaudium, vel deſiderium; in eo tamen priori præſcinditur ab vtroque: quia ſignum illud eſt ſignum cauſalitatis, non vero appetitus, eo quod deeſt obiectum ſufficiens ad aliquem determinatum actum terminandum.

242 Obijcies 2. In inſtanti reali, in quo iuſtus deſiderat augmentum ſanctitatis, datur illi pro poſteriori naturæ augmentum: ergo deſiderium non ſemper eſt boni abſentis poſitive.

243 Reſpond. quod appetitus elicitus non regulatur per ipſam præſentiam, vel abſentiam rei in ſe, ſed per præſentiam, vel abſentiam rei

in

in cognitione : ſquare dicimus conſequenter, quod ſicut non poteſt deſiderari appetitu innato bonum, quod in eodem inſtanti reali pro poſteriori naturæ poſsidetur, nec poteſt deſiderari per appetitum elicitum bonum, quod in eodem inſtanti reali pro poſteriori naturæ cognoſcitur poſsideri:quare ſit ita,quod iuſto deſideranti augmentum ſanctitatis, in eodem inſtanti prædictum augmentum conferatur: cæterum in eodem inſtanti non cognoſcet, ſe obtinuiſſe augmentum ſanctitatis.

244 Et ſi dicas: ſequitur ex hac doctrina, fieri non poſſe,vt iuſto deſideranti ſanctitatis augmentum, conferatur in eodem inſtanti augmentum,niſi habeat falſum iudicium, quo reputet illud abſens poſitive. *Reſp.* in ea hypotheſi dari in iuſto iudicium falſum ſpeculative, vti dantur plurima in iuſtis, qui nihil de ſe præſumentes deſiderant ſæpe bona ſpiritualia, quibus abundant,putantes ea ab ipſis longe diſtare.

245 Præterquamquod iuſtus non poteſt deſiderare, vt augmentum ſanctitatis conferatur ſibi in inſtanti, in quo illud deſiderat, quia exiſtimat, ſe pro tunc illo carere, & non poteſt deſiderari, vt aliquid ſit pro inſtanti, in quo putat illud non eſſe:deſiderat ergo,vt augmentum ſanctitatis conferatur ſibi in duratione ſequenti: poteſt ergo Deus conferre augmentum ſanctitatis in inſtanti. in quo iuſtus illud deſiderabat pro duratione ſequenti; non tamen poteſt moveri à prædicto deſiderio,quo tali,ad illud in inſtanti ipſius deſiderij conferendum: ex quo fit, quod poteſt Deus in eodem inſtanti, in quo iuſtus deſiderat præmium, præmium illi conferre, ſed non pro poſteriori naturæ, quia vbi vnum non movet ad alterum, nec eſt ratio alterius, ibi nullus eſt ordo,ſive prioritas reſpectu illius, ſed pura concomitantia: quo circa deſiderium iuſti non nititur in præſciſsione à præſentia, nec in poſterioritate præmij ad ipſum,ſed in exiſtimatione, qua putatur abſens augmentum, quod re vera concomitanter eſt præſens.

146 3.*Concluſio.Materia prima appetit appetitu gaudij formam,quam habet.* Hæc concluſio, ſicut altera præcedens, ſtatuitur contra nonnullos Recentiores, qui ſingulariter opinantur in hac parte, ſed probatur facile: nam gaudium eſt quies in bono poſſeſſo, ſed materia prima quieſcit in forma, quam poſsidet: ergo appetit illam appetitu gaudij.

247 2.Cui convenit deſiderium,nequit repugnare gaudium;ſed materiæ primæ convenit deſiderium formæ, dum eam non habet: ergo non re-

pugnat ei gaudium de forma, quam actu habet. Maior videtur nota ex terminis: quia deſiderium præſertim naturale, cum non ſit ad impoſsibile poteſt expleri: ſed expleto deſiderio, neceſſarium ſequitur gaudium: ergo.

248 3. Si materia exiſteret per poſsibile, vel impoſsibile abſque omni forma, eſſet in ſtatu anxio, & violento, quod ſi poſtea alicui formæ ſubijceretur, quieſceret, & anxietatem deponeret, veluti contenta, quia poſsideret, quod vehementer concupierat, ſed nihil aliud intelligimus nomine gaudij; hi enim actus, vt diximus, vel dicuntur de materia metaphorice, vel explicantur per proportionem ad actus appetitus eliciti: ergo datur in materia gaudium reſpectu formæ, quam habet.

249 4. Natura humana Chriſti D. appetit appetitu innato gaudij ſubſiſtentiam, quam poſsidet: ergo, & materia gaudet de forma poſſeſſa. Prob. antecedens. Humanitas Chriſti Domini gaudet, & eſt contenta cum illa ſubſiſtentia, ob cuius poſſeſsionem non appetit, nec deſiderat propriam ſubſiſtentiã, vt docent Thomiſtæ, ſed huiuſmodi eſt ſubſiſtentia, quam poſſidet: ergo.

250 Conf. Quia non deſiderat hoc bonum, eo quod alterum præſtantius poſsidet non deſiderat bonum præſtantius, quod poſsidet; ſed humanitas Chriſti D. non deſiderat propriam ſubſiſtentiam, quia poſsidet divinam: ergo non deſiderat, ſed gaudet divina.

251 Obijcies. Appetitus gaudij ſupponit bonum poſſeſſum; ſed nullus appetitus innatus materiæ ſupponit formam poſſeſſam: ergo nullus appetitus innatus materiæ eſt appetitus gaudij. Prob. min. Omnis appetitus identificatus cum materia præcedit formam poſſeſſam; ſed omnis appetitus innatus materiæ identificatur cum materia: ergo nullus ſupponit formam poſſeſſam.

252 Reſp. argumentum probare, quod lapis non gaudet de centri poſſeſsione, ſed illam deſiderat, cum eſt in centro: nam lapis, & appetitus innatus cum eo identificatus prior eſt poſſeſsione centri; imò probat, nullum in rerum natura dari appetitum innatum gaudij, quod eſt contra id, quod communiter docent Philoſophi in præſenti, dum appetitum innatum dividunt in appetitum deſiderij, & complacentiæ.

253 Itaque dicendum eſt gaudium innatum materiæ quoad entitatem præcedere formam, & illius poſſeſsionem, quo ad denominationem vero, ſive quoad terminationem, vtrumque ſupponit: quia gaudium innatum non eſt entitas mate-

riæ nude ſumpta, ſeu entitas materiæ connotans, & ſupponens formæ poſſeſsionem ſicut anxietas; & inquietudo materiæ caſu, quo ſpoliaretur omni forma, eſſet entitas materiæ, vt connotans privationem omnis formæ, quare ſicut anxietas illa poſſet deficere, adveniente aliqua forma, non defectu entitatis materiæ, ſed defectu connotati, ita deſiderium, & gaudium materiæ eſt entitas materiæ, vt connotans privationem formæ, vel vt connotans formæ poſſeſsionem: quare poteſt mutari deſiderium in gaudium, ſine intrinſeca materiæ mutatione, per ſolam variationem connotati.

§. IV.

An materia prima appetat omnes formas?

254 Loquimur de materia ſublunari: nam cæleſtis, cum ſatietur forma, quam poſsidet, vt pote inamiſsibiliter informante, alias præter eam non appetit.

155 *Concluſio. Materia ſublunaris appetit omnes formas ſublunares.* Ratio eſt: Materia ſublunaris appetit alias præter eam, quam poſsidet; ſed non eſt maior ratio vnius, quam alterius: ergo appetit omnes. Mai. prob. Materia prima appetit formam, vt perpetuo conſervetur; ſed conſervatur perpetuo non per ſolam formam, quam poſsidet, ſed per eam, & per alias: ergo. *Confir.* Singulæ formæ ſunt perfectio, & bonum materiæ: ergo materia appetit omnes.

256 Obijcies. Appetitus materiæ non eſt ad impoſſibile; ſed eſt impoſsibile, materiam habere omnes formas: ergo non appetit omnes. Prob. min. eſt impoſsibile, habere omnes ſimul: id eſt certum: eſt etiam impoſsibile habere omnes ſucceſsive: quia cum ſint infinitæ ſincathegorematice, non poteſt devenire ad vltimam; nec poteſt vnquam multitudo formarum exhauriri: ergo non poteſt habere omnes.

257 Conf. Materia nequit appetere omnes formas appetitu abſoluto, nec conditionato, ideſt, non deſiderat habere hanc, ſi deſint omnes aliæ, & illam, ſi deſunt omnes aliæ, & ſic de ſingulis; nec appetitu disiunctivo, ideſt, non deſiderat habere hanc, vel illam, vel illam: ergo nullatenus appetit omnes formas. Antec. pro prima parte videtur perſpicuum. *Tum*, quia materia dum eſt ſub vna forma, eſt ſatiata per illam: ergo non apetit abſolute omnes. *Tum* quia materiæ fieret violentia, ſi privaretur termino appeti-

tus abſoluti, at ſine violentia contingit, vt ei non concedantur omnes formæ: ergo non appetit omnes appetitu abſoluto.

256 Quod eas non appetat appetitu conditionato, prob. Quia, vel materia deſiderans formam equi, ſi deſint omnes aliæ, deſiderat, quod purificetur conditio, ideſt, quod omnes aliæ deſint, vt forma equi locum habeat, vel id non petit, ſed permiſsive ſe habet ad hoc, vt conditio purificetur. Si primum: appetitus erit abſolutus, vt patet, ſi ſecundum.

257 Contra 1. ergo materia prima, ita ſe gerit circa formam equi, vt deſideret illam habere, ſi omnes aliæ deſint, & illam nolit habere, ſi contingat, aliquam aliam poſsidere: ergo tam poteſt dici, materiam primam refugere formam equi, quam materiam primam deſiderare formam equi; ſiquidem ad vtramque conditionem materia permiſsive, aut indifferenter ſe habet.

258 2. Quia materia deſiderans formam equi ſub conditione, quod omnes aliæ deſint, ſupponit hanc conditionem eſſe naturaliter poſsibilem, vel non? Si non ſupponit, eodem iure dices, materiam cæleſtem appetere formam equi, ſi omnis alia forma ei deficiat, licet hæc conditio non ſit poſsibilis. Si ſupponit, ergo ſupponit aliquando defecturam materiæ omnem aliam formam; quia omnis potentia naturalis aliquando reducitur ad actum: ergo ſupponit purificatam conditionem; ac ſubinde appetitus ille non eſt conditionatus, ſed abſolutus.

259 3. Conditio ex terminis neceſſaria ad exiſtentiam conditionati, non reddit potentiam, aut appetitum conditionatum: vnde velle me currere ſub conditione, quod me moveant, & velle me videre ſub conditione, quod habeant potentiam viſivã eſt velle abſolutum; votum etiã profitendi in religione; ſub conditione, quod religio meam profeſsionem acceptet, eſt votum abſolutum: ſed deſiderium habendi formam equi ſub conditione, quod omnes aliæ deficiant, eſt apetitus formæ equi ſub conditione omnino neceſſaria ad exiſtentiam ipſius: ergo eſt abſolutus.

260 4. Appetitus nequit terminari ad formam ſub conditione conſequente formam: nam conditio debet conditionatum præcedere: vnde non poteſt Deus velle mihi primam gratiam, ſi promerear illam, ſed defectus alterius formæ conſequitur formam equi: nam generatio vnius eſt corruptio alterius: ergo nequit materia deſiderare formam equi ſub conditione, quod omnes aliæ deſint,

5. Qui

201 5. Qui deſiderat conditionate, purificata illa conditione, poteſt deſiderare abſolute, ſed materia non poteſt deſiderare abſolute formam equi poſita conditione, quod deficiat omnis alia forma: ergo ſub hac conditione non deſiderat materia formam equi. Prob. minor. Cum deficit omnis alia forma, tunc habet materia formam equi, ſed dum habet formam equi, non poteſt eam abſolute deſiderare: ergo cum deficiat omnis alia forma, nequit materia formam equi deſiderare.

202 *Tertia vero pars*, nempe, quod non appetat materia omnem aliam formam appetitu disiunctivo, prob. Quia appetere disiunctive omnes, ideſt, hanc, vel illam, vel illam formã non ſufficit, vt abſolute dicatur appetere omnes; ſicut eſſe neceſſarium ad equitandum hunc, vel illum, vel illum equum, nullo prętermiſſo, non ſufficit, vt dicatur omnem equum eſſe neceſſarium: nec quod ſit mihi neceſſarium exiſtere in hoc, vel in illo, vel in illo loco, ſufficit vt dicatur, neceſſarium eſſe mihi exiſtere in omni loco; at communiter conceditur materiam omnes formas appetere: ergo materia non apetit omnes formas appetitu disiunctivo.

263 2. Sequeretur, quod materia exiſtens ſub vna forma nullam deſideraret, ſed eſſet omnino ſatiata, cumque ſemper ſit ſub aliqua forma, nullam vnquam deſideraret. Sequela prob. Nam deſiderans hanc, vel illam nihil aliud deſideraret, quam formam indefinite, ſive non eſſe ſine aliqua forma; atqui deſideranti formam indefinite quæcumque illa ſit, per quamlibet formam fit ſatis: ergo:

264 Reſp. quod appetitus materiæ non eſt ad omnes formas metaphyſice poſsibiles, ſed ad omnes formas naturaliter poſsibiles; quia cum regatur cognitione Dei Authoris naturæ, vt ait Div. Thom. 1.2. quæſt. 40. art. 3. eſt maxime ordinatus, & ideo ſolum appetit formas, quæ producendæ ſunt ab agentibus naturalibus ſecundum ordinem, quem Deus ſtatuit in hoc vniverſo formæ autem hoc modo poſsibiles non ſunt etiam ſincathegorematice infinitæ, nec opportet, vt quodlibet individuum materiæ omnes formas recipiat: datur enim aliqua materia, quæ forte primam formam non amittet, vt aliqua pars terræ recondita in profundo, vel pars ignis in propria ſphæra: ſed ſufficit, quod materia ſecundum latitudinem ſuæ ſpeciei; & ſpectata ſecundum totam individuorum multitudinem omnes recipiat; ſicut vt homo appetat naturaliter omnes ſcientias, ſufficit, quod eas in collectione ſuorum individuorum recipiat.

265 Ad confirm. reſp. quod materia non appetit omnes formas conditionate, vel disiunctive; ſed abſolute, & determinate: quia dum eſt ſub vna forma appetit perpetuo conſervari, ac ſubinde appetit omnes naturaliter poſsibiles: ſiquidem omnes ſunt neceſſariæ, vt conſervetur, & licet huic, vel illi individuo materiæ, nulla fieret violentia, ſi omnis ei forma denegaretur; fieret tamen contra naturalem materiæ inclinationem, ſi ſpectata ſecundum multitudinem omnium individuorum, non omnes reciperet: quare licet ratio *ſub qua*, ſive terminus formalis appetitus materię ſit forma ſubſtantialis indefinitæ; ratio tamen *qua*, ſive terminus materialis ſunt omnes formæ in particulari; ita vt omnes appetat ſub ratione formæ, vel quia formæ ſunt.

266 Dices. Si materiæ non deficeret hæc forma, alterius non indiget: ergo nec alteram appeteret: nam appetitus ex D. Tho. hic lectio 25. fundatur in indigentia: tunc ſic: ergo appetit alias, quatenus præſentem poteſt amittere, & conſequenter appetit alias, ſi præſens ei forma non deſit. *Reſp.* quod ſi materiæ nunquam deeſſet forma, quam poſsidet, eſſet alter ordo à Deo in vniverſo conſtitutus; & tunc tranſeat, quod non fuiſſet ab Authore indita inclinatio materiæ ad alias formas: cæterum de facto materia informatur formis amiſsibiliter; vnde non appetit formas ſub conditione, ſi præſens deerit, ſed abſolute, quia præſens defectura eſt; quippe non eſt ſuſpenſa, ſed purificata conditio, & ideo appetitus nedum conditionate, ſed abſolute fertur in formas.

§. III.

Vtrùm materia prima appetat æqualiter omnes formas?

267 Concluſio eſt affirmativa, & communis; & prob. in hunc modum. Materia prima appetit plures formas, vt finem, quem per vnam conſequi non poteſt, conſequatur per plures; ſed ad hunc finem æque conducunt omnes formæ: ergo æque indifferenter appetit omnes. Mai. eſt certa, & conſeq. bona: nam menſura appetitus medij, eſt finis, & vtilitas ad ipſum: vnde intendens finem non appetit magis medium quo maius, ſeu in ſe perfectius, ſed quo vtilius. Min. vero prob. Finis, quem per vnam formam non poteſt conſequi materia, & poteſt conſequi per plures, eſt perpetua ipſius conſervatio; ſed ad materiæ conſervationem æque conducunt omnes formæ: ergo. Mai. prob. *Tum* ex his, quæ docet D. Thom. explicans Philoſophum lib. 2 de.

de Generat. text. 40. lect. 10. ibi : *alio modo complevit Deus materiæ deſiderium, perpetuando,ſcilicet,eius eſſe per continuam generationem.* *Tum* quia materia appetit formas propter indigentiam; at præciſſe indiget pluribus formis, vt conſervetur: nam cuiuſcumque alterius effectus formalis ipſi à forma provenientis non indiget materia, cum abſque eo per aliam formam poſsit exiſtere, & conſervari:ergo.

268 Obijcies 1. Materia prima appetit formam, vt eſt bona:ergo appetit magis formam meliorem, patet conſeq. nam ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter,ita magis ad magis.

269 Conf.Id magis appetit materia appetitu innato, quod ſi cognoſcitiva eſſet, magis appeteret appetitu elicito;ſed id,quod eſt melius, magis appeteretur ab ipſa rationabiliter appetente, ſi eſſet cognoſcitiva: ergo appetitu innato magis debet appetere materia formam perfectiorem. Mai. eſt certa. *Tum*, quia inclinatio elicita rationalis eſt conformis inclinationi naturali. *Tum*: quia appetitus innatus,cum ſequatur cognitionem Authoris naturæ, qui media vniuſcuiuſque inclinatione naturali,dirigit res ad ſuos fines,eſt maxime rationabilis.

270 Reſp. quod materia prima appetit formam, non vt eſt bona in ſe,ſed vt eſt bona ſibi,& quia omnes ſunt æqualiter bonæ materiæ, vtpote æqualiter convenientes, & conducentes ad eius conſervationem, idcirco omnes appetit æqualiter.

271 Dices. Forma perfectior magis perficit materiam; dat quippe materiæ eſſe perfectius:ergo eſt melior, nedum in ſe,ſed materiæ. *Reſp.* quod forma perfectior magis perficit materiam, perfectione neceſſaria compoſito, & vniverſo, quod rerum inæqualitate completur non vero materiæ, quæ ſecundum ſe ſpectata ſolum quærit propriam conſervationem.

272 Ad conf.reſp. quod nec appetitu innato, nec appetitu elicito appetitur magis medium,quod in eſſe entis eſt melius, ſed quod eſt melius in eſſe medij, id eſt, vtilius ad finem: quare, ſi ex duobus medijs æquæ vtilibus, vnum in ſe ſit altero perfectius, maior illa perfectio ſe habebit de materiali, nec poterit appeti magis ex intentione finis: vnde ſi materia eſſet cognoſcitiva,nec appetitu elicito appeteret magis formam perfectiorem, nec modo appetitu innato, qui perfectiſſima ducitur Authoris cognitione appetit magis formam præſtantiorem, imò exiſtens ſub meliori, v.g. ſub anima rationa-

li appetit alias minus perfectas, quin ideo velit malum, vel minus bonum: quia non eppetit illam, vt minus perfectam, ſed vt neceſſariam ad ſui conſervationem, cui anima rationalis, vtpote amiſsibiliter informans non erat ſufficiens.

273 Obijcies 2. Humanitas Chriſti D. terminata per divinam ſubſiſtentiam non appetit propriam; quæ ignobilior eſt: ergo nec materia exiſtens ſub anima rationali appetit aliã formam, quæ ſit anima ignobilior.

274 Reſp. quod humanitas Chriſti D. terminata per divinam ſubſiſtentiam non ideo nõ appetit propriam ſubſiſtentiam; quia hæc eſt ignobilior, ſed quia per divinam non terminatur amiſsibiliter; at materia informatur anima rationali amiſſibiliter, quare poteſt appetere aliam formam, etiam ſi illa ſit longe ignobilior.

§. VI.

Vtrùm materia prima appetat formas, quas amiſsit.

275 Supponendum eſt, reproductionem rerum eſſe naturaliter impoſsibilem, nedum ab extrinſeco, & quatenus Deus decrevit non concurrere cum agentibus naturalibus ad reproductionem, ſive reunionem formæ amiſſæ cum materia; ſed ab intrinſeco, & ex naturis rerum ſupra quarum vires, vt loquuntur Philoſophi, eſt regreſſus de privatione ad habitum, quod ſaltim à ſigno eſt certum, quia quod natura nunquam fecit, proculdubio fieri naturæ facultate nequit. Hinc mortui reſurrectio eſt opus omnino miraculoſum, à nullo agente naturali patrabile; eſſet autem potius mirabile, quod vniverſaliter denegaret Deus omni agenti naturali concurſum ad reproductionem, ſi ad eam ex ſe vires haberet ſufficientes. Plures huius dicti redduntur ab Auctoribus rationes, quas modo non vacat examinare, & ideo non diſputamus, ſed ſupponimus illud.

276 Communis ſententia Authorum, contra Vazquez, Hurt. Tellez, Suar. Peñafiel. Conimbric. Molina, & Rubio tenet materiam primam non ferri appetitu innato deſiderij in formas, quas ſemel amiſsit, ideſt materiam primam poſtquam amiſſit aliquam formam, nulla ratione eam amplius deſiderare. Hęc ſententia vera eſt, & à nobis defenſanda.

277 Nititur duplici teſtimonio D. Thom. quorum primum habetur 1. 2. q. 113. artic. 10. in corp. vbi ait: *In quibuſdam operibus miraculoſis invenitur, quod forma inducta eſt ſupra naturalem potentiam talis materiæ, ſicut in ſuſcitatione mortui vita eſt ſupra*

pra naturalem potentiam talis corporis : lib. 2. contragent. cap. 00. ratione 13. *In omni genere tantum ſe extendit potentia paſſiva, quantum potentia activa illius generis : vnde non eſt aliqua potentia paſſiva in natura, cui non correſpondeat aliqua potentia activa naturalis.*

278 Ex quibus hæc formatur ratio Nullus datur in materia appetitus ad terminum naturaliter impoſsibilem : ergo in materia non datur appetitus ad recuperandam formam ſemel amiſſam. Min. eſt certa ex prænotatis; & mai. videtur etiam per ſe nota: nam deſiderium prudens non tédit ad terminum, qui cognoſcitur impoſsibilis; ſed appetitus materiæ eſt appetitus prudens; quippe eſt appetitus innatus, per quem res quælibet ab Authore, qui poſsibilitatem, vel impoſsibilitatem termini comprændit, ſapientiſsime dirigitur: ergo.

279 Dices. Recuperationem formæ amiſſæ eſſe impoſsibilem defectu concurſus divini, quem Deus decrevit non concedere agentibus naturalibus propter bonum vniverſi, quod in novarum formarum generatione conſiſtit.

280 Contra. Ex ſupra dictis: lex de non concurrendo cum agentibus naturalibus eſt conformis naturis rerum : ergo impoſsibilitas reproductionis formæ amiſſę, nedum provenit ex divino concurſu, ſed ex intrinſeca, & naturali rerum exigentia, cui prædictus concurſus non eſt conformis : ſed concurſus Dei eo non eſt conformis inclinationi naturali rerum; quia effectus, ad quem datur, excedit vires; ac proinde inclinationem earum : ergo prædicta impoſsibilitas non oritur ſolum ab extrinſeco, ſed ab intrinſeca impotentia rerum naturalium. 2. Deus indidit rebus vires, & inclinationes, quæ ad componendum bonum vniverſi ſunt neceſſariæ, & denegavit eis vires, & inclinationes, quæ bono vniverſi, & illius exigentiæ ſunt contrariæ: nam menſura parfectionis partis eſt bonum totius : ergo ſi bonum vniverſi petit, ne producantur formæ corruptæ, res naturales non habent vires, vt formas ſemel amiſſas reproducant.

281 Dices ſecundo, recuperationem formæ amiſſæ eſſe naturaliter impoſsibilem; quia deeſt agens, quod illam poſſit reproducere, non quia in materia ſit diminuta, aut deperdita potentia naturalis; quia olim potuit eam recipere; quare nec aufertur à materia appetitus ad formam corruptam : nam appetitus materiæ non fundatur in facultate agentium naturalium; ſed in potentia paſsiva naturali ipſius materiæ.

282 Contra ex ſecundo teſtim. præcit. Div. Thom. vbi

vbi cauſa efficiens eſt naturaliter impoſsibilis, eſt naturaliter impoſsibilis effectus: ſed vbi effectus eſt naturaliter impoſsibilis, nulla datur potentia naturaliter receptiva illius: ergo ſi recuperatio formæ eſt impoſsibilis ex defectu agentis naturalis valentis illum reproducere, in materia prima non eſt potentia paſsiva naturaliter receptiva formæ corruptæ. Maior videtur non poſſe negari: nam effectus, qui non continetur in virtute alicuius efficientis potentis eum producere, non eſt poſsibilis: poſsibilitas enim effectus deſumitur ex poſſibilitate omnium requiſitorum vt exiſtat, inter quæ cum primis recenſetur concurſus cauſæ efficientis. Min. vero prob. 1. Nam receptivum alicuius formæ non eſt receptivum formæ repugnantis: ergo poſsibilis: ergo ſi repugnat effectus, qui poſsit naturaliter recipi, non datur in materia potentia, quæ poſsit illum naturaliter recipere.

283 *Secundo.* Quia, ſi eſt impoſsibilis potentia paſsiva tranſmutabilis ad actum, impoſsibilis eſt virtus activa tranſmutativa ad actum: ergo ſi eſt impoſsibilis virtus activa tranſmutativa potentiæ paſsivæ ad aliquem actum, impoſsibilis eſt potentia paſsiva tranſmutabilis ad actum. Ant. patet. Quia ideo eſt impoſsibilis virtus activa potens materiam cœleſtem tranſmutare ad aliam formam, quia materia cœleſtis eſt potentia paſsiva intranſmutabilis ad aliã formam. Conſeq. vero prob. quia non minus requirit ad tranſmutationem virtutem activam trãſmutantem, potentia paſsiva trãſmutabilis, quam potentiam paſſivam tranſmutabilem virtus activa tranſmutans.

285 *Tertio.* Quia potentia paſsiva eſſentialiter reſpicit agens, à quo poſsit recipere, ſicut eductiva, vel vnitiva paſſum ex quo poſsit formam educere, vel cui poſsit formam vnire: ergo vbi eſt naturaliter impoſsibile agens potens formam reproducere, vel reunire, repugnat potentia naturaliter receptiva formæ iterum productæ, ſive ipſi reuniendæ: quare recte docet Philoſophus 5. Meth. text. 15. & 9. Met. text. 2. & cum eo Div. Thom. quod non eſt in natura, aliqua potentia paſsiva naturalis, cui non correſpondeat aliqua potentia activa naturalis; quia, ſcilicet, cauſa materialis, in tantum poteſt recipere, quod agens naturale in ea poteſt introducere: ergo.

285 *Quarto.* Ideo deficit agens naturale, valens reproducere formam deſtructam, quia reproductio repugnat fini in hoc vniverſo à Deo intento: ergo quia materiam recipere formas, quas ſemel amiſsit, repug-

pugnat fini à Deo intento in hoc vniverſo, dicendum eſt, in natura non dari potentiam naturaliter receptivam formæ amiſſæ.

286 Dices iterum, quod forma ſemel amiſſa redditur impoſsibilis, non per ſe, ſed per accidens; quia redditur impoſſibilis ex ſuppoſitione, quod præceſſerit in materia, quæ ſuppoſitio non immutat eſſentiam formæ, ac ſubinde eſt ei accidentalis; at ſuppoſitio accidentalis, ſicut non tolit abſolutam poſsibilitatem termini, ita non tollit, quod abſolute detur potentia, & appetitus ad illam, ſed quod non detur potentia ad illam coniungendam cum ſuppoſitione, ex qua per accidens redditur impoſsibilis; ſicut in materia exiſtente ſub vna forma impoſsibilis eſt alia; quia tamen hæc ſuppoſitio eſt accidentalis, ſicut non tolit abſolutam poſſibilitatem alterius formæ, ita nec tolit quod materia abſolute poſsit illam recipere, ſed quod poſsit illam recipere cum forma præſenti, cuius ſuppoſitio reddebat alteram formam per accidens impoſsibilem.

287 In primis ex hac ſolutione habemus materiam primam non deſiderare recuperare formam, quam amiſsit: nam recuperare involvit formam, vt coniungendam cum eo quod præceſſerit, & defecerit: ergo ſi ad formam prout ſic coniungendam non datur in materia potentia naturalis, aut appetitus innatus, in materia non datur potentia naturalis, nec appetitus innatus ad formas, quas ſemel amiſsit, recuperandas.

288 Deinde prob. quod poſtquam materia aliquam formam amiſsit, nullus in ea manet appetitus ad illam, nec ſecundum ſe, nec prout coniungendam cum prædicta ſuppoſitione. Suppoſitio accidentalis, quæ deſtruit obiectum formale potentiæ, vel appetitus, deſtruit abſolute potentiam, vel appetitum; ſed illa ſuppoſitio nimirum quod forma præceſſerit, & defecerit, deſtruit obiectum formale potentiæ naturalis: ergo deſtruit potentiam naturalem. Conſeq. tenet, & min. videtur certa: quia quomodocumque deſtruatur ſpecificativum potentiæ, deficit potentia: vnde quod peccatum ſit Beato ex ſuppoſitione accidentali beatitudinis impoſſibile, ſufficit, vt in eo non ſit potentia peccandi, quod etiam reſpectu eiuſdem futuritio beatitudinis deficiat ex ſuppoſitione accidentali poſſeſsionis eius ſufficit, vt in eo non ſit potentia ſperandi, præterea, quia ex ſuppoſitione accidentali poſſeſsionis formæ, forma iam non eſt abſens, ſed præſens, ſufficit, vt in materia non ſit reſpectu illius appetitus deſiderii; non alia ratione, niſi, quia in his ſuppoſitionibus accidentalibus per illas

deſtruitur obiectum formale potentiæ, vel appetitus: ergo ſuppoſitio accidentalis deſtruens obiectum formale potentiæ, & appetitus, deſtruit potentiam ipſam, & appetitum.

289 Min. vero prob. Obiectum formale potentiæ paſsivæ naturalis eſt forma, abſolute poſsibilis virtute agentis naturalis; ſed prædicta ſuppoſitio tollit, quod forma ſit abſolute poſsibilis virtute agentis naturalis: ergo tollit obiectum formale potentiæ naturalis, & apetitus. Prob. min. Forma, quæ redditur impoſsibilis per ſuppoſitionem viribus naturæ inauferibilem, redditur abſolute impoſsibilis virtuti agentis naturalis; ſed illa ſuppoſitio, nempe, quod forma præceſſerit, & defecerit, eſt ſuppoſitio viribus naturæ, imò per quamcumque potentiam inauferibilis; ad præteritum quippè nulla eſt potentia: ergo forma, quæ per illam ſuppoſitionem redditur impoſsibilis redditur impoſsibilis abſolute, ac ſubinde illa ſuppoſitio reddit formam abſolute impoſsibilem virtuti agentis naturalis.

290 Conf. ideo materia exiſtens ſub vna forma appetit aliam, quia licet obiectum huius appetitus ſit forma, vt habenda ſeorſim à forma præſenti; & hoc ſit impoſsibile ex ſuppoſitione, quod exiſtat in materia forma præſens; hæc tamen ſuppoſitio eſt auferibilis naturaliter: ergo obiectum appetitus materiæ eſt forma, vt naturaliter poſsibilis: ergo materia non appetit formam, quæ per ſuppoſitionem inauferibilem redditur impoſsibilis.

291 Si dicas. Materia in inſtanti, in quo habeat vnam formam, eſt potens naturaliter recipere aliam in eodem inſtanti; & tamen pro eodem inſtanti eſt impoſsibilis altera, ex ſuppoſitione pro illo inſtanti inauferibili: ergo impoſsibilitas formæ ex ſuppoſitione etiam inauferibili non tollit potentiam materiæ naturalem. Min. eſt certa: quia ſuppoſitio reddens impoſsibilem alteram formam pro hoc inſtanti, eſt exiſtentia formæ præſentis in materia pro eodem inſtanti; at hæc ſuppoſitio eſt inauferibilis: quia res quandiu eſt, neceſſe eſt eſſe: ergo.

292 Poſſet reſp. primo, quod in materia non eſt potentia ad recipiendam formam diſtinctam ab ea, quam poſsidet in eodem inſtanti propter rationem factam in argumento. *Secundo. Reſp.* quod materia in hoc inſtanti habet potentiam ad recipiendum in hoc inſtanti alteram formam; quia in eo inſtanti pro aliquo priori intelligitur ſine forma præſenti, ac ſubinde potens indifferenter recipere quamcumque formam. Obiectum enim potentiæ mate-

riæ

riæ eſt forma ſecundum ſe, & vt pro priori aliquo præſcindens à forma præſenti; qua ratione adhuc conſideratur naturaliter poſsibilis in hoc inſtanti; at reſpectu formæ præteritæ, aliter materia ſe gerit, quia reſpectu illius nullam poteſt exercere prioritatem, cum nullam poſſit exercere cauſalitatem, in quo prioritas naturæ conſiſtit, aut fundatur: quare forma præterita pro nullo priori ad ſuppoſitionem præteritionis conſideratur naturaliter poſsibilis; & conſequenter nulla datur in materia potentia naturalis reſpectu formæ præteritæ.

293 Secundo prob. concl. Appetitus naturalis non eſt ſola capacitas ad habendam formam: nam donorum ſupernaturalium eſt capax natura humana; ad quas tamen nullum habet innatum appetitum, ſed eſt capacitas cum aliqua exigentia, & debito; at materia ad formā, quam ſemel amiſsit, nullam hic, & nunc habet exigentiam, nec ex parte formæ hic, & nunc datur vllum debitum: ergo ad formam, quam ſemel amiſsit, nullum materia habet appetitum. Min. prob. Nā potētiæ naturali materiæ non debetur hic, & nūc forma, quæ ſolum poteſt ei ſupernaturaliter conferri: ergo.

294 Conf. Deſiderium innatum eſt appetitus naturalis, & practicus ordinatus ad executionē, & ad eam aliquomodo impellens; ſed non datur in materia appetitus naturalis ordinatus ad executionem formæ amiſſæ, & ad eam aliqualiter impellens: ergo non datur in materia deſiderium innatum formæ amiſſæ. Prob. min. quia appetitus naturalis ſolum poteſt ordinari ad executionem naturalem, & ſolum poteſt impellere agens naturale; atqui reſpectu formę amiſſæ, nec eſt poſsibilis executio naturalis, nec datur agens naturale: ergo in materia non datur appetitus naturalis ordinatus ad executionem formæ amiſſæ, & ad eam aliqualiter impellens.

295 Non tamen negamus in materia naturalem proportionem cum forma amiſſa, vi cuius, ſi ei, vt cumque cōmunicetur, gaudebit de illius poſſeſsione, & cum ea compoſitum naturale conſtituet. An vero hęc proportio dicenda ſit aliquis appetitus aliquid habet diſsidij inter Authores: parum refert eam vocari appetitum amoris ſtricti, ſivè appetitum, quaſi ſpeculativū, quia ſiſtit in ſola forma, & non reſpicit executionē: numquam tamen dici poteſt appetitus deſiderij; hic enim eſt practicus, & reſpicit agēs, quod poſſit in materia formā introducere

296 Obiic. 1. Poſt corruptionē vnius formæ manet in materia potentia naturalis receptiva illius: ergo manet in materia appetitus ad formam amiſſam,

ſam. Prob. ant. Materia per ſe ipſam, & non per aliquid ſuppe-raditum habet rationem potentiæ naturalis receptivę omnium formarum; ſed poſt corruptionem vnius formæ perſeverat materia: ergo perſeverat appetitus ad illam.

297 Inſtatur argumētum: Materia per ſe ipſam deſiderat formas, quas non habet, & tamen poteſt acquiſitam aliquam perſeverat materia, & ceſſat deſiderium: cur ergo nō obſtante, quod materia per ſe ipſam ſit potentia natnralis, non poterit poſt corruptam aliquam formam deficere potentia, perſeverante materia.

298 Itaque reſp. quod materiam eſſe potentiam naturalem duo involuit, vnum in recto, ſcilicèt entitatem materiæ, & alterum in obliquo, nēpè poſsibilitatem formæ; igitur poſt corrumptam formam deficit materiæ ratio potentiæ, non ex defectu rei, ſcilicèt materiæ, ſed ex defectu obliqui, nempe poſsibilitatis formæ.

299 Iuſtas. Poſt corruptionem, forma remanet poſſibilis: ergo non deficit potētia materiæ defectu poſsibilitatis formæ. ant. prob. quia poſsibilitas formę eſt illi eſſentialis, ęterna, & independēs à quacumque ſuppoſitione accidentali: ergo.

300 Reſp. quod poſsibilitas logica conſiſtēs in nō repugnantia ad exiſtēdum, ſivè in cōnexione prædicatorum eſſentialium, eſt eſſentialis formæ, æterna, & independens à quavis ſuppoſsione accidentali; poſsibilitas etiam obedientialis eſt à forma inſeparabilis: cæterum poſsibilitas phyſica, & naturalis depēdēs ab activitate agētium naturalium nō eſt eſſentialis, & æterna, ſed dependēs ab aliqua ſuppoſitione accidētali, nēpe ab eo quod forma non ſit ſemel producta, qua ceſſante ceſſat activitas agētis naturalis: & conſequēter formæ poſsibilitas naturalis; cūque obiectum potētiæ naturalis materiæ non ſit forma ſecundū ſe, & ſecundum ſua prędicata eſsētialia, ſed forma, vt poſsibilis per activitatem agētium naturaliū fit conſequēs, quod poſt corruptionē formę, cum nullu agēs naturale valet illam reproducere deficit potētia naturalis in materia ex defectu termini, vel obiecti, quod cōnotat in obliquo.

301 Et ſi dicas. Si Deus vellet parare concurſum ad ſecundam productionē formæ, agētia creata poſſent illam reproducere cum æquali concurſu ei, quo illam primo producerēt: ergo adhuc poſt corruptionē manet forma in virtute agētiū naturaliū. Ant. prob. Quia ad ſecūdā productionē non requiritur maior virtus, quam ad primam.

302 Reſt. quod concurſus Dei cum pertineat ad actum ſecundum, debet ſupponere virtutem in agente creato, cumque

ad

ad reproductionē agens creatū virtutem non habeat, Deus non poteſt illi præbere concurſum, quo formā iterum producat, ſicut igni, ſi nullam ei virtutem ſupperraddat, non poteſt præbere cōcurſum, quo cumburat: poterit ergo Deus præſtare cōcurſum creaturæ, vt mortuum ſuſcitet, ſed prius ei concedet virtutē inſtrumentariā, qua in actu primo poſsit mortuum ſuſcitare: ex quo ſolū ſequitur quod poſt corruptionem formæ ſit in forma poſsibilitas obedientialis per ordinē ad Deum agentem ſupra leges naturæ, & per ordinem ad creaturas, vt inſtrumenta Dei Auctoris ſupernaturalis, non tamen ſequitur, quod in ea ſit poſsibilitas per ordinē ad propriam virtutem agentium naturalium, nec per ordinem ad Deum, vt iuxta naturæ leges operantem.

303 Obiic. 2. Multæ ſunt formæ ſecundum ſe poſsibiles, quæ numquam erunt; quia Deus decrevit, ne vnquam producerētur, quo decreto poſito, ſunt impoſsibiles, & tamen materia habet appetitum innatum ad eas: ergo ſi forma corrupta ex eodē decreto divino ſit facta impoſsibilis; nihilominus materia habebit naturalem appetitum ad illam.

304 Neg. conſeq. quia formæ quæ nunquam ſunt productæ continētur in virtute agētiū naturalium; vnde non ſunt impoſsibiles ſecundum ſe, nec reſpectu agētium naturalium; ſed tā tum nō futuræ; formæ vero corruptæ non amplius continentur in virtute agētium naturalium, inquorum virtute reproductio minimè continetur.

305 Obijc. 3. D. Th. 1. p. q. 76. art. 1. ad 6. vbi ait: animam rationalem ſeparatam à corpore habere naturalē inclinationem ad corporis vnionem, ſicut corpus levè ſeparatum à proprio loco habet aptitudinē, & naturalem inclinationem ad huiuſmodi locum; ſed vnio animæ ad corpus, à quo ſemel eſt ſeparata, non poteſt fieri ab agēte naturali; quia reſurrectio eſt opus miraculoſum: ergo materia poteſt apperere innate vnionem cum forma amiſſa; etiam ſi talis vnio ſit naturaliter impoſsibilis.

306 Reſp. quod D. Th. eſt intelligendus de appetitu, quaſi ſpeculativo, & ſimplicis cōplacentiæ, qui nihil eſt aliud, quam proportio cum materia, vt cum propria potentia, media qua poteſt totum componere: non vero de appetitu deſiderij, & practico ordinato ad executionē: ad primum quippe appetitum ſuffi; cit, quod vnio dum materia ſit bonum naturale conveniens, & perfectivum animæ rationalis: ad ſecundum vero erat neceſſarium, quod prędictum bonum eſſet naturaliter conſequibile; cumque naturaliter

revnio animæ cum corpore exe cutioni nequeat mandari; fit inde, ad prædictam vnionem nullum habere animam practicum, & deſiderij appetitum innatum.

307 Inſtas. Imperfectum naturaliter deſiderat ſuam perfectionem, & incompletum naturaliter deſiderat compleri, ſed anima rationalis in ſtatu ſeparationis eſt imperfecta, & incompleta: erga nedum ſpeculativè appetit, ſed praticè deſiderat vnionem, qua completur, & perficitur.

308 Reſpond. quod imperfecto debetur naturaliter perfectio, & incompleto eius complementum; quia debet eſſe aliquando naturaliter poſsibile; quia tamen in aliqua ſuppoſitione contingit, eſſe impoſsibile rei complementum per ordinem ad agens naturale, poteſt in aliquo ſtatu id, quod imperfectum eſt, non appetere naturaliter ſuam perfectionem; nec id, quod incompletum eſt, proprium complementum: quo circa anima rationalis in ſtatu ſeparationis non appetit innate vnionem, per quam perficitur, & completur.

309 Obiicies 4. Res quælibet corruptibilis appetit innate perpetuo conſervari: vnde homo appetit vitam, etiam quando de ſalute illius deſperatur; ſed eam conſervari in perpetuum eſt naturaliter impoſſibile; ergo datur appetitus innatus ad impoſsibile. *Confir.* Ignis babylonicus in circunſtantijs, in quibus Deus ei denegabat concurſum, appetebat combuſtionem; ſed in illis circunſtantijs erat combuſtio impoſsibilis: ergo idem, quod prius. *Confirmat.* 2. Cæcus naturaliter appetit viſum, cuius tamen reſtitutio eſt naturaliter impoſsibilis: ergo.

310 Reſp. quod res corruptibiles nec petunt, nec appetunt perpetuo conſervari, ſed protrahere ſuam durationem, quantum per virtutem cauſarum naturalium eſt poſsibile: vnde homo non appetit per appetitum innatum, ſed per elicitum vitam, ſi quando de ſalute illius deſperatur, ſalus eſt naturaliter, ſivè per ordinem ad omnes cauſas naturales impoſsibilis.

311 Et ſi dicas *primo*: etiam in illis circunſtãtijs homo naturaliter refugit mori: ergo naturaliter appetit vivere. *Secundo.* Tunc homo appetitu elicito naturali appetit vitam; ſed appetitus elicitus naturalis eſt conformis inclinationi naturali: ergo tunc inclinatione naturali homo appetit vitam.

312 Reſp. quod adhoc, vt homo naturaliter refugiat mori, ſufficit naturalis proportio hominis cum vita, vt cum propria, & ſibi conveniẽti perfectione; ad deſiderium vero vitæ vltra proportionem iſtam

requiritur ordo ad executionē, qui minime datur, quando vita eſt naturaliter impoſsibilis: verum quidem eſt, fugam illam non eſſe practicam, nec concernentem executionem: quia fuga practica eſt mali naturaliter evitabilis, & mors in illo eventu ſupponitur naturaliter evitari non poſſe: erit ergo fuga ſpeculativa, & per modum diſplicētiæ, quæ nihil eſt aliud, quam improportio, & diſconvenientia mortis ad hominem. Ad 2. *replicam* reſpond. quod appetitus elicitus naturalis inefficax, & conditionatus, qualis eſt ille, quo quis in illis circumſtantijs deſiderat vitam, non fundatur in appetitu innato practico, & per modum deſiderij hominis ad vitam in eo eventu, ſed in iam explicata proportione, & appetitu innato, quaſi ſpeculativo hominis ad vitam, nullo habito reſpectu ad eius executionem.

313 Ad 1. conf. reſp. quod ignis babylonicus in illis circumſtantijs appetebat combuſtionem: nam ad appetitum ſufficit, quod aliqua potentia ſit privata bono naturali ſibi proportionato debito, & poſsibili virtute Dei agentis ſecundum leges naturæ, quod totum contingebat in illo caſu; erat quippe combuſtio actus, ſivè perfectio naturalis igni proportionata debita, & poſsibilis concedi à Deo Authore naturæ; quia concurſus, ob cuius præcisè defectum, ignis non comburebat, debebat præſtari à Deo operante ſecundum leges naturæ.

314 Cum vero obijcitur, quod combuſtio in eo eventu erat impoſsibilis. *Reſpond*, quod adhuc perſeverabat in virtute cauſarum naturalium: quia non erat impoſsibilis defectu virtutis in igne, nec defectu alicuius requiſiti impoſsibilis Deo vel ſaltim indebiti, ſed defectu requiſiti poſsibilis, & debiti preſtari ab ipſo, vt ab Authore naturæ; quo circa, ſicut tunc habebat ignis ius phyſicum ad concurſum, ita habebat appetitum naturalem ad comburendum; at forma amiſſa facta fuit impoſsibilis ex aliqua ſuppoſitione, nec auferibili, nec indebita, aut miraculoſa, ſed conformis naturalis rerum, ſcilicèt, ex ſuppoſitione, quod forma fuerit corrupta: vnde illa non manet amplius in virtute agentis naturalis, ac per conſequens, nullus in natura ad eam datur appetitus.

315 Ad 2. conf. patet ex ſe dictis, cæcum appetitu innato practico, & ordinato ad executionē non deſiderare viſum: quia reſtitutio illius, licèt ex parte termini ſit naturalis: quia viſus, qui poteſt reſtitui, naturalis eſt; tamen eſt ſupernaturalis ex parte modi, ſivè quoad fieri: quia in nullius cauſæ naturalis virtute continetur:

quare ſolum appetit cæcus viſum appetitu elicito conditionato, vel inefficaci conformi naturis rerum propter appetitū innatum ſpeculativum, ſivè naturalem proportionem, quam habet homo cum viſu ſecundū ſe, vt cum perfectione ſibi maxime proportionata.

316 Dices. Si miraculoſe viſum reciperet, naturaliter gauderet de illius poſſeſsione: ergo cum carebat viſu, naturaliter illum deſiderabat: nam gaudium ſuccedit deſiderio. *Reſp.* quod quando gaudium eſt de perfectione, quæ deerat, & eſt naturaliter acquiſita, gaudium innatum ſuccedit deſiderio innato; ſi vero gaudium innatam ſit de perfectione ſupernaturaliter acquiſita, minime ſuccedit deſiderio innato; ſicut enim gaudium de poſſeſsione rei non ſuccedit deſiderio, quādo res modo poſſeſſa non fuit prius abſens poſitivè; quo circa materia cœleſtis gaudet de poſſeſsione ſuæ formæ, quin prius eam deſideraverit: ita gaudium innatum de acquiſitione formæ non ſuccedit deſiderio innato eiuſdem, quando forma adveniens non erat prius naturaliter acquiſibilis; quo circa cæcus naturaliter gaudet de viſu, quem prius appetitu innato minimè deſiderabat.

ARTIC. VIII.

De vnitate materiæ primæ.

SI Metaphyſicos conſulamus inter cuiuslibet entis proprietates recenſetur vnitas: quare proprietates materiæ percurrentes non potuimus eius vnitatem prętermittere.

§. I.

Vtrum materia prima ex ſe habeat vnitatem ſpecificam poſitivam.

317 DVplex eſt vnitas, altera poſitiva, altera negativa: vnum poſitivè dicitur, quod in ſe habet principium diſtinctionis ſpecificæ ab alijs; vnum vero negativè, quod caret principio illud ſpecificè multiplicante.

318 *Concluſio. Materia prima ex ſe non habet vnitatem ſpecificam poſitivam, ſed tantum negativā.* Prob. ex D. Th. 5. Met. lect. 4. dicente: *Quod materia prima nullam habet ſpeciem:* & 1. part. quæſt. 16. artic. 1. ad 2. inquit *Materia prima dicitur eſſe vna, non quia habet vnam formam, ſicut homo eſt vnus ab vnitate vnius formæ, ſed per remotionem omnium formarum diſtinguentium.*

319 Et prima pars con-

concl. prob. Quod non habet ſpeciem poſitivam, non habet vnitatē ſpecifiicam; poſitivam; ſed materia ex ſe nullam habet ſpeciem poſitivam: ergo non habet vnitatem ſpecificam poſitivam. Mai. eſt certa: quia vnitas ſpecifica poſitiva eſt indiviſio ſpeciei poſitivæ. Min. vero prob. quia ſpecies eſt eſſe determinatum, ſed materia prima non habet ex ſe aliquod eſſe determinatum: ergo non habet ſpeciem poſitivam. Prob. min. Materia prima non habet ex ſe id, ad quod eſt in potentia; ſed materia prima eſt ex ſe in potētia ad eſſe: ergo materia ex ſe non habet eſſe.

320 Conf. 1. Ex duabus eſſentijs poſitivis non fit vna eſſentia, ſed ex materia, & forma fit vna eſſentia: ergo materia, & forma non habent propriam eſſentiam, ſed ſunt partes vnius eſſentiæ; at qui non aliter ſunt vnius eſſentiæ partes, niſi quatenus vna, ſcilicèt forma ingreditur ad eius conſtitutionem per modum actus dantis eſſe, & altera per modum potentiæ recipientis eſſe: ergo materia non eſt ex ſe aliqua eſſentia determinatè, ſed indifferens, vt per formam ad aliquam determinetur.

321 Confir. 2. Lignum, quia nullam habet determinatè formam artificialem, ſed eſt indifferens, & in potentia ad omnes, non eſt ex ſe in aliqua ſpecie poſitiva artificiali; ſimiliter actus indifferens ſecundum ſpeciem: quia non habet ex ſe determinatè bonitatem, aut malitiam, ſed eſt indifferens, vt ex circunſtantijs reddatur bonus, aut malus, non eſt ex ſe in aliqua ſpecie moralitatis: ergo, quia materia ex ſe nullum habet eſſe determinatè, ſed potentiam ad illud in nulla ſpecie poſitiva entis debet conſtitui.

322 Denique. Prima ſpecies determinata, & poſitiva provenit materiæ à forma: ergo materia ex ſe non habet ſpeciem poſitivam. Ant. prob. Prima ſpecies eſt primum eſſe ſimpliciter, ſed materiæ provenit à forma primum eſſe ſimpliciter: ergo provenit illi à forma prima ſpecies. Quæ his rationibus poſſunt reſponderi impugnata ſunt ſupra art. 2. & 3. huius quæſt. dum probavimus, materiam nullum habere actum metaphyſicum, nec entitativum: videantur ibi.

323 *Secunda pars concl.* Nempe quod materia ex ſe habet vnitatem ſpecificam negativam prob. Quia vnitas ſpecifica negativa conſiſtit in carentia principij diſtinguentis ſpecificè inter ſe plures materias; ſed materia prima ex ſe caret principio diſtinguente ſpecificè materias: ergo materia prima habet vnitatem ſpecificam negativam. Min. patet: Nam idem eſt diſ-

diſtinctivum, & conſtitutivum, ſed caret materia prima principio conſtituente eam in ſe: ergo caret principio illam ſpecificè diſtinguente. Hæc tamen ratio niſi aliquid addatur ei, multum probat: nam probat, materiam eſſe eiuſdem ſpeciei negativè cum forma ſublunari: quia materia caret principio eam ſpecificè diſtinguente à forma ſubſtantiali: probat etiam, materiam ſublunarem, & cæleſtem eſſe vnius ſpeciei negativè; carent enim principio eas diſtinguente ſpecie.

324 Vt ergo aliqua ſint vnius ſpeciei negativè, non ſufficit. quod careat prædicto principio; ſed vlterius requiritur, quod conveniant in eo, quod fundat carentiam talis principij ſpecies quippe negativa non eſt ſola carentia ſpeciei poſitivæ, ſed ordo indeterminatus ad illam; cumque materia fundet carentiam principij formalis, quod eſt principium ſpecificè diſtinguēs, ſcil. ordo ad formā per modum puræ potentiæ, illa erunt vnius ſpeciei negativè, quæ conveniunt in carentia principij diſtinguentis fundamentaliter ſumpta, in eodem ſcilicèt ordine per modum puræ potentiæ ad formam ſubſtantialem: illa vero nō: erunt vnius ſpeciei, etiam negativè, quæ non ſolum conveniunt in carentia principij diſtinguentis, ſed etiam in fundamento carentiæ, nempe in ratione puræ potentiæ.

325 Ex qua doctrina ſic prob. 2. pars concl. Illud eſt vnum vnitate ſpecifica negativa, cuius omnia individua conveniunt ſine diverſitate eſſentiali in ordine indeterminato ad ſpeciem poſitivam, per modum ſubiecti potentis determinari ad illam; ſed datur materia prima, cuius omnia individua ſic conveniunt: ergo datur materia prima habens ex ſe vnitatem ſpecificam negativam. Prob. min. Omnes materiæ ſublunares conveniunt ſine diverſitate eſſentiali in ordine indeterminato ad formas corruptibiles, quæ ſpecies poſitivas conſtituunt per modum puræ potentiæ potentis determinari ad illas: ergo. Prob. ant. Ille ordo per modum puræ potentiæ ad omnes formas corruptibiles eſt vnus ſine diverſitate eſſentiali; ſed omnes conveniunt in illo ordine: ergo omnes conveniunt in eodem ordine ſine diverſitate eſſentiali. Prob. mai. Ordo per modum puræ potentiæ ſumit ſuam vnitatem, aut diverſitatem, ab actu adæquato, quem reſpicit, non ab inadæquato, ſed actus adequatus, quē reſpicit ille ordo, eſt vnus & idem, ſcilicèt tota collectio formarum corruptibilium: ergo ordo ille per modum puræ potentiæ eſt idem.

326 Obijcies contra p. i-

primam partem concluſionis. Species potentiæ deſumitur ex ordine ad actum: ſed materia ſublunaris dicit ex ſe ordinem poſitivum ad proprium actum, ſcilicèt ad formam amiſsibiliter informantem: ergo eſt ex ſe in ſpecie poſitiva, ac ſubinde habet ex ſe vnitatem poſitivam ſpecificam.

327 Conf. 1. Materia ſublunaris ex ſe eſt ens poſitivum: ergo habet eſſentiam poſitivam: ergo vnitatem eſſentialem poſitivam: patet conſeq. quia vnitas eſt paſsio; ſed non habet vnitatem genericam: ergo ſpecificam poſitivam.

328 2. Materia ſublunaris habet ſpecificam diſtinctionem poſitivam à cæleſti; eſt enim diſtinctæ ſpeciei poſitivè à cæleſti: ergo habet ex ſe vnitatem ſpecificam poſitivam: nã per eandẽ vnitatẽ eſt res quælibet indiviſa in ſe, & diviſa à quolibet alio.

329 Diſt. min. materia ſublunaris dicit ex ſe ordinem puræ potentiæ indifferentis ad eſſe, conc. min. ordinem per modum ſubiecti ex ſe habentis eſſe, neg. min. & conſeq. Quia non quilibet ordo etiam poſitivus conſtituit ſpeciem poſitivam, ſed ordo conſtituens rẽ in aliquo eſſe determinato, non ille, qui rem conſtituit in indeterminatione, ſiuè in indifferentia ad eſſe.

330 Ad conf. reſp. quod materia prima ex ſe eſt ens poſitivum in potentia non in actu; quare ex ſe non habet vnitatem ſpecificam poſitivam, hæc enim ſequitur ad eſſe actuale rei, ſed vnitatem poſitivam tranſcendentalem, quæ conſequitur ad ens, vt opponitur nihilo, & inveniri poteſt in pura potẽtia, nullam ex ſe habẽte ſpeciem.

331 Ad 2. conf. reſpond. quod ſicut materia prima, licèt ex ſe non ſit ens, nec ſit cognoſcibilis, aut definibilis; eſt tamen potẽtia ad eſſe, & per ordinẽ ad formam cognoſcitur, & definitur, ita licèt non habeat ſpeciem, eſt tamẽ ex ſe potentia ad componendum ſpeciem media forma in ſe receptà, & ideo reductivè, & negativè eſt in ſpecie per ordinem puræ potentiæ ad formas, quas diverſo modo nata eſt recipere: non tamen eſt ſimpliciter in ſpecie; quia vna non differt ab alia eo, quod habeat diſtinctum eſſe ab eo, quod altera participat, ſed quia ordo per modum puræ potentiæ nullam habẽtis formam, in vna eſt ad formam amiſsibiliter informatẽ, & in alia ordo puræ potẽtiæ nullam habẽtis formam eſt ad formam inamiſsibiliter informantem.

342 Quare cum dicitur materiam ſublunarẽ, & cæleſtem, ſpecie differre, non eſt ſermo de ſpecie phyſica poſitiva, & propria, ſed de ſpecie ne-

gativè, & reductive, ſivè quæ talis eſt ex modo tantum concipiendi, & per analogiã ad ſpecies poſitivas, cum quibus habet materia non nullam proportionem in eo, quod ſicut in eis datur ratio communis, & differentialis; ita in materia datur ratio puræ potentiæ, & ratio puræ potentiæ hoc, vel illo modo reſpicientis formas; cum hoc tamen diſcrimine, quod in alijs ſpeciebus talitas ſumitur ab actu phyſico, & reali invento in eis, in materia vero talitas, non extrahit materiam à ratione puræ potentiæ, quia non provenit ab actu, ac ſubinde, nec conſtituit materiam in ſpecie.

343 Huius doctrinæ habes aliquale exemplum in moralibus; actus enim liber in genere naturæ conſideratus aliquo modo pertinet ad genus moris, per modum ſcilicèt ſubtracti nullam ex ſe habentis ſpeciem moralitatis, potentis tamẽ illam ſuſcipere: quare licèt non ſit ex ſe in ſpecie poſitiva, eſt tamen in ſpecie negativa; in ſpecie quidem, quia quodammodo pertinet ad genus moris: negativa vero, quia in nulla determinata ſpecie moralitatis invenitur cũ quo ſtat, quod in genere moris differant ſpecie actus liber, qui ex ſpecie ſua eſt indifferens ad bonum, & ad malum, vt ire in agrum, & actus liber, qui ſolam moralitatem bonam poteſt recipere: quos actus non abs rẽ dices differre in ſpecie moris: nõ tamẽ in ſpecie poſitiva, ſed in negativa, & in ſpecie, quæ talis eſt reductivè; quia non differunt per hoc, quod vnus habet moralitatem diſtinctam ab ea, quã habet alter actus, ſed quia vnus eſt ſubiectum ita expers omnis moralitatis, vt tamen ad vtramque ſit indifferens, alter vero ita omnis moralitatis eſt expers, vt ad vnam præciſe ſit in potẽtia.

344 Pariter in præſenti materia tàm cœleſtis, quàm ſubluaris eſt in aliqua ſpecie entis, non quidẽ poſitivè, quia neutra ex ſe participat eſſe, ſed negativè, quia vtraque eſt capax illud recipiendi; differunt tamen ſpecie in eſſe entis, non quidem ſpecie poſitiva, ſed negativa, & ſpecie, quæ talis eſt reductivè: quia non differunt per hoc, quod vna habeat eſſe diſtinctum ab eo, quod altera participat, ſed quia vna ita caret omni ſpecie, ſeu forma, vt tamen plurimas in ſe poſſit recipere: alia vero ita caret omni ſpecie, ſivè forma, vt ad vnam duntaxat recipiẽdã ex natura ſua ſit determinata.

345 Obijc. 2. Potentia materiæ ad formas non eſt potentia neutra, nec potentia obedientialis: ergo non eſt pura capacitas formarum, ſed ordo poſitivus ad illas; at qui ordo iſte ſpecificat intrinſecè materiam: ergo materia habet ſpeciem intrinſecam poſitivam.

Reſp.

346 Reſp. quod materia habet non ſolum capacitatem, ſed ordinem poſitivum ad formas; hic tamen non conſtituit in ſpecie poſitiva materiam, ſed in negativa; quia non eſt ordo conſtituens materiam in eſſe determinato, ſed eſt ordo puræ potentiæ ad recipiendum eſſe: ſicut ordo actus liberi amoris Dei ad moralitatem bonam in eſſe naturæ conſideratus eſt poſitivus, & tamen non conſtituit illum in aliqua ſpecie poſitiva morali; quia non eſt ordo conſtituens actum liberum in aliqua determinata ſpecie moris, ſed eſt ordo ſubſtracti potentis recipere moralitatem.

347 Obijc. 3. Licèt ordo intellectus ad ſuos actus conſtituat intellectum in ratione puræ potentiæ intellectivæ, conſtituit eam in ſpecie poſitiva: ergo licèt ordo materiæ ad formas eam conſtituat in ratione puræ potentiæ, conſtituet eam in ſpecie poſitiva.

348 Reſp. neg. conſeq. quia intellectus ſolum eſt pura potentia ad ſpecies, ſivè formas intelligibiles, per quas intentionaliter transformatur in obiecta, non vero ad eſſe phyſicum: vnde ſolum ſequitur, quod ex ſe nullam habeat poſitivam ſpeciē in eſſe intelligibili; non vero ſequitur, quod in eſſe phyſico, nullam habeat ſpeciem poſitivam: at materia prima cum ex ſe nullum omnino habeat eſſe, eſt pura potentia in genere entitativo, quare nullam ſpeciem entis participat poſitivè.

349 Obijc. 4. Si materia prima ex ſe nullam haberet ſpeciē, illam haberet per formam; ſed ſpeciem poſitivam non habet per formam: ergo illam habet ex ſe ipſa. Prob. min. quia materia amittendo formam, amitteret ſpeciem, quod eſt abſurdum, cum ſpecies ſit rei cuilibet intrinſeca, & eſſentialis.

350 Reſp. quod ſicut materia, quia mutat formas, quę dant ei eſſe eſſentiale, mutat eſſentiam per hoc quod modo eſt pars vnius, modo alterius, nec mirum, cum ex ſe eſſentiam nō habeat, ſed potentiam ad receptionē formæ dantis eſſe, ita non inconvenit, quod mutando formas, mutet ſpeciem poſitivam, quia ſpeciē poſitivam nō habet per ſe, ſed per formam, quæ ſola dat eſſe ſpecificum: verum eſt quod materia permanet quoad id, quod habet puræ potentiæ, quod eſt, illam permanere quoad ſpeciem negativam, ſivè quo ad intrinſecam ipſius entitatem.

351 Denique obijcies. Quod eſt prius alio, non poteſt conſtitui in ſua ſpecie poſitiva per illud, ſed materia eſt prior forma: ergo non poteſt per formam in ſua ſpecie poſitiva conſtitui.

352 Reſp. Quod eſt prius alio in genere cauſæ materialis; & ſimul poſterius illo

illo in genere cauſæ formalis, poſſe per aliud in ſpecie poſitiva conſtitui: quia poteſt per illud habere eſſe determinatum: ſpecies autem poſitiva nihil eſt aliud, quam eſſe determinatum cuiuſcumque rei.

§. II.

Vtrum omnes materiæ ſublunares ſint eiuſdem ſpeciei.

353 P*Rima concluſio. Omnes materiæ ſublunares, quæ deſacto dantur, ſunt eiuſdem ſpeciei.* Prob. vnitas ſpecifica materię deſumitur ex vnitate formæ, quam recipit per modum primi ſubiecti; ſed omnes materiæ ſublunares reſpiciunt eamdem formam per modum primi ſubiecti: ergo ſunt eiuſdē ſpeciei. Mai. eſt certa: Quia vnitas ſpecifica potentiæ deſumitur ex vnitate actus, quem per ſe reſpicit; ſed actus, quem per ſe reſpicit materia per modum primi ſubiecti, eſt forma; ergo vnitas ſpecifica materiæ deſumitur ex vnitate formæ, quam reſpicit per modum primi ſubiecti. Min. vero prob, quia quælibet materia ſublunaris, quæ deſacto datur, reſpicit omnem formam corruptibilem per modum primi ſubiecti; ſiquidem nulla eſt forma corruptibilis, in quam quælibet materia ſublunaris ex his, quæ deſacto dantur, non poſſit tranſmutari.

354 Conf. Illa potentia eſt vnius ſpeciei, quæ conſtituitur per ordinem ad vnum actum adæquatum vno modo perficientem; huiuſmodi eſt materia prima ſublunaris, quę deſacto datur: ergo eſt vnius ſpeciei. Prob. min. Actus adæquatus, per ordinem ad quem conſtituitur materia ſublunaris eſt tota collectio formarum corruptibilium, at iſtæ perficiunt modo amiſsibili, ſivè non ſatiante appetitum materiæ: ergo materia ſublunaris conſtituitur per ordinem ad vnum actum adæquatum vno modo perficiētem.

355 *Secunda Concluſio Loquendo de poſsibili nulla apparet repugnantia in eo, quòd dentur plures materiæ ſublunares diverſæ ſpeciei.* Prob. Potentiæ, quarum vna reſpicit diverſum actum adæquatum ab eo, quem reſpicit altera, eſt diverſæ ſpeciei ab altera, ſed non repugnat materia ſublunaris reſpiciens actum adæquatum diverſum ab eo, quem reſpicit altera: ergo non repugnant materiæ ſublunares diverſæ ſpeciei. Prob. min. Materia ſublunaris, quæ deſacto datur ſolum reſpicit, & appetit formas naturaliter poſsibiles, eas, ſcilicèt, quæ in virtute agentium naturalium continentur; ſed poſsibilis eſt materia ex natura ſua capax, & ap-

appetens alias formas, vel has, ſimul, & alias: ergo poſibilis eſt materia ſublunaris reſpiciēs diverſum actum adæquatum ab eo, quem altera ex natura ſua reſpicit: patet conſeq. quia ſi materia ſublunaris, quæ defacto datur, ſolum reſpicit formas naturaliter poſsibiles, forma naturaliter poſsibilis eſt actus adæquatus eius, & ſi poſsibilis eſt materia ſublunaris reſpiciens alias formas, actus adæquatus huius non eſt forma naturaliter poſsibilis: ergo ſi poſsibilis eſt materia reſpiciens alias formas, poſsibilis eſt materia reſpiciens actum adęquatum diverſum ab eo, quem reſpicit materia ſublunaris, quæ defacto datur.

356 Min. autem prob. Poſsibiles ſunt aliæ formæ corruptibiles diſtinctę ab his, quę ſunt naturaliter poſsibiles: ergo poſsibilis eſt materia reſpiciens alias formas. Patet conſeq. quia ſicut non ſtat potentia naturalis, quin actus ſit naturaliter poſsibilis, ita non ſtat quod forma ſive actus naturalis ſit poſſibilis, & quod non poſsit dari potentia naturalis illum naturaliter reſpiciens. Ant. vero prob. Illæ ſolum formæ corruptibiles ſunt naturaliter poſsibiles, quæ continentur in virtute cauſarum naturalium, quas Deus condidit iuxta ordinem à ſe in hoc vniverſo conſtitutum, ſed præter eas, quæ continentur in virtute harum cauſarum ſunt aliæ poſsibiles, cum ſit poſsibile aliud vniverſum, & alius ordo rerum: ergo præter formas corruptibiles naturaliter poſsibiles, ſunt poſsibiles aliæ formæ pariter corruptibiles.

357 Conf. 2. Non repugnat quod Deus producat materiam, quæ tantum petat, & poſsit recipere formas viventium; ſed hæc erit diſtinctæ ſpeciei ab iſta, quæ defacto datur: ergo. Prob. mai. id non repugnat ex parte materiæ, nec ex parte formæ: ergo ex nullo capite Prob. ant. quoad primam partem: nam ſi repugnaret ex parte materiæ, repugnaret ex conceptu puræ potentiæ reperto in materia; at ex hoc capite non repugnat, quia materia cæleſtis eſt pura potentia, & tamen non reſpicit omnes formas, ſed vnam determinate: ergo.

358 Quoad 2. partem prob. ant. non repugnat ex conceptu formæ, nec ex conceptu formæ corruptibilis: ergo non repugnat ex conceptu formæ. Quod non repugnet ex communi conceptu formæ, patet: nam forma cæleſtis ſola reſpicitur à materia. Quod nec repugnet ex conceptu formæ corruptibilis prob. Id non repugnat ex conceptu formæ corruptibilis, quod ſalvat conceptum formæ corruptibilis; ſed etiam

etiam ſi ſola forma viventium poſſet recipi in materia ſalvaretur in ea conceptus formę corruptibilis:ergo prob. min.etiam ſi ſola forma viventium poſſet recipi in materia, tranſmutaretur materia de vna forma vivētis ad aliam formam viventis; ſed hoc ipſo quęlibet forma viventis eſſet corruptibilis: ergo ſalvatur in ea conceptus formæ corruptibilis.

359 Obijc. Potentia reſpiciens plura ſub vnica ratione formali eſt vnius ſpeciei; ſed materia prima ſublunaris reſpicit omnes formas ſub vnica ratione formali: ergo eſt vnius ſpeciei. Prob. min. reſpicit omnes formas ſub vnica ratione informantis amiſsibiliter: ergo ſub vnica ratione formali.

360 Reſp. quod omnes formæ corruptibiles informant amiſsibiliter materiam, cæterum, cum non omnes eodē modo ſint amiſsibiles, ratio informantis amiſsibiliter non eſt in eis vna ſpecificè, ſed genericè; ideo autem non omnes ſunt eodem modo amiſsibiles; quia formæ, quas reſpicit materia, quæ de facto datur, ſunt amiſsibiles quoad individuationem, & quoad generationes: quia materia, quæ de facto datur informata forma equi, non ſolum poteſt amittere hanc formam viventis in individuo, ſed abſolute formam viuentis, ita vt poſtea non ſit ſub forma viventis, ſed ſub forma ignis v. g. at materia, quam adſtruimus poſsibilē, poſſet amittere formam equi non tamen formam viventis abſolute; quia cū ſolum poſſet recipere formas viventium, amiſſa forma equina, alia alterius vivētis ſuccederet in ea neceſſario.

361 Secundo reſp. quod cum convenientia omnium formarum corruptibilium in modo informandi amiſsibiliter ſtat materiam primam poſſe recipere iſtam, & non illam, ſicut cum convenientia omnium formarū naturalium in eo, quod eſt fieri ex præſuppoſito ſubiecto ſtat, per actionem vnius agentis poſſe produci vnam, & nō alia: vnde ex illo modo cōmuni omnibus informandi amiſsibiliter ſumitur vnitas generica materiæ ſublunaris: vnitas vero ſpecifica ſumitur ex vnitate formę, quę per modum actus adæquati reſpicit materia.

§. III.

Vtrùm materiæ cœleſtes differant ſpecie à ſublunari, & inter ſe?

SVpponimus ex lib. 1. de cœlo text. 16. & ex 1. p. q. 66. art. 2. corpora cęleſtia eſſe ab intrinſeco incorruptibilia, & non ex ſola extrinſeca manutenentia Dei: quo ſuppoſito.

362 *Sit prima concl. Materia cœleſtis, & ſublunaris diffe-*

ferunt ſpecifice. Ita Caiet. Fland. Capreol. Bannes, Ioan.à S.Th. Parra Suarez, Vazq. Conimbric. Pereira, Rubius, Carleton, & alij plures contra Avicenam, Bonav. Ægid. Ochamum, Molinam, & alios.

363 Et prob. potentiæ diſtinguntur ſpecie per actus adæquatos; ſed actus adæquatus, quem reſpicit materia cęleſtis, eſt diſtinctus ab eo, quē reſpicit materia ſublunaris: ergo materia cęleſtis, & ſublunaris differunt ſpecifice. Prob. min. Materia cęleſtis ex natura ſua eſt determinata ad vnam formā ita vt naturaliter non poſsit aliā recipere, ſublunaris non eſt determinata ad vnam formam; ſed indifferens ad plures: ergo actus adæquatus vnius eſt diſtinctus ab actu adæquato alterius. Prob. mai. Ex materia cęleſti componitur totum ab intrinſeco incorruptibile, ſed materia, ex qua componitur totum ab intrinſeco incorruptibile, eſt determinata ad vnam formam, ita vt non poſsit alias recipere: ergo. Prob. min. materiam, ex qua componitur totum, poſſe aliam formam recipere, eſt illud poſſe corrumpi: ergo materia, ex qua componitur totum incorruptibile, non poteſt alias formas recipere.

364 Dices. Cęlum eſſe ab intrinſeco incorruptibile; quia licèt materia, ex qua cōſtat poſsit naturaliter alias formas recipere; forma tamē, qua conſtituitur, eſt naturaliter inſeparabilis à materia, quam informat.

365 Contra materia cęli non poteſt, quantum eſt ex ſe, alias formas acquirere, niſi amittendo formam, qua cęlum conſtituitur; ſed iſtam nequit amittere, ſi ipſa eſt naturaliter à materia inſeparabilis: ergo ſi forma, qua cęlum conſtituitur, eſt naturaliter inſeparabilis à materia, quam informat, materia, quantum eſt ex ſe; non poteſt alias formas acquirere. Prob. minor. Materia nequit amittere formam naturaliter inamiſsibilē: ergo nequit amittere formā, ſi forma eſt à materia naturaliter inſeparabilis.

366 Vrgetur. [Materia cęli non eſt naturaliter receptiva formæ naturaliter impoſsibilis, ſed alia forma in hac materia eſt naturaliter impoſsibilis: ergo materia cęli non eſt receptiva alterius formæ. Min. prob. vbi naturaliter eſt inevitabile impedimentum ad exiſtentiam effectus, naturaliter eſt impoſsibilis effectus; ſed exiſtentia formæ cęli in materia eſt impedimentum ad alterius receptionē naturaliter inevitabile: ergo receptio alterius formæ in materia cęli eſt naturaliter impoſsibilis.

367 Denique. Repugnantę principio activo, repugnat principium paſsivum, principium enim paſsivum non acquirit per ſe.

ſe formam, ſed eſt capacitas illam ab aliquo agente recipiendi; at repugnat naturaliter principium activum potēs alias formas introducere in materiam cæli: ergo repugnat quod materia cæli ſit principium paſſivum naturale potens alias formas recipere.

368 Dices. Materiam cæli ex ſuppoſitione, quod habeat in ſe receptam formam cæli, non poſſe illam amittere, nec alias recipere, potuiſſe tamen abſolute, & pro priori ad receptionē formæ celeſtis alias recipere, quod ſufficit, vt ſit eiuſdē ſpeciei cum materia ſublunari.

369 Contra 1. Materia nequit eſſe quantum eſt ex ſe, capax formæ amiſsibilis, & inamiſsibilis: ergo tàm ex ſuppoſitione, quàm abſolutè eſt impotens naturaliter recipere alias formas. Prob. ant. materia ideo eſt naturaliter capax plurium formarum, quia per vnam nequit conſequi ſuum finem, ſcilicèt perpetuam conſervationem; atqui eo ipſo quod capax ſit formæ inamiſsibilis, per eam poteſt perpetuo naturaliter conſervari: ergo eo ipſo, quod ſit capax formæ naturaliter inamiſsibilis, non eſt capax formæ amiſſibilis.

370 Conf. 1. hoc ipſo, quod finis vltimus ſatiet appetitum naturæ intellectualis, natura intellectualis, quæ capax eſt finis vltimi ſolum poteſt appetere finem vltimum, & nihil poteſt appetere, niſi vt medium ad illum conſequendum: ergo hoc ipſo quod forma inamiſsibilis ſatiet appetitum materiæ, materia, quæ eſt capax formæ inamiſsibilis, non poteſt aliam appetere; ſed, ſi pro illo priori eſſet capax omnium formarum omnes appeteret: ergo ſi non appetit omnes, nec pro illo priori eſt capax omnium.

371 2. Omnes potentiæ quas experimur capaces plurium actuum, nullum habēt inamiſsibilem: potentia vero, quam experimur habere actum naturaliter inamiſsibilem, non eſt capax plurium: ergo materia, quæ capax eſt formæ inamiſsibilis non eſt naturaliter capax plurium formarum. Ant. prob. pro prima parte: nam potentiæ naturæ, ſivè intellectivæ, ſivè ſenſitivæ, quæ capaces ſunt plurium actuum, nullum habent inamiſsibilem, lumen vero gloriæ, quod principiat vnionem inamiſsibilem, & Angelus quia cognitione ſua nequit ceſſare, non ſunt capaces plurium actuū ſed ex natura ſua ſunt ad vnum determinati.

372 Similiter ſpecies, quæ capaces ſunt plurium individuorum, nullum habent incorruptibile; ſpecies vero, quæ aliquod habet individuum incorruptibile, non eſt naturaliter capax plurium individuorum

rum: non alia ratione, niſi quia individua intenduntur à natura non propter ſe, ſed vt in eis ſpecies conſervetur; ac ſubinde ſi in vno ſufficienter conſervatur, ſuperfluunt reliqua; & actus inſpiciuntur à potentijs, vt per eos ſint in exercitio operandi circa aliquod obiectum; ac ſubinde, ſi per vnum poteſt eſſe potentia ſemper in exercitio operandi, fruſtra deſiderantur plures: ergo, ſi aliqua materia eſt capax formæ inamiſsibilis, non eſt capax plurium; ea nimirum ratione, quia per formas intenditur conſervatio materiæ, ac per conſequens, ſi per vnam poſſet materia perpetuo conſervari, fruſtra plures appeteret.

373 Reſpond. Materia prima cęli appetit ſuam in perpetuum conſervationem; cæterum, quia conſervationem in perpetuum poteſt obtinere, vel per vnam formam inamiſsibilem, vel plures amiſsibiles; ideo appetit disiunctivè formam inamiſsibilem; & etiam formas amiſsibiles.

374 Contra 1. obſtant exēpla proximè adducta, in quibus licèt finis conſervationis, aut perfectionis obtineri poſſet per vnum, vel per plura media, non vtrumque disiunctivè, ſed vnum exigitur determinate.

375 2. Finis, qui abſolute poteſt obtineri per duo media disiunctivè, nequit ab vno ſubiecto naturaliter obtineri, niſi determinate per vnum, vel determinatè per alterum: ergo, ſi conſervatio perpetua materiæ poteſt obtineri disiunctivè, vel per formas amiſsibiles, vel per formam inamiſsibilem, nequit ab vna, eademque materia naturaliter obtineri, niſi per vnum ex illis determinate. Prob. ant. quia natura abhorret ſuperfluū; ac per conſequens, quod ſuperfluit, non eſt naturaliter poſsibile, ſed ſi vnum, & idem ſubiectum poteſt obtinere finem per alterum medium, ipſi ſuperfluit alterum, ac ſubinde non eſt illi naturaliter poſsibile: ergo finis qui abſolutè poteſt obtineri per duo media disiunctivè, nequit ab eodem ſubiecto naturaliter obtineri, niſi per vnum ex illis determinate. Min. patet: quia reſpectu illius finis vnum ſufficit: ergo alterum ſuperfluit.

376 Vrgetur. Ideo ad vnum finem ſæpè ſuppetunt in artificialibus, & naturalibus plura media; quia nullum eorum eſt omnino ſufficiens; quo circa appetuntur omnia illa, non quia omnibus illis ſimul ſit vtendum; ſed quia tot ſunt neceſſaria, nè vnquam vnum, vel alterum deficiat, ſic natura providit eidem morbo plures herbas numero, & ſpecie medicinales, quia quęlibet in individuo poteſt deficere, & quælibet ſecundum ſpeciem non vbique naſcitur, nec eſſet pro morbis naturaliter

poſsibilibus ſufficiens. Sic etiam faber lignarius plures habet ſerras eiuſdem rationis; quia cum quælibet poſsit hebetari, frangi, deperdi, nulla ſeorſim ad ſciſionẽ quotidie exercendam eſt ſufficiens: ergo quoties datur medium ſufficiens pro obtinendo aliquo fine, medium alterum ſuperfluit; ſed forma inamiſsibilis eſt medium omnino ſufficiens ad finem materiæ, ſcilicèt conſervationem perpetuam: ergo nec disiunctivè appetit aliud medium ſufficiens pro eiuſdem conſecutione, nempè formas amiſsibiles.

377 Explicatur. Fruſtra haberet Artifex in promptuario ſuorum inſtrumentorum ſerram inamiſsibilem, & incorruptibilem omnino ſufficientem vſibus ſuæ artis, & inſuper ad eundem finẽ alias ſerras amiſsibiles, & corruptibiles, quarum multitudine ſuppleri poſſet defectus potens contingere in ipſis: ergo fruſtra materia ad finem ſuæ conſervationis haberet in virtute cauſarũ naturalium, veluti in promptuario ex quo extrahuntur formæ pro eiuſdem conſervatione neceſſariæ, formam inamiſsibilẽ omnino ſufficientẽ ad ipſius conſervationẽ in perpetuũ, & inſuper alias formas amiſsibiles.

378 Tertio: natura intẽdẽs aliquẽ finem, non ſolum nõ appetit aliud medium, præter id, quod eſt ſufficiens ad illud obtinẽdum, verũ neq; eſt capax alterius; quo circa, quia vna lingua, duo oculi, duæ manus ſufficiũt ad finẽ, quẽ in homine natura intendit, nedum non appetit, ſed nec naturaliter eſt capax pluriũ linguarum, manuũ, aut oculorũ: ergo, ſi ad finem, quẽ intendit materia, ſufficiunt plures formæ amiſsibiles, vel vna ſola inamiſsibilis, materia, quæ reſpicit plures amiſsibiliter, nedum non appetit, ſed nec eſt capax formæ inamiſsibilis; & materia, quæ reſpicit formã inamiſsibilẽ, nedum non appetit, ſed nec ex ſe eſt capax plurium amiſsibilium.

379 Denique, *ſi reſpondeas* cœlum non eſſe corruptibile ex hoc quod materia eſt ex ſe determinata ad vnã formã, nec ex hoc, quod forma eſt ab intrinſeco inamiſsibilis, ſed quia non eſt capax recipiendi cõtrarias diſpoſitiones his, à quibus in ſui conſervatione dependet, nec datur agẽs valens prædictas diſpoſitiones cœlo imprimere; & idcirco poſſe materiam cœli ex ſe, & ex ſuis prædicatis præter formam, quã poſsidet, alias formas recipere.

380 Contra 1. Quia effectus, cuius in rerum natura nulla datur cauſa, nec datur exigentia, vt à cauſa prima producatur, non eſt naturaliter poſsibilis: ergo ſi nullum datur agẽs potẽs producere diſpoſitiones contrarias diſpoſitionibus, quibus forma in materia cœleſti conſervatur, diſpoſitiones contrariæ sũnt na-

naturaliter impoſsibiles; ſed forma cęli non poteſt naturaliter amitti, niſi per contrarias diſpoſitiones naturaliter producibiles: ergo forma cęli naturaliter eſt inamiſsibilis, ſed ſi forma naturaliter eſt inamiſsibilis, materia ex natura ſua, vt iam probavimus, eſt determinata ad illam: ergo de primo ad vltimum, ſi nullum datur agēs naturale potēs imprimere cęlo contrarias diſpoſitiones, materia cęli eſt ex natura ſua determinata ad formam, quam actu habet.

381 Secundo Nulla res eſt naturaliter deſtruibilis, niſi ex defectu ſubiecti, vel ex defectu cauſæ cōſervātis, vel à ſuo cōtrario; ſed forma cęleſtis non eſt deſtruibilis ex defectu ſubiecti, quia illius ſubiecti, nēpe materia prima, non eſt corruptibilis: nec defectu cauſæ conſervantis: quia Deus, qui formā cęli cōſervat, non poteſt deficere: ergo ſi aliàs non habet contrarium, nō eſt deſtruibilis naturaliter.

382 Tertio. Cui ab intrinſeco repugnat via, ab intrinſeco repugnat terminus; ſed alteratio eſt via ad generationē, & corruptionē ſubſtantialē: ergo quod ab intrinſeco eſt inalterabile, ab intrinſeco eſt incorruptibile; ſed ſi forma cęli ab intrinſeco eſt incapax contrarij, ab intrinſeco eſt incapax alterationis: ergo ab intrinſeco eſt incapax deſtructionis ſubſtantialis.

383 Ob. 1. Materia corporis ab intrinſeco incorruptibilis poteſt eſſe eiuſdē ſpeciei cū noſtra: ergo materia cęlorum, etſi ab intrinſecò ſint incorruptibiles, erit eiuſdē ſpeciei cum noſtra. Prob. ant. Vt cęlū ſit ab intrinſeco incorruptibile, ſufficit, quod forma cęli ex ſua natura ſit inſeparabilis à materia; ſed cū hoc ſtat, quod materia cęli ſit eiuſdē ſpeciei cum noſtra: ergo. Prob. min. cum eo quod forma ſit inſeparabilis à materia, ſtat quod inſeparabilitas proveniat à forma, & non materia: ergo cū hoc ſtat, quod materia ſit eiuſdem rationis cum noſtra. Prob. ant. cum eo, quod forma adamātis ſit magis inſeparabilis à materia, quam aliæ formæ: ſtat quod hæc maior inſeparabilitas proveniat à forma, & nō à materia: ergo cum eo quod forma cęli ſit omnino inſeparabilis à materia, ſtat quod inſeparabilitas proveniat à forma, & non à materia.

384 Conf. & ſi modus ſit inſeparabilis à re, quam modificat; tamen ipſa res ſæpè eſt ſeparabilis à modo: ergo cum eo quod forma ſit inſeparabilis à materia, ſtat quod materia ex ſe ſit ſeparabilis à forma.

385 Mai. eſt falſa, & min. qua ſuadetur: ad prob. neg. ant. quod nen probat exemplum adductum: quia forma adamantis, & ſi permanentior ſit alijs, cum tamen abſolute ſit naturaliter amiſsibilis, non pertingit ad hoc vt ſit actus adæquatus materiæ,

quam informat; cũ enim amitti poſsit; materia, quæ appetit perpetuo conſervari, ea minime ſatiatur, ſed appetit alias, & naturaliter poteſt alias recipere; at forma cęli, quæ abſolute, & ſimpliciter eſt ab intrinſeco inamiſſibilis, eſt actus adæquatus materiæ, quam informat, adæquate ſatians eius appetitum, vtpote ſe ſola præſtans totam conſervationem, quam appetit materia: quare materia ita ad illam eſt determinata, vt nec appetat aliam, nec aliam poſsit naturaliter recipere; ſitque proinde diſtinctæ ſpeciei ab his, quæ vna forma non ſantiantur, ſed recipere poſſunt plures alias.

386 Ad conf. reſp. quod modus eſt inſeparabilis à re, quam modifficat, ſeparatione conſervante modum ſeorſim à ſubiecto; non tamen eſt inſeparabilis omnibus modis; quia non eſt inſeparabilis ſeparatione modum deſtruente: at forma cęli eſt inſeparabilis omnibus modis à materia: quia nec poteſt naturaliter exiſtere ſeparata à forma cęli, nec poteſt naturaliter corrumpi, permanente forma cęli, & quidquid ſit de prima inſeparabilitate, hæc poſterior provenit ab vtroque extremo, à forma ſcilicèt adęquãte materiam, & à materia nihil appetente præter actum adæquatũ, ſicut quod modus non ſit omnibus modis à ſubiecto inſeparabilis, provenit ab vtroque extremo, hoc eſt à modo, qui propter ſui debiliſſimã entitatem non poteſt exiſtere ſine ſubiecto; & à ſubiecto, quod propter ſui à modo independentiam poteſt exiſtere ſine modo.

387 Ob. 2. Si materia prima cęli eſſet alterius ſpeciei à noſtra, vna eſſet altera perfectior; conſeq. eſt falſum: ergo. Probo min. Materia prima, cum ſit pura potẽtia, vel non eſt perfecta cum perfectio ſit actualitas aliqua, vel non eſt perfectior, cum ſit imperfectiſsimum ens: ergo vna non eſt altera perfectior.

388 *Explicatur.* Res quælibet eſt imperfecta ratione potentialitatis, & imperfectior ratione maioris potentialitatis; ſed quælibet materia eſt maximè, vel ſumme potẽtialis; ita vt nulla ſit potẽtialior altera: ergo quælibet eſt ſũme imperfecta, ita vt nulla ſit altera imperfectior.

389 *Reſp.* quod vña materia eſt altera perfectior nõ in actu, ſed in potentia: quia licèt ea, quæ ſunt diſtinctæ ſpeciei poſitivę, debeant actu eſſe inæqualis perfectionis; ea tamen, quæ ſunt diverſæ ſpeciei negativè, ſufficit quod ſint inæqualis perfectionis negativè: eſt ergo perfectior in potentia materia cęli: quia ex ſe eſt potentia determinata ad actũ perfectiori modo, hoc eſt, inamiſsibiliter informantem: vnde erit perfectior in actu, cũ acta fuerit ſub propria forma, quia tunc erit ſatiata, & alterius

rius formæ nullam habebit indigentiam, cuius oppoſitum contingit in materia ſublunari, quæ idcirco minorem perfectiorem ex ſe participat in potentia, & minorem in actu, quando ſuis formis actu ſubijcitur.

390 Ad explicationem reſp. quod materia prima non eſt adeo potentialis, vt actualitatẽ ſaltim terminativè nõ participet, ideſt, vt ex ſe non habeat ordinem ad actum: & conſequenter non eſt adeo imperfecta, vt aliquam perfectionem ſaltim in potentia non participet; cumque in ordine ad actum poſsit dari inæqualitas reſpiciendo illum, vt ſantiantem vel vt non ſantiantem appetitũ; poteſt etiam dari inæqualitas in perfectione, ita vt ſit perfectior in potentia materia, quæ ad reſpiciendum actum ſatiantem ipſam eſt determinata, quam illa, quæ indifferens eſt ad recipiendos plures actus, quorum nullus explet eius potentialitatem.

391 Obijcies 3. Ex quo mulier aliqua ſit impotẽs generare filios, non ſequitur, quod appetitus eius non ſit eiuſdem rationis cum appetitu aliarum habentium debitam diſpoſitionem: ergo ex quo materia cęli non ſit potens recipere formas ſublunares, non ſequitur, quod non habeat appetitum eiuſdem rationis cum alijs materijs ad prædictas formas.

392 Neg. conſeq. quia mulier quælibet habet potentiam radicalem ad generandum filios, ita vt ſolum ſit impotens ex aliquo accidenti, at materia cęli non ex accidenti, ſed ex natura ſua, & radicaliter eſt impotens recipere formas ſublunares: quia eo ipſo quod ſit capax formæ inamiſsibilis, eſt determinata ad illam duntaxat recipiendam.

393 Obijcies 4. Humanitas Chriſti D. eſt ſatiata per divinam ſubſiſtentiam, & non habet appetitum ad propriam ſubſiſtentiam: at non eſt alterius ſpeciei ab alijs humanitatibus appetentibus proprias ſubſiſtentias: ergo etſi materia cęli contenta propria forma non appetat ſublunares, non eſt diſtinctæ ſpeciei ab alijs materijs appetẽtibus formas ſublunares.

394 Reſp. quod humanitas Chriſti præventa miraculoſe per ſubſiſtentiam eminẽtiorem alterius ordinis, ad quam nullus in natura datur appetitus, non appetit propriam; ſuę tamen naturæ relicta propriam appeteret: ex quo colligitur, ipſam eſſe eiuſdem ſpeciei cum alijs proprias ſubſiſtentias appetentibus: cæterum materia cęli non ideo non appetit formas ſublunares, quia miraculoſe prævenitur per formam eminentiorem ordinis ſupernatu-

turalis, ſed adhuc relicta ſuę naturæ formas ſublunares non appeteret; quia relicta ſuæ naturæ capax eſſet formæ adæquantis propriam potentialitatem; ac ſubinde ex natura ſua ad illam tantum recipiendam eſt determinata, & conſequenter ſpecificè diſtincta ab alijs, quæ poſſunt recipere formas ſublunares.

395 *Secunda concluſio. Omnes materiæ corporum cœleſtium* (quæ ſupponimus cum Philoſopho, & D. Thom. 2. de Cœlo lect. 10. eſſe ſpecificè diſtincta) *ſunt inter ſe diverſæ ſpeciei.* Ita Caiet. Albertus, Bañez, Suarez, Conimb. Carleton, Echalaz, & alij contra Soncin. Capreol. & Iavel.

396 Et prob. ex dictis. Potentiæ diſtinguntur ſpecificè per actus adæquatos; ſed actus adæquatus cuiuslibet materiæ cęleſtis eſt diſtinctus: ergo ipſę diſtinguntur ſpecificè. Prob. min. Quælibet ex natura ſua ita reſpicit ſuã formã, vt nec conſequenter, nec antecedẽter poſſit aliam recipere: ergo actus adæquatus cuiuslibet materiæ eſt actus, quẽ reſpicit, at per conſequens actus vnius eſt diſtinctus ab actu adæquato alterius.

397 Conf. Terminus formalis appetitus, & potentiæ orbis lunæ, v. g. vel eſt forma eiuſdẽ orbis, vt talis, vel eſt forma illius orbis præciſsè, vt informãs inamiſsibiliter. *Si primum*: ergo terminus formalis appetitus, & potentię materię illius cęli diſtinguitur à termino formali potentię materię alterius cœli: ergo, & ipſę materię diſtinguntur ſpecie. *Si dicatur ſecundũ*: ergo materia cęli ex ſe ſolum petit determinatè, quod forma ipſius illam inamiſsibiliter informet; non tamen petit, quod hęc, vel illa determinatè ſit forma informans eã inamiſsibiliter: ergo permittit, quod eã informet, ſivè hęc, ſivè illa, ſivè illa: ergo ex ſe capax eſt cuiuſcumque inamiſsibiliter informantis: ergo habet appetitum, & potentiam ad omnes inamiſsibiliter informantes, cum privatione omniũ preter eam, quam poſsidet: ergo eſt principium corruptionis totius, quod componit; corruptio enim oritur ex appetitu in materia ad aliàs formas, & appetitus ex capacitate ad formas, & illarum privatione.

398 Obij. 1. Ad omnes formas amiſsibiliter informantes datur materia vnius ſpeciei: ergo ad omnes formas inamiſsibiliter informantes dari debet materia vnius ſpeciei: nã ſicut illę conveniũt in vno modo informandi, ita iſtę.

399 Neg. conſeq. quia omnes formę amiſsibiliter informãtes ſunt vnus actus adęquatus, cum nulla earũ expleat materię potentialitatẽ, nulla quippe eſt ſufficiẽs ad perpetuã materię cõſervationẽ; at ſingulę formę inamiſ-

amiſsibiles ſunt ſinguli actus adęquati, cum quælibet earum ſatiet materiæ deſiderium, & in digeatiam: quo circa materiæ reſpicientes plures formas inamiſsibiles ſunt diverſæ ſpeciei, eſto materiæ reſpicientes plures formas amiſsibiles, omnes in vna ſpecie conveniant.

400 Obijc. 2. Quęlibet natura humana eſt determinata ad recipiendum propriã ſubſiſtentiam, ita vt alterius hominis ſubſiſtentiam recipere non poſsit; & tamen naturę humanę ſolo numero diſtinguntur: ergo pariter materiæ cęleſtes ſolo numero diſtinguntur, etiam ſi quęlibet ſit determinata ad propriam formam, ita vt aliam recipere non poſsit.

401 Neg. conſeq. primo quia natura humana non ſumit ſuam vnitatem, vel diſtinctionem per ordinem ad ſubſiſtentiam, ſicut materia per ordinem ad formam ſubſtantialem: quare ſtat, quod materiæ diſtinguantur; quia ſolum poſſunt diverſas formas recipere, & non diſtingũtur naturæ humanæ, etiã ſi ſolum poſsint diverſas recipere ſubſiſtentias.

402 Secundo reſp. quod ſubſiſtentiæ, quas naturæ humanæ poſſunt recipere, ſunt ſolo numero diſtinctæ: quare per ordinem ad eas nequeunt humanę naturæ ſpecie diſtingui; poſſunt tamen materiæ cęleſtes ſpecificè diſtingui per ordinem ad diverſas formas; quia illæ non ſolum numero, ſed ſpecificè diſtinguntur.

403 Tertio reſp. quod hæc natura humana ex conceptu individuali eſt determinata ad hãc ſubſiſtentiã, non ex conceptu ſpecifico; at materia vnius orbis cęleſtis ex conceptu ſpecifico eſt determinata ad formã eiuſdem orbis; quia eſt actus adæquatus illius materiæ, & quælibet potentia ex ſuo conceptu ſpecifico eſt ad proprium actũ adæquatum determinata.

§. IV.

Materia prima ex ſe non eſt vna numero poſitivè; ſed negativè.

404 Probatur prima pars. Materia non habet ex ſe principium vnitatis numericæ: ergo non eſt vna numero poſitivè. Conſeq. tenet, quia eſſe vnã numero poſitivè nihil eſt aliud, quam habere ex ſe principiũ, quo res ſit vna numero, & numero diſtincta ab alijs. Ant. prob. Principiũ vnitatis numericæ eſt ſigillatio materię per quantitatem, vt dicitur in lib. de Generat. hęc non convenit materię ex ſe: ergo.

405 Conf. Materia de facto eſt multiplex numero poſitivè: ergo nõ eſt ex ſe vna numero poſitivè: patet conſeq. quia oppoſitũ eius, quod materię convenit ex ſe, nullo modo poteſt illi convenire.

406 Et ſi obijcias. Materia prima eſt ens reale poſitivum: ergo vna numero poſitivè; quia vnitas numerica, & poſitiva eſt paſsio entis realis poſitivi. *Reſp.* quod vnitas numerica poſitiva eſt paſsio entis realis actualis poſitivi, & cum materia ſolum per formam ſit ens reale actuale poſitivum, ſolum per formam eſt vna numero poſitivè.

407 Si obijcias 2. Subiectum tranſmutationis de vna forma ad aliam debet eſſe commune vtrique formæ: ergo debet eſſe idem ſub vtraque forma: ergo debet eſſe ex ſe vnum numero poſitivè: patet conſeq. quia nihil proveniens materiæ ex forma eſt commune vtrique formæ; ergo ſi materia eſt ſubiectũ cõmune, & idem ſub vtraque forma non habet, quod ſit commune, & idem, ſivè vnum numero per formam.

408 Reſp. quod vt materia ſit ſubiectum commune tranſmutationis, ſufficit, quod ex ſe ſit vna numero negativè, vt ſtatim exponemus, quod autem ſit vna numero poſitivè, requiritur concomitanter, non vero pro priori cauſalitatis ad formam.

409 Si inſtes: ergo quoties mutatur forma, mutatur vnitas numerica poſitiva materiæ. *Reſp.* concedo conſeq. quia hæc vnitas eſt veluti extrinſeca materiæ; quare in illius mutatione nullum apperet inconveniens.

410 Si obijcias 3. Materia eſt vna numero per ordinem ad quantitatem; ſed ex ſe ipſa dicit ordinem ad quantitatem, quia ex ſe eſt radix illius: ergo eſt ex ſe vna numero poſitivè. *Reſpond.* quod materia ex ſe dicit ordinem ad quantitatem remotum, & indeterminatum; vnitas autem numerica poſitiva deſumitur ex ordine proximo ad determinatā quantitatem, & hunc non habet materia ex ſe, ſed per formam.

411 *Secunda pars concluſionis.* Nempe quod materia ex ſe ſit vna numero negativè, prob. Quia eſſe vnam numero negativè materiam, eſt eam ex ſe non habere principium numericæ diſtinctionis ab alia; ſed materia ex ſe non habet principium numericæ diſtinctionis ab altera materia: ergo eſt vna numero negativè. Prob. min. Idem eſt principium conſtitutivum, & diſtinctivum; ſed iam probatum eſt, materiam ex ſe non habere principium, quo vna numero poſſit conſtitui: ergo nec habet principium, quo poſſit ab alijs ſolo numero diſtingui.

ARTIC. IX.

De Reliquis proprietatibus materiæ primæ

412 PRæter proprietates materiæ hucuſque examinatas, recenſentur aliæ à Philoſophis, in quarum explicatione parum, aut nihil eſt immorandum, quia circa illas vix eſt diſsidium inter Authores.

413 Numeratur cum Ariſtot. hic lib. 1. cap. vlt. text. 82. inter hàs proprietates 1. quod ſit ingenerabilis, & incorruptibilis: quod ſit ingenerabilis, quia id ſolũ eſt generabile, quod poteſt fieri ex aliquo præſuppoſito ſubiecto: at materia, cum ſit primum ſubiectum, fieri non poteſt ex præſuppoſito ſubiecto: ergo. Quod vero ſit incorruptibilis: quia illud corrumpitur, quod deſinit eſſe, permanente ſubiecto, in quo erat; at materia non poteſt ſic deſinere, cum ipſa ſit ſubiectum, & in nullo ſit ſubiecto.

414 Obijcies. Ille generat totum, qui producit vnionem partium eius; ſed agens naturale poteſt producere vnionẽ, qua partes integrales materiæ inter ſe vniuntur: ergo poteſt agens naturale materiam generare. *Reſp.* quod generat totum, qui vnionem producit, non qui producit vnionem partium integralium: ratio eſt: quia qui producit vnionem partium integralium, ſupponit aliquam partem integralem, ac ſubinde ſupponit productum aliquid eiuſdem rationis cum toto; vnde non ſimpliciter producit, ſed auget totum: probat ergo argumentum, poſſe augeri naturaliter materiam per vnionem vnius partis cum alia non tamen probat, non eſſe deveniendum ad partem, quæ reſpectu cuiuſvis agentis naturalis debet ſopponi producta, ac per conſequens ſit ab ipſo improducibilis.

415 Numeratur ſecundo inter proprietates materiæ, quod ſit æterna: eſt autem æterna, quia nec ab agente naturali poteſt corrumpi, vt dictum eſt, nec à Deo agente iuxta leges naturæ; ſiquidem Deus ſolum ſuſpendit concurſum conſervativum iuxta leges naturæ, quando ſuſpendit illum, quia deficit ſubiectum, à quo dependet effectus, vel quando adeſt contrarium potens illius deſitionem; at materia, nec dependet à ſubiecto, nec habet contrarium: ergo Deus, vt Author naturæ nequit ſuſpendere concurſum conſervativum illius.

416 Dices. Poteſt naturaliter deficere materia defectu cauſæ conſervantis, nempe defectu omnis formæ. *Reſpond.* materia naturaliter petit eſſe ſub ali-

aliqua forma: ergo ſi Deus ſubſtraheret omnem formam, non operaretur iuxta leges naturæ, ſed ſuper illas: ergo ex defectu omnis formæ nequit materia naturaliter deficere.

417 Tertio aſsignatur ab Ariſtoteles 7. Metaph. text. 34. altera proprietas materiæ; quod ſit: incognoſcibilis; eſt autem materia incognoſcibilis, ideſt, non cognoſcibilis ex ſe, ſed per ordinem, & analogiam ad formam: quia cognoſcibilitas eſt paſsio entis, & materia non eſt actu ens, ſed in potentia: vnde ſicut privatio non cognoſcitur per ſe, ſed per formam, quia non eſt ens, ſed remotio entis; ita materia non eſt cognoſcibilis ex ſe, ſed ex forma; quia ex ſe non habet eſſe, ſed eſt in potentia ad eſſe.

418 Quarto, ſolet aſsignari inter materiæ proprietates, quod habeat quantitatem; quia materia ex ſe petit formam corpoream, quæ prorſus principium eſt quantitatis: repugnat enim materia ſpiritualis, vt fert communior opinio cum D. Thom. 1.p.q.50.art.2. & 4.

419 Denique numeratur inter proprietates materiæ: quod non ſit operativa ex Ariſt. in præſenti cap. 7. text. 55. & lib. 2. de ortu, & interitu cap. 9. text. 53. & ex D. Thom. 7. Metaph. 1. lect. 8. Ideo vero nõ eſt operativa; quia operari ſequitur ad eſſe, & materia ex ſe nullum habet eſſe.

420 Etſi dicas. Res quælibet influit in ſuas proprietates reales: ſed materia prima habet proprietates reales, ſivè realiter diſtinctas, nempe quantitatē: ergo. *Reſpond.* quod principium proximum, cui debetur aliqua proprietas determinata influit in eam; at materia eſt principium remotum, nullam quantitatem determinatam exigens; ac per conſequens non eſt, cur influat in eam. Dicitur autem materia principium remotum; quia ipſa per ſe non influit in quantitatem, ſed debentur illi formæ, quæ pro ipſarum ſpecifica diverſitate in diverſas, ac determinatas influunt quantitates. *Præterquanquod*, vt infra dicemus lib. 2. dimanatio non eſt vera efficientia, aut influxus eſſentiæ, à qua dimanat proprietas, ſed agentis, qui ratione eſſentiæ primario productę, ex conſequenti pertingit vſque ad paſsiones illius.

QVÆS-

QVÆST. IV.

De forma ſubſtantiali.

1 ALiud principium entis naturalis eſt; forma ſubſtantialis, quę principalis eſt pars compoſiti ſubſtantialis, & quia conſiderari poteſt ſecundum ſe, per reſpectum ad materiam, in qua continetur, & ex qua educitur, & in qua recipitur, nec non per ordinem ad compoſitum, quod conſtituit, diſſerimus circa eam, an ſit, & quid ſit, quomodo contineatur, & educatur ex potentia materiæ, qua ratione eam informet, & denique quo pacto intret ad compoſitionem totius.

ARTIC I.

An detur, & quid ſit forma ſubſtantialis?

2 FOrma eſt actualitas rei; & quia actualitas eſt perfectio, determinatio, finis, & complementum rei, ideo forma ſolet accipi pro conſtitutivis, pro ſpecie, pro pulchritudine, pro figura, pro aſpectu, facie, & alijs, in quibus perfectio, terminus, ſivè complementum rei præcipuè reſplendet.

3 Forma in hac generalitate alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca, intrinſeca eſt quæ dat eſſe rei media vnione, vel identitate cum illa; extrinſeca eſt exemplar, ad cuius immitationem habet res eſſe.

4 Forma intrinſeca: alia eſt per ſe ſubſiſtens, alia informans, & recepta; per ſe ſubſiſtens, vt Angelica, qui dicuntur formæ propter ſui actualitatem, ac perfectionem, & per ſe ſubſiſtentes, quia exiſtunt independenter à ſubiecto receptionis: forma informans, ſivè recepta eſt actus, qui exiſtit non per ſe, ſed dependenter à ſubiecto, cuius indiget ad eſſe, vel operari.

5 Forma intrinſecè informans, alia eſt ſubſtantialis, alia accidentalis; ſubſtantialis quæ dat eſſe ſimpliciter; accidentalis, quæ dat eſſe ſecundum quid, dicitur eſſe ſimpliciter eſſe primum, aliud prius in ſubiecto non ſupponens, vt eſſe hominis; eſſe ſecundum quid eſt eſſe ſecundum adveniens ſubiecto in aliquo priori eſſe conſtituto, vt eſſe album.

6 Dividitur pręterea forma intrînſeca in totalem, & partialem; totalis eſt natura, vt diſtincta à ſuppoſito, quæ dicitur forma: quia dat eſſe ſpecificum ſuppoſito, &

& in eo quaſi clauditur, recipitur, vt vlterius communicari nequeat; dicitur vero totalis, quia ipſa independenter ab alia comparte dat eſſe ſpecificum: forma partialis eſt entitas incompleta, quæ ſimul cum alia potentiali totum componit.

7 Denique forma partialis, alia eſt phyſica, alia methaphyſica: phyſica eſt, quæ ſimul cum alia parte potentiali realiter à ſe diſtincta totum phyſicum realiter componit: metaphyſica, quæ ſimul cum alia parte potentiali ratione tantum diſtincta, totum methaphyſicum ratione noſtra componit. Forma, de qua in præſentiarum eſt ſermo, eſt forma intrinſece informans, ſubſtantialis, partialis & phyſica: quare nomine formæ in præſenti intelligimus ſubſtantiam partialem ex natura ſua ordinatam ad conſtitutionē totius ſimul cum alia parte, cuius ipſa eſt perfectio, & complementum.

8 Veteres Phyloſophi negaverunt, materiam primam eſſe puram potentiam; conſequenterque negarunt, dari formam ſubſtantialem realiter diſtinctam à materia; & licèt poſt Ariſtot. qui oppoſitum eſſe verum aperte demonſtravit, præ dicta opinio penè fuerit extincta, non deſunt moderni, qui eā ſuſcitare ſtudeant, ſingulariter opinantes materiā, & formā nō eſſe nomina rerum, ſed munerum eiuſdem rei, quæ diverſimode conſiderata, nunc materia, nunc forma vocatur.

9 Sed dari formas ſubſtantiales realiter à materia prima diſtinctas, aſſerimus inhærētes veſtigijs omnium fere, qui à temporibus Ariſtotelis, alicuius nominis inter Philoſophos reputantur.

10 Et quidem de Ariſt. cui mirum eſt, aliquos ex contrarijs ſuam volviſſe imponere ſententiam dubitare non licèt: cum ſæpe ſæpius contra veteres Philoſophos dari formas ſubſtantiales pronuntiaverit, & propugnaverit; præſertim in hoc 1. lib. Phyſic. & lib. 2. cap. 1. dicens formam ſubſtantialem eſſe perfectiorem naturam quam materia, & lib. 7. Meth. vbi vocat formam quidditatem rei, & lib. 12. cap. 2. vbi eam vocat hoc aliquid, quia complet ſubſtantiam. Ariſt. ſequitur Angelicus Præceptor, vt patet ex innumeris locis, quæ in re tam clara libenter prætermittimus.

11 Rationibus hæc veritas demonſtratur, ſit prima. Forma ſubſtantialis eſt pars cōſtituens totum ſubſtantiale ſimul cum materia, cuius eſt determinatio, & complementum: ſed in compoſito naturali præter materiam primam exiſtit huiuſmodi pars: ergo in compo-

poſito naturali exiſtit forma ſubſtantialis realiter diſtincta à materia. Min. prob. ſola materia non eſt totum ſubſtantiale, nec eſt determinatio, aut complementum alterius partis: ergo in compoſito naturali præter materiam primam exiſtit pars conſtituens totum ſubſtantiale ſimul cum materia, cuius eſt determinatio, & complementum. Ant. quoad primam partem, in qua eſt difficultas, prob. Ens naturale eſt totum ſubſtantiale completum; ſed ſola materia prima non eſt totum ſubſtantiale completum: ergo ſola materia prima nõ eſt ens naturale. Prob. min. Materia prima eſt eiuſdem ſpeciei in omni ente naturali ſublunari, imò in pluribus eſt eadem numero, v.g. in homine, & in cadavere, in ligno, & igne, & cinere, nec non in alimento, & viventi; ſed non omnia entia naturalia ſunt totum ſubſtantiale completum eiuſdem ſpeciei, nec in equo, & cadavere, ligno, & igne, cæteriſque nuper relatis totum ſubſtantiale completum eſt idem numero: ergo materia prima non eſt totum ſubſtantiale completum.

12 Min. eſt evidens. *Tum*; quia pulchritudo vniverſi potiſsimum conſiſtit in rerum naturalium ſubſtantiali, & ſpecifica, imò generica diverſitate: vnde merito dixerit Angelicus Præceptor, in vniverſo multitudinem quidem ſpecierum eſſe per ſe intentam: numericam autem multitudinem tantum eſſe de ſecundaria intentione, vt ſcilicèt ſpecies, quæ in vnico individuo conſervari non poteſt, in pluribus perpetuitatem obtineat. *Tum* ex illo Geneſis 1. *Lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum*, & infra: *Habens vnumquodque ſemen ſecundum ſpeciem ſuam*: Ex quibus conſtat, res naturales inter ſe diſtare ſpecifica, generi caque diverſitate: ergo non omnes ſunt ſubſtantialiter eiuſdem ſpeciei.

13 Conf. Entia naturalia ſunt determinata ad aliqua accidentia, & ad proprias operationes; ſed non ſunt determinata ratione materiæ, nec ratione alterius accidentis, ſecluſa forma: ergo ſunt determinata ratione alicuius principij ſubſtantialis diſtincti realiter à materia. Mai. patet: Nam ignis eſt determinatus ad calefaciendum, & aqua ad frigiditatem, ita vt, ſi eam violenter amittat, relicta ſuæ naturæ, ipſam ſtatim recuperet. Min. vero pro prima parte eſt manifeſta: nam materia prima, cum ſit eiuſdem rationis in omnibus, non petit hæc accidentia potius quam illa; ſed omnia reſpicit, & recipit indifferẽter: pro ſecũda vero par-

parte conſtat: nam ens naturale non eſt determinatum ad alia accidentia ratione prioris accidentis, ad quod nullam habet determinationem: ſed ens naturale ad illud primum accidens nullam habet determinationem ſecluſa forma: ergo entia naturalia ſecluſa forma, non habent determinationem ad accidentia ratione alterius primi accidentis. Patet min. Quia ſecluſa forma, ſolum manet in ente naturali materia; ſed materia non eſt ex ſe determinata ad illud primum accidens: ergo ens naturale nullam habet determinationem ad illud primum accidens, ſecluſa forma.

14 Sit ſecunda ratio. Quæ realiter ſeparantur, realiter diſtinguntur; ſed forma realiter ſeparatur à materia: ergo realiter diſtinguitur ab illa. Prob. min. in generatione rerum producitur forma; & non producitur materia; in earum vero corruptione deſinit forma, & perſeverat materia: ergo forma realiter ſeparatur à materia.

15 Prob. ant. Quia ſi in generatione equi, v.g. non produceretur forma, nihil ſubſtantialiter produceretur, ac ſubinde illa eſſet alteratio, vt cum equus dealbatur, aut fit calidus, nec per illam in rerum natura inciperet aliquid eſſe ſimpliciter, ſicut nullum ens incipit eſſe ſimpliciter, cum ſubiectum fit de novo calidum; conſequens eſt abſurdum: ergo, & illud, ex quo ſequitur. Sequela vero prob. Nam materia in generatione rerum non producitur de novo, nec quæ præceſſit in corrupto convertitur in eam, quæ incipit eſſe in genito: ergo, ſi forma in generatione rerum non producitur, nihil in ea ſubſtantialiter producitur. Prob. ant. quoad primam partem: quia in generatione rerum nihil creatur, cum creatio ſit opus ſolius Dei, non agentium naturalium; ſed materia ſolum fit per creationem: fit enim ex nullo præſuppoſito ſubiecto: ergo in generatione rerum materia non producitur de novo: *quoad 2. vero partem* eſt certa: quia converſio totalis vnius ſubſtantiæ in alteram eſt opus miraculoſum, vt patet ex dictis quæſt. præcedenti art. 1. ergo materia, quæ præceſſit in corrupto, non convertitur in eam, quæ incipit eſſe in genito.

16 3. Ratio deſumitur ex hominis compoſitione: homo componitur ex materia, & forma realiter diſtinctis: ergo cætera entia naturalia conſtant ex materia, & forma realiter diſtinctis. Conſeq. tenet 1. Quia ſi homo componitur ex materia, & forma: materia hominis non eſt totus homo ſubſtantialiter acceptus, ſed eſt quid incompletum, & potentia

ex

ex ſe ordinata, vt cum illo vnum per ſe valeat componere: ens quippè completum nequit cum alio à ſe realiter diſtincto vnum per ſe componere; ſed materia hominis eſt eiuſdem rationis cum materia cæterorum corporum, vt teſtatur, tàm conuerſio alimenti in ſubſtantiam hominis, quàm reſolutio corporis humani in elementa dum comburitur, aut ſepultus in terra tranſmutatur: ergo nec materia cæterorum corporum eſt ens completum, ſed entitas incompleta, & potentia per ſe ordinata ad actum, cum quo totum per ſe vnum componit, ac ſubinde cætera corpora componuntur ex materia, & forma realiter diſtinctis.

16 2. quia, ſi homo componitur ex materia, & forma diſtinctis, homo præter materiam habet aliud principium ſubſtantiale, quod ſit communis radix operationum, quæ illi naturaliter ſunt debitæ; ſed cætera entia naturalia eodem modo ſe habent ad ſuas operationes: illiſque ſuæ operationes ſunt naturaliter debitæ: ergo datur in eis præter materiã aliud principium ſubſtantiale, quod ſit radix communis earundem operationum.

19 3. Dum homo corrumpitur non deſtruitur materia; ſed amittit illud eſſe ſubſtantiale, quod à forma recipiebat, at eodem modo corrumpuntur homo, & cætera viuentia, vt enim dicitur Eccle. 3. *Vnus eſt interitus hominis, & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio*: ergo dum cætera viuentia corrumpuntur, materia non corrumpitur in eis, ſed amittit eſſe ſubſtantiale, quod receperat à forma.

18 Ant. vero, ſcilicèt, quod homo componitur ex materia, & forma realiter diſtinctis, prob. homo componitur ex corpore, & anima, ſed anima eſt vera hominis forma: ergo homo componitur ex materia, & forma. Mai. habetur expreſſa in Concilio Lateranenſi, nec non in Symbolo Athanaſij, illis verbis: *Sicut anima rationalis, & caro, vnus eſt homo*, Min. autem eſt diffinita in Concil. Vienenſi ſub Martino V. & in Lateranenſi ſub Leone X. Seſ. 8. ergo homo componitur ex corpore, & anima: in probando hominem componi ex materia, & forma realiter diſtinctis, & neque in homine, neque in alijs entibus naturalibus materiam, & formam non identificari, ita vt eadem entitas ſub vna ratione, aut munere materia, ſub alia forma nuncupetur, immorari non placet: quià aſſumptum iſtud ſatis, ſuperque firmavimus vbi proximè.

§. II.

Argumentis occurritur.

16 Objicies 1. Nulla eſt forma, quę non ſit vel exiſtens per ſe, vel exiſtens in alio; ſed forma ſubſtantialis nec exiſtit per ſe, nec exiſtit in alio: ergo nulla datur forma ſubſtantialis. Prob. min: quoad 1. partem. Forma per ſe exiſtens non indiget ſubiecto; ſed forma ſubſtantialis, ſi daretur, indigeret ſubiecto; eſſet enim actus informans, & receptus: ergo forma ſubſtantialis non eſt per ſe exiſtens: Quod 2. vero prob. Forma exiſtens in alio eſt accidentalis: nam eſſe in alio proprium eſt accidentis: ergo forma ſubſtantialis non exiſtit in alio.

20 Reſp. quod forma ſubſtantialis non exiſtit in alio inhæſivè, ſed eſt in alio tantum in formativè: eſt in ſubiecto *inhæſivè* forma, quæ ſubiectum non conſtituit, ſed illud in actu completo ſuponit conſtitutum: eſt autem *informativè* tantum in ſubiecto forma, quæ nullum eſſe ſupponit in ſubiecto, ſed illi communicat eſſe ſimpliciter. Primum eſt propriũ accidentis; et non ſic, ſed poſteriori modo forma ſubſtantialis eſt in alio.

21 Obijcies 2. in rebus corporeis forma ſubſtantialis nec eſt ſpiritualis, nec corporea: ergo in eis nulla eſt forma ſubſtãtialis: Ant. pro. 2. parte; inqua ſtat difficultas, prob. In rebus corporeis forma nullam habet quantitatem: ergo non eſt corporea. Prob. ant. Nulla res habens quantitatem exiſtit in eodem loco, in quo exiſtit altera ſimiliter habens quantitatem; ſed in rebus corporeis forma, ſi datur, exiſtit in eodem loco, in quo exiſtit materia, quæ proculdubio quantitatem habet; ergo in rebus corporeis forma nullam habet quantitatem.

22 Reſp. quod forma in rebus corporeis non habet quantitatem diſtinctam à quantitate materiæ, ſed tàm materia, quàm forma ſunt extenſæ per vnicam quantitatem; quare, nec vindicant ſibi diſtincta loca; ſed in vno, & eodem ſimul amico fædere exiſtunt.

23 Obijcies 3. ſi daretur forma ſubſtantialis, illa fieret virtute agentis naturalis; ſed virtute agentis naturalis non poteſt fieri: ergo non datur. Prob. min. Quia vel aliquid formæ præexiſtit ante illius productionem, vel nihil; ſi primum, formæ non fiunt, ſed aparent, vt dicebant veteres Philoſophi; ſi ſecundum, ex nihilo nihil fit virtute agentis naturalis: ergo virtute agentis naturalis non fit forma ſubſtantialis.

24 Hoc arg. æque militat con-

contra exiſtentiam formæ accidentalis: quia, ſi præexiſtit ad ſui productionem non fit, ſed apparet; ſi vero non præexiſtit, fiet ex nihilo, quod agenti naturali penitus repugnat. *Reſp.* ergo quod licèt nihil formę præcedat ad ipſius productionem præcedit ſubiectum in cuius potentia forma præexiſtit, & hoc ſufficit, vt per virtutem agentis naturalis poſsit fieri: nã cum dicitur ex nihilo nihil fit naturaliter, eſt ſenſus, quod ex nullo præſuppoſito ſubiecto, nihil naturaliter fit: ſtat autem, quod ex nihilo ipſius effectus, quoad illius eſſe actuale aliquid virtute naturæ fiat, dummodo præcedat ſubiectum, ex quo poſſit fieri.

25 Denique obiicies. Non repugnat corpus ſimplex; ſed illud eſſet eiuſdem rationis cum entibus naturalibus, quæ defacto dantur: ergo hæc ſunt ſimplicia, ac per conſequens minime compoſita ex materia, & forma realiter diſtinctis.

26 Reſp. neg. mai. quia corpus ſimplex eſſet actus ſubſtantialis irreceptus, ac proinde immaterialis: eſſet ergo non corpus, ſed ſpiritus: vnde ex terminis repugnat, quod aliquid ſit corpus, & illud ſit ſimplex.

27 Ex his non erit difficile colligere definitionem formæ ſubſtantialis, quam noſtri Thomiſtæ ſit optime proponunt: *Actus primus materiæ primæ ex quo fit vnum per ſe.* Vbi *actus* ponitur loco generis, in quo forma ſubſtantialis convenit cum accidenti, & cum modis ſubſtantialibus: per reliquas particulas differt ab eis, & licèt in illis verbis: *Actus primus materiæ primæ*, contineatur ſufficiẽter diſtinctivum formæ ſubſtantialis ab omni alio; ac proinde prędicta verba in rigore ſufficiant pro formæ definitione: nihilominus poſteriora nõ ſuperfluũt: quia per ea exprimitur finis intrinſecus formæ ſubſtantialis ſine quo conceptus quidditativus formæ ſubſtantialis, qui in ratione partis conſiſtit, vix percipitur.

28 Si obijcias, Forma ſubſtantialis non eſt actus compoſitus ex potentia, & actu, neque eſt actus ſimplex: non enim eſt actus purus: ergo non eſt actus. *Reſp.* quod forma ſubſtantialis non eſt actus compoſitus, nec eſt actus purus, ſed eſt actus ſimplex, & componens totum: qua ratione eſt ſimplex, non eſt compoſitus; qua vero parte eſt componens, non eſt actus purus: actus enim purus, nec componitur ex potentia, nec ſimul cum potentia totum componit.

ARTIC. II.

Vtrùm aliqua formæ educantur ex potentia materiæ.

29 PVtaverunt aliqui, formas ſubſtantiales ex potentia materiæ, non educi, ſed creari à Deo, vel ab intelligentia. Tribuit hanc ſententiam D. Thom. 1. p. q. 45. art. 8. & 7. met. lect. 7. Platoni, & Avicenæ.

30 Alij cum Anaxagora, quos refert Angel. Præcept. 7. Met. lect. 7. poſſuerunt, formas latitare in materia, quo circa concedebant, eas fieri, & educi; verum formas fieri, & educi, nihil aliud eſſe cenſebant, quam eas apparere.

31 Alij tandem opinati ſunt, formas præexiſtere in materia, non ſecundum ſuum eſſe diſtinctum, atque perfectum, ſed ſecundum eſſe inchoatum: qui etiam in varios modos dicendi ſunt diviſi: nam quidam dicunt eas præexiſtere in materia ſecũdum eſſe eſſentiæ; alij præexiſtere formas ſecundum gradum confuſum, & potentialem, ex quo fiunt ſecundum gradum diſtinctum, & actualem: alij præexiſtere ſecundum partem, & per actionem agentis totaliter educi. Alij tandem præexiſtere in materia rationes ſeminales, quibus formæ educuntur.

32 Ratio autem, quæ AA. illos impulit, vt putarent; aliquid præter nudam materiæ entitatem debuiſſe in ea præcedere ad hoc vt formæ ex potẽtia illius poſſent educi, eſt illud principium receptiſsimum inter Philoſophos, ex nihilo nihil fit; ex quo inferebant, ex nuda materia formam non poſſe fieri, quia cum ſola materia nõ ſit pars formæ, ſi ſola materia præcederet, nihil formę præexiſteret; ac per conſeq. forma fieret ex nihilo: ergo (ſubinferebant) vel formæ non educũtur, vel eatenus educuntur, quatenus fiunt ex aliquo eſſe inchoato ipſarum præexiſtente in materia.

33 Ceterum omnes iſtæ ſententiæ falſæ ſunt, & improbabiles: quo circa in hac tẽpeſtate omni authoritatis præſidio ſunt deſtitutæ.

34 Et in primis ſententiam aſſerentem formam ſubſtantialem non educi, ſed creari, pluribus impugnat D. Thom. q. 3. de Pot. art. 8. eiuſque falſitas facile apparet 1. Quia ex vi actionis agẽtis naturalis incipit eſſe forma ſubſtantialis, non per creationem: ergo per eductionem. Conſeq. tenet & min. eſt certa: nam ſolius Dei eſt creare: mai. vero ſuadetur ipſa experientia: nam videmus; ex vi actionis ignis generantis incipere in materia ligni formam ſubſtantialem ignis geniti.

35 Si dicas, ignem tantum pro-

producere vltimam diſpoſitionem, qua poſita Deus creat in materia formam ignis, vel ignem ad ſummum vnire propria virtute formam ignis, quam pro priori naturæ Deus creaverat.

36 Contra 1. Quia quando effectus incipit ad poſitionem operationis cauſæ, ſi effectus virtutem cauſæ non excedit, perperam denegatur cauſæ influxus in entitatem effectus; ſed poſita operatione ignis, incipit forma ignis geniti. & forma ſubſtantialis ignis geniti non excedit virtutem ignis generantis: ergo ignis generãs, nedum diſponit, vel vnit, ſed influit, & producit entitatẽ formæ ignis geniti Mai. eſt certa: quia non aliunde probavit Philoſophus, ignem producere caloris entitatem, niſi quia poſita operatione ignis incipit calor, & calor virtutem ignis operantis non excedit. Min. vero prob. Quia forma ignis geniti non excedit perfectionem ignis generantis: ergo nec excedit virtutem ignis generantis.

38 Si neges conſeq. quia ſtat optimè, formam non excedere perfectionem cauſæ, & excedere illius virtutem, vt patet in anima rationali hominis geniti, quæ perfectionem animæ generantis non excedit, excedit tamen eius virtutem.

38 Contra, & impugnatur 2. prædicta ſententia. Eo excederet forma ignis geniti virtutem formæ ignis generantis; quia nihil formæ genitæ ſuppo-nitur præexiſtens, & ignis generans non habet virtutem ad producendum aliquid ex nihilo; ſed hæc ratio non probat, formam ignis geniti excedere virtutem ignis generantis: ergo. Prob. min. Quod ignis non habeat virtutem ad producẽdum aliquid ex nihilo, & nihil caloris præexiſtat ad illius productionem non probat, calorem excedere virtutẽ ignis: ergo quod ignis non valeat aliquid ex nihilo producere, & nihil formæ præexiſtat ante illius productionẽ, non probat, quod forma excedat virtutem ignis.

39 Explicatur hoc. Agẽs naturale producit vltimam diſpoſitionem; v.g. calorem, quin illum creet: ergo poterit producere formam ſubſtantialem ignis quin illam creet. Ant. eſt evidens, aliàs res naturales nullam haberent operationem, nec actionem, qua formas ſaltim accidentales producerẽt, quod abhorret tota Philoſophia. Conſeq. vero prob. Nam agens naturale ideò producit vltimam diſpoſitionem ex nihilo, quin illam creet: quia licèt illam ex nihilo ipſius vltimæ diſpoſitionis producat; producit tamen illam ex præſuppoſito ſubiecto: ergo pariter, licèt agens naturale ex nihilo ipſius formæ formam ſubſtantialẽ producat; ſi tamen illam ex præſuppoſita

materia producat, producit formam ſubſtantialem, quin illam creet.

40 3. Refellitur eadem ſententia. Creatio eſt productio rei ex nullo præſuppoſito ſubiecto; ſed plures formæ ſubſtantiales producuntur ex præſuppoſito ſubiecto: ergo plures formę ſubſtantiales non creantur. Mai. eſt perſpicua. *Tum*, quia ideo formę accidentales non creantur: quia ex præſuppoſito ſubiecto produ cuntur. *Tum*, quia creatio eſt productio rei prævia diſpoſitione non indigens; ſed productio rei prævia diſpoſitione non indigens, eſt productio rei ex nullo præſuppoſito ſubiecto: ergo creatio eſt productio rei ex nullo pręſuppoſito ſubiecto.

Min. vero prob. quia plures formæ ſubſtantiales produci nequeunt, niſi ſubiectum prę ſupponatur, & in eo productio recipiatur: ignis v. g. produci nequit niſi pręſupponatur combuſtibile, & in eius materia ignis productio recipiatur: ergo plures formę ſubſtantiales producuntur ex pręſuppoſito ſubiecto.

41 4. Plures formę ſubſtantiales dependent à materia in eſſe, & in operari: ergo depēdent a materia in fieri; ſed forma, quę in fieri dependet a materia, educitur ex illa: ergo plures formæ ſubſtantiales educuntur ex materia. Ant. eſt per ſe notū: quia plures formæ ſubſtantiales non ſunt per ſe ſubſiſtentes, nec immateriales, ſed ſunt materiales, & receptę: ergo dependent a materia in eſſe, & in operari: animę quippe rationali non alia ratione competit independētia a materia in eſſe, & operari; niſi quia per ſe ſubſiſtens eſt, & ſpiritualis: ex quo patet 1. conſeq. *Tum*, quia res quęlibet a quibus dependet in eſſe, depēdet in primo eſſe. *Tum*, quia res, quæ in ſuo eſſe non dependent ab alio, nec in fieri depēdet ab illo: vnde anima rationalis, quę in ſuo eſſe nō depēdet a ſubiecto, nec in fieri pendet ab illo: ergo res, quę in eſſe depēdent a materia, dependēt in fieri ab illa *Tum* etiā, quia fieri tendet ad eſſe: ergo fiunt dependenter a materia res, quarū eſſe eſt dependens a materia; quod enim naſcitur independēter a materia, non trahit ex natura ſua dependentiam a materia. Hinc iam min. ſub ſumpta prob. nempe, quod res, quę in fieri dependet a materia, educatur ex illa; nam, vt ſtatim apparebit, educi formam ex materia, nihil eſt aliud, quam dependere in fieri a materia: ergo ſi plures formę ſubſtantiales dependent in fieri a materia, non creantur, ſed educuntur ex illa.

42 Sententiam affirmantem formas latere in materia reprobant omnes Philoſophi poteſt Ariſt. & eam eſſe omnino falſam, conuincitur 1. nam ſe-

ſequeretur, quod actu eſſet in materia infinita formarum multitudo: quia formæ, quæ apparere poſſunt per eductionem in materia ſunt infinitæ 2. Sequeretur, actu exiſtere in materia formas viventis, & cadaveris leonis, & equi, ignis, & aquæ, quod ex terminis videtur repugnare. 3. Quia ante generationem exiſteret leo, & equus, cæteræque res naturales, cum iſtæ in nullo alio conſiſtant, quam in materia, & propria ſingulorum forma vnitis: ergo vel naturaliter, quod prius erat exiſtens, vel nihil de novo in rerum natura generatur 4. Quia formę accidentales non præexiſtunt latitantes in ſubiecto. & tamen non creantur, ſed virtute agentis naturalis educuntur: ergo, vt formæ ſubſtantiales non creentur, ſed per actionem agentis naturalis educantur, non requiritur, quod in materia lateant, & præexiſtant.

43 Denique reijcitur, vt improbabile, quod alij dixerunt præexiſtere in materia formas ſecundum aliquod eſſe inchoatum, ſivè illud ſit gradus confuſus, ſivè pars formæ, ſivè poſsibilitas, ſivè virtus ſeminalis: hæc quippe omnia figmenta ſunt, quæ vna, eademque ratione convelluntur. Illud enim eſſe inchoactum, confuſum, vel ſeminale, &c. vel identificatur realiter cum materia, vel identificatur realiter cum forma, vel diſtinguitur realiter à materia, & forma. Si primum: ergo formæ educuntur ex nuda entitate materiæ, & non ex aliquo præexiſtente ſuperaddito materiæ, quæ eſt noſtra, veriſsimaque ſententia, Si ſecundum: ergo vere formæ omnes præexiſtunt in materia, & per generationem non incipiunt eſſe, ſed apparent, quod eſt incidere in ſententiam proximè à nobis impugnatam. Si dicatur tertium contra 1. ergo aliquid fit de novo, quin aliquid ipſius præexiſtat, ac ſubinde forma, vel formæ fiunt ex nihilo eiuſdem partis, vel formæ: ergo ſimiliter poſſunt fieri ex materia nude ſumpta: patet conſeq. quia tota ratio fingendi prædictum eſſe inchoatum, & negandi formas ex materia nuda educi eſt: quia forma non poteſt fieri ex nihilo eiuſdem formæ, ſed hoc non obſtante, fiunt ex illa inchoatione, in qua nihil formæ educendæ præexiſtit: ergo fiunt ex materia nude ſumpta, etſi in ea nihil formæ educendæ præexiſtat.

44 Contra 2. ſequeretur, quod in materia eſſent inſeparabiliter infinitæ inchoationes inter ſe, & à materia realiter diſtinctæ: nam quælibet forma deberet fieri ex propria, & ſpeciali inchoatione, poſsibilitate, parte, aut virtute ſeminali conſeq. eſt abſurdum: ergo.

45 Contra 3. Sequeretur, quod eſſe ſimul in materia inchoationes, aut partes inter ſe oppoſitæ, nempe cadaveris, & viventis, ignis, & aquæ, quas eſſe inter ſe oppoſitas patet: nã ſunt eiuſdem rationis cum formis, quæ ex eis educuntur: at formæ, quæ ex eis educuntur, ſunt oppoſitæ: ergo, & ipſæ inchoationes. Min. patet: nam formæ, quæ ex eis educuntur, ſunt formæ viventis, & cadaveris, ignis, & aquæ. Mai. vero prob. quia ad hoc ponuntur prædictæ inchoationes, vt dum formæ ex eis fiunt, non fiant ex nihilo, ſed ex aliquo ſui; at non fierent ex aliquo ſui, ſi non eſſent eiuſdem rationis cum formis producendis: ergo prædictæ inchoationes ſunt eiuſdem rationis cum formis, quæ ex eis educuntur.

46 Si dicas: inchoationes illas, ſivè poſsibilitates, aut virtutes ſeminales, ex quibus formæ educuntur, non multiplicari iuxta numerum formarum, ſed eſſe vnam pro omnibus, ac per conſeq. non ſequi, quod ſint infinitæ, vel oppoſitæ.

47 Contra: ergo principium, ex quo formæ educuntur, non eſt eiuſdem rationis cum formis, nec ad aliquam formam eſt determinatum, ſed indifferens ad omnes: ergo poterunt formæ fieri ex ſola materia, licèt materia ſola, nec ſit eiuſdem rationis cum formis, nec ad aliquam earum ſit determinata, ſed ad omnes ſit indifferens: ergo nulla eſt neceſsitas ponendi in materia aliquod eſſe inchoatum in ea præexiſtens, ex quo debeant educi formę ſubſtantiales.

48 Ex dictis patet ſolutio difficultatis propoſitæ in titulo art. eſſeque reſpondendum illi affirmativè, nimirum aliquas formas ſubſtantiales educi ex potentia materiæ: pro cuius aſſerti maiori explicatione præmittendum eſt, quid ſit formam educi ex potentia materiæ.

49 Tunc forma educitur ex potentia materiæ, cum ea, quæ erat antea in potentia materiæ, modo fit actu ex D. Th. 1. p. q. 90. art. 2. dicente: *Actum extrahi ex potentia materiæ nihil aliud eſt, quam aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia.* Cæterum, quia contingere poſſet, vt forma, quæ erat in potentia materiæ, modo à Deo crearetur, ac per conſequẽs eſſet in actu, & non per eductionem, id circo advertimus, quod vt forma educatur de potentia materiæ, requiritur quod forma, quæ erat in potentia materiæ, fiat in actu dependenter à materia.

50 Verum fieri formam dependenter à materia, non eſt præciſe, produci formam dependentem in ſuo eſſe à materia, quia, ſi compoſitum aliquod naturale, purè materiale crearetur à Deo, produceretur forma dependens in eſſe à materia, & mi-

minimè educeretur. Nec eſt, formā fieri in actu per tranſmutationem materiæ : quia formæ cœlorum in prima productione potuerunt educi ex potentia materiæ, quæ tamen in prima productione tranſmutari non potuit, cum in prima productione privatio in materia non præceſſerit.

51 Igitur eductio conſiſtit in eo, quod non ſolum eſſe formæ, ſed illius productio dependeat à materia: tunc autem productio dependet à materia, quando per eam non fit materia, ſed neceſſario ſupponitur, vt ſubiectum, in quo ipſa recipitur : & ratio eſt, quia eductio formæ ex potentia materiæ involuit concurſum materiæ, qui non eſt aliud, quam receptio; at prædictus concurſus nequit eſſe receptio præcisè formæ eductæ, ſiquidem forma rationalis recipitur in materia prima, & ex ea non educitur : ergo eductio petit concurſum paſsivum materię conſiſtentem in receptione productionis formę quę educitur.

52 Præterea, quia cum eductio ſit influxus cauſæ materialis in formam, explicari debet per proportionem cum productione, quæ eſt influxus cauſæ efficientis : at vt cauſa efficiens producat aliquem effectum non ſufficit, quod effectus ille ſit in ſuo eſſe, dependens à prædicta cauſa, nec quod prius fuerit in potentia, & iam ſit in actu : quid enim prohibet lucem, quæ in ſuo eſſe dependet à ſole, & prius erat in virtute ſolis, modo fieri in actu à ſolo Deo ſupplente ſolis cauſalitatem, ac ſubinde ſole in lucem minime influente; ſed requiritur, quod actio, qua lux fit, ab ipſo ſole egrediatur : ergo, vt ex materia prima educatur, vel producatur forma in genere cauſæ materialis, non ſufficit, quod forma ſit in ſuo eſſe dependens à materia, nec quod prius fuiſſet in potentia materiæ, & modo ſit in actu, nec vlterius ſufficit, quod materia formam recipiat, ſed requiritur inſuper, quod ipſam productionem recipiat:ſitque ſubiectum, à quo productio dependet: nam ſicut agens cauſat per hoc, quod productio effectus ſit ab ipſo, ita materia cauſat per hoc,quod nedum forma,ſed productio formæ in ipſa recipiatur.

53 3. Quia eductio eſt ex præſuppoſito ſubiecto, ſicut creatio ex nullo præſuppoſito ſubiecto:ergo eductio eſt productio, quam ſubiectum, ſivè materia eſſentialiter præcedit non tempore; poteſt enim in inſtanti creationis materię ex ipſa educi forma: ergo præcedit natura; ſed præcedentia naturæ eſt prioritas cauſalitatis : ergo materia præcedit productionem formæ, quæ educitur, per modum cauſę:

ergo cum cauſalitas materiæ cõſiſtat in recipiendo, præcedit materia productionem formæ, quæ educitur per modũ ſubiecti recipientis illam.

54 Obijcies. Productio formæ eſt actio, qua forma ponitur ſub exiſtentia; ſed actio in plurium ſententia non recipitur in paſſo, ſed in agente: ergo productio formæ non recipitur in materia: ergo eductio non conſiſtit in eo, quod actio recipiatur in materia.

55 Si dicas, probabilius videri, actionem recipi in paſſo. Contra 1. conceptus eductionis non debuit exponi per id, quod cadit ſub opinione, ſed per aliquid ab omnibus receptum; ſicut apud omnes eſt receptum, dari formarum eductionem. 2. quia ſaltim apud Thomiſtas eſt certo certius actionem Dei non recipi in creatura, ſed identificari cum Deo: ergo eductio, qua poſſet Deus formas ex potẽtia materiæ educere, non eſt productio recepta in materia; ergo inſufficienter exponitur conceptus communis eductionis per hoc, quod ſit productio dependens à materia, & recepta.

56 Reſp. quod productio eſt duplex activa, & paſſiva; activa eſt ipſamet actio, qua agens denominatur producere effectum, & hæc ſiſtit creata, probabile eſt, quod recipitur in agente, ſi vero increata, ceterum eſt apud Thomiſtas, non recipi in creaturas ſed identificari cum Deo. Productio vero paſsiva eſt paſsio, aut motus, à quo effectus denominatur in fieri productus, & hæc omnino recipitur in materia, quando forma educitur ex potentia materiæ: conſiſtit ergo eductio in eo, quod forma fiat dependenter à materia, id eſt, in eo quod fieri ſaltim paſsivum formæ recipiatur in materia, vt in ſubiecto: nam eo ipſo productio formæ eſſentialiter prærequirit ſubiectum concurrens in genere cauſæ materialis ad illum, ac ſubinde ſaltim productio non eſt creatio, ſed eductio.

57 Arg. quibus antiqui probabant, formas, vel non educi ex materia, vel ſupponere in materia ad ſui eductionem aliquod eſſe inchoatum, nullius ſunt momenti. Ad 1. videlicèt, ex nihilo nihil fit: ergo ſi in materia nihil formæ præſupponitur nequit ex illa forma educi. *Reſp.* quod ex nihilo tam formæ, quam ſubiecti nihil naturaliter fit; tamen ex nihilo formæ, ſi ſubiectum, ex quo fiat, ſupponitur, bene poteſt forma fieri.

58 Ad 2. nempè nihil appetit niſi ſibi ſimile; ſed materia appetit formam, quæ ex ipſa educitur: ergo eſt illis ſimilis, non ex ſe, cum ex ſe ſit pura potentia: ergo ratio-

tione alicuius præexiſtentis in materia quod eſt eiuſdem rationis cum forma: ergo ex illo, & non ex materia nuda educitur forma. *Reſpond.* quod appetitus ad communicandum eſſe, qualis eſt appetitus cauſæ efficientis, fundatur in ſimilitudine; appetitus autem ad recipiendũ, qualis eſt materiæ appetitus fundatur in indigentia; vnde non prærequirit ſimilitudinem in natura, ſed proportionem, quæ inter puram potentiam, & actum primum clare conſpicitur intercedere.

59 Colliges ex dictis, quod vt forma educatur ex potentia materię, requiruntur tres conditiones. *Prima*, quod dependeat in fieri à materia: ratio eſt: quia eductio eſt productio formæ dependentis à concurſu materiæ; ſed id, cuius productio dependet à concurſu materiæ, depẽdet in fieri à materia: ergo forma, quæ educitur de potentia materiæ, depẽdet in fieri à materia.

60 *Secunda* conditio eſt, quod depẽdeat in eſſe, & in operari à materia: ſequitur ex prima: nam quod in fieri dependet à materia, dependet ab illa in eſſe, vt artic. ſequenti oſtendemus; at quod depẽdet à materia in eſſe depẽdet in operari: ergo, ſi forma, quæ educitur de potẽtia materiæ, depẽdet à materia in fieri, dependet ab ea in eſſe, & operari.

61 *Tertia* conditio, quod forma, quæ educitur, fiat ex vi diſtinctæ actionis ab ea, qua materia eſt producta. *Tum* quia eductio eſt productio formæ ex præſuppoſito ſubiecto, ſed ſubiectum, quod ſupponitur ad actionem, non fit per illam: ergo ſubiectum, ſivè materia, ex qua forma educitur, non fit ex vi actionis, qua forma producitur. *Tum*, quia dum forma educitur, materia cauſat in genere cauſæ materialis; ac ſubinde præcedit non ſolum ad formas; ſed ad formæ productionem; at materia non fit per actionem, ad quam præcedit: ergo dum forma educitur, materia non fit per eandem actionem, ſed per diſtinctam ab ea, qua forma educta producitur.

ARTIC. III.

Vtrùm anima rationalis educatur ex potentia materiæ?

62 Reſolvimus, aliquas formas educi ex potentia materiæ, ſequitur, vt diſcuciamus, quæ ſint hæ formæ, & quia inter formas ſubſtantiales, quædam ſunt ſpirituales, vt animæ rationales; quædam vero materiales, vt formæ cœlorum, & elemẽtorum: quo certa ab incertis ſeparemus, ſtatuamus prius circa animam

mam rationalem id, in quo omnes conveniunt, acturi ſtatim, de formis cęlorum, & elementorum, circa quas maior inter AA. eſt diſſenſio.

63 Supponimus, animam rationalem eſſe formam corporis ſpiritualem, immo talem independentem à materia in eſſendo, & in operando proprias operationes, & defacto poſt mortem hominis exiſtere ſeparatam, & in ſtatu ſeparationis operari per intellectum, & voluntatem; quibus nihil certius; cum omnia ſint fidei dogmata. Inquirimus num his non obſtantibus, educantur animæ rationales de potentia materiæ.

§. I.

Prima Concluſio.

64 A*Nima rationalis defacto non educitur ex potentia materiæ*, eſt certiſſima inter Catholicos, & prob. ex D. Thom. 1.p.q.90. artic. 2. ad 2. dicente: *Quod anima rationalis non habet eſſe ſuum dependens à materia corporali, ſed habet eſſe ſubſiſtens, & excedens capacitatem materiæ corporalis, vt ſupra dictum eſt; propterea non educitur de potentia materiæ.* Id ipſum docet q.3.de Pot.art.8. ad 1. & ad 9. & 2. contrag. cap. 89. & in 2.diſt.18. artic. 1.& 2.imò 1.p. q.118.art.2. pronuntiat, hæreticum eſſe dicere, quod anima intellectiva traducatur cum ſemine.

65 Et prob. ratione. Anima rationalis eſt forma indepēdens à materia in eſſe; ſed forma independens à materia in ſuo eſſe non educitur ex illa: ergo anima rationalis non educitur ex materia. Mai. eſt diffinita in Cōcilio Later. ſub leone 10. Seſſ. 8. eamque vlterius demonſtrant Philoſophi ratione deſumpta ex eius operationibus; nam forma cuius operationes non dependent à materia, eſt independens in ſuo eſſe à materia; ſed operationes animæ rationalis, nempe intelligere, & velle non dependent à materia, vt patet, tum ex earum obiecto, quod abſtrahit à materia, tum ex eo quod non exercentur medio organo corporeo: ergo anima rationalis eſt forma independens à materia in eſſe.

66 Min. vero prob. Forma independens à materia in ſuo eſſe, eſt independens à materia in fieri; ſed quod non dependet à materia in fieri, non educitur ex illa: ergo forma independens à materia in eſſe non educitur ex illa. Min. conſtat ex dictis, & maior prob. Fieri eſt via ad eſſe: ergo forma, quæ non dependet in eſſe à materia, non dependet ab illa in fieri.

67 Si neg. conſeq. tum, quia ſtat optimè, quod effectus depēdeat ab aliqua cauſa in fieri, quin ab

ab ea dependeat in conſervari, vt videre licèt in cauſis efficientibus, præſertim vnivocis v. g. in equo, cuius effectus eſt equus genitus, depéndens quidem à generante in ſui productione, ſed potens independenter ab illo conſervari. Tum quia anima rationalis nequit naturaliter produci, niſi vnita materiæ; & tamen poteſt naturaliter conſervari ſine vnione cum materia: cur ergo licèt poſsit exiſtere ſeparata à materia, fieri non poterit, vt dependenter à materia producatur.

68 Contra, & prob. iterum illa conſeq. nimirum, quod ſi anima rationalis non dependet à materia in eſſe, nec infieri pendet ab illa. Productio rei, independentis à materia eſt independens à materia: ergo res indepēdens in ſuo eſſe à materia, eſt independens ab illa in fieri. Prob. ant. Productio non petit materiam ratione ſui, ſed ratione termini; at terminus productionis eſt eſſe rei: ergo productio rei, cuius eſſe nec petit materiam, nec pendet ab ea, non dependet à materia.

69 Conf. Res per ſe exiſtens non producitur per actionem receptam in alio, non alia ratione, niſi quia res per ſe exiſtens non dependet ab illo. Petrus enim, qui per ſe exiſtit independenter à Paulo, produci nequit per actionē receptam, & dependentem à Paulo; ſed anima rationalis exiſtit per ſe independenter à materia: ergo non producitur per actionem receptam in materia, & dependentem ab illa.

70 Conf. Ideo natura nequit produci ſinè ſuis proprietatibus; quia nequit exiſtere ſinè illis; ideò verò producitur ſinè pluribus accidentibus communibus, quia exiſtere poteſt ſinè illis: ergo pariter, tunc forma non poterit produci indepēdenter à materia, cum forma non poteſt exiſtere independenter ab illa: tunc vero poterit produci independenter à materia, cum poteſt exiſtere independenter ab illa.

71 Conf. Forma, quæ vt primo exiſtat, requirit ſubiectum, petit recipi in illo, vt in poſterum exiſtat; ſed forma, quæ infieri dependet à ſubiecto petit recipi in ſubiecto, vt primo exiſtat, & forma, quæ vt in poſterum exiſtat petit recipi in ſubiecto, dependet à ſubiecto in eſſe: ergo forma depēdens à materia in fieri, dependet ab ea in eſſe, ac ſubinde quæ à materia in eſſe non dependet, nec infieri dependet ab illa. Cætera patēt, & mai. prob. eiuſdem rationis eſt forma primo exiſtens, & forma exiſtens proſequenti duratione: ergo, quæ vt primo exiſtat indiget ſubiecto, indigebit ſubiecto, vt poſtea exiſtat. Patet conſeq. quia independentia formæ à ſubiecto oritur ex innata ſor-

formæ perfectione, & elevatione ſuper materiam; ſed perfectio intrinſeca formæ, & illius ſupra materiam elevatio æque convenit in primo inſtanti, & inſequentibus formæ, quæ eiuſdem rationis eſt in inſtanti primo, & in ſequentibus: ergo, ſi eſt eiuſdem rationis forma, vt primo exiſtens, & vt exiſtens pro ſequenti duratione, & forma, vt primo exiſtens non indiget ſubiecto; nec indiget ſubiecto, vt exiſtens pro ſequenti duratione.

71 Vrgetur. Ideò, vt exiſtens pro ſequenti duratione non indiget forma ſubiecto quia eſt ſpiritualis, & per ſe exiſtens; ſed cum primo exiſtit, eſt ſpiritualis, & per ſe exiſtens: ergo, vt primo exiſtens non indiget ſubiecto.

72 Si dicas: non exigere formam per ſe ſubſiſtentem ſubiectum propter indigentiam ipſius formæ, ſed propter indigentiam actionis, qua producitur.

73 Contra: quia cum actio ſit propter terminum, & non ècontra, actio petit ſubiectum propter indigentiam termini, non vero terminus propter indigentiam actionis, qua enim ratione actio productiva equi dependere nequit à leone, vt à ſubiecto, niſi, quia equus productus à leone, vt à ſubiecto minime dependet: qua etiam ratione actio productiva materiæ primæ ab alia materia, vt à ſubiecto non pendet, niſi quia vna materia in alia, vt in ſubiecto minime recipitur.

74 Deinde, forma ſpiritualis, quia per ſe exiſtens eſt, non poteſt in ſequenti duratione dependere à conſervatione recepta in materia, ita vt à materia dependeat in conſervari, dependentia non tàm à forma, quã ab indigentia illius actionis cõſervativæ profecta: ergo, quia per ſe exiſtens eſt, non poteſt in primo inſtanti dependere à productione recepta in materia, ita vt produci dependeat à materia dependentia non tam orta ex indigentia formæ, quam ex indigentia actionis productivæ.

75 Motiva vero reſolutionis non vrgent: nam ad 1. reſp. quod forma dependens infieri à materia, dependet ab ea in eſſe, & conſervari: quia quæ dependet à materia infieri, habet eſſe inferioris ordinis, non ſpirituale, & ſubſiſtens; ſed materiale, & dependens à materia, vt ſubiecto ſuſtentante; quæ autẽ à materia in ſui conſervatione non dependet, habet eſſe ſuperioris ordinis ſubſiſtens, & elevatum ſupra materiam: quo circa forma quæ dependet à materia in fieri; ab illa in conſervari non eſt independens. Cæterum effectus, qui infieri dependet ab agente particulari poteſt ab illo in ſui conſervatione non pende-

de-

dere; quia nec ex hoc quòd ab illo pendeat in fieri, ſequitur, quod per ſe non ſubſiſtat, nec ex eo quod ab eo in conſervari non pendeat, ſequitur, quod prędicti agentis virtutem, aut perfectionē excedat, ſed ſolum ſequitur, quod ille effectus, cum ſit producibilis ex pręſuppoſito ſubiecto, ſivè ex potẽtia paſſiva naturali, quę ex ſe non eſt diſpòſita, ſed indeterminata, & indifferens, indigeat agente naturali transſmutante materiam, & eam diſponente ad ipſius productionem: pro ſequenti vero duratione cum diſpoſitiones, à quibus in ſui conſervatione dependeat, oriantur ab ipſa forma, ac ſubinde detur in effectu principium proprie conſervationis, non indiget influxu agentis naturalis, vt pro duratione ſequenti conſervetur: ex eo enim lux in aere, & calor in igne pendent in conſervari ab actuali influxu agentis: quia in ſubiecto nullum eſt principium, cui ſint connaturales, nec ab illo emanant ipſæ, aut diſpoſitiones naturaliter eas conſervantes.

57 Ad 2. reſp. quod anima rationalis, vt producatur, requirit pro poſteriori vnionē; quia licèt, ſi ſpiritualis, eſt tamen incompleta, & indigens ſenſu materiali ad propriam operationem. Cæterum ex hoc non ſequitur, quod ſine vnione, non poſsit naturaliter conſervari: quia cùm eo quod ſit incompleta, ſtat, quod ſit ſpiritualis vnde, licèt petat vniri, qua parte eſt incompleta: qua tamen parte ſpiritualis eſt, poteſt exiſtere ſeparata. Quod autem ſit dependens in fieri à materia, & independens in conſervari non cohæret; quia qua parte dependeret in fieri, indigeret materia, vt ſubſtent ante qua parte vero independens eſſet in cõſervari haberet eſſe per ſe ſubſiſtens, & repugnat, quod ens per ſe ſubſiſtens indigeat materia, vt ſubſtentetur.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

58 Obijcies 1. Anima rationalis dependet in fieri à materia: ergo educitur ex illa. Prob. ant. Anima rationalis dependet à materia in eſſe: ergo, & in fieri. Prob. ant. dependet in operando: nam ſentire, & vegetare, quę ſunt operationes animæ rationalis, dependent à materia.

59 Reſp. neg. primum, & ſecundum ant. & diſt. tertiũ: dependent in operando omnes ſuas operationes, neg. ant. Aliquas ex ſuis operationibus, concedo ant. licèt enim aliquæ operationes animæ, ſcilicèt ſentire, & vegetare dependeãt à materia, aliquæ nimirum intelligere, & velle, quę principaliores ſunt

à

à materia minimè dependent.

29 Replicabis: non minus eſt proprium formæ educibilis dependere à materia in operando, quam formæ in educibilis non dependere in operando à materia: ergo ſi dependentia in aliquibus operationibus non probat formam eſſe educibilem; nec independentia in alijs probabit, illam eſſe in educibilē; ac ſubinde ex independētia animæ rationalis à materia in intelligendo non probabitur, illam ex potentia materiæ non educi.

30 2. Anima rationalis dependet à materia in intelligendo: ergo in omni operatione. Prob. ant. Intelligit dependenter à ſenſibus: ergo dependet in intelligendo à materia.

31 3. Anima rationalis dependet à materia in operationibus ſentiendi, & vegetandi: ergo ſaltim, vt ſenſitiva, & vegetativa dependet à materia: ergo vt ſenſitiva, & vegetatiua educitur à materia.

32 Diſt. ant. non minus eſt proprium formæ educibilis depēdere à materia in operādo quoad omnes eius operationes, quam formæ in educibilis non depēdere in operando, conced. ant. non minus eſt propriū formæ educibilis dependere in operando quoad aliquas tātum operationes, quam formæ ineducibilis non depēdere in operando, neg. ant. & neg. conſeq: vt enim forma ſit ineducibilis ſufficit, quod in aliqua operatione non depēdeat à materia: quia, cum operatio formæ non poſsit eſſe ſuperioris ordinis ad eſſe formę ſi aliqua operatio excedit materiā, & eſt ab illa independens; eſſe quoque formæ eſt ſupera materiam, & indepēdēs ab illa, nec obſtat, quod habeat aliquas aliàs operationes à materia depēdentes: quia licèt forma non poſsit habere operationes perfectiores ſe ipſa; poteſt tamē habere operationes aliquas inferioris ordinis; nihil enim prohibet cauſam eſſe perfectiorē ſuo effectu: vnde ex aliqua operatione perfecta, & indepēdenti à materia rectè probatur perfectio, & independētia animæ rationalis: ex alijs vero imperfectis, & dependētibus illam eſſe in ſuo eſſe imperfectam, & depēdentē non probatur, vt ergo forma ſit ineducibilis ſufficit, quod in vna operatione à materia non depēdeat, vt autē ſit educibilis; requiritur, quod in omnibus dependeat à materia.

33 Ad 2. reſp. quod anima rationalis dependet in intelligendo à ſenſibus non pro omni ſtatu: nam in ſtatu ſeparationis intelligit independenter, ab eis, ſed in ſtatu coniunctionis, in quo etiam non dependet à ſēſibus, vt à principio eliciente in tel-

tellectionē, ſed miniſterialiter, & præſuppoſitivè, vt à miniſtrantibus phantaſmata ex quibus abſtrahuntur ſpecies deſervientes intellectioni: vnde nō educitur ex materia; nam adhoc neceſſum erat, vt pro nullo ſtatu haberet operationē independentē ab illa, & quod omnes eius operationes à materia, vt à principio elicitivo depēderet.

34 Ad 3. diſt. min. vt ſenſitiva, & vegetativa depēdet à materia quoad actum ſecundum ſentiēdi, & vegetandi, conced. min. quoad actum primum, neg. min. id eſt, depēdent à materia operationes animæ, vt vegetativç, & sēſitivæ ipſa tamē, vt vegetativa ſit, & ſenſitiva non dependet à materia; ac ſubinde nec educitur de potētia illius.

35 Et ſi inſtes. Principium operationum dependentium à materia, dependet à materia ea ratione, qua principium eſt illarum; ſed anima, vt vegetativa, & ſenſitiva eſt principium operationum depēdētium à materia: ergo, vt vegetativa, & sēſitiva depēdet à materia, & conſequenter educitur ex illa.

34 Reſp. quod principium operationum dependentium à materia pendet in ſuo eſſe ab illa, ſi non ſit principium illarum formaliter eminenter; ſecus vero ſi ſit principium illarū formaliter eminenter, qua ratione eſt principium illarum anima rationalis, quæ eſt vegetativa, & ſenſitiva formaliter eminenter, quia ſimul eſt rationalis, & id circo elevata ſupra materiam, ſupra quam non elevaretur, ſi ſolam eſſet formaliter vegetativa, & ſenſitiva.

35 Vrgebis: licèt malitia peccati coniuncta ſit entitati, quæ producitur a Deo, quia tamen malitia in ſuo explicito conceptu non dicit perfectionem, non producitur a Deo, ſed a ſola creatura: ergo licèt gradus ſenſitivus animæ rationalis ſit coniunctus intellectivo, qui creatur à ſolo Deo; tamen quia in ſuo formali conceptu non explicat perfectionē independentiæ a materia nō creatur, ſed educitur ex potentia illius.

36 Reſp. 1. neg. conſeq. quia vt vna formalitas peccati producatur a Deo, & alio non producatur ſufficit, quod peccatum ſecundum vnam rationem ſit ens, & bonum phyſicum, & ſecundum aliam ſit malum morale, & defectus, quod autem idem actus ſit phyſicè bonus, & malus moraliter, non repugnat; cæterum, vt vna formalitas animæ rationalis creetur, & alia nō creetur, ſed ex materia educatur; opus erat vt vna eſſet ſpiritualis, & materia potens exiſtere ſeparata, & alia materialis, & exiſtere nequaquam īpotens ſine materia, quod ex terminis repugnat.

34 Secundo reſp. quod entitas, & malitia ſunt formalitates in ratione termini divinæ cauſalitatis oppoſitæ: nam entitas eſt participatio bonitatis divinæ; malitia vero eſt receſſus à divina bonitate: ſenſitivum vero, & rationale non ſunt gradus oppoſiti, ſed ſubordinati, eidem quippe fini, qui eſt actus intelligendi, ſuo ordine deſervientes: quare licèt Deus producens entitatem, malitiā peccati non producat; creando tamen gradum intelligendi in anima rationali, creat gradus vegetandi, & ſentiendi repertos in ea formaliter eminenter.

35 Obijcies 2. Forma quæ in ſuo effectu formali depēdet à materia, educitur ex illa; ſed anima rationalis in ſuo effectu formali dependet à materia: ergo educitur ex illa. Min. eſt certa: quia effectus formalis animæ rationalis, eſt eſſe humanum, vel homo; ſicut effectus formalis albedinis eſt albū: ſed eſſe hominē dependet à materia: ergo. Mai. vero prob. Quia intimior eſt formæ effectus formalis, quam præcipua illius operatio: effectus enim formalis eſt ipſa forma communicata ſubiecto; operatio vero eſt accidens oriens à forma, media potentia ſuperaddita: ſed forma, quæ in præcipua operatione dependet à materia, educitur ex illa: ergo forma, quæ in ſuo effectu formali pendet à materia, educitur ex illa.

36 Conf. Forma, quæ in exiſtendo, & ſubſiſtendo depēdet à materia, educitur ex illa; exiſtentia enim, & ſubſiſtentia, cum compleant formam in proprio genere entis, & ſubſtantiæ intimius conveniunt formæ, quam propria operatio, quæ cum accidens ſit, illam perficit accidentaliter; ſed anima rationalis ſubſiſtit, & exiſtit dependenter à materia: ergo educitur ex illa. Prob. min. Anima rationalis ſubſiſtit, & exiſtit per ſubſiſtentiam totius compoſiti, ſed compoſitum dependet à materia: ergo exiſtit, & ſubſiſtit dependenter à materia.

37 Reſpondetur, quod effectus formalis inadæquatè ſumptus eſt intimior formæ, ſecus vero ſumptus adæquatè effectus enim formalis, cum ſit forma communicata ſubiecto, involuit formam, vnionem, & ſubiectum: qua parte includit formam intimior eſt operatione; qua vero parte includit ſubiectum, aut vnionem, non eſt intimior operatione: nam operatio in omni ſtatu comitatur forma, & oritur à forma, à qua non oriuntur vnio, & ſubiectum, nec eam in omni ſtatu comitantur: cum ergo dependentia effectus formalis animę rationalis à materia non ſit ex parte ipſius formæ

mæ communicatæ, ſed ex parte ſubiecti, vel vnionis; ſit conſequens, ex illius dependentia non inferri eductionem animę licèt ex dependentia operationum inferatur dependentia formarum, & eductio.

Ad confir. neg. min. ad prob. diſt. mai. anima rationalis ſubſiſtit, & exiſtit per exiſtentiā, & ſubſiſtentiam totius, hoc eſt per exiſtentiam, & ſubſiſtētiam communicatam immediate cōpoſito, & ratione illius animæ, neg. min. per exiſtentiam, & ſubſiſtentiam totius, hoc eſt, per exiſtentiam, & ſubſiſtentiam, qua compoſitum exiſtit, & ſubſiſtit dependenter ab anima, cui immediatè eſt communicata concedo min. quare deficiente compoſito, non deficit animæ ſubſiſtentia, & exiſtentia: quia iſtæ non animæ à compoſito, ſed compoſito ab anima proueniunt.

36 Obijcies 3. eductio eſt productio formæ ex præſuppoſito ſubiecto; ſed ad productionem animæ rationalis præſupponitur ſubiectum: ergo educitur. Patet min. nam ſupponitur materia.

Confirm. 1. datur in materia potentia paſsiva naturalis reſpectu animæ rationalis; ergo datur potentia activa naturalis reſpectu illius. Patet cōſeq. quia quilibet potentiæ paſſivæ reſpondere debet aliqua potentia activa. Tunc ſic; ſed agens naturale nequit producere animam per creationem: ergo producit illam per eductionem.

Reſp. quod productio animæ rationalis non eſt ex præſuppoſito ſubiecto; quia materia non ſupponitur, vt ſubiectum, ex quo anima producitur, ſed vt ſubiectum, cui vnitur, & in quo recipitur, poſtquam producta eſt per creationem independenter ab illo.

Ad conf. reſp. quod in materia datur potentia paſsiva naturalis ad recipiendam animam rationalem, & huic potētiæ correſpondet potentia activa naturalis, non ad producendum, ſed ad vniendam illam cū materia.

37 Dices 1. Producens diſpoſitiones ad formam, producit formam, ſed homo generans hominem producit diſpoſitiones ad animam rationalem: ergo non ſolum vnit, ſed producit, ac proinde educit ex materia animam rationalem, 2. ſi Deus, & non homo produceret animam rationalem, ſolum Deus produceret, & vniret illam materiæ conſeq. non poteſt admitti: ergo. Patet min. Quia ſi ſolus Deus produceret, & vniret animam, homo nec produceret illam, nec vniret, vnde nec homo hominem generaret. Sequela vero prob. Si Deus produceret animam rationalem, non produce-

ret illam ſeparatam à materia, ſed in materia: ergo vniret illam materiæ.

38 Reſpond. aliqui, quod homo generans non diſponit phyſicè, & ex natura rei materiam ad introductionem animæ rationalis, ſed moraliter, quatenus ad præſentiam illarum diſpoſitionum, quas ponit homo, ſtatuit Deus infundere animam rationalem. *Sed contra* 1. Quia homo non generaret phyſicè, & naturaliter hominem, quod eſt plane falſum. 2. Quia anima rationalis, vt ſit in materia, dependet phyſicè ab his, à quibus phyſicè dependet, vt in ea conſervetur; at à diſpoſitionibus dependet phyſicè anima rationalis, vt in materia cõſervetur; alias medicinæ, & virtutes agentium naturalium non conferrent phyſicè ad hominis vitam conſervandam, nec homo eſſet naturaliter neceſsitate phyſica mortalis, ſed ſola divina voluntate: ergo phyſicè, & ex natura rei pendet à diſpoſitionibus, vt ſit in materia.

39 Reſp. ergo, quod producens diſpoſitiones ad formam cauſat formam, cæterum homo non producit diſpoſitiones, vt ſit anima rationalis, ſed vt anima rationalis ſit in materia: quare non cauſat animam, ſed vnionem eius cum materia nec diſponit materiam, vt cauſet materialiter animam, ſed præcisè, vt animam recipiat.

Ad 2. reſp. quod Deus non producit animam rationalem ſeparatam à materia, nec per actionem creativam vnit animam materiæ, ſed ita ſe gerit, vt pro priori ſolum creet animam, pro poſteriori vero illam ſimul cum cauſa ſecunda vnit materiæ, ſed quia ad hoc creatur, vt vniatur materiæ, & hominem conſtituat ſicut anima non intelligitur completa, dum non vnitur materiæ, ita creatio cenſetur compleri per actionem vnitivam; ita tamen, vt terminus creationis ſit entitas animæ præciſè, & ſecundum ſe inſpecta.

40 Inſtas 1. Quia applicato igne, videmus ignem de novo produci, tàm quoad formam, quàm quoad vnionem formæ cum materia, colligimus, produci ab igne formam, & vnionem; ſed poſita actione hominis generantis, videmus produci de novo, nedum vnionem animæ rationalis, ſed illius entitatem: ergo vnio, & entitas producuntur à generante.

2. Si homo non diſponeret materiam, non ſolum non vniretur materiæ anima rationalis, ſed nec in ſua entitate produceretur: ergo, quia diſponitur materia, producitur, tàm vnio, quàm entitas animæ rationalis: ergo diſpoſitiones conducunt ad entitatem ani-

mæ rationalis, ſed non aliter cõducere poſſunt, quam diſponẽdo materiam, vt eam cauſet materialiter: ergo entitas animę rationalis eſt effectus materiæ, ac per conſequens educitur ex ea.

3. Si generans, nec producit animam rationalem, nec diſponit ad illius entitatem, ſed ſolum ad vnionem, ſequitur ad generationem hominis omninò ſe habere per accidens, quod tunc à Deo creetur anima, & quod æque bene ſe haberet ſi anima ſupponeretur abinitio mundi producta, & poſtea in inſtanti generationis vniretur; nec eſſet ſecluſa fide ratio vlla naturalis, qua demonſtrari poſſet, animas creari, quando generantur homines, & non fuiſſe potius creatas abinitio, ſicut Orig. Priſcillianus, & alij Hæretici crediderunt: ergo homo producit diſpoſitiones, vt anima rationalis ſit in materia, & vt in ſe abſolute.

41 Reſp. quod quia applicato igne videmus produci vnionem, & formam, & non adeſt ratio oppoſitum ſuadens colligimus, tàm vnionem, quàm formam produci ab igne: at in præſenti adeſt ratio ſuadens animam non poſſe à generante produci, quia videlicèt, eſt ſpiritualis: quo circa colligimus, eam ab homine non produci, licèt videamus, poſita generatione, produci de novo, ne dum vnionem, ſed animam rationalem.

Ad 2. reſp. quod ſi materia non præcederet diſpoſita à generante, Deus non crearet animã rationalem: ex quo non ſequitur, quod diſpoſitiones determinẽt materiam ad hoc, vt cauſet in proprio genere entitatem animæ, ſed quod determinent illam ad cauſandam vnionem, ex cuius intentione, & non aliter producit Deus entitatẽ animæ rationalis, ſicut poſitis diſpoſitionibus ad formam vermis in quantitate Euchariſtica creat Deus, ne dum formam, ſed materiam vermis in probabili ſententia, ita vt ſi diſpoſitiones illę non præcederent, materiam Deus non produceret: ex quo non ſequitur, quod illæ diſponant ad productionem materiæ, ſed quod diſponant ad productionem formæ, ex cuius intentione, & non aliter creat Deus tunc materiam.

Ad 3. reſp. quod generatio hominis ęque bene ſe haberet, ſi Deus, vt potuit, prius tempore creaſſet animam rationalem, & illa poſtea ſimul cum generãte vniret materiæ ad exigentiã diſpoſitionum, quæ in ea præceſſerunt; id tamen naturaliter fieri non poſſe, demonſtrat natura ipſius animæ rationalis; quæ cum ſit forma hominis, & ex natura ſua ordinetur ad vnionem cum materia, vt cũ ea totum ſubſtantiale conſtituat, petit non creari

O 2 ſeor-

ſeorſim à materia, ſed in illo inſtanti, in quo materia eſt vltimo diſpoſita, vt in ea poſsit recipi, & vt cum ea hominem cuius per ſe, & naturaliter eſt forma, conſtituat.

42 Denique obijcies: Materia prima recipit animam rationalem: ergo cauſat illam materialiter: nam cauſalitas materiæ eſt ipſa receptio; ſed materiam cauſare formam eſt formam educi ex potentia illius: ergo ex potentia materiæ educitur anima rationalis.

Reſpond. quod cauſalitas materiæ non eſt ſola receptio formæ, ſed vlterius requiritur, quod recipiat productionem formæ, & formam ipſam recipiat, illam ſubſtentando, quaſi forma per ſe ipſam exiſtere non poſsit: cum ergo nec recipiat materia productionem animæ rationalis, nec ipſam in ſuo eſſe ſubſtineat, eo quod anima per ſe poteſt exiſtere, & exiſtere, ſit conſeq. quod nec materia eſt cauſa materialis animæ, nec anima rationalis educitur ex potentia illius.

§. III.

Secunda Conclusio.

43 *Anima rationalis, nec depoſsibili educitur de potentia materiæ.* Ita communiter AA. cum Argent. Capreol. Bañez, & alijs, qui videri poſſunt apud Suarez de Sacram. diſt. 8. & Suar. Luſitanum in Phyſic. tract. 1. diſt. 4. ſect. 5. contra Theophilum Raynaudo, Vvadingo, & non nullus RR.

44 Et prob. 1. ex Diu. Th. 2. contrag. cap. 55. dicente: *Anima rationalis non poteſt educi de potentia materiæ, quia habet eſſe elevatum ſupra omnem illam.* Idē docet 1. p. q. 75. art. 2. & 3. & q. 118. art. 2. & q. vnica de Anima art. 14.

45 Ratione prob. ex iam dict. Forma eſſentialiter independens à materia non poteſt educi ex illa; ſed anima rationalis eſſentialiter eſt indepēdens materia: ergo non poteſt educi ex illa. Maior eſt certa: nam formam educi ex materia eſt cauſari à materia, & ab illa dependere; ſed forma eſſentialiter independens à materia, ab ea, dependere nequit: ergo forma eſſentialiter independens à materia non poteſt educi ex illa. Min. vero prob. forma ſpiritualis eſſentialiter

eſt

eſt independens à materia: ſed anima rationalis eſt ſpiritualis: ergo eſt eſſentialiter independens à materia. Prob. maior. Forma dependens à materia eſt materialis; quia conceptus formæ materialis in nullo alio cõſiſtit, quam in eo quod ſit forma dependens in eſſe à materia: ſed forma ſpiritualis eſſentialiter eſt immaterialis: ergo eſſentialiter eſt independens à materia.

Conf. 1. Principium intelligendi eſſentialiter eſt independens à materia; anima rationalis eſt principium intelligendi: ergo eſſentialiter eſt independens à materia. Prob. mai. Principium intelligendi eſſentialiter eſt elevatum ſupra materiam: ergo eſſentialiter eſt independens à materia.

Confir. 2. Quod per ſe ipſum, & non per aliquod ſuperadditum eſt potens exiſtere ſine materia, non poteſt reddi impotens exiſtere ſine illa: ſed anima rationalis per ſe ipſam, & non per aliquid ſuperadditum eſt potens exiſtere ſine materia: ergo non poteſt reddi impotens exiſtere ſine illa. Tunc ſic, ſed id, quod in ſuo eſſe dependet à materia, non poteſt exiſtere ſine illa: ergo anima rationalis non poteſt reddi dependẽs in ſuo eſſe à materia.

Explicatur: quod eſt infinitum nullo pacto poteſt reddi finitum, nec quod eſt immateriale poteſt reddi materiale, non alia de cauſa, niſi quia id, quod infinitum eſt, per ſe ipſum eſt infinitum, & immateriale per ſe ipſum eſt immateriale; ſed anima rationalis per ſe ipſam eſt independens à materia: ergo nullo pacto poteſt fieri dependens à materia.

Rurſus, ſi anima rationalis non eſſet eſſentialiter, & per ſe ineducibilis, ſed per aliquid ſuperadditum v.g. per ſubſiſtentiam, aut per creationem; Angelus, & materia prima eſſent ineducibiles, non per ſe, ſed per ſubſiſtentiam, aut creationem: ergo ſi poteſt educi anima rationalis, eo quod non per ſe, ſed per aliquid ſuperadditum eſt ineducibilis: Angelus etiam, & materia prima poſſent educi: conſeq. eſt abſurdum: ergo, & illud ex quo ſequitur.

Deniqu e: forma quæ excedit capacitatem materiæ, non poteſt ex illa educi, ſed anima rationalis excedit capacitatem materiæ: ergo nequit ex illa educi Mai. patet: nam, quod non continetur in potẽtia cauſæ, ab ea nequit educi; ſed forma, quæ excedit capacitatẽ materiæ, non continetur in ea: ergo nõ poteſt ex illa educi. Min. vero prob. quia anima rationalis elevatur ſupra materiam, & ſe extendit ad operationes, ad quas eliciendas, aut recipiendas

das, materia non habet capacitatem: ergo.

45 Obijcies 1. Forma materialis poteſt produci, & exiſtere independenter à ſubiecto: ergo forma ſpiritualis poteſt produci,& exiſtere dependenter à ſubiecto, ac ſubinde educi de potentia illius. Antec. eſt certum: quia formę materiales poſſunt creari, aut concreari, & conſervari à Deo extra materiam: & conſeq. prob. non magis forma ſpiritualis eſt indepēdens à materia,quam ſit dependens à materia forma materialis: ergo ſi forma materialis nō obſtante dependentia ipſius,poteſt produci, & exiſtere independenter à ſubiecto, forma ſpiritualis, non obſtante ipſius independentia, poterit produci, & exiſtere dependenter à ſubiecto.

Conf. Forma impotens exiſtere ſine ſubiecto, poteſt per accidens exiſtere ſine ſubiecto, vt patet in accidentibus Euchariſtiæ: ergo forma independens à ſubiecto, poterit per accidens dependere, ac per conſequens educi.

Confirm.2. Formæ, cui debetur non exiſtere per ſe, ſed exiſtere per exiſtentiam totius, poteſt divinitus communicari, quod per ſe exiſtat, & denegari totius exiſtentia: ergo formæ, cui debetur non exiſtere per exiſtentiam totius, ſed exiſtere per ſe, communicari poteſt, quod exiſtat per exiſtentiam totius, & denegari exiſtentia per ſe; ſed exiſtentia totius eſt dependens à materia: ergo poteſt illi communicari, quod exiſtat dependenter à materia.

46 Reſpondent aliqui, latum eſſe diſcrimen inter depēdentiam formæ materialis à materia, & independentiam formę ſpiritualis ab illa, quod conſtituunt in eo, quod forma materialis non eſt actu dependēs per ſuam eſſentiam, ſed per paſsionem diſtinctam, ac per conſequens ſeparabilem à forma materiali; forma vero ſpiritualis eſt independēs per ſuam eſſentiam, quæ ab ipſa anima ſeparari non poteſt.

47 Sed non plene ſatisfaciunt: quia licèt dependentia formæ materialis ſit paſsio diſtincta, non tamen eſt accidens commune, ſed proprium, debitūque formæ materiali, ac ſubinde forma materialis formaliter dependet per paſsionem à ſe diſtinctam, & radicaliter per propriam eſſentiam, ſed etiam forma ſpiritualis formaliter independet per negationem depēdentię à ſe diſtinctam,& radicaliter per propriam eſſentiam, cui eſt propria, debitaque prędicta negatio dependentiæ: ergo, ſicut poteſt ſeparari actualis dependentia à forma materiali, ſalva exigentia dependentiæ, quæ ipſius eſt eſſentia, ita po-

ſerit ſeparari actualis independentia à forma ſpirituali, ſalva exigentia independentiæ, quæ prædictæ formæ eſt eſſentia.

Et vrgetur: ſicut forma ſpiritualis eſt independens à materia, ita forma materialis eſt in ſubſiſtens in ſe ipſa; ſed forma materialis per ſuam eſſentiam, tantum eſt radicaliter, & exactivè inſubſiſtens; vnde poteſt illi per accidens, & divinitus communicari, quod in ſe ſubſiſtat: ergo forma ſpiritualis per ſuam eſſentiam tantum erit radicaliter, & exactivè independens, poteritque ſubinde per accidens, & divinitus fieri, quod à materia dependeat.

Denique. Si forma materialis non dependet per ſe ipſam, ſed per paſsionem, aut eductionem paſsivam diſtinctam, & ſeparabilem; cur ſimiliter non dicemus, formam ſpiritualem independere per paſsionem, aut creationē paſsivam diſtinctam, & ſeparabilem: ergo ſicut a forma materiali eſt ſeparabilis actualis dependentia, ab ſpirituali erit quoque ſeparabilis actualis independentia.

48 Reſp. ergo explicando vlterius præfatum diſcrimen, & addendo rationem, quare forma materialis per ſuam eſſentiam non eſt actu dependens; eſt autem actu independens per eſſentiam ſuam forma ſpiritualis, ea eſt, quia conceptus formæ materialis conſtitui debet in aliquo ordine ad materiam; forma enim materialis, nec eſt materia, nec componitur ex materia: ergo eſt materialis, quia dicit ordinem ad materiam, non quia dicit ordinem ad materiam, vt ad extremum præciſè, cui vnitur ſine dependentia: quia anima rationalis hoc modo vnitur, & materialis non eſt: ergo quia dicit ordinem ad materiam, vt ad ſubiectum, a quo dependet; at nec eſt materialis, quia actu dependet a materia, cum divinitus poſsit exiſtere ſeparata, quem admodum, & ſi materialia ſint, exiſtunt accidentia Euchariſtica ab omni ſubiecto ſeparata: ergo conceptus formæ materialis conſiſtit independentia aptitudinali a materia.

49 Conceptus autem formæ ſpiritualis conſiſtit in aliqua perfectione pugnante eſſentialiter cum dependentia a materia. *Tùm*, quia conſiſtit in perfectione quæ eſt principium intelligendi, & principio intelligendi repugnat dependere a materia, cum huiuſmodi dependētia omninò repugnet intellectioni. *Tùm*, quia conceptus formæ ſpiritualis conſiſtit in perfectione elevata ſupra materiam, & excedente capacitatem illius, vt colligitur ex Divo Thom. 1. p. q. 90. art. 2. ad 2. & formæ excedenti capacitatē ma-

teriæ repugnat dependere ab illa, ſicut repugnat in ea contineri: ergo forma ſpiritualis ita petit negationem dependentiæ, vt eſſentiæ illius repugnet dependentia.

50 Ex quo vlterius apparet ratio diſcriminis inter formas dependentes, & independentes; nam effectus dependens ab aliquo principio poteſt per accidens actu non depēdere ab illo; quia cum Deus contineat eminenter perfectionem cuiuſlibet cauſæ poteſt ſupplere influxum illius, & conſequēter dependentiam effectus, dūmodo effectus nō ſit ipſemet influxus principij, vel ipſamet effectus dependentia: vnde cum forma materialis non ſit ipſa dependētia ſui à materia: hæc enim conſiſtit in paſsione, ſivè in eductione paſsiva, poteſt actu forma materialis non dependere à materia, Deo ſe ſolo producente illam, eiuſque ſupplente dependētiam: cæterum effectus ab aliqua cauſa independens propter exceſſum ſupra illius cauſæ capacitatem, nec per accidens poteſt ab illa dependere, quia ſi excedit virtutē cauſæ, in illa non continetur; fieri vero nō poteſt, vt effectus, qui in virtute cauſę non continetur, poſsit ab illa dependere; vnde anima rationalis quæ materiæ capacitatē excedit ab ea nequit cauſari, licèt forma materialis, quæ in potētia materiæ continetur poſsit produci, ſine cōcurſu materiæ, à ſolo Deo.

51 Ad conf. neg. conſeq. tum quia forma impotēs exiſtere ſine ſubiecto, eſt impotēs naturaliter exiſtere ſine illo: nō autem eſt impotens eſſentialiter exiſtere ſine illo: quia conceptus illius non conſiſtit in actuali dependentia à ſubiecto, ſed in exactiva, & aptitudinali; at forma indepēdens à materia eſſentialiter eſt impotens dependere ab illa, quia conceptus quidditatívus eius conſiſtit in perfectione, cui eſſentialiter repugnat talis dependentia, ſcilicèt, in radice intelligēdi eleuata ſupra materiam, & excedente capacitatem illius. Tum etiam, quia formam non poſſe exiſtere ſine ſubiecto, oritur ex dependentia, & hanc poteſt Deus optime ſupplere, quia ſe ſolo poteſt, quæcumque media cauſa ſecunda valet efficere; at independentia à materia oritur ex defectu continentiæ formæ in materiā propter formæ elevationem, & fieri non poteſt, vt forma, quæ in potentia materiæ non continetur, ab illa pendeat, & cauſetur.

Ad 2. confirm. reſpond. quod forma materialis, cui debetur exiſtere per exiſtentiam totius, poteſt divinitus per ſe ſeparata exiſtere: quia poteſt Deus ſuplere dependentiam formæ à compoſito, & illam producere ſeorſum: ceterum anima rationa-

nalis, cui debetur exiſtere per ſe; & independenter à compoſito, nullo modo poteſt reddi exiſtens exiſtentia propria compoſiti, quia redderetur dependens in eſſendo à materia, quod repugnat animæ, quæ cum libera ſit à materia, & in ea minime contenta, nec ab ea dependere, nec ab eius potentia poteſt educi; quod erat neceſſarium, vt ab ea in ſui exiſtentia dependeret.

52 Replicabis 1. contra dicta. Anima Chriſti D. eſt ex ſe independens à Verbo Divino in exiſtendo; poſſet enim per ſe exiſtere, & non exiſtere in Verbo, & tamen actu exiſtit per exiſtentiam Verbi, & dependet à Verbo in exiſtendo: ergo licèt anima rationalis ſit ex ſe independēs à materia, & à compoſito, quatenus ſeorſim à materia, & à compoſito poteſt exiſtere; tamen non repugnat, quod actu exiſtat per exiſtētiam compoſiti, & ab illo in exiſtendo dependeat.

53 2. Stat optimè, quod anima Chriſti D. ſit ex ſe independens à Verbo, & ex ſe poſſit naturaliter exiſtere ſeorſim ab illo, & quod actu dependeat à Verbo, ita vt ſi deficeret illi vnio cum Verbo, deficeret illi exiſtentia, qua de facto exiſtit, & conſequenter periret: ergo ſtabit bene, quod anima rationalis ſit independens à materia, & ex ſe potens exiſtere ſine illa, & quod actu pendeat à materia, ita vt, ſi deficeret illi vnio cum materia, deficeret illi exiſtentia, & conſequenter periret, ſed hoc eſt formam à materia dependere: ergo poteſt anima rationalis non obſtante independentia, quam ex ſe habet, actu à materia dependere.

54 Reſp. quod independentia, quæ ex ſe convenit animæ Chriſti D. à Verbo Divino in exiſtendo, non fundatur in exceſſu animæ ſupra virtutem Verbi, ſed in exceſſu Verbi Divini ſupra capacitatem naturalem animæ; quare præfata independentia ſolum excludit poſsibilitatem naturalem dependentiæ à Verbo Divino, non tamen poſsibilitatem obedientialem; at independentia animæ rationalis à materia fundatur in exceſſu ipſius ſupra materiæ capacitatem, ne dum naturalem, ſed etiam obedientialem; quia repugnat, principium intelligendi non ſupergredi materiam, ſicut repugnat, intellectionem non eſſe à materia liberam: quo circa hæc independentia omnem quocumque modo poſsibilem dependentiam animæ rationalis à materia penitus excludit.

Ad 2. replicam, neg. conſeq. quia, vt dictum eſt, anima rationalis habet potentiam obedientialem, vt à Verbo Divino pendeat in exiſtendo, non obſtante ipſius à Verbo Divi-

no naturali independentia: quare eadem indepēdentia nō obſtante, periret anima deficiente vnione ipſius cum Verbo, ſi loco ſubſiſtentiæ Verbi alienam Deus non ſubrogaret; cum independentia vero formæ ſpiritualis à materia non ſtat, eam à materia vnquam pendere in exiſtendo; quare nec ſtabit ex defectu vnionis formæ cum materia formam in vllo eventu perire.

55 Obijcies 2. Non minus eſt dependens modus à ſubiecto, quam eſt independens forma ſpiritualis à materia: ſed modus poteſt produci independenter à ſubiecto: ergo poteſt forma ſpiritualis produci dependenter à ſubiecto. Mai. eſt certa: Quia modus eſſentialiter depēdet à ſubiecto. Min. autem prob. Nam modus poteſt creari, aut concreari; etſi cęli fuerunt per creationē producti, proculdubio modi vnionis ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ fuerunt ſimul concreati; ſed creatio eſt productio independens à ſubiecto: ergo modus poteſt produci independenter à ſubiecto,

Reſp. quod modus non poteſt fieri per creationem, & omnino independenter à ſubiecto; poteſt tamen fieri per concreationē, & dependenter à ſubiecto, non vt ex quo, ſed vt in quo producitur; quia cum modus concreatur, non præſupponitur ſubiectum, nec in illo recipitur fieri, ſivè productío paſſiva modi, producitur tamen ſimul ſubiectum, & in eo modus: & ratio eſt, quia Deus poteſt ſe ſolo efficere, quidquid efficere valet cum cauſa ſecunda: vnde poteſt ſupplere concurſum ſubiecti; & ſe ſolo modum producere: cæterum, cum modus eſſentialiter dependeat à ſubiecto, & exiſtere non poſsit ſeparatus ab eo, neceſſario debet produci in ſubiecto: vnde produci poteſt independenter à ſubiecto ex *quo*, non à ſubiecto in *quo*; hoc eſt, poteſt non fieri ex ſubiecto, debet tamen fieri in ſubiecto; at anima rationalis poteſt, licèt independęns ſit, concreari in ſubiecto, vt ſi totum hominē Deus crearet; non tamē poteſt produci depēdenter à ſubiecto ex *quo*, nec in *quo*; quia propter exceſſum eius ſupra capacitatem materiæ, non continetur in potentia materiæ, nec eſt illi obligata, ac ſubinde, nec ab illa poteſt educi, nec in illa poteſt recipi, tanquam indigēs ab ea ſubſtentari.

56 Denique obijcies. Res, quæ ex ſe non eſt talis, poteſt per accidens eſſe talis, vt homo, qui ex ſe non eſt albus, poteſt per ſuperadditum accidens reddi albus: ergo licèt anima rationalis ex ſe non ſit depēdens à materia, poteſt per accidens, hoc eſt, per paſsivam eductionem reddi dependens ab illa.

Reſp.

Reſp. quod licèt res, quæ ex ſe præciſè non eſt talis, poſsit per accidēs eſſe talis; tamē res, quę non ſolum non eſt ex ſe talis; ſed ex ſe eſt non talis, non poteſt per accidens eſſe talis: vnde homo, qui ex ſe non eſt albus poteſt eſſe per accidēs albus: quia non eſt ex ſe non albus, cæterum anima rationalis non ſolum ex ſe non eſt dependens, ſed ex ſe eſt non dependēs: quare non poteſt etiam per accidens dependere.

ARTIC. IV.

Vtrùm formæ Cœlorum, & elementorum in ſui prima productione fuerint eductæ de potentia materiæ?

57 IN prima rerum inſtitutione, inquit D. Auguſtin. tom. 3. lib. 2. ſuper Geneſ. ad litter. capit. 1. non quæritur miraculum, ſed quid natura rerum habeat; quare punctus præsētis difficultatis pendet ex inveſtigando quidnam fuerit conformius naturis rerum, an, quod præfatæ formæ fuerint creatę, an, quod ex potentia materiæ fuerint eductæ.

§. I.

Prima Concluſio.

58 F*Orma Cœlorum, & elementorum in prima rerum conditione fuerunt de facto concreatæ, non autem eductæ ex potentia materiæ.* Eſſe expreſſam D. Th. & communem Thomiſtarum aſſerunt PP. Carm. in Phyſ. diſp. 4. q. 3. §. 2. à quibus diſſentiunt Scot. Molina, Vazquez, Rubio, Alphonſ. Hurtad. Ortiz, Peñafiel, & Suar. quoad formas tantum elementorum.

59 Prob. concl. 1. ex illo Geneſ. cap. 1. *In principio creavit Deus Cœlum, terram*; ſed creatio eſt productio totius entis ex nihilo: ergo formę cœlorum, & elementorum nō fuerunt eductæ ex materia, ſed productæ ex nihilo, ac ſubinde creatæ.

60 Si dicas, verbum *creavit*, non accipi in præſenti cum toto rigore, & proprietate, ſed, vt ſignificat productionem, ſivè illa ſit creatio, ſivè eductio; idque colligi ex eodem cap. verſ. 21. vbi dicitur: Deum creaſſe cete, & omnē animam viventem, atque motabilem, quam produxerant àquæ: vbi creare non ſumitur ſtrictè cum certum ſit animas viventium non fuiſſe productas per creationem.

Con-

61 Contra 1. Nam iuxta regulam D. Aug. communiter receptam, verba Sacræ Scripturæ intelligenda ſunt ſtricte, & cum proprietate, niſi oppoſitum ſuadeat neceſsitas vitandi abſurdum, aut aliquod inconveniens; ſed nullum inconveniens ſequitur ex intelligentia illius verbi *creavit*, ſtrictè, & cum proprietate: ergo.

2. Quia prædicta verba intelliguntur in ſenſu, in quo illa ſymboli: *Creatorē Cœli, & terræ*, cum hæc ex illis fuerint deſumpta; ſed hæc intelliguntur de creatione ſtrictè ſumpta: ergo, & illa. Prob. min. Nam per hæc iuxta communem expoſitionem traditam etiam in Catheciſmo Pij V. denotatur, Deum ea ex nihilo feciſſe: ergo.

3. Eo, ly *creavit*, dictum de animabus viventium materialium conſtat accipi late pro ſola productione; quia in eodem text. habentur verba exprimentia eas ex aliquo præſuppoſito fuiſſe factas, ibi: *Quam produxerant aque*; ſed nulla ſunt ibidem verba indicantia, Cœlos, & elementa ex præſuppoſito ſubiecto fuiſſe facta: ergo ibidem, *creavit*, dictum de cęlis, & elementis non late, ſed ſtrictè venit intelligendum.

4. Nam in Clement. vnica de Summa Trinit. dicitur, quod Deus vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam, videlicet, & mundanam; ſed in his verbis eſt ſermo de prima rerum inſtitutione, qua Deus creavit cęlum, & terram, & quædam prętati loci ex poſitio: ergo in prædicto loco, ly *creavit* ſignificat productionem rei ex nihilo, ac ſubinde accipitur *creavit* in rigore, & proprietate.

5. Nam ex prædictis verbis infert D. Thom. 1. p. q. 65. art. 5. cęlos, & elementa fuiſſe immediatè à Deo producta, & non mediantibus Angelis; ſed ſi creare ſumatur pro eodem, ac vtcumque producere, non infertur, ea eſſe immediatè à Deo producta, infertur autem aperte, ſi *creare* ſumatur ſtrictè, pro rei ex nihilo productione: ergo ita debet accipi.

62 Hac etiam ratione excluditur ſolutio aliorum, qui dicunt, cęlos, & elementa dici creata ratione materię, quæ in eorum conditione per creationem fuit producta. *Tùm*, quia cum abſolute proferat ſcriptura creari cęlos, & elementa interpretantur hic AA. eos creari non ſimpliciter, & in ſenſu proprio; ſed in diminutivo, & ſecundum quid, ſcilicèt, quoad vnam partem. *Tùm* etiam, quia in hoc ſenſu præfata verba nullum præbent argumentum ad probandum, cę-

los:

los, & elementa fuiſſe immediatè a Deo producta: nihil enim prohibet, cauſas ſecundas cooperari Deo in eductione formarum ex præſuppoſita materia elementorum: ergo non ſunt ea verba intelligenda de creatione Cœli, aut elementi ex parte materiæ, ſed de creatione totius cęli, elementi ſimpliciter.

63 2. prob. concluſ. ex Ang. Præcept. 2. contrag. cap. 43. ratione 1. dicente: Non enim cęleſtia corpora, in quibus nulla contrarietas invenitur, ex aliqua materia poſſunt eſſe formata, & in compendio Theologiæ cap. 95. *Manifeſtum eſt autem: quod corpora cæleſtia non poſſunt produci in eſſe, niſi per creationem, non enim poteſt dici, quod ex materia aliqua præiacente ſint facta, &c. Relinquitur igitur, quod corpora ſint immediate in eſſe à Deo producta: ſimiliter elementa ſecundum ſe tota non ſunt ex aliqua materia præiacente*: Eadem habet S. D. 2. contrag. cap. 40. ratione 3. in 2. diſt. 13. quęſt. 1. artic. 1. q. 1. art. ad 1. & diſt. 1. q. 1. artic. 4. in corp. & alijs in locis videndis in tabula verbo *Cœlum*, & verbo *Elementum* n. 24.

64 Ratione quoque prob. concl. Eadem actione producit Deus materiam, & formam elementi (idem à fortiori dices de materia, & forma cęli) ſed talis actio non fuit eductio: ergo actio qua Deus producit formam elementi non fuit eductio. Minor conſtat: nam eadem actio non eſt eductio, & creatio; ſed illa actio fuit creatio, cum ſit productio materiæ, quæ ſola creatione poteſt fieri: ergo illa actio non fuit eductio Mai. vero prob. Deus ſe ſolo produxit materiam, & formam elementi: ergo eadem actione. Prob. conſeq. Deus ſe ſolo producens elementum fruſtra multiplicaret actionem, ſi eadem poſſet omnes eius partes producere; atque potuit eadem actione totum elementum producere, & nihil egit fruſtra: ergo, ſi ſe ſolo produxit elementum, eadem actione produxit materiam, & formam elementi.

65 Dices, quod Deus non fruſtra; ſed neceſſariò multiplicavit actiones: quia operatus eſt, vt Author naturæ, accõmodando ſe naturis rerum, ac ſubinde ſe exercendo duplici actione, altera producente materiam pro ſigno priori ad formam, altera producente formam, pro ſigno poſteriori ad productionem materiæ: quia ſcilicèt materia iuxta ſuam naturam prior eſt, & cauſa formę; forma vero poſterior, & conſequens materiam.

66 Sed contra. Natura rerum materialium nõ petit, vt cum Deus ſolus operatur, præ-

præſupponatur materia iam producta pro priori ad formæ productionem: ergo fruſtra Deus multiplicaret actiones, ſi in ipſa prima rerum conditione, in qua ſolus operabitur, alia actione materiam, alia produxiſſet formam elementi. Prob. antecedens: natura rerum materialium ſolum petit materiam præſupponi ab illo agente, qui vt produeat formam, neceſsitatem habet expectandi præviam materiæ productiouem, natura quippè nihil petit fruſtra; ſed Deus, cum ſe ſolo operatur non indiget materia præſuppoſita, nec expectandi præviam materiæ productionem, habet neceſsitatem: ergo natura rerum materialium non petit, vt cum Deus ſe ſolo operatur, ſupponatúr materia iam producta, pro priori ad formæ productionem.

2. Sicut materia eſt naturaliter prior forma in homine pueritia, & adoleſcentia eſt prior virilitate, & in vegetativis ſemina ſunt priora plantis; & tamen Deus, vt Author naturæ, non creavit hominem puerum, ſed virum, nec primo mandavit terrę ſemina, & poſtea ex illis plantas deduxit, ſed ſtatim produxit plantas ferentes ſemina iuxta genus ſuum: ergo pariter Deus, vt Author naturæ non produxit in rerum inſtitutione primo materiam deinde formam, ſed ſimul indiviſibili actione totum compoſitum. Prob. conſequet. Ideo Deus, vt Author naturæ non prius condidit hominem puerum, nec arborum ſemina: quia his opus habent agentia creata, vt deveniant ad ſtatum virilitatis, aut ad plantæ productionem, Deus autem, dum operatur ſolus, eis non indiget; ſed materia pro ſigno priori præſuppoſita, eſto, indigeat agens creatum, Deus dum operatur ſolus, non indiget: ergo pari ratione non prius materiam, & poſtea formam, ſed totum elementum eadem actione condidit ab initio.

3. Sicut forma ex natura ſua præſupponit materiam, ita præſupponit eam determinatam ad receptionem illius præ altera medijs diſpoſitionibus prævia alteratione productis; & tamen, quia his opus habet agens particulare, non vero Deus, cum ſe ſolo operatur, ſolum petit, quod materia præcedat diſpoſita pro caſu, quo producenda ſit ab agente particulari, non autem pro caſu, quo ſolus Deus illam producat, vt manifeſte cernitur in prima elementorum productione: ergo, quia materia præſuppoſita eget agens particulare, non vero Deus; cum ſe ſolo operatur, for-

forma ſolum petit materiam præſuppoſitam pro caſu, quo ab agēte particulari ſit educēda, non vero caſu quo ſolus Deus illam producat.

67 Dices 2. Materiam, & formam elementi fuiſſe productam eadem indiviſibili actione, & fuiſſe nihilominus formam eductam quia actio illa virtualiter erat duplex, & ſumpta inadæquate, vel ſecundum vnam virtualitatem producebat materiam; ſecundum aliam vero ex materia, & dependenter ab ea eduxit formam.

68 Sed contra 1. Eadem actio nequit dependere à materia, & eſſe independens à materia, etiam ſub diverſa formalitate: ergo nequit eſſe creati, & eductio. Antecedens prob. Quia eadem forma rationalis nequit, vt vegetativa dependere à materia, & vt intellectiva eſſe independens à materia: ergo nec eadem actio poteſt ſub vna ratione eſſe independēs à materia, & ſub alia depēdere.

2. Deus ſe ſolo produxit materiam, & formam elementi: ergo produxit eas eadem actione virtualiter indiſtincta. Prob. conſeq. nam fruſtra multiplicantur virtualitates, aut adhibetur actio multiplex virtualiter pro termino, qui poſſet vnica, & eadem virtualiter actione produci; ſed Deus ſe ſolo operans poſſet vnica, etiam virtualiter actione producere materiam, & formam elementi; ergo ſi Deus ſe ſola produxit materiam, & formam elementi produxit eas eadem actione virtualiter indiſtincta.

Conf. ideo iuxta ſolutionem non multiplicantur realiter actiones quia cum Deus ſe ſolo operans poſsit perficere totum opus compendio vnius, fruſtra ſe exerceret per duas: ergo cum Deus poſsit compendio vnius virtualiter actionis, ſimul, & in eodem ſigno perficere ſuum opus, fruſtra protraheret productionem per duo ſigna creando materiam, in priori, & formam in poſteriori ſigno educēdo, ac tandem per actionem, quæ virtualiter eſt duplex exercendo ſe.

3. Actio Dei pro eo quod dicit in recto, multiplicari realiter non poteſt, cum iuxta veriorem D. Thom. ſententiam identificetur cum ipſomet Deo, ſed multiplicatur realiter, ſumpta terminativè, & hoc modo multiplicaretur realiter hoc ipſo, quod pro priori crearet materiam, & pro poſteriori ſigno formam educeret ex illa: hoc non admittit tradita ſolutio: ergo. Sequela prob. Si darentur duæ actiones realiter diſtinctæ (vt dari poſſe, non videtur negare contrarios) in hoc præciſè diſtinguerentur, quia

quia vna pro priori produceret materiam, altera pro poſteriori formam educeret ex materia: ergo hoc ipſo, quod aliqua actio ſic ſegereret, non ſolum virtualiter, ſed eſſet realiter multiplex: ergo actio, quam aſsignant adverſarij, non eſſet vna, ſed eſſent duæ realiter diſtinctæ.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

69 Obijcies 1. D.Th. opuſc. 42. cap. 15. vbi ait, quod corpus cęleſte conſequtum eſt per eductionem ſuam formam de potentia materiæ ſuæ propriæ nullo motu locali, vel alteratione præcedente eſſentialiter ergo natura corporis ſequitur eductionem de potentia materiæ; quo nihil clarius contra noſtram concl. aſferri poteſt.

Sed auctoritas iſtius opuſc. non vrget: quia, vt ait Caiet. tom. 3. opuſc. tract. 4. tractatum illum forte non vidit D.Th. ſtylus enim eius non eſt, & multa ibi ſunt, quæ doctrinę eius non conſonant: vnde, & iuſſu Pij V. characteribus minoribus exceſſus eſt, vt ſecernatur à legitimis operibus Sanct. Doctoris.

70 Obijcies 1. Formæ cælorum, & elementorum dependent defacto in eſſe, & conſervari à materia: ergo in fieri; ac per conſeq. fuerunt eductæ de potentia materiæ. Patet conſeq. 1. quia conſervatio eſt continuata productio: ergo ſi conſervatio pendat à materia, etiam productio. 2. Quia animam rationalem non dependere à materia in fieri, colligimus ex eo, quod non dependet ab illa in eſſe, & conſervari: ergo ex oppoſito fundamento, ſi prædictæ formæ depēdent à materia in eſſe, & conſervari, depēdent à materia in fieri.

Neg. Conſeq. ad prob. reſp. quod conſervatio formaliter non dependet à materia, ſed ſumpta terminativè; hoc eſt ipſa non dependet, ſed depēdet terminus eius, cum quo ipſa connectitur, ſcilicet forma materialis, ad eductionem vero erat neceſſarium, vt non ſolum terminus productus, ſed actio productiva penderet à materia, vt à ſubiecto, in quo pro priori ad formam recipitur. Et inſtatur argumentum in intellectu, & voluntate Angeli, qui ab Angelo dependet in ſui conſervatione, & tamen non dependent in fieri, quia non fuerunt eductæ ſed conſervatæ cum ipſo, & in modum ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ, qui nec divinitus poſſunt exiſtere ſine ſubiecto, & tamen, vel non educuntur, vel poſſunt divinitus conſervari, atque ex potentia ſubiecti non educi.

Ad

Ad 2. prob. reſpond. quod forma independens in eſſe, non poteſt dependere inferi a materia: quia cum excedat materiæ capacitatem, non continetur in potentia ipſius, & dependere nequit à concurſu cauſæ, quod in potentia cauſæ minime continetur; cæterum forma dependens in eſſe à materia, licet dependere poſsit à materia in fieri, poteſt tamen aliquando non dependere: quia poteſt Deus ſupplere concurſum materiæ, & ſe ſolo producere formam per actionem à materia independentem; ſicut de facto produxit intellectum, & voluntatem Angeli, necnon eius ſubſiſtentiam per actionem creativam eiuſdem Angeli, ac ſubinde ab Angelo independentem.

71 Si dicas, Deum non poſſe ſupplere concurſum cauſæ materialis ob eius imperfectionem. *Reſpond*. quod Deus non poteſt ſupplere concurſum materiæ exercendo munus materiæ, & præſtando concurſum ſimilem illi, quem materia præſtat: poteſt tamen illum ſupplere præſtando talem concurſum, vt neceſſarius non ſit concurſus cauſæ materialis, & hoc modo dicimus, Deum in prima Cœlorum conditione concurſum materiæ ſuppleviſſe.

72 Obijcies 2. & replicabis contra ſolutionem datam. Licet forma materialis poſsit divinitus non educi, aut concreari, tamen ex natura ſua non petit creari, ſed educi; at Deus in prima conditione rerum, in qua operatus eſt, vt Author naturæ, accommodavit ſe naturis rerum: ergo de facto non creavit formam aliquam materialem, ſed eduxit. Prob. mai. Forma materialis petit produci diſtincta, & poſteriori actione, ab ea, qua producitur materia: ergo ex natura ſua petit educi. Prob. antec. Forma naturaliter eſt poſterior materia prima: ergo petit produci diſtincta, & poſteriori actione, ab ea, qua producitur materia.

Reſpond. quod forma elementi ex natura ſua eſt educibilis, & poſterior materia in ſui productione per ordinem ad agens particulare, indigens materia præſuppoſita, & illius concurſu, vt poſsit formam producere; non vero per ordinem ad cauſam primam ſe ſola operantem; quia hæc vt materiam producat, materia præſuppoſita non eget.

73 Dices. Forma materialis eſt ex ſe natura ſua educibilis per ordinem ad aliquod agens; ſed forma Cœli eſt materialis: ergo eſt ex natura ſua educibilis per ordinem ad aliquod agens, non per ordinem ad agens creatum, quia

 agens

agens creatum non poteſt creare, ſed generare; Cœlum autem eſt ingenerabile: ergo per ordinem ad Deum ſe ſolo operantem. Maior primi ſyllogiſmi probat. quia forma materialis dependet in eſſe à materia; ſed forma, quæ pendet in eſſe à materia, naturaliter petit fieri dependenter ab ea: ergo.

Reſpond. quod forma materialis potens naturaliter produci poſt materiam prius tempore productam, eſt ex natura ſua educibilis per ordinem ad aliquod agens; forma vero materialis, quæ naturaliter petit produci ſimul tempore cum materia, non eſt ex natura ſua educibilis per ordinem ad aliquod agens. Ratio eſt: quia reſpectu talis formæ materia naturaliter eſt determinata, ita vt ſub alia forma eſſe non potuerit: ergo producitur forma ab eo agente, à quo producitur materia, ſicut proprietates producuntur ab eo agente, à quo producitur eſſentia, quia eſſentia non eſt indifferens, ſed determinata ad illas; cum ergo materia à ſolo Deo poſſit produci, prædicta forma materialis ab illo ſolo petit produci; atqui vt probatum eſt, forma, quæ à ſolo Deo poteſt produci, non poteſt educi, ſed creari; fruſtra enim faceret per duas actiones, quod vna ſola poſſet perficere: ergo talis forma, etſi materialis ſit, per ordinem ad nullum agens ex natura ſua petit educi.

74 Nec opportet, quod quidquid dependet in eſſe ab aliquo ſubiecto, ex natura ſua dependeat ab illo in fieri ex parte actionis; ita vt actio, qua producitur, debeat à tali ſubiecto dependere, ſed ſufficit, quod dependeat in fieri ex parte termini, id eſt, quod non poſſit naturaliter fieri terminus ſeparatus à ſubiecto, aut independens ab illo; ſicut Intellectus Ang. etſi dependeat in eſſe ab Angeli ſubſtantia non opportet, quod actio, qua producitur, dependeat à ſubſtantia, vt à ſubiecto, ſed ſufficit, quod per illam actionem non fiat intellectus ſeparatus, ſed pendens à ſubſtantia Angeli.

75 Dices. Deus etſi poſſet ſe ſolo producere effectus naturales vnica, & indiviſibili actione, nihilominus produxit illos duplici actione, vt daret locum cauſis ſecundis potentibus illos producere: ergo licet in prima rerum inſtitutione potuiſſet Deus producere materiam, & formam vnica, & indiviſibili actione; tamen, vt non excluderet materiæ cauſalitatem, de facto produxit formam diſtincta actione ab ea, qua produxit materiam Cœli, aut elementi.

Reſp. quod Deus producit eſ-

effectus naturales duplici actione, vt det locum cauſis ſecundis, quando præexiſtunt cauſæ ſecundæ ad eorum productionem, ſed quando primo produxit res naturales ad complementum vniverſi neceſſarias, non expectavit cauſas ſecunda, nec multiplicavit actiones, quæ dum concurrit cum eis ad generationem rerum naturalium, ſolent præcedere: vnde produxit plantas, & viventia, omiſsis illis actionibus, quibus ſi adeſſent cauſæ ſecundæ, concurreret cooperando earum prævijs alterationibus: pariter in præſenti: Deus multiplicat actiones, vt det locum materiæ cauſalitati; quando materia ſupponitur producta ante formæ productionem, cum tamen in prima rerum productione voluit producere formas neceſſarias ad vniverſi complementum, non expectavit materiam; nec debuit multiplicare actiones, per quas, cum materia præcedit, ſe ſolet Deus exercere.

76 Obijcies 3. Deus ſe ſolo produxit mixta, ſcilicet, volucres, & plantas; & tamen non fecit eas per creationem, ſed per eductionem: ergo etiam, ſi ſe ſolo produxerit elementa, non ſequitur, quod ea fecerit per creationem.

Neg. conſeq. quia licet Deus ſe ſolo produxerit volucres, & plantas, præexiſtebat materia, ex qua potuit eorum formas educere, & id circo non produxit Deus volucres, & plantas actione producente ſimul materiam, & formam, ne ſcilicet, fruſtra de novo produceret materiam, poſt productionem materiæ in elementis, quæ ſufficiens erat pro mixtorum generatione: at cum Cœlum, & terram voluit condere, nedum deerat agens naturale, ſed nec aderat materia, ex qua illorum formas educeret; quare ſtatim, & immediate ſe exercuit per actionem, qua ſimul materia, & forma fuere indiviſibiliter productæ.

77 Obijcies 4. Quod continetur in potentia materiæ, non fit in actu, niſi ex potentia materiæ extrahatur: ſed omnes formæ materiales continentur in potentia materiæ: ergo non fiunt in actu per productionem, niſi de potentia materiæ per illam educantur.

Conf. Creatio eſt productio rei ex nihilo; at Cœlum non eſt ex nihilo, ſed ex partibus, nempe ex materia, & forma: ergo Cęlum non eſt creatum, ac ſubinde forma illius eſt educta.

Arg. & confirm. prob. nimis: Quia æque probant, compoſitum materiale à Deo, nec de ſua abſoluta potentia poſſe creari: quare diſting. mai. id, quod continetur in

potentia materiæ, non fit in actu, niſi extrahatur de potentia illius dependenter à concurſu materiæ determinate, nego maior. niſi extrahatur dependenter à concurſu materiæ, vel à concurſu cauſæ primæ ſupplentis materiæ cauſalitatem, concedo: nam fieri in actu, quod in potentia materiæ continetur, nihil eſt aliud quam exiſtere id, ad cuius productionem materia poteſt concurrere; id autem ad cuius productionem materia poteſt concurrere, poteſt exiſtere ex vi alterius productionis à materia independentis, ac ſubinde, quin de facto ad illius productionem materia concurrat, ſicut calor, qui in potentia ignis continetur, poteſt exiſtere ex vi actionis independentis ab igne, ac ſub inde extrahi à potentia ignis, quin ignis concurrat ad illius productionem.

Ad conf. reſp. quod creatio eſt productio rei ex nullo præſuppoſito ſubiecto; Cœlum autem, licet productum fuerit ex partibus, ſcilicet, ex materia, & forma; tamen materia, & forma præſuppoſitæ non fuerunt ad productionem Cœli per modum ſubiecti, ſed cum vtraque ſimul eſt productum, ac ſubinde non eductum, ſed creatum.

78 Obijcies 5. Elementa non fuerunt producta vna, & indiviſibili actione, ſed duplici alia terminata ad ſolam materiam, alia ad ſolam formam; ſed actio ad ſolam formam terminata eſt eductio: ergo elementa non fuerunt creata, ſed educta. Prob. mai. Actio, qua Deus produxit materiam, vſque modo manet cum materia; ſed non manet actio, qua produxit formam: ergo non eadem, ſed duplici actione productæ fuerunt materia, & forma elementorum. Prob. min. Nam actio producens formam non poteſt manere ſine forma; eſt enim actio connexa cum termini exiſtentia; ſed forma, ſub qua Deus produxit elementa, non permanet, nam elementa, quoad plures eorum partes ſunt ſubſtantialiter tranſmutata: ergo nec permanet actio.

Reſpond. diſt. min. Actio, qua produxit formam, non manet complete, & ſub adæquata terminatione ad materiam, & formam, concedo min. non manet incompleta, & ſub inadæquata terminatione ad ſolam materiam, nego min. Sicut eadem actione produxit Deus Angelum, & illius ſubſiſtentiam; ſi tamen, vt poteſt Angelo ſubſiſtentiam auferret, permaneret actio productiva, non quidem ſub terminatione ad naturam Angelicam, & illius ſubſiſtentiam, ſed ſub ſola terminatione ad Angeli naturam: vn-

vnde ſicut creatio materiæ, ſi à principio eſſet coniuncta cum eductione formę, eſſet ex ſe incompleta, & compleretur per eductionem: ſicut in pręſenti creatio materiæ elementi, quę à principio per ſe ipſam erat completa, eo quod ſimul erat productio formæ, modo, cum deficit forma ex ſe eſt incompleta, & completur per eductionem formæ de novo genitæ in ea.

§. III.

Secunda Concluſio.

79 F*Orma Cœlorum, & elementorum in prima rerum productione potuerunt à Deo educi de potentia materiæ.* Ita plures Thomiſtę cum Prado, Lerma, Moneta, & alijs. Probatio 1. Quia formę Cœlorum, & Elementorum in prima productione potuerunt fieri dependenter à materia pręſuppoſita: ergo potuerunt educi. Patet con eq. Quia productio formę dependenter à ſubiecto pręſuppoſito non eſt ex nihilo, ac ſubinde non eſt creatio, ſed eductio. Ant. vero prob. Vt forma fiat dependenter à materia pręſuppoſita, ſufficit formam contineri in materia, & materiam, per aliam actionem ſupponi productam pro priori ad formę productionem; ſed forma elementi continetur in potentia materię, & in prima productione potuit Deus producere materiam per aliam actionem pro priori ad formæ productionem: ergo prędictę formę potuerunt in prima productione fieri dependenter à materia pręſuppoſita. Mai. videtur certa: quia vt forma fiat dependenter à materia, ſufficit, quod tam forma contenta in potentia materię, quam productio formę dependeant à materia, vt à ſubiecto; ſed vt forma contenta in potentia materiæ, & productio formæ dependeant à materia, vt à ſubiecto, ſufficit, quod materia præcedat producta per aliam actionem pro priori ad formæ productionem: ergo. Min. vero pro prima parte eſt perſpicua.

80 Et pro 2. prob. Quia defacto, cum compoſitum naturale generatur, in eodem inſtanti, in quo producitur forma, præcedit natura materia, vt terminans actionem conſervativam Dei, & cum ſufficienti entitate, vt ab illa propoſteriori cauſetur forma, & productio illius: ergo in inſtanti, in quo Deus produceret formam materialem, poteſt præcedere natura materia, vt terminans creationem, cum ſufficienti entitate, vt pro poſteriori reciperetur in ea, & ab ea cauſaretur forma, & productio illius.

81 Si dicas, non poſſe in inſtanti, in quo producitur materia, formam educi ex illa, etiam ſi materia pro priori naturæ, formam præcedat; quia ad eductionem requiritur materiæ tranſmutatio; & hęc repugnat, ſi prius tempore materia ſub privatione non exiſtit.

Contra. Id ſufficit ad eductionem, quod ſufficit, vt forma non fiat per creationem; ſed vt forma non fiat per creationem, non requiritur materię tranſmutatio: ergo vt forma fiat per eductionem, non requiritur materię tranſmutatio. Prob. min. Vt forma non fiat per creationem, ſufficit, quod fiat dependenter à ſubiecto pręſuppoſito; ſed vt fiat dependenter à ſubiecto pręſuppoſito, non requiritur materię tranſmutatio. ergo, vt non fiat per creationem, non requiritur materię tranſmutatio. Prob. min. Vt forma fiat dependenter à ſubiecto pręſuppoſito, ſufficit ſubiectum ex vi alterius actionis ſupponi pro priori ad formam, & illius productionem: ergo non requiritur materię tranſmutatio.

Explicatur: Formam fieri dependenter à ſubiecto, nihil eſt aliud, quam formam, & illius productionem recipi in ſubiecto; ſed vt forma, & illius productio recipiantur in ſubiecto, ſufficit, quod ſubiectum actu non fiat per eam productionem, ſed ſupponatur productum ex vi alterius actionis: ergo.

Et vrgetur. Vt effectus aliquis fiat dependenter à ſua cauſa efficienti, & ab illa procedat, non requiritur, quod pręcedat tempore cauſa, nec quod illa reducatur de otio ad exercitium, ſed ſufficit, quod pręcedat natura effectum, & actionem: ergo vt forma fiat dependenter à materia, & educatur ex illa, non requiritur, quod materia tempore pręcedat, aut mutetur de privatione ad actum, ſed ſufficit, quod pręcedat natura formam, & formę productionem.

82 Denique: Vt forma fiat dependenter à materia, ſufficit, quod materia recipiat productionem formę: nam hoc ipſo forma dependet in fieri à materia, vt à ſubiecto pręſuppoſito; ſed vt recipiat productionem formæ non conducit, quod prius extiterit ſub formæ privatione: ergo vt fiat dependenter à materia, non conducit, quod materia præextiterit ſub formæ privatione. Prob. min. In inſtanti in quo materia recipit productionem formæ, ſalvatur, quidquid eſſentialiter involvit hoc, quod eſt materiā recipere productionem formæ; ſed in inſtanti, in quo materia recipit formam, non præcedit materia ſub privatione: ergo materiam pręceſsiſſe ſub privatione eſt extra

rem, vel extra eſſentiam huius, quod eſt materiam recipere pro ductionem formæ, ac ſubinde non conducit ad hoc, vt materia recipiat formæ productionem.

Conf. Ideo in eductione, quæ fit virtute agentis particularis, debet præcedere tempore materia, quia agens particulare non valet introducere formam in materiam, quin materiam prius ſucceſsive medio motu alterationis diſponat; ſed Deus vt introducat formam in materia non indiget diſpoſitionibus prævijs: ergo poteſt educere formam, quin materia tempore præcedat.

85 2. Prob. concl. & conf. idem aſſumptum, nempe, quod potuit Deus in prima productione producere materiam ex vi alterius actionis pro priori ad formæ productionem. Cum ex ſpeciebus Sacramentalibus generatur vermis, educitur forma vermis, ex potentia materiæ, & tamen producitur materia ex vi alterius actionis ab ea, qua forma in eodem inſtanti producitur: ergo ſtat educi formam ex potentia materiæ in inſtanti, in quo producitur materia per hoc, quod materia ex vi alterius actionis ſupponatur ad formæ productionem. Maior videtur certa: quia tunc vermis non creatur, ſed generatur, etſi ſpecies comburerentur, ignis ignem non crearet, ſed generaret, vtique educendo formam. Min. vero prob. Quia forma ignis non educitur ex quantitate, vt diximus quæſt. præcedenti, & fatentur plures ex adverſarijs: ergo educitur ex materia de novo in illo inſtanti producta per creationem, vel per converſionem quantitatis in ipſam; ſed eductio non eſt creatio, nec converſio: ergo producitur materia ex vi alterius actionis ab ea, qua in illo inſtanti forma producitur.

84 Si dicas 1. Productionem vermis eſſe quidem eductionem, ſed per accidens, & ratione miraculi præſuppoſiti non præceſſiſſe tempore materiam, nempe propter abſentiam panis, qui debebat eſſe per ſe loquendo ſubiectum totius alterationis præcedentis: vnde per ſe loquendo debebat præcedere materia ſub privatione formæ vermis.

Contra: ergo tranſmutatio materiæ de privatione ad formam non requiritur eſſentialiter ad veram eductionem; ac ſubinde miraculosè, & de potentia Dei abſoluta potuerunt in prima productione educi formæ Cœlorum, & elementorum de potentia materiæ.

85 Si dicas 2. Poſſe in generatione vermium ex ſpecie-

bus Sacramentalibus creari materiam,& in eodem inſtanti formam ex illa educi, quia in quantitate, in qua, vt invices gerente materię præceſſerunt diſpoſitiones; præceſsit etiam privatio, quod fuit ſufficiens, vt eductio eſſet tranſmutatio; in prima vero rerum productione,nec in materia, nec in quantitate potuit præcedere privtio,ac ſub inde, nec locum habet tranſmutatio ad veram eductionem requiſita.

Contra 1. Privatio formæ præcedere non potuit,etiam vt in vices gerente materiæ in ſubiecto,quod nec pro ſe,nec nomine alterius eſt capax formæ; ſed quantitas,nec pro ſe,nec vice alterius eſt capax formæ vermis: ergo privatio formæ vermis non potuit præcedere in quantitate,vt vices gerente materiæ.

2.Quod privatio præceſſerit in quantitate, non ſufficit, vt vere materia tranſmutetur: ergo ſine tranſmutatione materiæ ſtat vera eductio. Prob. ant.Quod privatio in quantitate præceſſerit, non ſufficit, vt materia producta in eodem inſtanti,in quo forma ex illa educitur,aliter ſe habeat nunc,quam prius:ergo non ſufficit, vt vere materia tranſmutetur.

3.Inde colligunt contrarij ſufficere in productione formæ vermis, quod præcedat privatio in quantitate, quia ſufficit ad vermis generationem, quod diſpoſitiones ad illam præcedant in quantitate; ſed poteſt Deus abſque diſpoſitionibus prævijs in quantitate receptis generare vermem, & illius formam educere: ergo nec privatio in quantitate præcedens eſt neceſſaria,vt poſsit Deus generare vermem, & illius formam educere.

86 Denique eſt diſpar ratio inter diſpoſitiones, & privationem; nam diſpoſitionum munus eſt determinare agens, vt ſub earum ſubiecto, formam producat, & ſub quantitate formam vermis conſtitui non repugnat: at privationis natura eſt eſſe per ſe ipſam excluſionem auſcribilem formæ, qua privat, quod ſane repugnat quantitati, in qua ſicut repugnat, formam recipi, ita repugnat, exiſtere excluſionem formæ auſcribiliter.

87 3. Prob. concluſ. In eo inſtanti, in quo producitur ſubiectum, poteſt ex illo forma educi: ergo formæ Cœlorum, & elementorum in prima productione potuerunt educi ex potentia materię.Prob. antecedens. In inſtanti, in quo fuerunt Angeli creati, amor naturalis, quo Deum Authorem naturæ,& ſe ipſos dilexerunt,ſicut etiam actus, quo Deum, & ſe ipſos cognoverunt,fuit eductus de potentia ſubiecti: ergo.

An-

Ant. videtur certum: *Tum*, quia actus illi non fuerunt concreati: *Tum*, quia cum actus illi immanentes ſint, & recepti, ac dependentes in eſſe ab Angelo, neceſſario ex eorum potentia fuerunt educti.

Confir. in inſtanti, in quo fuerunt Angeli creati, gratia fuit ex eorum potentia educta: ergo idem, quod prius. Ant probat. Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis habuerunt gratiam teſte D. Tho. 1. p. q. 62. art. 3. ſed illam non habuerunt per creationem iuxta dicenda art. ſequenti: ergo in inſtanti, in quo fuerunt creati, gratia ex eorum potentia fuit educta.

§. IV.

Solvuntur obiectiones.

88 Obijcies 1. Actio, quæ ſimul producit materiam, & formam, non eſt eductio; ſed in prima rerum productione eadem actio debuit producere materiam, & formam: ergo actio illa non potuit eſſe eductio. Mai. eſt certa: quia materia eſt ſubiectum eductionis; ſed materia, cum ſit terminus actionis, quæ eam producit, nequit eſſe ſubiectum illius: ergo actio, quæ producit materiam, & formam, non eſt eductio. Min. vero prob. In prima productione non ſolum producitur forma, ſed in eodem inſtanti producitur materia; at materia produci nequit alia actione priori, qua forma producitur: ergo in prima productione eadem actio debuit producere materiam, & formam. Prob. min. Productio ponit rem ſub exiſtentia; ſed materia non poteſt poni ſub exiſtentia pro priori ad formam, nam materia exiſtit per formam: ergo materia nequit produci alia actione priori ea, qua forma producitur.

89 Hoc arg. inſtatur facile contra Thomiſtas, qui illo vtuntur, in generatione vermis ex ſpeciebus ſacramentalibus, in qua propriori ad formam per diſtinctam actionem, ſcilicet, creativam, producitur materia. *Tum*, in qualibet alia generatione ſubſtantiali, in qua materia pro priori, in quo eſt proxime receptiva formæ genitæ intelligitur terminare actionem conſervativam Dei: vnde neg. primam, & ſecundam min. ad cuius provationem, diſt. mai. Productio, quæ talis eſt complete, ponit rem ſub exiſtentia, conced. mai. Productio, quæ talis eſt incomplete, ſubdiſting. ponit rem ſub exiſtentia ſe ſola, neg. mai. dependenter ab alia actione, qua forma producitur, concedo mai. & conceſſa min. neg. conſeq.

90 Inſtas. Productio, quæ pro priori ad productionem formæ ſupponitur, pro illo priori non

non dependet à productione formæ, prius enim non dependet à poſteriori: ergo ſi repugnat intelligi productio materiæ independenter à productione formæ, repugnat productio materiæ pro priori ad productionem formæ.

Explicatur. Repugnat exiſtere materiam dependenter á forma, & exiſtere materiam propriori ad formam: ergo repugnat, produci materiam dependenter à formæ productione, & produci materiam pro priori ad productionem formæ. Conſeq. patet. *Tum* à paritate rationis. *Tum*, quia produci eſt poni rem ſub exiſtentia; ſed ſi repugnat exiſtere materiam independenter à forma, & propriori ad illam, repugnat poni materiam ſub exiſtentia dependenter à forma, & propriori ad illam: ergo ſi repugnat, exiſtere materiam dependenter à forma, & pro priori ad illam, repugnat, produci materiam dependenter à forma, vel illius productione, & produci materiam pro priori ad formam, & illius productionem.

91 Respond. diſting. anteced. Productio, quæ ſupponitur cum prioritate in *quo* ſaltem rationis ad productionem formæ, pro illo priori non dependet à productione formæ, concedo antec. Productio, quæ ſupponitur cum ſola prioritate à *quo* ad productionem formæ, pro illo priori non dependet à productione formæ ſubdiſt. Pro illo priori non dependet à productione formæ, ideſt, in illo ſigno non intelligitur dependere à productione formæ, nego ant. Pro illo priori non dependet à productione formæ, ideſt, illa prioritas non eſt prioritas dependentiæ, nec conſiſtit in dependentia materiæ à productione formæ, concedo ant. & diſt. conſeq. ergo ſi repugnat productio materiæ independens à productione formæ, repugnat productio materiæ pro priori in *quo* conc. conſ. pro priori *à quo* ad formæ productionem, nego conſeq.

Sicut enim, vt ſupra diximus q. præcedenti. art. 5. materia non poteſt intelligi, vt proxime receptiva formæ, quin intelligatur exiſtens per formam, & ideò, vt proxime receptiva non eſt prior in *quo* forma, non tamen eſt receptiva formæ per exiſtentiam, ſed per ſe ipſam, & idcirco eſt prior *à quo* forma, ita productio materiæ, nec intelligi poteſt exerceri circa materiam, quin intelligatur formam produci; & idcirco illa non eſt prior iſta, proprietate in *quo*: cæterum prima productio non à ſecunda, ſed ex ſe habet, quod ſit productio materiæ, & idcirco productio materiæ eſt prior *à quo* formę productione.

92 Etſi dicas: effectus non poteſt eſſe requiſitus, vt cauſa conſtituatur prior illo, prioritate etiam *à quo*: ergo ſi forma, quæ eſt effectus materiæ, requiritur, vt materia poſsit intelligi terminus ſuæ productionis, materia vt terminus ſuæ productionis non eſt prior forma prioritate etiam *à quo*; ac per conſeq. nec productio materiæ eſt vllo modo prior formæ productione.

Reſpond. quod effectus non requiritur conſtitutive, vt cauſa conſtituatur prior illo, poteſt tamen requiri concomitanter, vel per modum conditionis: & ratio eſt, quia cum cauſæ ad invicem ſint cauſæ, poſſunt cauſa, & effectus mutuo in diverſo genere dependere; quare poterit cauſa propter dependentiam ab effectu in diverſo genere, indigere effectu, vt poſſet illum proximè cauſare; ac per conſeq. vt ſit prior illo.

Ad confirm. reſpond. quod materia, vt proximè receptiva formæ exiſtit dependenter à forma, & nihilominus exiſtit pro priori ad formam, non conſtitutive, ſed concomitanter, hoc eſt, non ita, vt exiſtentia ſit conſecutiva illius prioris, ſive capacitas proxima ad formam recipiendam, ſed ita vt exiſtentia ſit conditio, ſine qua materia nec eſſet prior, nec haberet potentiam proximam ad formam recipiendam: ex quo patet, eodem modo eſſe philoſophandum in præfatis materiæ, & formæ productionibus.

93 Obijcies 1. Vt forma poſsit educi, requiritur; quod materia tranſmutetur; ſed in prima rerum naturalium productione materia non potuit tranſmutari: ergo in prima rerum productione forma non potuit educi. Minor eſt certa: quia vt materia tranſmutetur, debet in ea præcedere privatio formæ; nam tranſmutari eſt tranſire de non eſſe ad eſſe; ſed in prima rerum productione non potuit in materia præcedere privatio quia tunc in eo inſtanti, in quo produceretur materia, haberet formam, ac per conſequens non eſſet locus, vt privatio formæ præceſiſſet in materia: ergo in ea productione non potuit tranſmutari. Mai. vero prob. Cum forma educitur ex materia, compoſitum generatur; ſed vt compoſitum generetur, requiritur, quod materia tranſmutetur: ergo. Prob. min. Requiritur privatio, ex qua materia ad formam perveniat: nam vnum ex principijs generationis entis naturalis eſt privatio; ſed tranſitus de privatione ad formam eſt vere tranſmutatio: ergo, vt compoſitum generetur, requiritur, quod materia tranſmutetur.

Reſp. quod ad eductionem, &

& generationem, quæ fit per virtutem agentis creati, requiritur, quod præcedat privatio, & materia tranſmutetur, quia cum agens naturale debeat prius ſucceſsive, & paulatim diſponere materiam, vt in ea valeat formam introducere, requiritur, quod ad introductionem formæ præcedat tempore materia ſub illius privatione; ac ſubinde, quod dum educitur forma, tranſeat materia ex privatione ad formam, quod eſt, illam tranſmutari: agens vero increatum, ſicut non indiget diſpoſitionibus, vt formam introducat in materia, ita nec requirit, quod materia tempore præcedat formam ſub illius privatione; ac ſubinde, nec quod dum forma educitur, tranſeat materia de privatione ad formam, quod eſt illam tranſmutari.

94 Obiicies 3. Cœlum eſt eſſentialiter incorruptibile: ergo eſt eſſentialiter ingenerabile: ergo nec divinitus poteſt forma Cœli educi de potentia illius. Conſeq. tenet; quia quidquid eſt incorruptibile eſt ingenerabile. Ant. vero prob. Corruptio eſt deſtructio formæ, permanente materia; at forma cœli nequit deſtrui, permanente illius materia: ergo. Prob. min. Materia Cœli ſpoliata forma nequit manere ſub alia forma, quia alterius eſt incapax, nec ſub omnium formarum privatione: ergo nequit permanere deſtructa forma.

Prætermiſſo ant. neg. conſeq. quia ad corruptionem neceſſum eſt permanere materiã, deſtructa forma, & damus arguenti, materiam Cœli ſub alia forma non poſſe permanere, at ad generationem non requiritur, quod materia tempore præcedat, ac per conſeq. quod ſub alia forma extiterit, ſed ſufficit, quod ſola prioritate naturæ ad formam ſupponatur; cumque huiuſmodi præcedentia non repugnet materiæ Cœli, ſit conſeq. nec cœli generationem ac proinde, nec eductionem formæ de potentia illius repugnare.

95 Et ſi dicas, non obſtante dependentia materiæ à forma, ſupponitur in ea pro priori ad formam, & ratione huius præcedentiæ datur locus, vt cœlum generari poſsit: ergo non obſtante dependentia materiæ à forma permanebit materia pro poſteriori ad formam, ita vt ratione huius ſequelæ detur locus ad hoc, vt cœlum poſsit corrumpi, vel ſi hoc non ſufficit, vt cœlum corrumpi poſsit, nec illa præcedentia erit ſufficiens, vt cœlum poſsit generari.

Reſp. 1. quod prioritas naturæ in materia fundatur in eius cauſalitate circa formam: poſterioritas vero in eius à forma dependentia: quod autem ratione cauſalitatis materia ſupponatur ante formam, non in-

con-

conuenit, ſed quod ratione dependentiæ permaneat materia poſt deſitionem formæ, ex terminis repugnat. Vel dicatur quod vt materia ſupponatur pro priori ad formam, non eſt neceſſum, quod intelligatur iam eſſe, cum non dum forma eſt producta, vt proxime dicebamus, vt vero permaneat pro poſteriori ad formam, erat neceſſum, quod adhuc eſſet, cum forma iam eſſet deſtructa; materiam autem intelligi eſſe in rerum natura, quin forma ſaltim concomitantur intelligatur, omnino eſt impoſsibile iuxta Diu. Thom. docentem, materiam exiſtere per exiſtentiam formæ.

ARTIC. V.

Vtrum omnes formæ accidentales educantur de potentia ſubiecti?

96 In multiplici differentia ſunt formæ accidentales: nam aliæ ſunt ordinis naturalis, aliæ ſunt phyſicæ, aliç intentionales: phyſicæ, quædam naturales, aut connaturales, vt propriæ paſsiones: aliæ violentæ, vt calor reſpectu aquæ, aliæ indifferentes, vt lux in aqua, aliæ artificiales, vt forma ſcamni.

97 *Prima concluſio: formæ accidentales, quæ oriuntur à formis ſubſtantialibus per naturalem reſultantiam, ſi formæ ſubſtantialis aqua emanant, educitur, conducuntur; ſi vero forma ſubſtantialis fit per creationem, concreantur.* Ratio eſt; quia proprietates fiunt per eandem actionem, per quam fit forma ſubſtantialis, à qua emanant; at qui eadem actio non eſt eductio, & creatio: ergo educuntur, ſi educitur forma ſubſtantialis, ſi vero creetur concreantur.

98 Obijcies. Si propriç paſsiones educerentur cum forma, à qua oriuntur, educitur maxime ex earum proprio ſubiecto; ex earum proprio ſubiecto non poſſunt educi: ergo propriæ paſsiones non educuntur, cum forma, à qua oriuntur educitur. Prob. min. Proprium earum ſubiectum eſt forma, vel compoſitum, ſubiectum quippe accidentium non eſt ſola materia; ſed educi non poſſunt ex forma, vel ex compoſito: ergo. Prob. min. Subiectum, ex quo forma educitur: debet ſupponi productum ex vi alterius actionis; at forma, aut compoſitum non ſupponitur producta ex vi alterius actionis ante proprias paſsiones, ſed hæc omnia ſimul vnica comproducuntur actione: ergo.

Reſpond. quod propriæ paſsiones, nec ex forma ſubſtantiali, nec ex compoſito coeducuntur, ſed ex materia prima, quæ ſola præſupponitur ad actio-

tionem, qua propriæ paſsiones producuntur, ac proinde ſola eſt ſubiectum, à qua veluti à ſubiecto pendent in fieri; eſt enim materia ſubiectum accidentium non immediatum, ſed mediatum, & principium *quod* (ſuppoſita illius prioritate, nec non cõcurſu paſsivo ad earum productionem) ſufficit, vt ſit ſubiectum ex cuius potentia educuntur paſsiones, licet ſint formæ accidentales.

99 Obijcies 2. Potentiæ materiales hominis, vt ſenſus, & vis generativa dimanant ab anima rationali, & tamen non concreantur cum anima rationali; ſed educuntur de potentia ſubiecti: ergo cum forma creatur, non hoc ipſo proprietates ab illa dimanantes concreantur. Mai. prob. Nam ea, quæ corrumpuntur, generantur; at prædictæ operationes non manent in anima ſeparata, ſed corrumpuntur ad totius corruptionem: ergo non creantur cum anima, ſed educuntur, aut generantur ipſa generatione totius.

Reſpond. quod accidentia, quæ ſunt proprietates animæ ſecundum ſe, cuiuſmodi ſunt ea, quæ animam in omni ſtatu comitantur, concreantur cum anima: quia cum in eſſe non pendeant à materia; non fiunt per actionem dependentem à materia, ſed per eam, qua independenter à materia creatur anima: proprietates vero, quæ conveniunt animæ, vt vnitæ corpori, & ab ea in ſolo ſtatu coniunctionis emanant, non concreantur cum anima, ſed dependent ſicut in eſſe, ita in fieri à materia: quare producuntur ea actione, qua vnio animæ cum corpore producitur, quæ cum ſupponat materiam, & eius deſideret concurſum, eſt vera eductio ſicut ipſamet, vt terminatur ad totum ex prædicta vnione reſultans, eſt generatio.

100 *Secunda Concluſio. Formæ violentæ artificiales, & indifferentes educuntur de potentia ſubiecti.* Prob. Formæ, quæ præſupponunt ſubiectum, & ab illo dependent in eſſe, educuntur de potentia illius; ſed prædictæ formæ ſupponunt ſubiectum, & pendent in eſſe ab illo: ergo educuntur de potentia illius. Mai. videtur certa: Nam formæ, quæ ſupponunt ſubiectum, & pendent ab illo in eſſe, dependent à ſubiecto in fieri; ſed formæ, quæ dependent à ſubiecto in fieri, educuntur de potentia illius; fiunt enim ex præſuppoſito ſubiecto: ergo. Min. vero prob. Quia prædictæ formæ non fiunt per actionem, qua fit ſubiectum, ſed per aliam, & alias, cum ſint accidentales, exiſtere abſque ſubiecto non poſſunt: ergo ſupponunt ſubiectum, & ab illo pendent in eſſe.

101 Obijcies: Forma vio-

violenta, nec educitur ex poten-
tia naturali ſubiecti, nec ex po-
tentia obedientiali illius: ergo
ex nulla. Ant. prob. quia poten-
tia naturalis ſubiecti ſolum eſt
ad formas naturales; obedien-
tialis vero ad formas ſupernatu-
rales: ergo.

Reſpond. quod forma vio-
lenta educitur ex potentia natu-
rali ſubiecti, quæ, ſcilicet, natura-
lis eſt ratione materiæ, licet non
ratione formæ: materia enim ſi-
cut appetit omnes formas, ita
inclinat ad omnes motus, & nul-
lus, nulla ve forma reſpectu illius
eſt violenta.

102 *Tertia concluſio. Formæ intentionales, vt ſpecies colo-
ris in aere, educuntur de poten-
tia ſubiecti.* Prob. ratione facta.
Formæ intentionales depen-
dent in eſſe, & fieri à ſubiecto:
ergo educuntur ex potentia il-
lius.

103 Si obijcias. Educ-
tio ſaltem naturaliter non con-
tingit ſine ſubiecti tranſmuta-
tione; ſed per productionem for
marum intentionalium non
tranſmutatur ſubiectum; non
enim alteratur aer per recep-
tionem ſpecierum coloris: er-
go productio earum non eſt
eductio.

Reſpond. quod ad eductio-
nem non requiritur tranſmuta-
tio ſubiecti per alterationem
corruptivam, ſed ſufficit, quod
tranſmutetur ſubiectum per al-
terationem perfectivam, vt cum
immutatur Cœlum per lucis re-
ceptionem, vel per alterationem
communiter dictam, vt immu-
tatur aer per receptionem ſpe-
ciei, quatenus per eam aliter ſe
habet nunc, quam prius.

104 *Quarta concluſio. Formæ ſupernaturales, vt gratia,
& lumen gloriæ educuntur pro-
prie, & ſimpliciter de potentia
obedientiali ſubiecti, ſcilicet, ani-
mæ, intellectus, aut voluntatis.* Fre-
quenter eam defendunt noſtri
Thomiſtæ contra plures etiam
ex noſtris, quorum aliqui per
creationem, alij vero per actio-
nem, quæ ſecundum quid eſt e-
ductio, & reductive creatio for-
mas ſupernaturales cenſent pro-
duci.

Et prob. 1. Quia formæ ſu-
pernaturales ſupponunt ſubiec-
tum, ab eoque dependent in fie-
ri; ſed eductio proprie, & in ri-
gore nihil eſt aliud, quam fieri,
ſive productio dependens à ſu-
biecto præſuppoſito: ergo for-
mę ſupernaturales educuntur
de potentia ſubiecti. Mai. quoad
2. partem, in qua eſt difficultas,
prob. Formæ ſupernaturales de-
pendent in eſſe à ſubiecto: ergo
dependent à ſubiecto in fieri.
Ant. eſt certum, & conſeq. prob.
Tum, quia res ſe habet ad fieri,
ſicut ſe habet ad eſſe. *Tum*, quia
in formis ſubſtantialibus, quę de-
pendent in eſſe dependent in fie-
ri, & quę non dependent in fieri,
non dependēt in eſſe: *Tum* etiam,
quia illa forma depēdēt in fieri à

ſubiecto cuius productio dependet à ſubiecto, ſed productio gratiæ dependet à ſubiecto: ergo gratia infieri dependet à ſubiecto. Prob. min. Gratia non eſt in dignitate, & perfectione inferior productione ſui, ſed ſuperior, cum productio ſit via ad gratiam, & propter eam: ergo ſi gratia dependet in eſſe à ſubiecto, etiam productio non eſt, cur à ſubiecto non dependeat.

105 Nec dicas, gratiam non educi, quia licet fiat dependenter à ſubiecto, ſubiectum non concurrit per potentiam naturalem.

Nam contra eſt. 1. Hoc tantum convincit, non educi gratiam ex potentia naturali, ſed non probat, eam ex potentia obedientiali non educi.

106 2. Res, quæ producitur dependenter a ſubiecto concurrente in genere cauſæ materialis, vere educitur ex illo; ſed graria hoc ipſo, quod fiat dependenter à ſubiecto concurrente per potentiam obedientialem producitur dependenter à ſubiecto concurrente in genere cauſæ materialis: ergo eo ipſo, quod fiat dependenter à ſubiecto concurrente per potentiam obedientialem educitur ex potentia illius. Mai. eſt certa: quia educi ex ſubiecto nihil eſt aliud, quam cauſari materialiter ab illo. Min. vero prob. quia fieri dependenter à ſubiecto concurrente in genere cauſæ materialis eſt productionem dependere ab aliquo præſupoſito, vt à ſubiecto, in quo petit recipi, vt exiſtat, ſed productio gratiæ pendet ab aliquo præſuppoſito, vt a ſubiecto, in quo petit recipi, vt exiſtat, eo ipſo, quod gratia fiat dependenter à ſubiecto concurrente per potentiam obedientialem: ergo.

107 3. Sicut anima concurrit per potentiam obedientialem ad productionem gratiæ recipiendo productionem, ita concurrit per potentiam obedientialē recipiendo ipſammet gratiam, ſed hoc ſufficit, vt gratia dependeat in eſſe ab anima, vt à ſubiecto: ergo id ipſum ſufficit, vt dependeat in fieri ab anima, vt à ſubiecto; ſed omnis dependentia eſt ab aliqua vera cauſa, & dependere, vt à ſubiecto ſolum poteſt eſſe dependere à cauſa materiali: ergo animam concurrere per potentiam obedientialem ad productionem gratiæ ſufficit, vt gratia cauſetur materialiter ab anima, ac ſub inde, vt educatur ex illa.

4. Concurſus per potentiam obedientialem ſufficit, vt conſervatio gratiæ dependeat ab anima: ergo concurſus per potentiam obedientialem ſufficit, vt productio gratiȩ pendeat ab anima: ergo vt gratia in fieri dependeat; ac per conſequens, vt educatur ex illa.

Denique. Licet materia ſub-

ſublunaris non contineat in potentia naturali formam cęleſtem, ſi tamen (vt plures putant poſſe fieri) Deus produceret formam cęleſtem in materia ſublunari per actionem dependentem ab illa, vt à ſubiecto, proculdubio eam educeret ex materia ſublunari; nam hoc ipſo, quod prædictam formam produceret dependenter à ſubiecto, illam non crearet: ergo, & ſi gratia non contineatur in potentia naturali animæ, ſi tamen illam ſemel Deus dependenter ab anima, vt à ſubiecto producat, eam minimè creabit, ſed educet.

108 Si 2. dicas cum Scoto in 1. diſt. 17. quæſt. vltima, gratiam non produci à Deo dependenter ab anima, ſed in priori naturæ independenter ab anima creari, & pro poſteriori illi infundi.

Contra 1. ex iam dictis, quæ directe militant contra ſolutionem iſtam. 2. ex D.Thom. 1.p.q. 45. illis convenit fieri, quibus convenit eſſe: vnde ſola ſubſiſtentia creantur, quia ſola ſubſiſtentia habent eſſe: ergo illa fiunt independenter à ſubiecto, quæ exiſtere poſſunt ſine ſubiecto; gratia non eſt huiuſmodi: ergo non fit independenter à ſubiecto.

Confir. ex hoc præciſsè colligimus, animam rationalem fieri independenter à ſubiecto, & pro poſteriori corpori vniri; quia videmus, eam eſſe naturaliter ſubſiſtentem ſeorſim à materia: ergo ab oppoſito fundamento forma, quæ naturaliter exiſtere nequit ſine ſubiecto, non producitur independenter ab illo.

3. Sacramenta in ſententia D.Thom. 1.p. quæſt. 62. art. 1. cauſant phyſicè inſtrumentaliter gratiam; ſed iuxta eundem Sanct. Doct. nulla creatura poteſt creare, etiam vt inſtrumentum; vnde nulla creatura poteſt inſtrumentaliter producere animam rationalem pro priori ad vnionem eius cum corpore: ergo gratia non creatur pro priori, vt pro poſteriori infundatur animæ.

190 Nec valet dicere, ſacramenta non attingere gratiam immediatè, ſed tantum diſpoſitivè. *Nam* in primis ſacramenta à Concilijs, & Div. Thom. vocantur cauſæ gratiæ, & dicuntur illam cauſare, quæ locutio ſubſtineri non poteſt, ſi illam diſpoſitivè tantum attingerent, ſicut dici non poteſt, quod homo generans hominem cauſat animam rationalem, licèt diſpoſitivè attigat illam.

Deinde: quia diſpoſitio ad gratiam eſt ſupernaturalis: vel ergo creatur, vel educitur ex potentia animæ. *Si primum*: ſequitur, quod ſacramenta, nec cauſent gratiam, nec diſpo-

poſitionem ad illa; ac per conſeq. nec immediatè, nec diſpoſitivè attingent gratiam. *Si ſecundum*: ad illam diſpoſitionem, cum debeat eſſe ſupernaturalis, concurrit anima per potentiam obedientialem; & tamen educitur: ergo poterit educi gratia, eſto ad illam anima concurrat per potentiam obedientialem.

130 Obijcies 1. Anima rationalis non concurrit per modum cauſæ materialis ad productionem gratiæ: ergo gratia non educitur ex illa. Antec. prob. Gratia non continetur in potentia animæ etiam obedientiali: ergo non concurrit anima ad productionem gratiæ in genere cauſæ materialis. Prob. ant. Gratia excedit animam: ergo non continetur in eius potentia obedientiali. Patet conſeq. Nam anima rationalis, quia excedit materiæ capacitatem, non continetur adhuc in potentia obedientiali materię, quare nec divinitus poteſt educi ex illa: ergo.

Confirm. Anima non concurrit ad productionem gratiæ per vires, & potentiam naturalem immediatè, nec elevata media forma ſupernaturali: ergo nullo modo. Antecedens quoad primam partem videtur certum; quia gratia excedit vires naturales cuiuſvis creaturæ, & quoad ſecundam prob. Quia nulla datur forma elevans animam ad gratiæ receptionem, & ſi datur, de illa procedit eadem difficultas: quia ſi ipſa non educitur ex anima, nec poterit educi gratia, quæ perfectio eſt; ſi vero educatur, vel ad eius productionem concurrit anima per vires naturæ, vel ratione formæ elevantis, quorum primum repugnat propter exceſſum rei ſupernaturalis; ſecundum verò arguit proceſſum in infinitum: ergo.

111 Neg. primum, & ſecundum anteced. ad cuius prob. diſt. antec. gratia excedit animam exceſſu naturaliter inſuperabili, concedo antecedens: divinitus inſuperabili, nego antecedens: anima verò rationalis excedit capacitatem materiæ exceſſu etiam divinitus inſuperabili, & ratio eſt: quia anima rationalis eſt forma, cuius operationes, cum ſint eſſentialiter à materia independentes non poſſunt in potentia etiam obedientiali materiæ contineri; quo circa nec illius eſſe poteſt in potentia obedientiali materiæ contineri; at operationes gratiæ dependent ab anima, vt elevata, ac ſubinde continentur in anima, vt elevabili, ſivè in potentia obedientiali illius; vnde, & ipſa gratia in potentia obedientiali animæ continetur: cum ergo exceſſus

for-

formæ, quæ in potentia obedientiali continetur, poſsit per vires ſupernaturales adæquari; exceſſus vero formæ, quæ nec in potentia obedientiali continetur, per nullas vires ſeperari poſsit, fit conſeq. quod licèt exceſſus animæ ſupra materiam probet, animam rationalem non poſſe divinitus educi; exceſſus gratiæ ſupra vires animæ non probat, gratiam educi non poſſe virtute ſupernaturali.

Ad confir. reſp. quod anima non concurrit ad productionem gratiæ, vt elevata prævia forma ſupernaturali, vt patet in pueris, qui immediatè, nulla præeunte diſpoſitione, gratiam ſuſcipiunt, nec concurrit per potentiam naturalem; quia potentia naturalis reſpicit agens naturale, à quo certum eſt, gratiam non poſſe produci, ſed concurrit immediatè per potentiam obedientialem, in quo nullum eſt inconveniens, quia concurſus in genere cauſæ materialis conſiſtit in recipiendo productionem gratiæ, & licèt in natura non ſit facultas immediata ad efficiendam formam ſupernaturalem, eſt tamen facultas immediata ad illam recipiendam à Deo, cui ſubijcitur immediatè: quia efficere eſt dare eſſe, & inferius non dat eſſe ſuperioris ordinis; recipere vero eſt accipere eſſe, & inferius accipere poteſt eſſe ſuperioris ordinis.

112 Obijcies 2. Gratia in ſacris litteris dicitur creari: ergo non educitur. Antec. prob. ex illo Pſalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus*, & ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. de Iuſtific. cap. 7. vbi gratia dicitur infundi cum cæteris donis ſupernaturalibus, & ratione illius dicitur homo in Chriſto creari ad Epheſios 2. & PP. regenerationem ſpiritualem per gratiam vocãt creationem. D. etiam Thom. q. 27. de Verit. art. 1. ad 9. formas ſupernaturales dicit nõ propriè creari, ſed concreari: ergo gratia dicitur creari.

Reſpond. quod gratia dicitur creari non phyſicè, ſed moraliter, quia fit in ſubiecto ex nullo præexiſtente merito ipſius: dicitur etiam infundi; quia provenit à cauſa extrinſeca, ſcilicèt à Deo ſupernaturaliter operante, qui proinde in natura nullam potentiam proportionatam, aut exigentiam ſupponit. Denique D. Thom. explicat ſe ipſum, & ſenſum, in quo affirmat gratiam creari quæſt. de Potent. articul. 8. an 3. vbi ait: *Quod infuſio gratiæ accidit ad modum creationis; in quantum gratia non habet cauſam in ſubiecto, nec efficientem, nec talem materiam in qua ſit hec modo in potentia, quod per agens naturale educi poſſit in actum, ſicut eſt de alijs formis*

naturalibus: ex quo patet, infuſionem gratiæ non eſſe ſimpliciter creationem, ſed habere modum creationis, quia, ſcilicèt, non habet talem materiam, vt virtute agentis naturalis ex ea poſsit educi; habet tamen materiam, ex qua educi poteſt virtute Dei ſupernaturaliter operantis.

ARTIC. VI.

Vtrùm forma ſubſtantialis ſit tota qudditas compoſiti?

113 FOrmam ſubſtantialē eſſe totam quidditem compoſiti, ſenſerunt Averroes, Zamora, & Pereira exiſtimantes, materiam non pertinere ad compoſitionem totius, vt partem eſſentiæ, ſed vt vehiculum deferens, & ſubſtētans quidditatem. Per oppoſitum cæteri Philoſophi cum Angel. Præcept. 1. p. quæſt. 75. art. 4. & q. 119. artic. 1. lib. 1. contrag. cap. 21. & lib. 4. cap. 81. tenent, materiam primam eſſe partem eſſentiæ compoſiti naturalis, ac proinde formam non eſſe totam eius quidditatem.

114 Hæc ſententia eſt vera, & prob. ab aliquibus ex illo Symboli D. Athanaſij: *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus*: at tota quidditas Chriſti non eſt homo ſolus, nec ſolus Deus, ſed homo, & Deus: ergo nec tota quidditas hominis eſt anima, ſed ex anima & carne hominis quidditas cōponitur.

Sed hæc ratio inefficax eſt: quia, vel hic terminus *Chriſtus* ſignificat idem, quod hic homo, vel ſignificat idem, quod *hæc perſona*: ſi primum: tota eſſentia illius eſt humanitas; ſubſiſtentia vero divina, & deitas non ſunt quidditas, aut pars illius, ſed terminus, & complementum totius quidditatis. Si dicatur ſecundum: natura non eſt quidditas perſonæ, ſed tota quidditas illius eſt ſuppoſitum connotatis naturis, in quibus ſubſiſtit: ergo ex paritate inter conſtitutionem Chriſti ex Deo, & homine, & compoſitionem hominis ex carne, & anima, non probatur, carnem eſſe partem quidditativam hominis.

115 Probant alij noſtram, & veram ſententiam; quia ſi anima eſſet tota eſſentia hominis, homo eſſet eſſentialiter immortalis, & ſpiritualis, cum anima immortalis ſit, & ſpiritualis. Deficiunt tamen in probatione: *Tùm*, quia tota eſſentia albi eſt albedo, & tamen album non eſt accidens, licèt albedo ſit accidens: *Tùm*, quia vt homo dicatur, mortalis, & corporeus,

ſuf-

ſufficit, quod petat eſſentialiter materiam in obliquo, & vt vehiculum, quo deficiente, deficit homo, ſicut deficiente ſubſtracto albedinis, deficit album.

116 Quare obſerva: quod aliud eſt ingredi eſſentialiter in obliquo, aliud eſt eſſe partem eſſentiæ; ad eſſentiam quippe relationis pertinet, & requiritur eſſentialiter terminus; qui tamen non eſt pars eſſentiæ relationis: & homo, vt hoc nomine *homo* ſignificatur, importat eſſentialiter ſubſiſtentiam, nec tamen ſubſiſtentia eſt pars eſſentialis hominis, ſed ingreditur in obliquo; ſimiliter tota eſſentia perſonæ eſt ſuppoſitum, ita tamen, vt rationalis natura eſſentialiter connotetur, aut in obliquo importetur.

117 Aliter ergo prob. concluſ. 1. Ex materia prima, & ex forma, vt ex partibus fit vna eſſentia: ergo materia prima eſt pars eſſentiæ. Prob. antec. Ex materia prima, & ex forma, vt ex partibus fit vnum per ſe; ſed vnum per ſe eſt vna eſsẽtia: ergo ex materia prima, & ex forma, vt ex partibus fit vna eſſentia. Prob. mai. Ex potentia eſſentialiter incompleta, & ex actu, vt ex partibus, fit aliquomodo vnum; non vnum per accidens: ergo fit vnum per ſe. Min. patet: quia vnum per accidens reſultat ex partibus, quarum vna non ordinatur per ſe ad componendum cum altera; ſed potentia eſſentialiter incompleta ordinatur per ſe ad componendum cum actu: ergo ex potentia eſſentialiter incompleta, & ex actu non reſultat vnũ per accidens.

Confir. Si forma eſſet tota quidditas, vel materia per ſe eſſet integra quidditas, vel eſſet pars quidditatis; ſed neutrum poteſt dici: ergo forma non eſt tota quidditas. Mai. pro prima parte patet: nam materia, cum ſit pura potentia, & entitas incompleta, non eſt integra eſſentia: pro ſecunda non minus eſt certa; quia materia non poteſt eſſe pars quidditatis alterius à quidditate compoſiti; ſed ſi forma eſt tota quidditas compoſiti, nequit materia eſſe pars quidditatis compoſiti: nam ſtante, quod forma ſit tota quidditas compoſiti, in nullo extra formam, vt in parte reperitur quidditas compoſiti: ergo.

218 2. Prob. concl. Homo eſſentialiter eſt ens completum, anima eſſentialiter eſt incompleta: nam ex Concilio Lateran. ſub Leone X. eſt vera forma hominis: ergo anima non eſt tota eſſentia hominis.

119 3. Ideo albedo eſt tota eſſentia albi, quia album eiuſdem ſpeciei eſt, etiam ſi

ſpecie differant ſubiecta: vnde ad album per accidens ſe habet, quod ſubiectum illius ſit lac, aut nix; at ad hominem non ſe habet per accideus, quod materia ſit huius, vel alterius ſpeciei: vnde ſi per impoſsibile daretur homo conſtans ex materia cœleſti non eſſet eiuſdem ſpeciei cum nobis: ergo anima non eſt tota eſſentia hominis.

Confirm. homo non eſt anima: ergo anima non eſt tota eſſentia hominis. Prob. conſeq. Ideo album non eſt albedo, & ſi albedo ſit tota eius eſſentia, nec homo eſt humanitas, & ſi tota eius eſſentia ſit humanitas: quia nec per ly *album* albedo, nec per ly *homo* humanitas ſignificatur per modum per ſe ſubſiſtentis; ſed per album ſignificatur albedo per modum accidentis ſubſtentati in alio, & per ly *homo* ſignificatur humanitas per modum conſtituentis aliud, in quo ſubſiſtit; ſed neutra ratio militat in anima, ſi illa ſit tota eſſentia hominis: ergo ſi anima eſſet tota eſſentia hominis, homo eſſet anima. Prob. min. Nec per ly *homo* ſignificatur anima per modum formæ ſubſtentatæ in materia, aliàs, ſicut ob hanc rationem album ſupponit pro ſubiecto, & de eo prædicatur, homo ſupponeret pro materia, & materia eſſet homo, nec ſignificat ly *homo* animam per modum conſtituentis aliquid, in quo ſubſiſtit, quia ſi conſtitutum eſſet ex ſola anima, & ſubſiſtentia, aliquid hominis independenter à corpore diceretur homo, quod eſt falſum; ſi vero illud conſtitutum ex materia, & anima coaleſceret, materia, & forma eſſent partes illius conſtituti, ac ſubinde quidditatis, quod eſt intentum: ergo.

Confirm. 2. Quia albedo eſt tota eſſentia albi non poteſt cum ſubiecto conſtituere vnum per ſe; ſed forma componit vnũ per ſe cum materia: ergo forma non eſt tota eſſentia compoſiti.

120 Denique ſententia noſtra eſt Ariſtot. pluribus in locis, præſertim 1. & 2. phyſic. vbi ait: compoſitum ſubſtantiale conſtare ex materia, & forma, quod denegat accidentali: & 2. phyſic. text. 10. ait, materiam, & formam eſſe naturas partiales ad integrantes vnam totalem; at qui natura eſt de eſſentia compoſiti: ergo.

121 Obijcies 1. Ariſtot. qui 2. phyſic. text. 28. definit formam, dicens, eam eſſe, *Quod quid erat eſſe rei*; per quod intelligit rei quidditatem: ergo forma eſt quidditas rei. *Reſpond.* quod vocat Ariſtotel. formam, quod quid erat eſſe; quia eſt princi-

cipalis pars compoſiti: ex quo non ſequitur, quod in eo non detur alia pars quidditatis, & ſi minus principalis.

122 Obijcies 2. Idem eſt conſtitutivum, & diſtinctivum; ſed totum diſtinctivum vnius compoſiti ab alio eſt forma: ergo, & totum compoſiti conſtitutivum. *Reſpond.* Idem eſſe conſtitutivum principale, & diſtinctivum, non tamen conſtitutivum totale; vt patet in compoſitione metaphyſica, in qua tàm genus, quàm differentia conſtituunt ſpeciem, & tamen ſola differentia diſtinguit eam ab alijs.

123 Obijcies 3. Si materia eſſet de eſſentia hominis, non eſſet idem homo puer, & ſenex, quia per nutritionem, & augmentationem totum fere corpus mutatur; nec reſurgeret idem homo, cum plures non ſint in eadem materia reſurrecturi, vt contingit in eis, quorum carnibus, alij homines veſcuntur; conſeq. eſt contra fidem, vt patet ex illo Iob 19. *Quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius*; ergo.

Reſpond. quod homo puer, & ſenex eſt idem homo; quia materia formaliter eſt eadem ratione continuationis cum partibus præcedentibus; imò materialiter eſt aliquo modo eadem; quia ſemper manet aliquid de priori materia. Si autem vnus homo nutrirotur carnibus alterius, teſtitueret eas Deus illi, ad quem primo pertinerent, quod vero ad alterius integritatem deeſſet, aliunde Deus suppleret; iuxta D. Thom. 4. contra g. cap. 81.

224 Obijcies 4. Quidditas cuiuſvis rei debet eſſe adeo illi propria, vt alijs nō conveniat; ſed materia non eſt huiuſmodi: ergo non eſt quidditas rei. *Reſpond.* quod quidditas non debet ſe tota differre ab alijs, & id circo ſufficit, ſi ſit propria rei, quam conſtituit ſecundum partem principalem, licèt alia pars minus principalis ipſi, & alijs ſit communis.

§§§
§

QVÆST. V.

De Privatione.

1 TERTIVM, & vltimum principium entis naturalis eſſe privationem, conſtat ex ſuperioribus, circa quam duo ſe offerunt diſcutienda. Primum, in quo privatio conſiſtat. Secundum, an in materia prima ſit vna tantum omnium formarum privatio, vel potius ſint tot privationes, quot ſunt formæ, quarum in ea datur capacitas, & carentia.

ARTIC. I.

In quo privatio conſiſtat.

2 EST idem, ac inquirere, in quo carētiæ rerum conſiſtant; quare, licèt privatio ſit ſpecies carētiæ diſtincta à negatione, in eo quod privatio eſt carētia formæ in ſubiecto capaci; negatio vero eſt carentia formæ in ſubiecto incapaci; cum tamen eadem ſit prorſus difficultas in aſsignando vtriuſque conſtitutivo, non arctatur ad privationem, ſed omnem carentiam æquo iure comprehendit quæſtio.

3 Viſum eſt aliquibus carentiam rerum conſiſtere in poſitivo, hoc eſt, in entitate poſitiva impediente, ne detur res, quam carentia excludit: vnde quia duplex eſt carentia; altera contingens, vt carentia rei, quę poteſt exiſtere, & non exiſtere; altera neceſſaria, vt carentia rei impoſsibilis, dicunt carentiam contingentem, v.g. non exiſtentiam Petri, eſſe nolitionem divam de exiſtentia Petri; carentiam vero neceſſariam eſſe prædicata divina neceſſaria excludentia ipſum impoſsibile.

§. I.

Primus dicendi modus reijcitur.

4 FAlſitas huius ſententię facile demonſtratur 1. Quia inter rem, & carentiam illius datur oppoſitio contradictoria; ſed oppoſitio contradictoria non verſatur inter ens, & ens, ſed inter ens, & nō ens: ergo res, & carē-

tia

tia illius non ſunt entia, ſed alterum eorum eſt non ens. Min. eſt D. Thom. opuſc. 48. tract. de Oppoſitione.

5 2. Contradictoria iſtius propoſitionis: *Petrus exiſtit*, eſt iſta: *Petrus non exiſtit*; ſed contradictoria huius propoſitionis: *Petrus exiſtit*, non eſt iſta: *exiſtit nolitio divina de exiſtentia Petri*: ergo Petrum non exiſtere non eſt idem formaliter, ac exiſtere nolitionem Divinam de exiſtentia Petri. Cætera patent, & min. prob. *Tùm* quia vtraque eſt affirmativa. *Tùm*, quia non ſunt eiuſdem de eodem, ideſt, eiuſdem prædicati de eodem ſubiecto.

6 Explicatur. Si hæ propoſitiones. *Petrus non exiſtit*, & *datur in Deo nolitio de exiſtentiæ Petri*, eſſent eadem, contradictoria vtriuſque eſſet eadem; ſed contradictoria vtriuſque non eſt eadem: ergo. Prob. min. Contradictoria huius, *datur in Deo nolitio*, eſt iſta, *non datur in Deo nolitio*; contradictoria vero iſtius, *Petrus non exiſtit*, eſt iſta, *Petrus exiſtit*, ſed non eſt formaliter idem, Petrum exiſtere, & non exiſtere in Deo nolitionem exiſtentiæ Petri: ergo contradictoria vtriuſque nõ eſt eadem.

7 Vrgetur. Diſtinctæ res non habent idem contradictorium; ſed Petrum exiſtere eſt quid diſtinctum ab eo, quod eſt non dari in Deo nolitionem de exiſtentia Petri; ergo contradictorium vtriuſque non eſt idem; ſed contradictorium huius, quod eſt, non exiſtere nolitionem; eſt exiſtere nolitionem: ergo exiſtentia nolitionis non eſt contradictorium huius, quod eſt Petrum exiſtere.

Tertio probatur idem aſſumptum hac ratione. Carentia Divinæ nolitionis non conſiſtit in aliquo poſitivo impediente illius exiſtentiam: ergo nec carentia Petri conſiſtit in poſitivo impediente exiſtẽtiam Petri. Antecedens eſt certum: quia nulla datur entitas poſitiva impediens exiſtentiam nolitionis Divinæ, & conſequẽtia probatur: quia eiuſdem rationis eſt carentia reperta in Deo, & reperta in creaturis.

8 Si dicas carentiam nolitionis Divinæ conſiſtere in volitione Divina impediente prædictam nolitionem.

Contra 1. quia probabile eſt eſſe Deo poſsibilem puram omiſsionem; ergo poſsibilis eſt carentia nolitionis ſine volitione eam impediente.

2. Quia velle, & nolle non ſunt contradictoria, ſed contraria, ſicut amor, & odiũ; ſed carentia nolitionis eſt eius contradictorium: ergo carentia Divinæ nolitionis non con-

conſiſtit in volitione eum impediente.

4. Petrum non exiſtere non eſt, exiſtere divinam nolitionem de exiſtentia Petri: Ergo carentia exiſtentiæ Petri non conſiſtit in prædicta nolitione. Antec. prob. *Tùm*, quia incipit Petrus non exiſtere, quando Petrus deficit: & tamen quando Petrus deficit, non incipit exiſtere divina nolitio; hæc enim exiſtit ab æterno in Deo. *Tùm*, quia Petrum exiſtere non eſt exiſtere divinam volitionem de exiſtentia Petri: ergo nec Petrum non exiſtere eſt exiſtere divinam nolitionem de exiſtentia Petri. Conſeq. prob. Nam ideò Petrum exiſtere non eſt exiſtere divinam volitionem de exiſtentia Petri, quia divina volitio non eſt formaliter exiſtentia Petri, ſed tantum illativè; ſed divina nolitio illativè tantũ, & non formaliter eſt carentia exiſtentiæ Petri; ergo. Prob. min. Ideò divina volitio non eſt formaliter exiſtentia Petri, quia Petrus nequit exiſtere per formã, quæ ſit in alio ſubiecto, ſed nec poteſt non exiſtere per formam, quæ ſit in alio ſubiecto; quia cũ contradictoria ſint circa idem, tàm exiſtere, quàm non exiſtere ad idem ſubiectum debent comparari: ergo.

5. Si deficit forma denominans, deficit effectus formalis eius; ſed etiam ſi deficeret Deo nolitio de exiſtentia Petri, Petrus non exiſteret: ergo prædicta nolitio non eſt forma denominans Petrum non exiſtentem. Prob. min. Si nullus actus liber in Deo exiſteret, Petrus non exiſteret; ſi enim cauſa non exiſteret, effectus nullatenus exiſteret, ſed ſi nullus actus liber in Deo exiſteret, deficeret Deo nolitio de exiſtentia Petri: ergo etiam ſi deficeret Deo nolitio de exiſtentia Petri, Petrus non exiſteret.

9 Si dicas, quod dato illo impoſsibili, ſequeretur vtrumque, quod videlicèt exiſteret Petrus, & non exiſteret.

Contra, quia per locum ab intrinſeco non ſequeretur vtrũque, ſed tãtum ſequeretur, quod non exiſteret: nam hæc cõditionalis, ſi cauſa non exiſteret, non exiſteret effectus; vel ſi Deus non exiſteret, nulla creatura exiſteret, non infert vtrumque, ſed vnum tantum: vnde eſt apta ad indagandum dependentiam creaturæ à Deo in exiſtendo: ergo ſi non exiſteret in Deo vllus actus liber, Petrus non exiſteret.

2. Ex hac propoſitione *Deus non exiſtit*, potius ſequitur iſta: *creatura non exiſtit*, quam iſta: *creatura exiſtit*; hæc enim eſt optima conſeq. veraque conditionalis; ſi Deus non exiſteret, nulla creatura exiſteret: hæc autem peſsima conſeq. falſaque conditionalis: ſi Deus non exiſteret, exiſteret creatura: cr-

ergo immediatè, & per locum ab intrinſeco ex non exiſtentia Dei ſolum ſequitur non exiſtentia Petri.

3. Quia in Deo nullum eſſe actum liberum circa exiſtentiam Petri, forte non eſt impoſſibile, cum ſatis probabiliter cenſeant plures Theologi, potuiſſe Deum per puram omiſſionem omnem actum liberum ſuæ voluntatis ſuſpendere: ergo ex præfata hypotheſi non ſequitur vtrumque.

10 6. Prob. vera ſententia. Res quælibet poſitiva talis eſt, vt ſit melior ipſa, quàm non ipſa; at ſi carentia ipſius conſiſteret in poſitivo impedimento, non ſemper verificaretur, quod eſſet melior ipſa, quam non ipſa: nam poteſt impedimentum caloris eſſe præſtantius calore, & ſaltim Divina nolitione de exiſtentia Petri non eſt melior Petrus: ergo non eſſe rei non conſiſtit in nolitione Divina, ſivè in alio impedimento poſitivo.

11 7. Non exiſtere impedimentum exiſtentiæ Petri non eſt exiſtere Petrum; quis enim dicat, exiſtere Petrum nihil aliud eſſe formaliter, quàm non exiſtere impedimentum illius: ergo nec Petrum non exiſtere eſt exiſtere impedimenta illius. Patet conſeq. Quia non exiſtere vnum contradictorium eſt formaliter exiſtere alterum: ergo ſi non exiſtere impedimenta Petri, non eſt exiſtere Petrum, exiſtere prædicta impedimenta non eſt contradictorium huius, quod eſt Petrum exiſtere; ſed contradictorium huius, quod eſt Perum exiſtere, eſt Petrum non exiſtere: ergo Petrum non exiſtere non eſt formaliter exiſtere impedimenta Petri.

12 8. Si non exiſtere creaturarum eſt aliquid poſitivum, inquirimus, non exiſtere actum debitum ex præcepto quid poſitivum eſt? Nam in primis non eſt Divina nolitio de exiſtentia actus: *Tùm*, quia Deus potius vult exiſtentiam actus debiti. *Tùm*, quia non exiſtere actum debitum eſt peccatum; actus autem liber Dei peccatum non eſt. Si vero non eſt aliquid poſitivum increatum, ſequitur, quòd abſolutè nihil poſitivum ſit, cùm nihil poſitivum creatum detur impediēs actum debitum ex præcepto, tunc quādo libere omittitur.

13 Si dicas impedimentum eſſe actum poſitivum voluntatis, qui eſt cauſa, vel occaſio omiſſionis.

Contra 1. quia forte eſt poſſibilis pura omiſſio in voluntate abſque actu, qui ſit cauſa, vel occaſio illius. 2. Quia ſi non exiſtere illum actum eſſet actus poſſitivus cum illo incompatibilis, ſequeretur, quod ſimiliter tenebræ eſſent ip-

ipſum corpus opacum impediens lucem, & carentia filiorum eſſet frigiditas, aut maleficium, carentia amoris eſſet odium, & carentia caloris eſſet frigiditas, quod eſſet confundere oppoſitiones directas cum indirectis, & contrarias cum contradictoris, 3. Quia in conſideratione phyſica, quidquid ſit de morali, eadem eſt carentia amoris, exiſtente, vel non exiſtente actu incompatibili cum eo: ergo non conſiſtit carentia amoris in actu incompatibili cum eo. 4. Quia non eſſe actus non poteſt tolli, niſi per actum; at actus ille incompatibilis poteſt tolli per aliud ab actu: ergo non eſſe actus, non conſiſtit in actu incompatibili. Prob. min. Si actui ludendi incompatibili cum voluntate audiendi ſacrum ſuccedat immediatè actus ſtudij æquè incompatibilis cum voluntate audiendi ſacrum, deficit primus actus, quin ponatur volitio audiendi ſacrum: ergo actus incompatibilis cum voluntate audiendi ſacrum poteſt tolli per aliud, quam per voluntatem audiendi ſacrum.

14 Denique. Quidquid formaliter, & immediatè excludit alterum, ab aliquo ſubiecto communi excludit illud; ſed exiſtentia Petri, & nolitio divina non habent ſubiectum commune: ergo nolitio divina formaliter, & immediatè nō excludit exiſtentiam Petri: Min. eſt certa: nam ſubiectum exiſtentiæ Petri, eſt Petrus; ſubiectum autem nolitionis divinæ eſt ipſe Deus. Mai. vero prob. *Tùm* quia ideo calor exiſtens in igne non excludit formaliter, & immediatè frigiditatem exiſtentem in aqua; nec tenebras exiſtentes in cubiculo excludit lux exiſtens in cœlo; nec cæcitas Petri viſum Pauli, quia ſubiectum eorum non eſt idem, ſed diverſum. *Tùm*, quia ideo vnum alterum excludit, quia ſunt incompatibilia; ſed ſi ſubiectum non eſt commune, nulla extrema ſunt incompatibilia: vnde Petrum exiſtere, & Paulum non exiſtere incompatibilia nō ſunt: ergo quod formaliter, & immediatè alterum excludit, ab aliquo ſubiecto communi illud excludit.

15 Si pro ſententia oppoſita, obijcias. 1. Nihil diſtinctum à Deo eſt neceſſario exiſtens, & inimpedibile à Deo; ſed carentia chymæræ, v.g. eſt neceſſariò exiſtens, & à Deo inimpedibilis: ergo non eſt diſtincta à Deo.

Reſp. quod nihil diſtinctum à Deo eſt neceſſariò exiſtens exiſtentia propriè dicta; eſt tamen aliquid diſtinctum à Deo neceſſariò exiſtens exiſtentia late ſumpta, impropria, & quę talis eſt ex modo concipiendi, & huiuſmodi eſt exiſtentia negationis chymæræ, quæ non tam con-

cõſiſtit in eo, quod aliquid exiſtat, quam in eo quod chymæra nullatenus exiſtat; & quod hoc modo exiſtit, poteſt eſſe in impedibile à Deo: quia hoc non eſt proprie loquendo aliquid à Deo non poſſe impediri, ſed eſt, aliquid repugnare, quod à Deo poſsit poni.

16 Obijcies 2. A parte rei datur cæcitas in homine cęco, tenebræ in aere, negatio mundi vere fuit ab æterno, & privatio eſt principium entis naturalis: ergo à parte rei negatio eſt aliquid: ſed quidquid à parte rei exiſtit eſt poſitivum: ergo negatio eſt aliquid poſitivum. *Confirm.* Quidquid eſt poſsibile eſt poſitivum; ſed negatio eſt poſsibilis: ergo eſt aliquid poſitivum. *Confir.* 2. quidquid habet prædicata ſibi non contradicentia, eſt ens reale poſitivum: huiuſmodi eſt carentia lucis, v. g. ergo eſt ens poſitivum.

Reſpond. diſt. ant. à parte rei datur, & eſt cęcitas, &c. ſumpto ly *eſt* propriè, & ſtrictè, neg. ant. ſumpto ly *eſt* improprie, & pro eo, quod tantum eſt ex modo concipiendi, & æquivalenter, concedo ant. idem enim valet, à parte rei datur cæcitas in homine, ac à parte rei datur homo, & in eo non datur viſus.

Ad conf. diſt. mai. quidquid eſt poſsibile, poſsibilitate exiſtendi propriè, eſt poſitivum, concedo mai. quidquid eſt poſsibile poſſibilitate exiſtendi improprie, & æquivalenter, neg. mai. & hoc modo eſt poſsibilis cæcitas: nam poſsibilem eſſe cæcitatem, nihil eſt aliud, quam poſſe viſum non exiſtere.

Ad 2. confir. reſp. quidquid habet prædicata ſibi non contradicentia, ſumpto ly *habet* proprie, eſt ens reale poſitivum, concedo mai. ſumpto ly *habet* impropric, & æquivalenter, neg. mai. carentia autem non habet propriè loquendo prædicata, ſed conſiſtit in eo, quod eſt formam, cuius eſt carentia, non habere actu ſua prędicata.

17 Si dicas 1. excludere, & removere viſum, & eſſe privationem viſus ſunt prædicata propriè convenientia cæcitati: ergo carentia habet propriè ſua prædicata.

Reſp. quod de carentia nihil propriè poteſt affirmari, ac proinde nec medio verbo affirmativo dicitur aliquid propriè de illo, nec ipſa nomine poſitivo poteſt propriè, & vt eſt in re ſignificari: quare omnes illæ propoſitiones intelligendæ ſunt in ſenſu improprio, & æquivalenti, nõ in ſenſu ſtricto, & propriſsimo: cæcitas ergo non excludit nec removet viſum, ſumpto ly *excludit*, & *removet* propriè, ſed impropriè, quatenus non videns concipitur à nobis, ac ſi haberet for-

mam

mam excludentem viſum cum fundamento in impoſsibilitate habendi viſum, & illum ſimul non habendi, quæ impoſsibilitas, ſivè incompoſsibilitas eſt verificativum prædictæ propoſitionis: *Cæcitas excludit viſum*: imò cæcitas ipſa, vt ſignificatur hoc nomine *cæcitas* non datur à parte rei, ſumpto ly *datur* propriè, ſed impropriè, prout eſt idem dicere, cæcitas datur à parte rei, ac dicere homo à parte rei non videt.

18 Si dicas 2. id, quod deſinit eſſe, aliquando erat; ſed carentia deſinit eſſe, quia in inſtanti, in quo mundus fuit creatus, vere fuit deſtructa negatio eius: ergo carentia erat antea. *Confirm* Quando incipit non exiſtere aliquid, quod antea exiſtebat, incipit eſſe variatio in rerum natura: ergo incipit exiſtere negatio; ſed quod incipit exiſtere, eſt ens poſitivum: ergo.

18 In primis argumentum non probat, negationem eſſe divinam nolitionem de exiſtentia rei, quia divina nolitio, nec incipit, nec deſinit, ſed fuit ab æterno, & in æternum permanet, ſed nec probat, conſiſtere negationem in aliquo poſitivo; negatio enim proprie non deſinit, quia cum mundus creatus fuit, nihil, quod antea exiſtebat, deſtructum fuit; ſed quod antea non erat, tunc incepit: vnde nec negatio tranſivit de eſſe ad non eſſe, ſed mundus tranſivit de non eſſe ad eſſe. *Ad confir.* ſimiliter reſp. quod quando deſinit res aliqua, non incipit propriè exiſtere negatio, nec variatio tunc in rerum natura contingens conſiſtit in eo, quod negatio incipiat eſſe, ſed in eo, quod res poſitiva deſinit exiſtere.

20 Obijcies 3. Nihil diſtinctum à Deo fuit ab æterno; negatio mundi fuit ab æterno: ergo ipſa non eſt quid diſtinctũ à Deo. Prob. min. Obiectum huius propoſitionis: *Mundus non fuit ab æterno*, fuit ab æterno; ſed obiectum illius propoſitionis eſt negatio mundi: ergo negatio mundi fuit ab æterno. Prob. mai. Obiectum propoſitionis de præterito ab æterno veræ, ab æterno fuit: ergo.

Neg. min. ſumpto ly *fuit* propriè, & in rigore: ad probationem reſp. quod vt illa propoſitio de præterito, *mundus non fuit*, fuerit ab æterno vera, non requiritur, quod negatio mundi fuerit ab æterno, ſed quod mundus ab æterno non fuerit, quia per illam non enuntiatur, fuiſſe negationem mundi, ſed mundum non extitiſſe.

21 Obijcies 4. Carentia mali eſt eligibilis: ergo eſt aliquid poſitivum. Prob. conſeq. Id quod eligibile eſt, aliquid poſitivum eſt, cum ad illud

-lud non per modum receſſus, ſed per modum proſecutionis feratur voluntas.

Reſp. quod carentia mali non appetitur, ſed bonum, quod ex carentia mali conſequitur, nihil enim aliud eſt appetere carentiam ægritudinis, niſi appetere ſalutem. *Vel 2. reſp.* quod appetitur carentia mali, non vt eſt in re, ſed vt apprehenſa per modum boni: nam ſicut cæcitas apprehenditur per modum entis, & id circo terminat affirmationem ita carentia mali apprehenditur per modum boni, & id circo terminat affectum proſecutionis.

21 5. Obijcies. Verificativum huius propoſitionis: *ſunt tenebræ in aere*, eſt id, quod eſt motivum ſufficiens ad iudicandum in aere eſſe tenebras; ſed ad hoc iudicium ſufficiens motivum eſt impedimentum lucis: ergo verificativum illius propoſitionis eſt poſitivum impedimentum lucis; ſed verificativum ſunt ipſæ tenebræ: ergo tenebræ ſunt formaliter poſitivum impedimentum lucis. *Confirm.* Non minus excludit lucem impedimentum lucis, quam ipſum non eſſe lucis: ergo non minus ſunt tenebræ impedimentū lucis, quam ipſum non eſſe lucis. *Confirm. 3.* Non eſſe lucem nihil eſt aliud, quam impediri lucem: ergo nihil eſt aliud, quam impedimentum lucis.

Mai. eſt falſa: nam volitio divina de exiſtentia mundi eſt motivum ſufficiens ad iudicandum mundum exiſtere; & tamē non eſt verificativum huius propoſitionis, *mundus exiſtit*: quare verificativum propoſitionis non eſt quodlibet motivum ſufficiens ad iudicandum illam eſſe veram, ſed ipſum eſſe, vel non eſſe rei, de qua aliquid affirmatur, vel negatur.

Ad cont. reſp. quod tam impedimentum lucis, quā non eſſe lucis excludunt lucē, ſed aliter, & aliter, nam impedimentum excludit lucem illativè, ipſum vero nō eſſe lucis excludit illam formaliter, quo circa tenebræ nō in impedimēto, ſed in ipſo non eſſe lucis conſiſtunt.

Ad 2. confir. reſp. quod nō eſſe lucem eſt impediri lucem, illativè, & quaſi cauſaliter, ſed formaliter eſt non eſſe lucem, nec alijs terminis poteſt melius explicari, ſicut eſſe lucis clarius, quam per eſſe lucem nequit exponi.

23 Obijcies 6. Negatio conſiſtit in eo, per quod res excluditur; ſed res poteſt excludi per aliquid poſitivum diſtinctum à non eſſe rei, & prius illo: ergo negatio poteſt conſiſtere in aliquo poſitivo, quod ſit diſtinctum à non eſſe rei, & prius illo. Prob. min. Impoſſibilitas exiſtendi in chymæra eſt diſtincta à non eſſe chymæræ, & prior illo, ſicut poſſibilitas exiſtentiæ hominis diſtinguitr ab ho-

hominis exiſtentia, & eſt prior illa; ſed eſſe chymæræ excluditur per impoſsibilitatem exiſtēdi: ergo poteſt res excludi per aliquid diſtinctum à non eſſe rei, & prius illo.

Reſp. quod negatio conſiſtit in eo, per quod res formaliter excluditur, non in eo, per quod excluditur virtualiter, aut illativè; per aliquid autem diſtinctum, & prius quam non eſſe, poteſt res excludi illativè, non formaliter, nec per impoſsibilitatem exiſtendi excluditur formaliter chymæra, ſed illativè, quia non excluditur chymęra formaliter, niſi per ſuum contradictorium; contradictorium autem eſſendi nō eſt impoſsibilitas, ſed ipſum nō eſſe, quod ad impoſsibilitatem poſt illam ſubſequi intelligitur.

24 Ex dictis inferes, carentiam rerum, v. g. negationem mundi non conſiſtere in aliquo poſitivo impedimento creato. *Tùm* propter dicta de nolitione divina, quæ à fortiori excludunt à conſtitutivo carentiæ quamlibet aliam poſitivam entitatem. *Tùm*, quia negatio alterius mundi fuit ab æterno, & ab æterno nulla fuit entitas creata poſitiva. *Tùm* denique, quia deficere non poteſt à rebus mundus, aut negatio mundi, vtrumque enim contradictorium à rebus deficere eſt impoſsibile; ſed potuit deficere, tàm mundus, quàm quælibet alia entitas creata poſitiva; Deus quippe nulla neceſsitate cogitur ad vllam creaturam producendum: ergo negatio mundi non eſt entitas creata poſitiva.

§. II.

Alter dicendi modus refellitur.

25 Alij cenſent, carentiam eſſe aliquid negativum in rerum natura exiſtens, habens propriã eſſentiam diſtinctam ab omni ente poſitivo ante operationem intellectus, & incipiens eſſe, cum res deſinit eſſe; proindeque carentiam eſſe conceptum obiectivum ſtrictè affirmabilem, ideſt, de quo per verbum *eſt* proprie ſumptum poteſt aliquid afirmari. Ita Conimbric. Obiedo, Hurtado, Arriaga, Suarez, & alij RR.

26 Quorum tamen ſententia diſplicet 1. Quia ens potens exiſtere, eſt ens poſitivum; ſed carentia non eſt ens poſitivum: ergo carentia non poteſt exiſtere. Prob. mai Quidquid poteſt exiſtere, eſt verum ens reale, vereque participat rationem communem entis; ſed quod verè participat rationem communen entis, eſt ens poſitivum: ergo ens potens exiſtere eſt ens poſitivum. Mai. patet; quia

quia ratio entis conſiſtit in potentia ad exiſtendum.

Confir. Id de quo verificantur attributa entis, eſt ens poſitivum, ſed de carentia, ſi exiſteret, verificarentur entis attributa: ergo carentia, ſi poteſt exiſtere, eſt ens poſitivum. Maior videtnr certa, & min. prob. Nam ſi carentia poteſt exiſtere, de illa verificatur, quod eſt vna, & à reliquis diſtincta, quod eſt cognoſcibilis, ac proinde vera, quod eſt amabilis, ac per conſequens bona: ſi enim carentia mali, v.g. à parte rei exiſtit, & propriam habet eſſentiam, quid prohibet, illam per ſe, & per prædicata ſua definiri, ac ſubinde cognoſci; quid etiam vetat, eam propter ſe appeti, cum ex ſe malum removeat?

27 Si dicas: Carentiam eſſe ens non poſitivum, ſed negativum; quia nihil ponit in rerum natura; ſed totum eius eſſe eſt ſuum oppoſitum à rerum natura removere.

28 Contra 1. Carentia nihil ponit in rerum natura; ergo, non ponit in rebus aliquod eſſe, quo quaſi contrariè ſuum oppoſitum removeat, ſed pure removet per modum contradictorij ſuum oppoſitum: ergo de ea non verificatur, quod ſit aliquid removēs ſuum contradictorium, ſed quod non eſt ſuum contradictorium: ergo carentia nullum omninò habet eſſe.

29 2. Totum eſſe carentiæ eſt removere ſuum contradictorium: ergo totum eſſe carentiæ, v. g. cæcitatis eſt non eſſe viſum; ſed non eſſe viſum non eſt aliquod eſſe: ergo carentia nullum habet eſſe.

3. Removere alterum eſt aliquid eſſe; ſed poſita carentia ponitur in rerum natura hoc, quod eſt alterum removere: ergo carentia ponit in rebus aliquod eſſe, ac ſubinde eſt ens poſitivum.

4. Eſſe non poteſt contrahi, vt per differentiam per non eſſe; ſed removere lucem eſt nō eſſe lucem: ergo eſſe non poteſt, vt per propriam differentiā contrahi per removere lucē: ergo romovere lucem non eſt aliquod eſſe, ac per conſeq. repugnat ens, cuius totum eſſe ſit alterum removere.

Vrgetur. Sicut implicat animal, quod non ſit hoc, vel illud animal, atque adeò implicat animal, cuius ratio ſpecifica conſiſtat in non eſſe tale animal, ita implicat ens, quod non ſit hoc, vel illud ens, atque adeò implicat ens, cuius ratio ſpecifica conſiſtat in non eſſe tale ens: ergo implicat, quod carentia lucis ſit ens, cuius eſſe ſpecificum non ſit hoc, vel illud eſſe, ſed ſit præciſè eam non eſſe lucem.

30 5. Cum dicitur, quod carentia lucis eſt ens negativum, vel ly *negativum* negat genus entis, vel ſolum negat ſpeciem entis? Si *primum*: ens negativum idem erit, ac ens nō ens, quod implicat in adiecto, nō minus, quam homo non homo: Si dicatur *ſecundum*: ergo carentia lucis non removet entitatem, ſed ſpeciem entitatis: ergo ponit entitatem, & negat ſpeciem entitatis, nimirum, lucis: ergo eſt ens poſitivum, & ſimul negativum: poſitivum quidem ſecundum rationē genericam, & communem; negativum vero ſecundum propriam, & differentialem, quod eſt implicatorium.

Explicatur. Carentia lucis taliter non eſt lux, vt tamen ſit ens: ergo ita removet lucem, vt entitatem minimè removeat, ſed afferat, & ponat: ergo nihil illi de eſt quo minus ſit ens poſitivum.

Secundo Impugnatur prædicta ſententia. Carentia lucis eſt contradictorium lucis; ſed contradictorium lucis non eſt ens: ergo carentia lucis non eſt ens; ac per conſeq. nullum habet eſſe: nam conſtitutivum entis eſt eſſe, ſicut conſtitutivum albi eſt albedo. Min. prob. *Tùm*, quia contradictio verſatur inter ens, & non ens: ergo contradictorium lucis non eſt ens. *Tùm*, quia contradictorium lucis idem eſt, ac verificativum huius propoſitionis: *non eſt lux*; ſed tale verificativum non eſt ens: ergo contradictorium lucis non eſt ens, Prob. min. Verificativum propoſitionis, quæ non enuntiat, aliquid eſſe, ſed tantum non eſſe, non eſt ens, ſed potius non ens: ergo verificativum illius propoſitionis, nō eſt ens.

31 3. Si negatio exiſteret à parte rei, ſequeretur dari à parte rei aliquid diſtinctum à Deo exiſtens ab æterno; conſeq. eſt falſum: ergo, & illud, ex quo ſequitur. Prob. ſequela. Nā negatio mundi eſt diſtinctum à Deo; ſed negatio mundi exiſtit ab æterno: ergo.

Confir. Si negatio chymeræ eſt ens: ergo datur aliquod ens diſtinctum à Deo neceſſarium, & à Deo inimpedibile. Patet cō ſeq. quia negatio chymæræ, vt pote rei impoſsibilis, eſt omninò neceſſaria. *Deinde*: Prędicta negatio, vel eſt à ſe, vel ab alio. *Si primum*: ſequitur, quod detur ens diſtinctum à Deo à ſe, & increatum, quod eſt diſſonum principijs fidei. *Si dicas ſecundum*: ergo Deus producit aliquid extra ſe non liberè, ſed ex neceſsitate naturæ, quod eſt æquè falſum.

Conſ. 2. Sequeretur, dari à parte rei entia à Deo producta, quæ infinities eſſent infinita in actu, & cathegorematicè; falſitas conſequentis eſt præſpicua, & ſeque-

quela prob. Nam tot ſunt carentiæ, quot ſunt creaturæ, quæ poſſent exiſtere, & non exiſtunt; ſed creaturæ, quæ poſſent exiſtere, & non exiſtunt, ſunt infinities infinitæ: ergo.

Confir. 3. Sequeretur, quod Deus non poſſet omnem ſuum circa alia à ſe ſuſpendere cõcurſum; ſiquidẽ ea neceſsitate, qua quodlibet eſt, vel non eſt, deberet producere rem, aut carẽtiam eius. *Sequeretur* præterea, quod non poſſet rem aliquam annihilare per puram ſuſpenſionem concurſus, ſed per productionẽ alterius entis, quod rem poſitivam removeret, quæ tamen eſſe abſurda, quis non videat?

32 4. Si à parte rei exiſteret carentia Petri: ergo inciperet deficiente Petro, & fineret, Petro incipiente: ergo tranſiret de non eſſe ad eſſe, & de eſſe ad non eſſe: ergo daretur negatio negationis, quod ſi concedas, ſequitur. 1. Dari contradictorias, quorum neutra ſit extremum poſitivum. 2. Vel deſinente Petro redit negatio Petri, quæ inceptionem Petri præceſsit, vel non redit illa, ſed alia. *Si primum*: ſequitur, quod id ipſum, quod fuerat deſtructum, naturaliter reproducatur. *Si ſecundum*: ſequitur, quod vtrumque contradictorium ſimul deficiat, quia deficit carentia, quæ præceſsit, & deficit carentia ipſius, quæ proculdubio ſunt contradictoria. 3. Sequeretur, quod vnius rei daretur duplex contradictorium formale, & immediatum: nam carentiæ, quæ præceſsit Petrũ, Petrus eſſet vnum contradictorium, alterum eſſet negatio prædictæ carentiæ; conſeq. autẽ eſt falſum: quia contradictorium entis eſt non eſſe ipſius; contradictorium autem non entis eſt eſſe ipſius, & licèt ſint plura, ad quæ poteſt conſequi eſſe, vel non eſſe rei, ipſum tamen eſſe, vel non eſſe formaliter eſt vnum tãtum: ergo carentiæ non datur à parte rei altera carẽtia. *Denique*: Si carentiæ daretur carẽtia, ſequitur proceſſus in infinitum: nam ſi exiſtente Petro, daretur carentia carentiæ illius, daretur etiam carentia carentię huiuſmodi carentiæ, & rurſus daretur carẽtia carentiæ huius tertiæ carentiæ; conſequens eſt abſurdum, & nugatorium: ergo. Prob. ſequela: Eo exiſtente Petro datur carẽtia carentiæ Petri, quia ante exiſtentiam Petri erat carentia Petri, & iam non eſt talis carentia; ſed ante exiſtẽtiam Petri erat carẽtia huius ſecundæ carentiæ, & iam non eſt carentia huius ſecundæ carẽtiæ: ergo Petro exiſtẽte daretur carentia carentiæ huius ſecundæ carentiæ. Patet min. nam ante exiſtentiam Petri non erat ſecunda carentia, ſcilicèt, carentia carentiæ Petri, & exiſtente Petro eſt carentia carentiæ Petri: ergo ante exiſtentiam Petri erat carentia huius ſecundæ carentiæ, & exiſten-

te Petro iam non eſt talis carentia.

33 4. Negatio, vel eſt purum non eſſe ſui poſitivi, vel eſt alliquod eſſe: *Si primum*; habemus intentum. *Si ſecundum*: ergo contradictorium illius eſt non eſſe ipſius negationis; ſed non eſſe negationis non eſt eius poſitivum: ergo negatio, & illius poſitivum non opponũtur contradictorie, quod eſt falſum.

Confir. Eo modo excludit extremum poſitivum negationem, quo negatio removet extremum poſitivum; ſed extremum poſitivum, ſcilicèt, eſſe, ſe ipſo formaliter, & præciſsè per ſe ipſum excludit negationem: ergo negatio, ſcilicèt, non eſſe per ſe ipſam præciſsè removet extremum poſitivum.

Vrgetur: Si negatio eſt aliquod non eſſe negationis, quid eſt? Aut cum quo identificatur? Si cum extremo poſitivo, extremum poſitivum non minus erit negativum, quam ipſa negatio; negatio quippe ideò eſt ens negativum, quia per ſe ipſam eſt non eſſe ſui poſitivi; ſi ergo poſitivum ſe ipſo eſt non eſſe entitatis, in quo negatio conſiſtit, identificatur cum alio diſtincto ab extremo poſitivo: ergo contradictorium negationis non eſt extremum poſitivum, ſed illud cum quo non eſſe negationis identificatur: ergo lux, & tenebræ non opponuntur cõtradictorie, nec homo, & nõ homo, ſed opponuntur contradictorie non homo, & non homo, hoc eſt, non homo, & aliquid ab homine diſtinctum, illud, nimirum, cum quo identificatur negatio entis, in qua hominis negatio conſiſtit.

34 Denique. Si negatio exiſteret à parte rei, non eſſet ens rationis, ſed reale, nec eſſet verum, illam habere eſſe tãtum ex modo concipiendi: conſeq. eſt contra D. Th. & Philoſophũ, qui ens rationis dividunt in negationem, & relationem: ergo. Sequela patet: Nam quod habet ſuum eſſe ante operationem intellectus, non eſt ens rationis habẽs eſſe tantum ex modo concipiendi, ſed eſt ens reale; ſed ſi negatio exiſtit à parte rei, habet ſuum eſſe ante operationem intellectus: ergo. Min. vero probo, ex Angel. Præcept. 1. p. q. 48. artic. 2. ad 2. dicente: *Ens dupliciter dicitur, vno modo ſecundum, quod ſignificat entitatem rei, & hoc modo privatio non eſt ens; alio modo ſecundum quod ſignificat veritatem propoſitionis, & ſic cæcitatem dicimus eſſe in oculo, vel quamcumque aliam privationem*: Quam doctrinam deſumpſit ex Ariſt. 4. met. text. 2. dicente: *Quod ipſum non ens eſſe non ens dicimus.* Ex quibus conſtat privationem, ſeu negationẽ in re nihil eſſe: quia tamẽ dicimus ſicut concipimus, & concipimus eã admodum entis, dicimus eã eſſe: ergo negatio à parte rei nihil om-

omninò eſt, & ſolum habet eſſe per rationem, ſivè ex modo concipiendi.

35 Plura, ex argumentis, quæ contra noſtrum militant aſſertum, ſunt propoſita, & ſoluta §. ſuperiori. Poteſt nihilo minus obijci contra illud 1. Petrum non eſſe eſt contingens: ergo requiritur aliquod determinativum, vt Petrus potius non exiſtat, quam exiſtat; ſed nihil nullo determinativo indiget: ergo Petrum non exiſtere non eſt nihil, ſed aliquid.

Reſp. quod ſi loquamur de negatione ex noſtro modo concipiendi, eſt contingens: nam concipitur à nobis, vt quid potens exiſtere, & non exiſtere; ſi vero ſit ſermo de negatione, vt eſt à parte rei, non eſt contingens: quia nullo modo eſt potens exiſtere: quare illa propoſitio: *non exiſtere Petrum eſt contingens*, ſumpto, ly *eſt* ſtrictè, & propriè, non eſt vera, ſed vt ſit vera, debet ſumi ly *eſt* impropriè, & in ſenſu æquivalenti, verſa affirmatione in negationem, ita vt ſit ſenſus, *Petrus non exiſtit neceſſario*; vt autem in hoc ſenſu, Petrum non exiſtere ſit contingens, non requiritur, quod vt non exiſtat, detur aliquod determinativum, ſed quod non detur determinativum ad hoc, vt exiſtat; ſicut vt non ſit lux, nulla propriè loquendo cauſa requiritur, ſed ſufficit, quod non ſit cauſa, quæ debeat lucē producere.

36 Obijcies 2. Deficiente Petro, datur defectus Petri: ergo negatio eſt aliquid à parte rei exiſtens. Prob. antecedens: ſi defectus Petri nō daretur, nec daretur à parte rei Petrus, nec daretur defectus Petri; ſed eſt impoſsibile, nec dari Petrum, nec dari defectum Petri: ergo deficiente Petro, datur defectus Petri. Prob. minor. Impoſsibile eſt deficere vtrumque contradictorium, vt patet ex illo per ſe noto principio, *quodlibet eſt, vel non eſt*; ſed non dari Petrum, nec dari defectum Petri eſt deficere vtrumque contradictorium, ſcilicèt, Petrum, & defectum Petri: ergo eſt impoſsibile, nec dari Petrum, nec dari defectum Petri.

Reſpod. quod deficiente Petro, non datur defectus Petri, ſumpto li *datur* propriè, & pro eodem, ac *exiſtit*. Ad prob. neg. min. ad cuius probat. dicendum eſt, quod non dari Petrum, nec dari defectum Petri, non eſt deficere vtrumque contradictorium in ſenſu intento à phyloſophis: nam deficere vtrumque contradictorium dupliciter poteſt intelligi, primo, pro eo quod eſt, neutrum exiſtere. 2. pro eo, quod eſt, aliquid, nec eſſe, nec non eſſe: in primo ſenſu nec dixerunt

Philoſophi, nec eſt verum eſſe impoſsibile, quod vtrumque contradictoriũ deficiat. In ſecũdo vero ſenſu eſt primum, & veriſsimum principium, vtrumque contradictorium non poſſe deficere: ex quo ſolum ſequitur, quod non poſsit nec exiſtere, nec non exiſtere Petrus; non tamen ſequitur, quod non poſſit, nec dari Petrus, nec dari defectus Petri.

37 Obijcies 3: Quod non eſt, nequit auferri; ſed adveniente forma aufertur privatio: ergo privatio habet aliquod eſſe. *Confirm.* Quod non eſt, non eſt principium; ſed privatio à parte rei eſt principium: ergo à parte rei habet eſſe. *Confirm. 2.* Privatio eſt ſpecies negationis; ſed ſpecies eſt aliqua eſſentia: ergo privatio eſt aliqua eſſentia. *Explicatur*: Quidquid poteſt definiri, habet aliquam eſſentiam; ſed privatio poteſt definiri: ergo habet aliquam eſsẽtiam. *Denique*: Id, quod connotat ſubiectum, aliquid eſt; ſed privatio connotat ſubiectum; eſt enim carentia formę in ſubiecto: ergo privatio aliquid eſt.

Reſpond. quod privatio proprie non aufertur, quia quod nihil eſt, auferri non poteſt, ſed aufertur ex modo concipiendi, vel etiam impropriè, æquivalenter, & fundamentaliter, quatenus antea non erat forma, & adveniente forma, iam eſt aliquid incompoſsibile cum eo, quod non ſit forma, ac ſubinde ponitur aliquid, per quod excluditur noſtro modo concipiendi præexiſtens non eſſe formæ.

Ad confirm. reſpond. id, quod non eſt, eſſe principium analogice: nam de ratione principij eſt, quod ſit, vnde aliquid procedit, & ex privatione procedit aliquid ſuo modo, proportionaliter, aut æquivalenter, quatenus forma fit ex materia, in qua forma non erat; nam eo ipſo datur ordo inter formam, & non eſſe formæ; quod ſufficit ad rationem principij, de cuius ratione non eſt influxus, ſed ordo conſiſtens in eo, quod principium ſupponatur, & ſit prius eo, quod ab ipſo aliquomodo procedit.

Ad 2. confirm. reſpond. quod privatio eſt ſpecies, non ratione ſui, ſed ratione ſubiecti, quod connotat: privatio enim eſt non eſſe formam, & ſubiectum eſſe capax illius: primum dicit in recto, & in eo non differt à negatione ſtriſtè; ſecundum importat in obliquo, & per illud differt à negatione, quę nec in obliquo importat ſubiectum capax.

Ad explicationem reſp. quod negatio, vt eſt à parte rei, non poteſt definiri, quia definire eſt exprimere, quid res ſit, & negatio, ſi ſignificetur, vt

eſt à parte rei, ſolum poteſt exprimi modo negativo, & dicendo, non quid ipſa ſit, ſed quid non ſit ſuum poſitivum.

Ad vltimam reſpond. nullam propoſitionem affirmãtem aliquid de priuatione eſſe intelligendam in ſenſu proprio, ſed eſſe veram ęquivalenter, aut intelligendam de privatione, vt concipitur à nobis, quare à parte rei privatio non connotat ſubiectum, ſed dicitur connotare ſubiectum, quatenus tunc ſolum dari privationem dicimus, quando ſubiectum, quod capax eſt formæ, illam à parte rei non habet.

§. III.

Aliorum ſententia reijcitur.

38 DIxerunt alij, negationem identificari cum re negata, ita vt negatio nihil ſit realiter diſtintũ à ſubiecto, cui dicitur convenire.

39 Hæc tamen ſententia falſa eſt: Nam vel dicunt, carentiam identificari cum ſubiecto, quando illud denominat, ſed non removet, vt contingit in tenebris, quæ aerem denominant tenebroſum, ſed illum non removent, vel dicunt, identificari carentiam cum ſubiecto, etiam quando illud removet, vt contingit in negatione Petri, quæ Petrum denominat non exiſtentem, & illum removet: vtrovis modo carentia ad ſubiectum comparata, cum illo nequit identificari, & quidem eam cum ſubiecto non identificari, quando ſubiectum non removet, patet: quia quod poteſt deficere, ſubiecto perſeverante, non identificatur cum illo; ſed carentia poteſt deficere perſeverante ſubiecto, quod non removet: ergo non identificatur cum illo. Minor patet: Nam perſeverante aere, deficiunt tenebræ: ergo.

40 Præterea: non identificari carentiam cum ſubiecto, quod removet, ſivè cum re negata, prob. Impoſsibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe; ſed identificari carentiam cum re negata eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe: ergo impoſsibile eſt, carentiam identificari ſimul cum re negata. Min. prob. Identificari carentiam cum re negata eſt idem ſimul eſſe rem negatam, & carentiam eius; ſed eſſe rem negatam, & eſſe carentiam eius, eſt eſſe, & non eſſe: nam carentia rei eſt non eſſe illius: ergo identificari carẽtiam cum re negata eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe.

41 2. Quæ ſunt incompatibilia, non poſſunt identificari; ſed eſſe, & non eſſe ſunt in-

incompatibilia: ergo nequeunt identificari: ergo carentia, quæ eſt non eſſe rei, nequit cum eſſe rei negatæ vllatenus identificari. Mai. eſt evidens, & prob. min. Eſſe, & non eſſe ſunt repugnantia, & oppoſsita contradictoriæ: ergo ſunt incompatibilia.

42 Dices: quod carentia non identificatur cum re negata ſumpta ſecundum ſe; ſed cum re negata, vt eſt proximè negabilis, ideſt, vt dicit ordinem ad iudicium, quo intellectus rem illam poteſt negare; idem enim Petrus poteſt terminare diverſos modos tendendi noſtri intellectus, nempe aſſenſum, & diſſenſum, & vt poteſt terminare aſſenſum eſt ens, vt vero poreſt terminare actum, quo per diſſenſum intellectus ab eo quaſi recedit, dicitur non ens, & idẽtificat ſecum ſui negationem.

43 Sed contra. Eſſe, & non eſſe invenitur in rebus independenter, & antecedenter ad iudicium intellectus: ergo non eſſe rei non identificatur cum re, vt eſt proximè negabilis, ſivè vt dicit ordinem ad iudicium, quo intellectus rem illã poteſt negare.

Antec. prob. 1. Eſſe invenitur in rebus independenter à iudicio: ergo etiam non eſſe: Patet conſeq. *Tùm* à paritate rationis. *Tùm* quia eo eſſe invenitur in rebus independenter à iudicio intellectus, quia iudicium intellectus nec eſt cauſa, nec conditio, vt res acquirat eſſe; ſed iudicium non eſt cauſa, nec cõditio, vt res amittat eſſe: ergo non eſſe invenitur in rebus independenter à iudicio intellectus.

2. Rem non eſſe non eſt idem, ac intellectum poſſe negare rem eſſe: ergo negatio non eſt res, vt negabilis ab intellectu. Prob. antece. Nõ ideo Petrus non exiſtit, quia intellectus poteſt negare, Petrum non exiſtere; ſed potius ideò poteſt intellectus negare Petrum non exiſtere, quia Petrus non exiſtit; ab eo enim, quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa: ergo rem non eſſe non eſt idem, ac intellectum poſſe negare rem eſſe.

Conf. De re, quæ exiſtit, poteſt intellectus negare illã exiſtere; & tamen falſum eſt, quod res illa non exiſtit: ergo rem nõ exiſtere nõ conſiſtit in eo, quod poſsit iudicari, rem nõ exiſtere, ſed in eo quod à parte rei, & independenter ab intellectus iudicio non exiſtit.

44 Si 2. dicas: eſſe, & non eſſe identificari entitativè, licèt prædicativè realiter diſtinguantur. *Contra*: quod removet entitativè alterum extremum nequit identificari entitativè cũ illo; ſed negatio removet entitativè rem negatã: ergo nequit idẽtificari entitativè cum illa. Min.

patet: quia negatio removet entitatèm rei, quam negat: ergo removet entitativè alterum extremum.

45 2. Res negata entitativè non eſt: ergo nequit cum negatione identiſicari entitative. Patet conſeq. Quia quod entitativè non eſt, cum nullo poteſt entitativè identificari.

Confir. Non poſſunt duo identificari entitativè, quin vtrumque extremum ſit entitas: nam identificari entitativè eſt, quod vtrumque extremum ſit eadem entitas; at negatio non eſt entitas: ergo negatio non identificatur entitativè cũ re negata. Prob. min. Negatio v.g. Petri eſt negatio entitatis; ſed negatio entitatis non eſt entitas: ſicut tenebræ non ſunt lux, eo quod ſunt negatio lucis: ergo.

Denique. Id cum quo identificatur entitativè non eſſe lucis, aliquando exiſtit identificatum cum non eſſe lucis; ſed entitas lucis numquam exiſtit idedtificata cum non eſſe lucis: ergo cum non eſſe lucis non identificatur entitas lucis. Mai. eſt certa: & prob. min. Entitas lucis non exiſtit identificata cum non eſſe lucis, quando entitas lucis exiſtit, quia tunc non eſt verum, non eſſe lucem; nec quãdo entitas lucis nõ exiſtit, vt de ſe patet: ergo entitas lucis nunquam exiſtit identificata cum non eſſe lucis.

Denique: ſi entitativè identificarentur negatio, & res negata, hæc eſſet vera propoſitio, *eſſe eſt non eſſe*, ſaltim in hoc ſenſu identico, id quod eſt eſſe, eſt non eſſe; conſequens ex terminis apparet falſum: ergo eſſe, & non eſſe diſtinguntur entitativè.

46 Obijcies. 1. Non eſſe Petri non eſt aliquid poſitivum, aut negativũ realiter exiſtens, & diſtinctum à Petro: ergo non eſt aliquid entitativè diſtinctum à Petro: ergo identificatur cum illo. *Confir.* Ea diſtinguntur, quorum vnum eſt extra aliud; ſed negatio Petri nihil eſt extra Petrum: ergo negatio Petri, & Petrus non diſtinguntur.

Conceſſo antecedenti, & prima conſeq. neg. ſecundam: Nam aliud eſt, quod non eſſe Petri non ſit aliquid entitativè diſtinctum à Petro, & aliud, quod identificetur cum illo.; ad primum ſufficit, quod negatio Petri non ſit entitas: nam hoc ipſo quod entitas non ſit, non diſtinguitur entitativè, cum diſtingui entitativè nihil aliud ſit, quam eſſe entitatem, quę non eſt entitas alterius: ad ſecũdum vero vlterius requiritur, quod vtraque ſit entitas, quia duo identificari entitativè eſt, quod vtrumque ſit eadem entitas; ac ſubinde, quod vtrumque ſit entitas: cum ergo negatio entitas non ſit, ſed entitatis carẽ-

tia,

tia ſit conſequens negationem cum entitate negata non poſſe identificari.

Ad confirm.ſimiliter concedo conſeq. ex quo propter rationem dictam non ſequitur, negationem, & entitatem negatam mutuo identificari. Poſset etiam negari carentiam diſtingui, proprie ſumpta diſtinctione, à re negata, licèt res negata diſtinguatur à negatione: quia diſtingui, cum ſit verbum affirmativum, non ſolum negat,ſed ponit aliquid;ac ſubinde ſignificat, id quod diſtinguitur, nedum non eſſe alterũ,ſed eſſe aliquid, quod non eſt alterum, & quidem res negata eſt aliquid, quod non eſt negatio, quo circa diſtinguitur realiter à negatione: negatio vero nõeſt aliquid,quod non eſt res negata, cum negatio non ſit aliquid;vnde non diſtinguitur realiter à negata: ex quo non licèt inferre, negationem eſſe idem cum re negata, quia quod nihil eſt, nec eſt idem, nec diſtinctum: nullius enim entis nullæ ſunt qualitates.

47 Obijc. 2. Hæ propoſitiones: *Petrus exiſtit*, *Petrus non exiſtit*; ſunt contradictoriæ: ergo negativa exprimit carentiam Petri identificatam cum Petro.Prob.conſeq. Si negativa exprimeret carentiam non idẽtificatam cum Petro, propoſitiones illæ non eſſent contradictoriæ, quia non eſſent circa idem obiectum, nec reſpicerent eandem entitatem, quod iuxta Ariſt. requiritur ad oppoſitionẽ contrrdictoriam.

Confirm.1. Implicat cognitio, quæ ad aliquam entitatẽ non terminetur; ſed hæc cognitio, *Petrus non exiſtit*, non terminatur ad aliam entitatem diſtinctam ab entitate Petri: ergo terminatur ad entitatem Petri; ſed terminatur ad illius carentiam: ergo carentia Petri eſt entitas Petri.

Confirm. 2.De eadem entitate, de qua verificatur eſſe, quando exiſtit, verificatur non eſſe, quando non exiſtit: ergo non eſſe identificatur cum entitate eadem,cum qua identificatur eſſe.

Reſpond. quod propoſitiones illæ ſunt contradictoriæ, ex quo ſolum ſequitur, quod ſint eiuſdem de eodem, ideſt, eiuſdem prædicati de eodẽ ſubiecto, non tamen requiritur, quod quidquid repræſentat negativa, ſit idem cum eo, quod repræſentat affirmativa: nam negativa repræſentat non eſſe, quod identificari nequit cum eſſe, quod repræſentat affirmativa.

Ad 1. confir.reſpond.quod omnis cognitio debet terminari directe, & primario ad aliquam entitatem; ſed ſecundario, & in directè terminari poteſt ad carentiam entitatis: vnde etiam ſi carentia Petri entitas Petri non ſit, poteſt cogni-

nitio ad illam terminari.

Ad 2. confir. reſp. conceſſo antecedenti neg. conſeq. & inſtatur in carentia albi: nam de eodem Petro, de quo verificatur eſſe album, quando eſt albus, verificatur non eſſe album quando non eſt albus; & tamen non eſſe album non identificatur cum Petro: in propoſitionibus enim affimativis identificatur prædicatum cum ſubiecto: in negativis vero prædicatum, aut non eſſe prædicati non identificatur cum ſubiecto.

48 Dices. In propoſitione negativa vera prædicatum diſtinguitur à ſubiecto: ergo nõ eſſe prædicati identificatur cum ſubiecto. Prob. conſeq. Nam ſubiectum eſt, vel non eſt prædicatum; ergo identificat prædicatum, vel non eſſe prædicati: ergo ſi non identificat prædicatum, identificat non eſſe illius. *Explicatur*: Vbi prædicatũ identificatur cum ſubiecto, non eſſe prædicati diſtinguitur à ſubiecto: ergo vbi prædicatum diſtinguitur à ſubiecto, non eſſe prædicati identificatur cum ſubiecto.

Reſpond. quod in propoſitione negativa vera ſubiectum nec identificat prædicatum, nec non eſſe prædicati, quia in ea ſolum denotatur, quod ſubiecto non convenit prædicatum; vt autem prædicatum ſubiecto non conveniat, non requiritur, quod illi aliquid conveniat; vnde non requiritur, quod cum eo identificetur non eſſe prædicati, chymæra enim non eſt homo à parte rei, & tamen cum chymæra, nec homo, nec non eſſe hominis identificatur realiter: quia cum chymæram exiſtere repugnet, nihil poteſt cum ea realiter idẽtificari. *Ad explicationem* reſp. neg. conſeq. quia, ſivè prædicatum identificetur, ſivè diſtinguatur à ſubiecto, carentia illius identificari nequit cum ſubiecto, eo quod carentia nihil eſt, & aliquid cum nihilo nequit identificari.

49 Obijcies 3. A parte rei, & ex parte obiecti datur cõtradictio: ergo dantur à parte rei extrema oppoſita contradictoriæ; ſed vnum extremum eſt non eſſe: ergo à parte rei datur non eſſe. Cætera patent, & prima conſeq. prob. Quia contradictio nihil eſt aliud, quam extrema contradictoriè oppoſita: ergo ſi à parte rei datur cõtradictio, dantur à parte rei extrema oppoſita contradictorie.

Reſp. quod contradictio adæquate ſumpta non datur à parte rei ſumpto ly *datur* proprie, pro eo quod exiſtit, ſed datur proprie ex parte extremi poſitivi, & proprie, ſeu; æquivalenter ex parte alterius extremi; vnde idem eſt dicere, dantur extrema contradictoriè oppoſita, ac datur repugnantia in eo, quod res ſit, & non ſit.

§. IV.

Sententia noſtra proponitur, & probatur.

50 V*Nica concluſ. Carentiæ rerum conſiſtunt præciſè in non eſſe rei negatæ, quod ex parte obiecti eſt omninò nihil, licèt ex modo concipiendi ſit, & ſignificetur, vt aliquid.* Ita D. Thom. 4. meth. lect. 1. & 2. quæſt. 21. de Veritate art. 1. & q. 1. de Malo artic. 1. ad vltimum, & paſsim alibi, Soncinas, Scotus, Fonſeca, Izquierdo, Spinula, & alij, quam plurimi.

51 Prob. 1. ex D. Aug. de Geneſ. ad lit cap. 5. dicente: non enim Deum feciſſe tenebras dictum eſt, quoniam ſpecies ipſas Deus fecit, non privationes, quæ ad nihilum pertinent, & Soliloq. cap. 3. *Mors eſt imò non eſt mors, quia nihil eſt mors*; ſed mors eſt carentia vitæ: ergo carentia vitæ nihil eſt. Idèm habetur ex D. Dionyſio lib. de Divinis nominibus cap. 4. dicente: *Carentiam rerum numquam, neque fuiſſe, nec eſſe, nec eſſe poſſe*: ergo carentiæ rerum ſunt purum nihil.

62 2. Prob. concluſ. ratione. Carentiæ rerum non cõſiſtunt in aliquo poſitivo, nec in aliquo negativo à parte rei exiſtente, vt probatum eſt: ergo in nihilo conſiſtunt.

3. Carentia rei eſt formale contradictorium rei; ſed formale contradictorium rei eſt purum non eſſe rei: ergo carentia rei eſt purum non eſſe rei. Prob. min. Contradictoria ſunt circa idem; ſed ſi contradictorium rei non eſſet purum non eſſe rei, non eſſent circa idem: ergo contradictorium rei eſt purum non eſſe rei. Prob. min. Si contradictorium rei non eſſet purum non eſſe rei, vnum contradictorium eſſet hoc, & alterum contradictorium eſſet illud: ergo non eſſent circa idem.

4. Carentia lucis v.g. conſiſtit in eo, quod verificat hanc propoſitionem, *non eſt lux*; ſed hanc propoſitionem verificat purum non eſſe lucis: ergo carentia lucis conſiſtit in ſolo non eſſe lucis. Prob. min. Quia omne aliud diſtinctum à non eſſe lucis impertinens eſt ad verificandum prædictam propoſitionem: ergo verificat illam purum non eſſe lucis.

53 Obijcies 1. Quod eſt minus nihil, quam chymæra, non eſt purum nihil; ſed Petrum non exiſtere eſt minus nihil quam chymæra: ergo non eſt purum nihil. Mai. eſt certa, & prob. min. Quod non repugnat, eſt minus nihil, quam id, quod omninò repugnat; ſed non exiſtere Petrum non repugnat, repugnat autem chymæra: ergo Petrum non exiſ-

tere eſt minus nihil, quam chymæra.

Neg. min. ad prob. reſp. diſt. mai. Quod nõ repugnat exiſtere eſt minus nihil, quã id, quod penitus repugnat, concedo maior. Quod alio modo non repugnat, neg. mai. Igitur non exiſtere Petrum repugnat exiſtere, non minus, ac repugnat exiſtere chymæram: cæterum quia non repugnat, non exiſtere Petrum, & hoc eſt æquivalenter, & improprie non repugnare, quod non exiſtere Petrum exiſtat, id circo Petrum non exiſtere eſt aliquid fundamentaliter, ideſt, occaſio, vt intellectus concipiat prædictum non exiſtere, ac ſi eſſet aliquid revera potens exiſtere.

54 Obijcies 2. Hęc cognitio, *Petrus non exiſtit*, non repræſentat ſolum Petrum, aut ſolam exiſtentiam Petri, ſed pręter hæc repræſentat non eſſe Petri: ergo non eſſe Petri, vt diſtinctum à Petro, repræſentatur per prædictam cognitionem: ergo eſt aliquid poſsitivum, aut negativum. Patet conſeq. Quia quod nihil eſt, non eſt repræſentabile. *Tùm*, quia repræſentatio, alicuius eſt repræſentatio. *Tùm*, quia nullius entis nullæ ſunt qualitates, ac per conſeq. quod non eſt, non eſt repræſentabile.

Confirm. Repræſentare, quod Petrus non exiſtit, non eſt non repræſentare, quod Petrus exiſtit: ergo eſt repræſentare poſitivè non eſſe Petri: ergo non eſſe Petri eſt aliquid potens repræſentari. Patet cõſeq. Nam repræſentabilitas eſt paſsio entis, ſicut eſt paſsio entis cognoſcibilitas.

Reſpond. diſt. conſeq. repræſentatur non eſſe ſignate, & vt res quædam, neg. conſeq. exercite, & vt remotio rei, nimirum cognoſcendo rem non eſſe, cõcedo conſeq. Quod autem hoc modo repræſentatur, non requiritur, quod ſit aliquid à parte rei poſitivum, vel negativum, ſed ſufficit, quod à parte rei non detur eſſe alterius, & quod intellectui præbeat occaſionem, vt illud concipiat, ac ſi eſſet aliquid.

Ad confirm. reſp. non eſſe Petri repræſentari; non modo poſitivo, & affirmativo, ideſt, non ponendo, & affirmando, aliquod eſſe, ſed modo negativo, hoc eſt, negando, & removẽdo illud: cum ergo obiectum, & repræſentatio debeant conformari, ſicut obiectum cognitionis modo affirmativo repræſẽtantis debet eſſe aliquid, quia prædicta cognitio affirmat aliquid, ita obiectum cognitionis modo negativo repræſentantis debet non eſſe aliquid, ſed nihil, quia prædicta negatio nihil affirmat, ſed negat aliquid: cum vero dicitur, quod cognoſcibilitas eſt paſsio entis. *Reſpond.* cognoſcibilitatem primariam, & di-

directam eſſe paſsionem entis, ſecundariam vero, & indirectam non eſſe paſsionem entis, & hoc pacto cognoſcuntur negationes, indirectè, ſcilicèt, & ſecundario, quatenus intellectus, cui per ſpeciem non repræſẽtatur forma in ſubiecto, iudicat ſubiectum illud formam non habere.

55 Obijcies 3. Petrum non exiſtere diſtinguitur ab eo, quod eſt Paulum non exiſtere: ergo Petrum non exiſtere non eſt purum nihil. Antec. eſt certum: quia poteſt vnum ab altero ſeparari, & conſeq. prob. *Tùm*, quia actus eſt, qui diſtinguit; ſed purum nihil nullum habet actum: ergo ſi Petrum exiſtere diſtinguitur ab eo, quod eſt Paulum non exiſtere, Petrum non exiſtere non eſt purum nihil. *Tùm*, quia vnum diſtingui ab altero eſt vnum eſſe, vel habere aliquid, quod eſt, vel non habet alterum; ſed purum nihil nihil eſt, aut nihil habet, quod alterum non ſit, aut habeat: ergo.

Reſpond. quod privatio eſt carentia alicuius, vt tenebræ lucis, cæcitas viſus; vnde licèt pro recto ſint nihil, ex parte obliqui connotant aliquid: diſtinguũtur ergo, vel identificantur carentiæ ratione obliqui, quod connotant, non vero recti in quo formaliter conſiſtunt: vnde cæcitas, & tenebræ diſtinguntur, quia cæcitas eſt non eſſe viſus, & tenebræ ſunt non eſſe lucis; lux autem, & viſus diſtinguntur, ſicut non eſſe hominem, & non eſſe animal rationale identificantur, quia homo, & animal, rationale idẽtificantur.

ARTIC. II.

Vtrùm in materia ſit vna tantum privatio?

56 DE privatione poſſumus loqui, vel vt eſt à parte rei, vel vt à nobis concipitur; primo modo accepta privatio nec eſt vna, nec plures ex parte recti; eſt autẽ multiplex ex parte obliqui. Si vero ſecundo modo conſideretur privatio, tot ſunt in materia privationes, quot ſunt formæ, quas non habet, & habere poteſt materia.

57 Prima pars huius aſſerti patet ex nuper dictis: nam privatio pro recto nihil eſt: ergo nec eſt vna, nec eſt multiplex vnum quippe; eſt paſsio entis, & multitudo plures vnitates, pluresque proinde petit entitates: ex parte vero obliqui plures dari in materia privationes, eſt perſpicuũ, quia privatio in obliquo importat formam negatam, eſt enim carẽtia formæ; ſed formæ, quarum datur carentia in materia, ſunt plures: ergo privatio in materia eſt mul-

multiplex ex parte obliqui.

58 Secunda vero pars prob. 1. Tot ſunt privationes ex noſtro modo concipiendi, quot ſunt abſentiæ formarum;ſed abſentiæ formarum ſunt plures: ergo privationes ex modo concipiendi ſunt plures. Prob.min. Tot ſunt abſentiæ formarum à materia, quot ſunt præſentiæ, vel inhærentiæ earum in materia; ſed præſentiæ, aut inhærentiæ ſunt plures: ergo, & abſentiæ ſunt plures.

2. Adveniente materiæ forma ignis, aufertur ab ea privatio formæ ignis, & manet in ea privatio aliarum formarum: ergo privatio formæ ignis eſt diſtincta à privatione aliarum formarum.

3. In aëre diſtinguntur tenebræ, & ſilentium;non alia ratione, niſi quia illæ ſunt carentia lucis; ſilentium vero carentia vocis, aut ſonitus: ergo tot ſunt privationes, quod ſunt formæ oppoſitæ.

4. Peccata ſaltim omiſsionis conſiſtunt in privatione; ſed multiplicantur peccata, ita vt ſint tot numero, quot ſunt actus debiti,& omiſsi: ergo privationes multiplicantur, ita; vt ſint tot numero, quot ſunt formæ oppoſitæ.

59 Obijcies 1. In materia datur vnica potentia,& aptitudo ad omnes formas, quas poteſt recipere: ergo, & vnica privatio reſpectu omnium formarum, quas recipere poteſt,& non recipit.

Reſpond.neg. conſeq.quia poſſe vnum eſt poſſe alterum, ſi in vno, & altero ſit ſimilis ratio obiectiva; cæterum non eſſe vnius non eſt non eſſe alterius, etiam ſi inter vtrumque ſit maxima ſimilitudo: quo circa, licèt vna potētia ad plura poſsit extendi, vna privatio plurium formarum non poteſt eſſe carētia.

60 Obijcies 2. Plura accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto; ſed privationes formarū,maximè earum,quę ſolo numero diſtinguntur,ſunt quaſi accidentia ſolo numero diſtincta: ergo plures privationes nō ſunt in eadem materia.

Reſp. quod accidentia poſitiva individuantur à ſubiecto, & ideò non poſſunt eſſe in eodem plura numero diſtincta; accidentia vero privativa,& remotiva non individuantur à ſubiecto, ſed à forma, quam removent; ac proinde plura ſolo numero diſtincta in eodem ſubiecto reperiri non inconvenit. Ratio huius eſt, quia individuatio formæ poſitivę conſiſtit in eo, quod forma ſit hæc, & non alia; cum autem formam eſſe hanc, & non aliam provenire nequeat ex eſſentia ipſius formæ, aliàs forma eſſet eſſentialiter individua, ſit conſeq. provenire à ſubiecto,

to, ac per cõſeq. orlri ab eo formæ individuationem; cæterum individuatio carentiæ conſiſtit in eo quod ſit nõ eſſe huius formæ, potius, quam alterius; hoc autem non provenit carentiæ ex hoc, quod ſit in hoc ſubiecto; nam in hoc ſubiecto, ſcilicèt, materia, ſimul datur carentia huius, & alterius: debet ergo provenire ex forma, cuius eſt carentia; quia videlicèt forma cuius eſt carentia eſt hæc, & nõ altera: non ergo ſumitur individuatio carentiæ à ſubiecto, ac per conſeq. carẽtias ſolo numero diſtinctas in eadem materia reperiri non repugnat.

QVÆST. VI.

De Compoſito.

1 EX partibus phyſicis reſultat totum media vnione, id circo examinata natura partium, progredimur ad inquirendum, in quo conſiſtat, tum earum vnio, tùm totum conſurgens ex eis.

ARTIC. I.

Vtrùm vnio materiæ, & formæ ſit realiter diſtincta ab eis?

1 MAgnum inter Authores diſsidiũ peperit vnio: nã cum ſit certiſsimũ, materiam, & formam intrinſecè, & realiter vniri, eſt valde ambiguum, vtrum immediatè ſe ipſis, an potius vinculo realiter ſuperaddito copulentur.

2 Tripliciter accipitur vnio: primo, cauſaliter, pro vt eſt idem, ac vnitio, ſecundo, formaliter pro eo, quod formaliter nectit extrema, tertio conſequenter pro relatione, qua extrema mutuo comparantur: procedit difficultas de vnione sũpta formaliter, quæ eſt effectus vnionis cauſaliter accepta, & fundamentum vnionis ſumptæ relativè.

3 Sententiæ affirmanti, vnionem eſſe modum ſubſtantialem realiter ſuperadditum extremis, quo veluti vinculo copulantur, ſubſcribunt plurimi ex extraneis, & ex noſtris Illuſt. Godov, Araujo, Herrera, nec non PP. Carmelit. Negativam tenent Caiet. Ferrara, Capreolus, Flandria, Conimbricenſes, Valentia, Lerma, Parra, Ioannes à S. Th. Maillat. Arnu, & frequentius Thomiſtæ.

§ I.

Vnica Concluſio.

4 *VNio materiæ, & formæ in compoſito ſubſtantiali non diſtinguitur realiter ab extremis vnitis: ac proinde materia, & forma immediate ſe ipſis, nullo re nexu reali-*

liter ei ſuperaddito vniuntur, & conſtituant compoſitum ſubſtantiale.

5 Favet revera nobis D.Thom. ſi eius verba ſincere perpendantur: nam 2. contra gent. cap. 71. ait: *Forma vnitur materiæ abſque omnis medio: per ſe enim competit formæ, quod ſit actus corporis, & non per aliquid aliud: vnde nec eſt aliquid aliud faciens vnum ex materia, & forma, niſi agens, quod potentiam reducit ad actum, vt probat Ariſt. 8. Metaphyſic. nam materia, & forma ſe habent, vt potentia, & actus*: Idem repetit 1. p. q. 76. art. 7. & 8. & 1. 2. q. 110. art. 1. ad 2.

6 Nec dicas D.Th. non excludere medium inter materiam, & formam, quod ſit purus nexus, & intercedat, vt ratio vniendi præciſſe; ſed medium quod ſit extremum vniens, vel aliud munus præſtet, quam vnire.

7 Nam contra eſt *primo*. D.Th. vniverſaliſsime excludit omne medium dicens: *Forma vnitur materiæ abſque omni medio*; ſed medium per modum puri nexus eſt aliquod medium: ergo negat medium etiam per modum puri nexus. *Secundo* Ad excludit D. Thom. medium, quod expreſſe non conceſsit, ſed non conceſsit expreſſe medium per modum puri nexus: ergo excludit illud: Prob. mai. Excludit medium, quod putavit non dari; ſed medium, quod in prædicto loco non docuit expreſſe, putavit non dari, nam diſputans, qualiter materia, & forma vniantur, diminute proceſſiſſet, ſi putaret dari medium per modum puri nexus, & illius non meminiſſet: ergo.

8 Tertio, nam inter naturam humanam, & perſonam divinam non agnovit S. Doct. vnionem realiter diſtinctam: ergo nec illam putavit dari inter materiam. & formam. Antecedens prob. Nam in 3. ad Annibald. diſt. 5. art. 3. enumerans modos, quibus vnio poteſt accipi, ait, illam tripliciter ſumi poſſe nempe, prout eſt idem, ac vnitio, prout eſt paſsio, & prout eſt relatio: ergo inter naturam humanam, & divinam perſonam non agnovit S. D. vnionem realiter diſtinctam. Patet conſeq. Nam qui enumerans vnionis acceptiones refert tres, & non plures, profecto plures non agnovit.

9 Dices, quod licet D. Thom. non expreſſerit modum vnionis inter Verbum, & humanitatem, ex eius tamen verbis colligitur à priori, & à poſteriori: à priori, quia meminit vnionis active, & paſsive ſumptæ, & hæc non ſtat abſque modo veniente per illas cauſato: à poſteriori, quia meminit vnionis ſumptæ relative, & relatio non ſtat ſine mutatione humanitatis per aliquid realiter ei ſuperadditum.

10 Sed contra: nam quis credat, D. Thom. explicantem diſertis verbis vnionem, & illius varias acceptiones expræſſiſſe reliquas adhuc improprias (actio quippe, paſsio, & relatio impropriè, & cum addito ſunt vnio) propriam verò acceptionē implicitè tantum, & quaſi à longè indicaſſe, cum potius agēs ex profeſſo de vnione debuiſſet clariſsimè, per otiumque proferre id, in quo formaliter, & conſtitutivè vnio conſiſtit, prætermiſsis, aut curſim, ſivè implicitè, indicatis alijs, quæ antecedēter, vel ex conſequenti conferunt ad vnionem: Satis decurreret extra metam, qui aggrediēs explicare naturam hominis, totus incumberet inquirendo, qualiter generetur, aut ad alios cōparetur, immemor, prædicatorum, quibus formaliter homo conſtituitur: ergo ſi D. Th. non expreſsit vnionem realiter diſtinctam, in qua (ſi daretur) vnio propriè ſumpta conſiſteret, ideò eſt, quia prædictam vnionem realiter diſtinctam ab extremis non agnovit.

11 Rationibus prob. noſtra concluſio: primo ſic. Forma ſubſtantialis immediatè vnitur materiæ primæ: ergo materia, & forma in compoſito ſubſtātiali nō vniuntur medio nexu realiter diſtincto ab illis: Prob. ant. Forma ſubſtantialis ſe ipſa informat materiam: ergo immediatè vnitur materiæ. Prob. ant. Se ipſa dat eſſe materiæ, cum per ſe ipſam, & non per aliquid à ſe diſtinctum ſit actus: ergo ſe ipſa informat materiam.

12 Reſpondebis, quod forma ſubſtantialis vnitur, & informat materiā immediatè immediatione partis, nō in mediatione exercitij, & cauſalitatis: quia licèt forma, vt informet materiam, nō indigeat medio, quod ſit pars vnibilis materiæ, indiget medio, quod ſit exercitium vnionis cum materia: vnde inter formam, & materiā nihil mediat, quod ſit pars componens totum; mediat tamen modus, qui non eſt pars, ſed purum exercitium, quo materia, & forma vniuntur.

13 Contra. Forma non informat materiam media vnione realiter à ſe diſtincta, vt exercitio, & cauſalitate: ergo informat materiam immediatè immediatione partis, & exercitij. Prob. ant. Cauſalitatis formæ eſt id, quo tanquam ratione formali forma informat, ſicut cauſalitas efficientis eſt id, quo tamquam ratione formali agēs agit; ſed forma non informat media vnione à ſe realiter diſtincta, tanquam ratione formali: ergo forma nō informat materiam media vnione realiter diſtincta, vt exercitio, & cauſalitate. Minor, in qua ſtat difficultas, probatur. Anima non vivificat corpus modo vnionis tanquā ratione formali; ſed ſe ipſa,

nec

nec albedo dealbat parietatem formaliter modo vnionis; nec tandem Perſona Verbi Divini ſanctificat humanitatem Chriſti D. per vnionem à ſe diſtinctam, vt per rationem formalē, ſed immediatè ſe ipſa: ergo forma non informat media vnione à ſe realiter diſtincta, vt exercitio, & cauſalitate.

14 Si reſpondeas, vionē realiter diſtinctā à forma non eſſe rationem formalem, qua forma informat, eſſe tamen conditionem, ſine qua forma non informat.

15 Contra primo: ergo forma informat ſe ipſa immediatione, nedum partis, & formæ, ſed exercicij, & cauſalitatis: patet cōſeq. quia cauſalitas eſt ratio formalis per quā forma informat: ergo ſi nō mediat vnio realiter diſtincta à forma per modū rationis formalis, qua forma informat, forma informat ſe ipſa immediatè immediatione cauſalitatis. Tūc ſic: informatio eſt formaliter vnio formę cū materia: ergo ſi forma informat indepēdenter à modo realiter ſuperadito, vt à ratione formali, vnitur materiæ indepēdenter à modo ſuperaddito, vt à ratione formali. *Secundo*. Sicut forma eſt indifferēs, vt ſit, vel non ſit vnita, & poteſt exiſtere ſine actuali vnione, ita eſt indifferēs, vt informet, vel non imformet, & poteſt exiſtere ſine actuali informatione; ſed hoc nō obſtāte, poteſt forma informare ſe ipſa immediatè immediatione partis, & exercitij, poſita; ſivè connotata vnione realiter diſtincta à forma: ergo hac ratione, quæ eſt Achilles contrariæ ſententiæ, nō obſtante, poterit forma vniri ſeipſa immediatè per modum partis, & exercitij connotata applicatione agētis, & immutatione materiæ realiter diſtinctæ à forma.

16 Secundo prob. concl. Per id formaliter vniuntur materia, & forma, quo formaliter eſt vnū cōpoſitū ſubſtātiale; ſed cōpoſitū ſubſtantiale non eſt vnum formaliter pēr modū vnionis realiter diſtinctum ab extremis: ergo materia, & forma nō vniuntur formaliter per modum vnionis realiter diſtinctum ab extremis. Maior eſt certa: *Tùm*, quia forma conſtitutiva vnius eſt vnio. *Tùm* quia per id formaliter cōpoſitum eſt vnum, per quod extremá ſunt indiviſa; ſed ſunt indiviſa formaliter per vnionē: ergo. Mino vero prob. Per id formaliter cōpoſitum ſubſtantiale eſt vnū, per quòd formaliter eſt ens; vnitas enim eſt paſsio, quæ ſola ratione diſtinguitur ab ente; ſed compoſitum ſubſtantiale non eſt ens formaliter per modum vnionis realiter diſtinctū ab extremis: ergo non eſt formaliter vnū per modū vnionis realiter diſtinctum ab extremis. Prob. min. Si homo, v. g. eſſet formaliter ens per modum vnionis,

homo pro formali nō eſſet quid entitativum, ſed quid modale, ſicut album pro formali non eſt ſubſtantia, ſed accidens, quia eſt tale formaliter per formam accidentalem; atqui homo pro formali non eſt quid modale, ſed eſt quid entitativum, vt de ſe patet: ergo homo non eſt formaliter ens per modum vnionis.

17 Vrgetur: homo non eſt homo per modum vnionis, vt per rationem formalem, ſed eius vniverſa conſtitutiva ſunt corpus, & anima: ergo non eſt vnus homo per modum vnionis, vt per rationem formalem, anteced. prob. *Tum* ex diffinitione phyſica hominis, nimirum, *compoſitus ex corpore, & anima rationali*, in qua modi vnionis nulla fit mentio, cum tamen deberet exprimi ſi ipſa eſſet ratio formalis ponens in numero cum extremis, eſſetque tertia res diſtincta ab eis: *Tum* quia in ſymbolo D. Athanaſij inter hominis conſtitutiva ſola materia, & forma recenſentur, ibi: *Perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens*: quaſi nihil vltra carnem, & animam ad hominis integritatem deſideretur, ſed deſideratur ad integritatem hominis vniri corpus, & animam: ergo vniri corpus, & animam nihil realiter diſtinctum addit ſupra corpus, & animam.

18 Rurſus, id quod eſt vnus homo, identificat ſecum vnionem: homo quippe eſt vnus formaliter per vnionem, ſed anima rationalis, & caro eſt vnus homo, iuxta illud præcitati ſymboli: *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus*: ergo anima rationalis, & caro ſecum identificant vnionem.

19 Tertio: in compoſito ſubſtantiali non datur duplex modus vnionis diſtinctus realiter ab extremis, nec vnus tantum: ergo nullus datur modus vnionis realiter diſtinctus ab extremis. Ant. quoad primam partem prob. Quia per vnionē, qua materia vnitur formæ forma vnitur materiæ: ergo præter vnionem; qua materia vnitur formæ, non datur vnio formæ cum materia: prob. ant. idem eſt realiter, materiam vniri formæ, & formam vniri materiæ, cum intelligi non poſsit vnio, quin ſit vinculum duorum: ergo per vnionem materiæ cum forma vnitur forma materiæ.

20 Si dicas: per vnionem materiæ cum forma vniri formam materiæ terminative, non tamen ſubiective, eſſeque proinde neceſſariam alteram vnionem, vt forma ſubiective poſsit vniri materiæ.

21 Contra: formam vniri materiæ ſubiective, vel (quod in idē coincidit) formam eſſe ſubiectum vnionis ad hoc eſſet neceſſarium, vt forma intrinſece vniretur cum materia, ſed vt for-

forma vniatur intrinſecè cum materia minimè requiritur, quod forma ſit ſubiectum vnionis: ergo quod forma ſit ſubiectum vnionis, non eſt neceſſarium: prob. min. vnio intrinſeca materiæ cum forma eſt vnio intrinſeca formæ cum materia: nã percipi non poteſt, materiam vniri intrinſecè formę, quin eo ipſo intelligatur, formam intrinſecè vniri materiæ, at vt materia intrinſecè vniatur formæ, non requiritur, quod formã ſit ſubiectum vnionis, ſed ſufficit, quod illius ſubiectum ſit materia: ergo vt forma vniatur intrinſecè cum materia, non requiritur, quod forma ſit ſubiectum vnionis.

22 Secunda pars antecedentis, quod ſcilicèt modus vnionis, ſi daretur, non eſſet vnicus, probatur, primo, quia vnio debet recipi immediatè in materia, & forma; ſed eadem vnio in materia, & forma recipi non poteſt immediatè: ergo vnio non eſſet vna, ſed duplex, altera recepta in materia, altera recepta in forma: Minor videtur certa: *Tùm*, quia forma per receptionem in ſubiecto determinatur ad illud, ita vt non poſsit eſſe in altero: vnde albedo recepta in vno ſubiecto non poteſt eſſe recepta ſimul in altero, nec poſſunt vnicam relationem duo ſubiecta recipere ita, vt per eam inuicem referantur: ergo modus vnionis nequit immediatè recipi in materia, & forma: addidimus *immediatè*, quia accidentia materialia recipi in materia mediante forma, minimè dubitamus: maior vero prob. vnio debet recipi immediatè in ſubiecto, quod intrinſecè determinat perficit, & complet; ſed tã materiam, quã formam vnio intrinſecè determinat, perficit & complet: ergo debet recipi in materia, & forma. Minor eſt certa: quia tàm materia, quàm forma ex ſe ſunt indifferens, & in potẽtia ad vnionem, & per illam acquirunt ſtatum meliorem, ſibique connaturalem: mai. vero prob. Nam ſubſiſtentia ideo recipitur in natura, quia eam intrinſece determinat, & complet.

23 Si dicas, non ideo recipi in natura ſubſiſtẽtiã, quia complet illam, ſed quia producitur de facto per eductionem, quæ eſt receptio ſubſiſtentiæ.

24 Contra: ſubſiſtentia educitur defacto, quia petit educi ex natura; ſed ideò petit educi ex natura, quia eſt illius intrinſecum complementum: ergo quia eſt intrinſecum complemẽtum naturæ educitur de facto ex illa: ac ſubinde, quia complementum eſt intrinſecum naturæ, recipitur in natura.

25 Quarto. Si vnio eſſet diſtincta ab extremis, vnio formæ cum materia eſſet receptio ipſius in materia, ſed receptio formæ in materia in ſenten-

tia ſit conſequens negationem cum entitate negata non poſſe identificari.

Ad confirm.ſimiliter concedo conſeq. ex quo propter rationem dictam non ſequitur, negationem, & entitatem negatam mutuo identificari. Poſset etiam negari carentiam diſtingui, proprie ſumpta diſtinctione, à re negata, licèt res negata diſtinguatur à negatione: quia diſtingui, cum ſit verbum affirmativum, non ſolum negat, ſed ponit aliquid; ac ſubinde ſignificat, id quod diſtinguitur, nedum non eſſe alterū, ſed eſſe aliquid, quod non eſt alterum, & quidem res negata eſt aliquid, quod non eſt negatio, quo circa diſtinguitur realiter à negatione: negatio vero nō eſt aliquid, quod non eſt res negata, cum negatio non ſit aliquid; vnde non diſtinguitur realiter à negata: ex quo non licèt inferre, negationem eſſe idem cum re negata, quia quod nihil eſt, nec eſt idem, nec diſtinctum: nullius enim entis nullæ ſunt qualitates.

47 Obijc. 2. Hæ propoſitiones: *Petrus exiſtit*, *Petrus non exiſtit*; ſunt contradictoriæ: ergo negativa exprimit carentiam Petri identificatam cum Petro. Prob. conſeq. Si negativa exprimeret carentiam non idētificatam cum Petro, propoſitiones illæ non eſſent contradictoriæ, quia non eſſent circa idem obiectum, nec reſpicerent eandem entitatem, quod iuxta Ariſt. requiritur ad oppoſitionē contrrdictoriam.

Confirm. 1. Implicat cognitio, quæ ad aliquam entitatē non terminetur; ſed hæc cognitio, *Petrus non exiſtit*, non terminatur ad aliam entitatem diſtinctam ab entitate Petri: ergo terminatur ad entitatem Petri; ſed terminatur ad illius carentiam: ergo carentia Petri eſt entitas Petri.

Confirm. 2. De eadem entitate, de qua verificatur eſſe, quando exiſtit, verificatur non eſſe, quando non exiſtit: ergo non eſſe identificatur cum entitate eadem, cum qua identificatur eſſe.

Reſpond. quod propoſitiones illæ ſunt contradictoriæ, ex quo ſolum ſequitur, quod ſint eiuſdem de eodem, id eſt, eiuſdem prædicati de eodē ſubiecto, non tamen requiritur, quod quidquid repræſentat negativa, ſit idem cum eo, quod repræſentat affirmativa: nam negativa repræſentat non eſſe, quod identificari nequit cum eſſe, quod repræſentat affirmativa.

Ad 1. confir. reſpond. quod omnis cognitio debet terminari directe, & primario ad aliquam entitatem; ſed ſecundario, & indirectè terminari poteſt ad carentiam entitatis: vnde etiam ſi carentia Petri entitas Petri non ſit, poteſt cogni-

nitio ad illam terminati.

Ad 2. confir. reſp. conceſſo antecedenti neg. conſeq. & inſtatur in carentia albi: nam de eodem Petro, de quo verificatur eſſe album, quando eſt albus, verificatur non eſſe album quando non eſt albus; & tamen non eſſe album non identificatur cum Petro: in propoſitionibus enim affimativis identificatur prædicatum cum ſubiecto: in negativis vero prædicatum, aut non eſſe prædicati non identificatur cum ſubiecto.

48 Dices. In propoſitione negativa vera prædicatum diſtinguitur à ſubiecto: ergo nō eſſe prædicati identificatur cum ſubiecto. Prob. conſeq. Nam ſubiectum eſt, vel non eſt prædicatum; ergo identificat prædicatum, vel non eſſe prædicati: ergo ſi non identificat prædicatum, identificat non eſſe illius. *Explicatur*: Vbi prædicatū identificatur cum ſubiecto, non eſſe prædicati diſtinguitur à ſubiecto: ergo vbi prædicatum diſtinguitur à ſubiecto, non eſſe prædicati identificatur cum ſubiecto.

Reſpond. quod in propoſitione negativa vera ſubiectum nec identificat prædicatum, nec non eſſe prædicati, quia in ea ſolum denotatur, quod ſubiecto non convenit prædicatum; vt autem prædicatum ſubiecto non conveniat, non requiritur, quod illi aliquid conveniat; vnde non requiritur, quod cum eo identificetur non eſſe prædicati, chymæra enim non eſt homo à parte rei, & tamen cum chymæra, nec homo, nec non eſſe hominis identificatur realiter: quia cum chymæram exiſtere repugnet, nihil poteſt cum ea realiter idētificari. *Ad explicationem* reſp. neg. conſeq. quia, ſivè prædicatum identificetur, ſivè diſtinguatur à ſubiecto, carentia illius identificari nequit cum ſubiecto, eo quod carentia nihil eſt, & aliquid cum nihilo nequit identificari.

49 Obijcies 3. A parte rei, & ex parte obiecti datur cōtradictio: ergo dantur à parte rei extrema oppoſita contradictoriæ; ſed vnum extremum eſt non eſſe: ergo à parte rei datur non eſſe. Cætera patent, & prima conſeq. prob. Quia contradictio nihil eſt aliud, quam extrema contradictoriè oppoſita: ergo ſi à parte rei datur cōtradictio, dantur à parte rei extrema oppoſita contradictorie.

Reſp. quod contradictio adæquate ſumpta non datur à parte rei ſumpto ly *datur* proprie, pro eo quod exiſtit, ſed datur proprie ex parte extremi poſitivi, & proprie, ſeu æquivalenter ex parte alterius extremi; vnde idem eſt dicere, dantur extrema coctradictoriè oppoſita, ac datur repugnantia in eo, quod res ſit, & non ſit.

§. IV.

Sententia noſtra proponitur, & probatur.

50 V*Nica concluſ. Carentiæ rerum conſiſtunt præciſè in non eſſe rei negatæ, quod ex parte obiecti eſt omninò nihil, licèt ex modo concipiendi ſit, & ſignificetur, vt aliquid.* Ita D. Thom. 4. meth. lect. 1. & 2. quæſt. 21. de Veritate art. 1. & q. 1. de Malo artic. 1. ad vltimum, & paſsim alibi, Soncinas, Scotus, Fonſeca, Izquierdo, Spinula, & alij, quam plurimi.

51 Prob. 1. ex D. Aug. de Geneſ. ad lit cap. 5. dicente: non enim Deum feciſſe tenebras dictum eſt, quoniam ſpecies ipſas Deus fecit, non privationes, quæ ad nihilum pertinent, & Soliloq. cap. 3. *Mors eſt imò non eſt mors, quia nihil eſt mors*; ſed mors eſt carentia vitæ: ergo carentia vitæ nihil eſt. Idèm habetur ex D. Dionyſio lib. de Divinis nominibus cap. 4. dicente: *Carentiam rerum numquam, neque fuiſſe, nec eſſe, nec eſſe poſſe*: ergo carentiæ rerum ſunt purum nihil.

62 2. Prob. concluſ. ratione. Carentiæ rerum non cõſiſtunt in aliquo poſitivo, nec in aliquo negativo à parte rei exiſtente, vt probatum eſt: ergo in nihilo conſiſtunt.

3. Carentia rei eſt formale contradictorium rei; ſed formale contradictorium rei eſt purum non eſſe rei: ergo carentia rei eſt purum non eſſe rei. Prob. min. Contradictoria ſunt circa idem; ſed ſi contradictorium rei non eſſet purum non eſſe rei, non eſſent circa idem: ergo contradictorium rei eſt purum non eſſe rei. Prob. min. Si contradictorium rei non eſſet purum non eſſe rei, vnum contradictorium eſſet hoc, & alterum contradictorium eſſet illud: ergo non eſſent circa idem.

4. Carentia lucis v.g. conſiſtit in eo, quod verificat hanc propoſitionem, *non eſt lux*; ſed hanc propoſitionem verificat purum non eſſe lucis: ergo carentia lucis conſiſtit in ſolo non eſſe lucis. Prob. min. Quia omne aliud diſtinctum à non eſſe lucis impertinens eſt ad verificandum prædictam propoſitionem: ergo verificat illam purum non eſſe lucis.

53 Obijcies 1. Quod eſt minus nihil, quam chymæra, non eſt purum nihil; ſed Petrum non exiſtere eſt minus nihil quam chymæra: ergo non eſt purum nihil. Mai. eſt certa, & prob. min. Quod non repugnat, eſt minus nihil, quam id, quod omninò repugnat; ſed non exiſtere Petrum non repugnat, repugnat autem chymæra: ergo Petrum non exiſ-

te-

tere eſt minus nihil, quam chymæra.

Neg. min. ad prob. reſp. diſt. mai. Quod nō repugnat exiſtere eſt minus nihil, quā id, quod penitus repugnat, concedo maior. Quod alio modo non repugnat, neg. mai. Igitur non exiſtere Petrum repugnat exiſtere, non minus, ac repugnat exiſtere chymæram: cæterum quia non repugnat, non exiſtere Petrum, & hoc eſt æquivalenter, & improprie non repugnare, quod non exiſtere Petrum exiſtat, id circo Petrum non exiſtere eſt aliquid fundamentaliter, ideſt, occaſio, vt intellectus concipiat prædictum non exiſtere, ac ſi eſſet aliquid revera potens exiſtere.

54 Obijcies 2. Hęc cognitio, *Petrus non exiſtit*, non repræſentat ſolum Petrum, aut ſolam exiſtentiam Petri, ſed pręter hæc repræſentat non eſſe Petri: ergo non eſſe Petri, vt diſtinctum à Petro, repræſentatur per prædictam cognitionem: ergo eſt aliquid poſsitivum, aut negativum. Patet conſeq. Quia quod nihil eſt, non eſt repræſentabile. *Tùm*, quia repræſentatio, alicuius eſt repræſentatio. *Tùm*, quia nullius entis nullæ ſunt qualitates, ac per conſeq. quod non eſt, non eſt repræſentabile.

Confirm. Repræſentare, quod Petrus non exiſtit, non eſt non repræſentare, quod Petrus exiſtit: ergo eſt repræſentare poſitivè non eſſe Petri: ergo non eſſe Petri eſt aliquid potens repræſentari. Patet cōſeq. Nam repræſentabilitas eſt paſsio entis, ſicut eſt paſsio entis cognoſcibilitas.

Reſpond. diſt. conſeq. repræſentatur non eſſe ſignate, & vt res quædam, neg. conſeq. exercite, & vt remotio rei, nimirum cognoſcendo rem non eſſe, cōcedo conſeq. Quod autem hoc modo repræſentatur, non requiritur, quod ſit aliquid à parte rei poſitivum, vel negativum, ſed ſufficit, quod à parte rei non detur eſſe alterius, & quod intellectui præbeat occaſionem, vt illud concipiat, ac ſi eſſet aliquid.

Ad confirm. reſp. non eſſe Petri repræſentari; non modo poſitivo, & affirmativo, ideſt, non ponendo, & affirmando, aliquod eſſe, ſed modo negativo, hoc eſt, negando, & removēdo illud: cum ergo obiectum, & repræſentatio debeant conformari, ſicut obiectum cognitionis modo affirmativo repræſētantis debet eſſe aliquid, quia prædicta cognitio affirmat aliquid, ita obiectum cognitionis modo negativo repræſentantis debet non eſſe aliquid, ſed nihil, quia prædicta negatio nihil affirmat, ſed negat aliquid: cum vero dicitur, quod cognoſcibilitas eſt paſsio entis. *Reſpond.* cognoſcibilitatem primariam, & di-

directam eſſe paſsionem entis, ſecundariam vero, & indirectam non eſſe paſsionem entis, & hoc pacto cognoſcuntur negationes, indirectè, ſcilicèt, & ſecundario, quatenus intellectus, cui per ſpeciem non repræſẽtatur forma in ſubiecto, iudicat ſubiectum illud formam non habere.

55 Obijcies 3. Petrum non exiſtere diſtinguitur ab eo, quod eſt Paulum non exiſtere: ergo Petrum non exiſtere non eſt purum nihil. Antec. eſt certum: quia poteſt vnum ab altero ſeparari, & conſeq. prob. *Tùm*, quia actus eſt, qui diſtinguit; ſed purum nihil nullum habet actum: ergo ſi Petrum exiſtere diſtinguitur ab eo, quod eſt Paulum non exiſtere, Petrum non exiſtere non eſt purum nihil. *Tùm*, quia vnum diſtingui ab altero eſt vnum eſſe, vel habere aliquid, quod eſt, vel non habet alterum; ſed purum nihil nihil eſt, aut nihil habet, quod alterum non ſit, aut habeat: ergo.

Reſpond. quod privatio eſt carentia alicuius, vt tenebræ lucis, cæcitas viſus; vnde licèt pro recto ſint nihil, ex parte obliqui connotant aliquid: diſtinguũtur ergo, vel identificantur carentiæ ratione obliqui, quod connotant, non vero recti in quo formaliter conſiſtunt: vnde cæcitas, & tenebræ diſtinguntur, quia cæcitas eſt non eſſe viſus, & tenebræ ſunt non eſſe lucis; lux autem, & viſus diſtinguntur, ſicut non eſſe hominem, & non eſſe animal rationale identificantur, quia homo, & animal, rationale idẽtificantur.

ARTIC. II.

Vtrùm in materia ſit vna tantum privatio?

56 DE privatione poſſumus loqui, vel vt eſt à parte rei, vel vt à nobis concipitur; primo modo accepta privatio nec eſt vna, nec plures ex parte recti; eſt autẽ multiplex ex parte obliqui. Si vero ſecundo modo conſideretur privatio, tot ſunt in materia privationes, quot ſunt formæ, quas non habet, & habere poteſt materia.

57 Prima pars huius aſſerti patet ex nuper dictis: nam privatio pro recto nihil eſt: ergo nec eſt vna, nec eſt multiplex vnum quippe; eſt paſsio entis, & multitudo plures vnitates, pluresque proinde petit entitates: ex parte vero obliqui plures dari in materia privationes, eſt preſpicuũ, quia privatio in obliquo importat formam negatam, eſt enim carẽtia formæ; ſed formæ, quarum datur carentia in materia, ſunt plures: ergo privatio in materia eſt mul-

multiplex ex parte obliqui.

58 Secunda vero pars prob. 1. Tot ſunt privationes ex noſtro modo concipiendi, quot ſunt abſentiæ formarum; ſed abſentiæ formarum ſunt plures: ergo privationes ex modo concipiendi ſunt plures. Prob. min. Tot ſunt abſentiæ formarum à materia, quot ſunt præſentiæ, vel inhærentiæ earum in materia; ſed præſentiæ, aut inhærentiæ ſunt plures: ergo, & abſentiæ ſunt plures.

2. Adveniente materiæ forma ignis, aufertur ab ea privatio formæ ignis, & manet in ea privatio aliarum formarum: ergo privatio formæ ignis eſt diſtincta à privatione aliarum formarum.

3. In aëre diſtinguntur tenebræ, & ſilentium; non alia ratione, niſi quia illæ ſunt carentia lucis; ſilentium vero carentia vocis, aut ſonitus: ergo tot ſunt privationes, quod ſunt formæ oppoſitæ.

4. Peccata ſaltim omiſsionis conſiſtunt in privatione; ſed multiplicantur peccata, ita vt ſint tot numero, quot ſunt actus debiti, & omiſsi: ergo privationes multiplicantur, ita; vt ſint tot numero, quot ſunt formæ oppoſitæ.

59 Obijcies 1. In materia datur vnica potentia, & aptitudo ad omnes formas, quas poteſt recipere: ergo, & vnica privatio reſpectu omnium formarum, quas recipere poteſt, & non recipit.

Reſpond. neg. conſeq. quia poſſe vnum eſt poſſe alterum, ſi in vno, & altero ſit ſimilis ratio obiectiva; cæterum non eſſe vnius non eſt non eſſe alterius, etiam ſi inter vtrumque ſit maxima ſimilitudo: quo circa, licèt vna potẽtia ad plura poſsit extendi, vna privatio plurium formarum non poteſt eſſe carẽtia.

60 Obijcies 2. Plura accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto; ſed privationes formarũ, maximè earum, quę ſolo numero diſtinguntur, ſunt quaſi accidentia ſolo numero diſtincta: ergo plures privationes nõ ſunt in eadem materia.

Reſp. quod accidentia poſitiva individuantur à ſubiecto, & ideò non poſſunt eſſe in eodem plura numero diſtincta; accidentia vero privativa, & remotiva non individuantur à ſubiecto, ſed à forma, quam removent; ac proinde plura ſolo numero diſtincta in eodem ſubiecto reperiri non inconvenit. Ratio huius eſt, quia individuatio formæ poſitivę conſiſtit in eo, quod forma ſit hæc, & non alia; cum autem formam eſſe hanc, & non aliam provenire nequeat ex eſſentia ipſius formæ, aliàs forma eſſet eſſentialiter individua, fit conſeq. provenire à ſubiecto,

to, ac per cõſeq. oriri ab eo formæ individuationem: cæterum individuatio carentiæ conſiſtit in eo quod ſit nõ eſſe huius formæ, potius, quam alterius; hoc autem non provenit carentiæ ex hoc, quod ſit in hoc ſubiecto; nam in hoc ſubiecto, ſcilicèt, materia, ſimul datur carentia huius, & alterius: debet ergo provenire ex forma, cuius eſt carentia; quia videlicèt forma cuius eſt carentia eſt hæc, & nõ altera: non ergo ſumitur individuatio carentiæ à ſubiecto, ac per conſeq. carẽtias ſolo numero diſtinctas in eadem materia reperiri non repugnat.

QVÆST. VI.

De Compoſito.

EX partibus phyſicis reſultat totum media vnione, id circo examinata natura partium, progredimur ad inquirendum, in quo conſiſtat, tum earum vnio, tum totum conſurgens ex eis.

ARTIC. I.

Vtrùm vnio materiæ, & formæ ſit realiter diſtincta ab eis?

1 MAgnum inter Authores diſsidiũ peperit vnio: nã cum ſit certiſsimũ, materiam, & formam intrinſece, & realiter vniri, eſt valde ambiguum, vtrum immediatè ſe ipſis, an potius vinculo realiter ſuperaddito copulentur.

2 Tripliciter accipitur vnio: primo, cauſaliter, pro vt eſt idem, ac vnitio, ſecundo, formaliter, pro eo, quod formaliter nectit extrema, tertio conſequenter pro relatione, qua extrema mutuo comparantur: procedit difficultas de vnione ſũpta formaliter, quæ eſt effectus vnionis cauſaliter accepta, & fundamentum vnionis ſumptæ relativè.

3 Sententiæ affirmanti, vnionem eſſe modum ſubſtantialem realiter ſuperadditum extremis, quo veluti vinculo copulantur, ſubſcribunt plurimi ex extraneis, & ex noſtris Illuſt. Godov, Araũjo, Herrera, nec non PP. Carmelit. Negativam tenent Caiet. Ferrara, Capreolus, Flandria, Conimbricenſes, Valentia, Lerma, Parra, Ioannes à S. Th. Maillat. Arnu, & frequentius Thomiſtæ.

§ I.

Vnica Concluſio.

4 *VNio materiæ, & formæ in compoſito ſubſtantiali non diſtinguitur realiter ab extremis vnitis: ac proinde materia, & forma immediate ſe ipſis, nullo ve nexu reali-*

liter ei ſuperaddito vniuntur, & conſtituant compoſitum ſubſtantiale.

5 Favet revera nobis D.Thom. ſi eius verba ſincere perpendantur: nam 2. contra gent. cap. 71. ait: *Forma vnitur materiæ abſque omnis medio: per ſe enim competit formæ, quod ſit actus corporis, & non per aliquid aliud: vnde nec eſt aliquid aliud faciens vnum ex materia, & forma, niſi agens, quod potentiam reducit ad actum, vt probat Ariſt. 8. Metaphyſic. nam materia, & forma ſe habent, vt potentia, & actus:* Idem repetit 1.p.q.76.art.7.& 8.& 1.2. q.110.art.1.ad 2.

6 Nec dicas D.Th. non excludere medium inter materiam, & formam, quod ſit purus nexus, & intercedat, vt ratio vniendi præciſſe; ſed medium quod ſit extremum vniens, vel aliud munus præſtet, quam vnire.

7 Nam contra eſt *primo.* D.Th. vniverſaliſsime excludit omne medium dicens: *Forma vnitur materiæ abſque omni medio*; ſed medium per modum puri nexus eſt aliquod medium: ergo negat medium etiam per modum puri nexus. *Secundo* Ad excludit D. Thom. medium, quod expreſſe non conceſsit, ſed non conceſsit expreſſe medium per modum puri nexus: ergo excludit illud: Prob. mai. Excludit medium, quod putavit non dari; ſed medium, quod in prædicto loco non docuit expreſſe, putavit non dari, nam diſputans, qualiter materia, & forma vniantur, diminute proceſſiſſet, ſi putaret dari medium per modum puri nexus, & illius non meminiſſet: ergo.

8 Tertio, nam inter naturam humanam, & perſonam divinam non agnovit S. Doct. vnionem realiter diſtinctam: ergo nec illam putavit dari inter materiam & formam. Antecedens prob. Nam in 3. ad Annibald. diſt. 5. art. 3. enumerans modos, quibus vnio poteſt accipi, ait, illam tripliciter ſumi poſſe nempe, prout eſt idem, ac vnitio, prout eſt paſsio, & prout eſt relatio: ergo inter naturam humanam, & divinam perſonam non agnovit S. D. vnionem realiter diſtinctam. Patet conſeq. Nam qui enumerans vnionis acceptiones refert tres, & non plures, profecto plures non agnovit.

9 Dices, quod licet D. Thom. non expreſſerit modum vnionis inter Verbum, & humanitatem, ex eius tamen verbis colligitur à priori, & à poſteriori: à priori, quia meminit vnionis active, & paſsive ſumptæ, & hæc non ſtat abſque modo veniente per illas cauſato: à poſteriori, quia meminit vnionis ſumptæ relative, & relatio non ſtat ſine mutatione humanitatis per aliquid realiter ei ſuperadditum.

10 Sed contra: nam quis credat, D. Thom. explicantem diſſertis verbis vnionem, & illius varias acceptiones expræſiſſe reliquas adhuc improprias (actio quippe, paſsio, & relatio improprie, & cum addito ſunt vnio) propriam vero acceptionē implicite tantum, & quaſi à longè indicaſſe, cum potius agēs ex profeſſo de vnione debuiſſet clariſsime, per otiumque proferre id, in quo formaliter, & conſtitutivè vnio conſiſtit, prætermiſsis, aut curſim, ſivè implicite, indicatis alijs, quæ antecedēter, vel ex conſequenti conferunt ad vnionem: Satis decurreret extra metam, qui aggrediēs explicare naturam hominis, totus incumberet inquirendo, qualiter generetur, aut ad alios cōparetur, immemor, prædicatorum, quibus formaliter homo conſtituitur: ergo ſi D. Th. non expreſsit vnionem realiter diſtinctam, in qua (ſi daretur) vnio proprie ſumpta conſiſteret, ideò eſt, quia prædictam vnionem realiter diſtinctam ab extremis non agnovit.

11 Rationibus prob. noſtra concluſio: primo ſic. Forma ſubſtantialis immediatè vnitur materiæ primæ: ergo materia, & forma in compoſito ſubſtātiali nō vniuntur medio nexu realiter diſtincto ab illis: Prob. ant. Forma ſubſtantialis ſe ipſa informat materiam: ergo immediatè vnitur materiæ. Prob. ant. Se ipſa dat eſſe materiæ, cum per ſe ipſam, & non per aliquid à ſe diſtinctum ſit actus: ergo ſe ipſa informat materiam.

12 Reſpondebis, quod forma ſubſtantialis vnitur, & informat materiā immediatè immediatione partis, nō in mediatione exercitij, & cauſalitatis: quia licèt forma, vt informet materiam, nō indigeat medio, quod ſit pars vnibilis materiæ, indiget medio, quod ſit exercitium vnionis cum materia: vnde inter formam, & materiā nihil mediat, quod ſit pars componens totum; mediat tamen modus, qui non eſt pars, ſed purum exercitium, quo materia, & forma vniuntur.

13 Contra. Forma non informat materiam media vnione realiter à ſe diſtincta, vt exercitio, & cauſalitate: ergo informat materiam immediatè immediatione partis, & exercitij. Prob. ant. Cauſalitatis formæ eſt id, quo tanquam ratione formali forma informat, ſicut cauſalitas efficientis eſt id, quo tamquam ratione formali agēs agit; ſed forma non informat media vnione à ſe realiter diſtincta, tanquam ratione formali: ergo forma nō informat materiam media vnione realiter diſtincta, vt exercitio, & cauſalitate. Minor, in qua ſtat difficultas, probatur. Anima non vivificat corpus modo vnionis tanquā ratione formali; ſed ſe ipſa,

nec

nec albedo dealbat parietatem formaliter modo vnionis; nec tandem Perſona Verbi Divini ſanctificat humanitatem Chriſti D. per vnionem à ſe diſtinctam, vt per rationem formalē, ſed immediatè ſe ipſa: ergo forma non informat media vnione à ſe realiter diſtincta, vt exercitio, & cauſalitate.

14 Si reſpondeas, vionē realiter diſtinctā à forma non eſſe rationem formalem, qua forma informat, eſſe tamen conditionem, ſine qua forma non informat.

15 Contra primo: ergo forma informat ſe ipſa immediatione, nedum partis, & formæ, ſed exercicij, & cauſalitatis: patet cōſeq. quia cauſalitas eſt ratio formalis per quā forma informat: ergo ſi nō mediat vnio realiter diſtincta à forma per modū rationis formalis, qua forma informat, forma informat ſe ipſa immediatè immediatione cauſalitatis. Tūc ſic: informatio eſt formaliter vnio formę cū materia: ergo ſi forma informat independenter à modo realiter ſuperadito, vt à ratione formali, vnitur materiæ indepēdenter à modo ſuperaddito, vt à ratione formali. *Secundo.* Sicut forma eſt indifferēs, vt ſit, vel non ſit vnita, & poteſt exiſtere ſine actuali vnione, ita eſt indifferēs, vt informet, vel non imformet, & poteſt exiſtere ſine actuali informatione; ſed hoc nō obſtāte, poteſt forma informare ſe ipſa immediatè immediatione partis, & exercitij, poſita; ſivè connotata vnione realiter diſtincta à forma: ergo hac ratione, quæ eſt Achilles contrariæ ſententiæ, nō obſtante, poterit forma vniri ſeipſa immediatè per modum partis, & exercitij connotata applicatione agētis, & immutatione materiæ realiter diſtinctæ à forma.

16 Secundo prob. concl. Per id formaliter vniuntur materia, & forma, quo formaliter eſt vnū cōpoſitū ſubſtātiale; ſed cōpoſitū ſubſtantiale non eſt vnum formaliter per modū vnionis realiter diſtinctum ab extremis: ergo materia, & forma nō vniuntur formaliter per modum vnionis realiter diſtinctum ab extremis. Maior eſt certa: *Tùm*, quia forma conſtitutiva vnius eſt vnio. *Tùm* quia per id formaliter cōpoſitum eſt vnum, per quod extrema ſunt indiviſa; ſed ſunt indiviſa formaliter per vnionē: ergo. Mino vero prob. Per id formaliter cōpoſitum ſubſtantiale eſt vnū, per quòd formaliter eſt ens; vnitas enim eſt paſsio, quæ ſola ratione diſtinguitur ab ente; ſed compoſitum ſubſtantiale non eſt ens formaliter per modum vnionis realiter diſtinctū ab extremis: ergo non eſt formaliter vnū per modū vnionis realiter diſtinctum ab extremis. Prob. min. Si homo, v. g. eſſet formaliter ens per modum vnionis, ho-

homo pro formali nō eſſet quid entitativum, ſed quid modale, ſicut album pro formali non eſt ſubſtantia, ſed accidens, quia eſt tale formaliter per formam accidentalem; atqui homo pro formali non eſt quid modale, ſed eſt quid entitativum, vt de ſe patet: ergo homo non eſt formaliter ens per modum vnionis.

17 Vrgetur: homo non eſt homo per modum vnionis, vt per rationem formalem, ſed eius vniverſa conſtitutiva ſunt corpus, & anima: ergo non eſt vnus homo per modum vnionis, vt per rationem formalem, anteced. prob. *Tum* ex diffinitione phyſica hominis, nimirum, *compoſitus ex corpore, & anima rationali*, in qua modi vnionis nulla fit mentio, cum tamen deberet exprimi ſi ipſa eſſet ratio formalis ponens in numero cum extremis, eſſetque tertia res diſtincta ab eis: *Tum* quia in ſymbolo D. Athanaſij inter hominis conſtitutiva ſola materia, & forma recenſentur, ibi: *Perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens*: quaſi nihil vltra carnem, & animam ad hominis integritatem deſideretur, ſed deſideratur ad integritatem hominis vniri corpus, & animam: ergo vniri corpus, & animam nihil realiter diſtinctum addit ſupra corpus, & animam.

18 Rurſus, id quod eſt vnus homo, identificat ſecum vnionem: homo quippe eſt vnus formaliter per vnionem, ſed anima rationalis, & caro eſt vnus homo, iuxta illud præcitati ſymboli: *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus*: ergo anima rationalis, & caro ſecum identificant vnionem.

19 Tertio: in compoſito ſubſtantiali non datur duplex modus vnionis diſtinctus realiter ab extremis, nec vnus tantum: ergo nullus datur modus vnionis realiter diſtinctus ab extremis. Ant. quoad primam partem prob. Quia per vnionē, qua materia vnitur formæ forma vnitur materiæ: ergo præter vnionem; qua materia vnitur formæ, non datur vnio formæ cum materia: prob. ant. idem eſt realiter, materiam vniri formæ, & formam vniri materiæ, cum intelligi non poſsit vnio, quin ſit vinculum duorum: ergo per vnionem materiæ cum forma vnitur forma materiæ.

20 Si dicas: per vnionem materiæ cum forma vniri formam materiæ terminative, non tamen ſubiective, eſſeque proinde neceſſariam alteram vnionem, vt forma ſubiective poſsit vniri materiæ.

21 Contra: formam vniri materiæ ſubiective, vel (quod in idē coincidit) formam eſſe ſubiectum vnionis ad hoc eſſet neceſſarium, vt forma intrinſece vniretur cum materia, ſed vt for-

forma vniatur intrinſecè cum materia minimè requiritur, quod forma ſit ſubiectum vnionis: ergo quod forma ſit ſubiectum vnionis, non eſt neceſſarium: prob. min. vnio intrinſeca materiæ cum forma eſt vnio intrinſeca formæ cum materia: nã percipi non poteſt, materiam vniri intrinſecè formę, quin eo ipſo intelligatur, formam intrinſecè vniri materiæ, at vt materia intrinſecè vniatur formæ, non requiritur, quod forma ſit ſubiectum vnionis, ſed ſufficit, quod illius ſubiectum ſit materia: ergo vt forma vniatur intrinſecè cum materia, non requiritur, quod forma ſit ſubiectum vnionis.

22 Secunda pars antecedentis, quod ſcilicèt modus vnionis, ſi daretur, non eſſet vnicus, probatur, primo, quia vnio debet recipi immediatè in materia, & forma; ſed eadem vnio in materia, & forma recipi non poteſt immediatè: ergo vnio non eſſet vna, ſed duplex, altera recepta in materia; altera recepta in forma: Minor videtur certa: *Tùm*, quia forma per receptionem in ſubiecto determinatur ad illud, ita vt non poſsit eſſe in altero: vnde albedo recepta in vno ſubiecto non poteſt eſſe recepta ſimùl in altero, nec poſſunt vnicam relationem duo ſubiecta recipere ita, vt per eam inuicem referantur: ergo modus vnionis nequit immediatè recipi in materia, & forma: addidimus *immediatè*, quia accidentia materialia recipi in materia mediante forma, minimè dubitamus: maior vero prob. vnio debet recipi immediatè in ſubiecto, quod intrinſecè determinat perficit, & complet; ſed tã materiam, quã formam vnio intrinſecè determinat, perficit & complet: ergo debet recipi in materia, & forma. Minor eſt certa: quia tàm materia, quàm forma ex ſe ſunt indifferens, & in potẽtia ad vnionem, & per illam acquirunt ſtatum meliorem, ſibique connaturalem: mai. vero prob. Nam ſubſiſtentia ideo recipitur in natura, quia eam intrinſece determinat, & complet.

23 Si dicas, non ideo recipi in natura ſubſiſtẽtiã, quia complet illam, ſed quia producitur de facto per eductionem, quæ eſt receptio ſubſiſtentiæ.

24 Contra: ſubſiſtentia educitur defacto, quia petit educi ex natura; ſed ideò petit educi ex natura, quia eſt illius intrinſecum complementum: ergo quia eſt intrinſecum complemẽtum naturæ educitur de facto ex illa: ac ſubinde, quia complementum eſt intrinſecum naturæ, recipitur in natura.

25 Quarto. Si vnio eſſet diſtincta ab extremis, vnio formæ cum materia eſſet receptio ipſius in materia, ſed receptio formæ in materia in ſenten-

tia plurium ex contrarijs eſt accidens, eſt enim receptio (inquiunt) ipſamet actio eductiva formæ ſe ipſa dependens à materia: ergo vnio formæ cum materia eſſet accidens; ac proinde compoſitum ex materia, & forma non eſſet ſubſtantiale, vtpote conſtans ex partibus vnitis accidentaliter, quod eſt abſurdum. Mai. vero prob. Forma per receptionem conſtituitur intrinſecè in materia; ſed vnio formæ cum materia nil eſt aliud, quam id per quod forma conſtituitur intrinſecè in materia: ergo vnio formæ cum materia eſt receptio ipſius in materia.

26 Denique prob. concluſio evertendo fundamentum, cui fidit oppoſita ſententia. Sat ſeparatio realis non mutua abſque intrinſeca diſtinctione reali inter extrema ſeparationis: ergo ex eo quod materia, & forma poſsint ſeparari non mutuo ab vnione, non inferunt efficacter contrarij, vnionem materiæ, & formę realiter diſtingui. Antecedens probat. Pluribus exemplis, quæ in ſcholis D.Th. frequentius acceptantur. *Sit primum*: exercitium realiter referendi Patrem ad ſecundum filium eſt ſeparabile à relatione paternitatis ipſa perſeverante, vt ſi ſecundus filius pereat permanente primo, & tamen exercitium illud non diſtinguitur realiter à paternitate, qua pater ad primum filium refertur.

27 Si dicas: exercitium referendi Patrem ad ſecundum filium non ſeparari quoad entitatem, ſed ſolum quoad denominationem à paternitate, quia entitatis illius relationis non eſt eſſentiale exercitium referendi ad hunc filium in particulari; ſed exercitium referendi Patrem vagè ad aliquem filium, & propterea permanere entitatem relationis, quia pereunte ſecundo filio perſeverat terminus formalis relationis, nimirum aliquis filius.

28 Contra: ergo ſtat bene, quod formalitas aliqua in diſtincta realiter à ſubiecto ſit illi accidentalis, & id circo ſeparabilis ab eo, quoad denominationem: ergo ſtat bene, quod vnio ſit indiſtincta realiter à materia, & forma, & tamen ſit illis accidentalis, ac proinde ſeparabilis quoad denominationem.

29 Sit *ſecundum* exemplum: quod hæc albedo fundet relationem ſimilitudinis ad aliā, eſt ab illa ſeparabile, vt ſi albedo terminans rationē ſimilitudinis deficiat, & tamē quod hæc albedo fundet prædictam relationem, non eſt aliquid realiter diſtinctum ab illa.

30 *Tertium*, quod actus liber Dei terminetur ad aliquod obiectum eſt ab illo ſeparabile; & tamen terminatio ad illud ob-

obiectum non diſtinguitur realiter ab actu libero Dei.

31 *Quartum.* Verbum Divinum realiter intrinſecè terminare humanitatem eſt ab illo ſeparabile, & tamen prædicta terminato non dicit entitatem intrinſecam à Verbo Divino realiter diſtinctam: ergo ſtat ſeparatio realis non mutua ſine diſtinctione reali inter extrema ſeparationis.

32 *Quintum.* Duratio poteſt ſeparari à re durante; nam poteſt res eſſe, & non durare; & tamen iuxta plures ex contrarijs, duratio non diſtinguitur realiter à re durãte. *Sextum.* Creatio non diſtinguitur realiter à conſervatione, & tamen poteſt ab ea realiter ſeparari. *Denique.* Relatio iuxta adverſarios non diſtinguitur à fundamento realiter, & tamen poteſt ab illo ſeparari. *Quod ſi dicas*: fundamentum, & terminum non poſſe exiſtere ſine relatione, & ideo ab illis non diſtingui, ſed tamen fundamentum poſſe exiſterere ſine relatione; ac per conſequens à ſolo fundamento diſtingui realiter relationem. *Contra*: materia, & forma ſimul cum actione vnitiva nõ poſſunt exiſtere ſine vnione: ergo licèt vnio diſtinguatur à ſola materia, vel à materia, & forma ſeorſim, non tamen à materia, & forma, & actione vnitiva ſimul ſumptis.

§. II.

Fundamentis in contrarium occurritur.

33 PRimo obijcies oppoſitæ ſententiæ præcipuum argumentum. Quæ realiter ſeparantur, realiter diſtinguuntur; ſed vnio ſeparatur realiter à materia, & forma, nam de facto exiſtunt materia; & forma D. Petri, & earum vnio non exiſtit: ergo vnio diſtinguitur realiter à materia, & forma.

34 Argumentum patitur inſtantias proximè adductas, & inſuper reſpondetur, diſting. mai. quæ realiter ſeparantur quoad entitatem, realiter diſtinguuntur, conc. mai. quæ realiter ſeparantur quoad denominationem, neg. mai. & diſt. minor. vnio ſeparatur realiter quoad denominationem à materia, & forma, concedo min. quoad entitatem, nego min. Tota enim entitas vnionis perſeverat modo identificata cum materia, & forma D. Petri; eas tamẽ non denominat vnitas, quia ad hanc denominationem præter entitates materiæ, & formæ, requiritur, vt conditio, & connotatum, actio agentis immutans materiam, defectu cuius materia, & forma D. Petri ab entitate vnionis ſecum identificata non denominantur actu vnitæ-

35 Contra ſolutionem iſtam multiplicitèr inſurgunt adverſarij: primo ſic, denominatio vniti deficit, extremis per ſeverantibus., ſed denominatio vniti eſt realis, denominatio quippè vniti non eſt actus intellectus denominantis extrinſecè vnita; ſed eſt effectus formalis realis ſignificatus hoc nomine *vnitum*: ergo deficiente denominatione vniti, aliquid reale deficit à rerum natura pręter extrema.

36 Secundo modo datur omnis conditio ſufficiens. vt detur vnio quoad entitatem, & non datur conditio ſufficiens vt detur vnio quoad denominationem inter materiam, & formam Divi Petri: ergo vnio quoad denominationem addit aliquid realiter diſtinctum ab vnione quoad entitatem.

37 Tertio: actio vnitiva non eſt conditio neceſſaria, vt dentur in rebus materia, & forma, nec vt detur in rebus ipſa actio vnitiva, cum nihil ſit conditio ad ſe ipſum, ſed ad aliquid à ſe diſtinctum: ergo eſt conditio, vt detur aliquid diſtinctum à materia, & forma, & etiam ab ipſa actione vnitiva: ergo ſi eſt conditio neceſſaria ad vnionem quoad denominationem, vnio quoad denominationem eſt quid diſtinctum adęquatè à materia, & forma, & ab actione vnitiva.

38 Quarto modo datur quid eſt idētificatum cum materia, & forma D. Petri modo nō datur vnio quoad denominationē inter materiam, & formam D. Petri: ergo vnio quoad denominationē inter materiam, & formam D. Petri non identificatur cū materia, & forma ipſius.

39 Quinto: Permanentibus omnibus conſtitutivis rei, non poteſt res ipſa deficere, ſed modo permanent materia, & forma, & non permanet vnio quoad denominationem: ergo vnio quoad denominationē involuit præter, materiam, & formā aliquid intrinſecè conſtituēs illam.

40 Sexto: relationi entitativè ſumptæ eſt eſſentiale exercitiū referēdi. ergo unioni entitativè ſumptæ eſt eſſentiale exercitium vniendi; ſed quia relationi entitativè ſumptæ eſt eſſentiale exercitium referēdi, quando defectu termini deficit hoc exercitiū, deficit nedum denominatio relati; ſed entitas relationis: ergo quia vnioni eſt eſsētiale exercitium vniēdi quando deficit hoc exercitium, deficit nedū denominatio vniti; ſed entitas vnionis.

41 Reſp. diſt. maī. denominatio vniti pro eo, quod dicit in recto, deficit perſeverantibus extremis neg. maī. pro eo quod dicit in obliquo conced. mai. & diſt. min. denominatio vniti eſt effectus formalis realis abſolutus, neg. min. reſpectivus, ſivè connotans obliquum, concedo min.

min. & tandem diſt. conſeq. deficiente denominatione vniri deficit aliquid reale extrinſecum vnioni ex parte obliqui, concedo conſeq. Intrinſecum vnioni ex parte recti neg. conſeq. Vnio ergo quoad denominationem intrinſecè, conſtitutivè, & ex parte recti importat ſolas entitates materiæ, & formæ: extrinſecè vero de connotato, & ex parte obliqui involuit præter entitates materiæ, & formæ actionem vnitivam immutativam materiæ, quo circa cum deficit actio vnitiva, perſeverantibus materia, & forma, deficit vnio quoad denominationem non ex defectu entitatis in recto, ſivè intrinſecè conſtituentis eam; ſed ex defectu obliqui, ſivè extrinſeci connotati.

42 Ad 2. conceſſo anteced. diſt. conſeq. Ergo vnio quoad denominationẽ addit aliquid realiter diſtinctum intrinſecum, & ex parte recti, nego conſeq. Extrinſecum, & ex parte obliqui, conc. conſeq.

43 Ad 3. reſp. Quod actio vnitiva eſt conditio neceſſaria, vt detur in rebus vnio quoad denominationem, non tamen eſt conditio neceſſaria, vt dentur in rebus entitates materiæ, & formæ, nec vt ſit in rebus ipſa actio vnitiva: ſed vt ſit in rebus ex vi actionis vnitivæ forma, & materia; quia poſita actione vnitiva reſultat novus ille effectus nempè eſſe formam in materia, novus, inquam, non novitate entitatis, ſed ſola novitate explicationis.

44 Ad 4. diſt. min. Modo non datur vnio quoad denominationem defectu recti, neg. min. obliqui, concedo min. & diſt. conſequens: ergo unio, quoad denominationem ſecundum id, quod dicit in recto, non identificatur cum materia, & forma, nego conſeq. ſecundum id, quod dicit in recto, & in obliquo, concedo conſeq.

45 Ad 5. reſpond. Quod permanentibus conſtitutivis rei ſecundum id quod dicunt in recto, & in obliquo, nequit res deficere, ſi tamen deficiant conſtitutiua rei ſecundum id, quod dicunt in obliquo, deficit res, licèt permaneant ſecundum id, quod dicunt in recto, quod tunc intelligimus poſſe contingere, cum res, quæ deficit, eſt effectus formalis non primarius, & abſolutus; ſed ſecundarius, & connotatibus, qualis eſt vnio reſpectu materiæ, & formæ, cum ergo conſtitutiva vnionis quoad denominationem ſint materia, & forma ſecundum quod connotant actionem vnitivam deficiet vnio quoad denominationem, ſi deficiat actio vnitiua, etiam ſi mate-

ria,

ria, & forma perſeverent.

46 Ad 6. neg. conſeq. Quia relatio non eſt formalitas abſoluta cum connatione termini, alias non daretur in re relatio, ſed eſt formalitas vera relatio, ſed eſt formalitas realis obiectivè diſtincta ab omni formalitate abſoluta, cui in propria linea aliud munus primarium, & eſſentiale, quam actu referre fundamentum ad terminum, non eſt aſſignabile; in materia verò, & forma non datur aliqua formalitas diſtincta ex propria ratione ab illis, cuius effectus primarius ſit actu vnire, ſed ipſæ entitates materiæ, & formæ, quarum eſſentia conſiſtit in potentialitate pura, & in prima actualitate ſunt vnio, vt connotant actionem vnitivam; quare actu referre eſt denominatio primaria impotens ſeparari à relatione quoad entitatem: vnio vero eſt denominatio potens ab entitatibus materiæ, & formæ ſeparari, vtpotè non primaria, ſed poſterior, & prædictas entitates ſupponens conſtitutas.

47 Inſtas 1. Eſſentia actualis vnionis eſt vnire: ergo actu vnire eſt denominatio eſſentialis impotens ſeparari ab vnione.

48 Inſtas 2. Ex eo probatur diſtinctio realis ſubſiſtentiç à natura, quia in Chriſto D. exiſtit natura humana ſinè propria ſubſiſtentia; ſed materia, & forma exiſtunt ſine vnione: ergo diſtinguuntur realiter ab vnione.

49 3. Exiſtentiam diſtingui realiter ab eſſentia, probatur inter alia ex eo, quod eſſentia contingēter exiſtit; ſed materia, & forma ſunt contingēter vnitæ, ſiquidē poſſunt non eſſe vnitæ: ergo materiam, & formā eſſe vnitas, diſtinguitur realiter à materia, & forma.

50 4. Omne realiter indifferēs determinatur ad actum per formam, vel modum realiter ſuperadditum; ſed materia, & forma ſunt realiter indifferētes ad intrinſecè vniri, & non vniri: ergo determinantur ad actualem vnionem per aliquid intrinſecum realiter eis ſuperadditum. Prob. mai. Ex eo colligimus, eſſe in loco, eſſe in tempore, eſſe album, eſſe agens, & ſimilia eſſe realitates intrinſecas ſuperadditas ſubiecto, quia ſubiectum eſt indifferēs, vt exiſtat cum illis, & ſine illis: ergo omne realiter indifferens determinatur ad actum per formam, vel modum realiter ſuperadditum.

51 Confirm. Formam eſſe in materia, non obſtante indifferentia formæ, vt ſit, vel non ſit in materia, nihil eſt entitativè præter formam, & materiam: ergo pariter poſſemus dicere, quod corpus eſſe in loco nihil eſt entitativè præter corpus, & locum, & cauſam producere effectum nihil eſſe en-

entitativè præter cauſam, & effectum, & vniverſa fere accidētia de novo advenientia poſſemus dicere non eſſe realitates ſuperadditas, ſed præciſsè denominationes, tota mutatione ſe tenente ex parte alicuius connotati: conſequens eſt abſurdum: ergo.

52 5. Eſſe vnitam, & non eſſe vnitam formā ſunt prædicata contradictoria: ergo non poſſunt verificari de eadem omnino forma: ergo dum forma eſt vnita aliquid ei ſuperadditur.

53 Reſp. quod eſſentia actualis vnionis ſumptæ entitativè, & denominativè eſt actu vnire; ceterum eſſentia actualis vnionis ſumptæ entitativè tantum non eſt vnire, ſed eſt ratio puræ potentiæ, & ratio primi actus, ex qua habent materia, & forma, quod poſitis extrinſecis requiſitis, ſe ipſis immediatè poſſint vniri.

54 Ad 2. inſtantiam reſp. Probari diſtinctionem realē ſubſiſtentiæ à natura ex eo, quod natura exiſtit ſine propria ſubſiſtentia ſumpta entitativè; colligimus autem, exiſtere humanam naturā ſine propria ſubſiſtentia ſumpta entitativè, quia credimus, munus propriæ ſubſiſtentiæ ſuppleri in Chriſto per ſubſiſtentiam divinam entitativè diſtinctam à natura humana; munus vero vnionis non videmus ſuppleri per aliquid entitativè diſtinctum ab extremis, quare licèt videamus extrema permanere ſine vnione, non ſequitur, vnionem ab eis realiter diſtingui.

55 Ad 3. reſp. Quod cum accidit ſubiecto denominatio primaria alicuius entitatis, rectè infertur formam, à qua provenit denominatio, realiter diſtingui ab illo. Vnde rectè infertur, exiſtentiam realiter diſtingui ab eſſentia; ex eo, quod exiſtere accidit eſſentiæ, quia exiſtere eſt denominatio primaria entitatis exiſtentiæ: ex eo autem, quod accidat vniri materiæ, & formæ, non ſequitur, vnionem realiter diſtingui à materia, & forma, quia vniri non eſt denominatio primaria entitatis, in qua vnio conſiſtit. Sed cur exiſtere non ſit denominatio ſecundaria potens præſtari ab eſſentia per ſemetipſam, dabimus infra quæſt. ſequenti.

56 Ad 4. reſp. Id quod eſt indifferens ad actum ſumptum entitativè, & denominativè, determinatur per aliquid intrinſecum realiter ſuperadditum, ſecus vero, quod eſt tantum indifferens ad actum ſumptum denominativè, quo circa ſubiectum indifferens ad eſſendum in loco, & in tempore, nec non ad eſſe album, & agens, ſunt actus, ad quos etiam entitativè ſumptos ſubiectum erat indifferens propter rationes, quibus in proprijs locis probatur, *vbi*, *quando*, qua

quaitatem ; & acti nem realiter diſtingui à ſubiectis, materia vero, & forma, & ſi indifferentes ſint ad vniri, & non vniri, non determinantur per aliquid intrinſecum realiter ſuperadditum, quia vnio eſt actus, ad qiem non entitativè, ſed denominutivè ſumptum forma, & materia ſunt indifferentes.

57 Ad confirm. reſp. Quod nova denominatio provenit à nova forma, quando illa eſt primaria denominatio formæ; quod autem aliqua denominatio ſit primaria, proindeque inſeparabilis à forma, colligimus ex eo, quod illa ſuperat proportionem, aut perfectionem formæ preexiſtentis: Vnde eſſe in loco, & in tempore ſunt denominationes primariæ alicuius formæ, quia cùm ſubiectum præexiſtens non ordinetur per ſe ad locum, & ad tempus, non habet talem proportionem cum eis, vt immediatè per ſe ipſum poſsit eſſe in loco, & in tempore, eſſe quoque album excedit proportionem, & virtutem formæ præexiſtentis, quia ante albedinem nihil præexiſtit in ſubiecto, quod conducentiam, aut virtutem habeat ad dealbandum, tandem eſſe agens excedit virtutem cauſę creatæ nude ſumptam, quia nulla creatura poteſt identificare ſecum actum ſecundum dicentem ex genere ſuo perfectionem ſimpliciter. Vnio autem materiæ cum forma non eſt denominatio primaria alicuius entitatis, quia non excedit proportionem, aut perfectionem materiæ, & formæ præexiſtentis; proportionem quidem, quia materia, & forma ſunt potentia, & actus ex ſe invicem ordinari, virtutem vero, quia vnio, cum ſit ipſa cauſalitas, materialis, & formalis, non eſt actus dicens perfectionem ſimpliciter, vt ex eius identificatione poſsit ſequi infinitas in extremis. Vnde licèt corpus eſſe in loco ſit denominatio intrinſeca (cuius oppoſitum eſt ſatis probabile) petens provenire à nova, realiterque diſtincta forma, nempè ab *vbi*, vnio eſt denominatio non potens novam formam, ſed potens provenire à præexiſtentibus entitatibus materiæ, & formæ, poſito dumtaxat novo, eoque extrinſeco cõnotato.

58 Ad 5. reſp. eſſe vnitum, & non eſſe vnitum poſſe verificari de eadem forma reſpectu diverſi connotari, vnde nulla eſt contradictio in eo, quod forma connotans actionem vnitivam ſit vnita, & non connotans actionem vnitivam non ſit vnita, ſicut nulla eſt contradictio in eo quod Perſona Divina connotans actionem

nem aſſumptivam ſit vnita humanitati, & non connotans actionem aſſumptivam non ſit vnita humanitati.

59 Obijcies 2. Et replicas contra dicta: modo datur defectus immediatus, & formalis vnionis materiæ, & formæ Div. Petri, ſed non datur defectus materiæ, & formæ: ergo vnio materiæ, & formæ D. Petri non eſt materia, & forma illius.

60 Confirmatur. Defectus formalis, & immediatus connotati non eſt defectus formalis, & immediatus compoſiti, ſed mediatus, & illativus, ſed modo datur deffectus formalis, & immediatus compoſiti: ergo datur defectus formalis alicuius adæquatè diſtincti à connotato, ſed non datur defectus materiæ, & formæ: ergo vnionis diſtinctæ à materia, & forma, & connotato.

61 Confirmatur 2. Id, quo ſolo deficiente, deficit compoſitum, eſt eſſentia, vel pars eſſentiæ compoſiti, nam ſi nulla pars eſſentiæ rei deficit, tota res perſeverat: ergo ſi ſolo deficiente connotato, deficit compoſitum, connotatum eſt eſſentia, vel pars eſſentiæ compoſiti, conſequens eſt falſum: ergo compoſitum non deficit defectu ſolius connotati, ſed defectu alicuius incluſi in ipſo, non defectu materiæ, aut formæ: ergo defectu vnionis.

62 Confirmatur 3. Nulla res deficit deficiente præciſſe aliquo adæquatè diſtincto ab ipſo, ſed actio vnitiva eſt adæquate diſtincta ab vnione: ergo vnio non deficit deficiente præciſſe actione vnitiva: ergo deficit aliquid aliud, dum deficit vnio, non materia, nec forma: ero modus realiter diſtinctus.

63 Reſp. diſt. mai. modo datur entitative, nego mai. denominative, conc. mai. & conceſſa min. diſt. conſequens: ergo vnio materiæ, & formæ D. Petri, ſumpta entitative non eſt materia, & forma illius, neg. conſeq. Sumpta denominative ſubdiſt. adæquate, & pro eo, quod dicit in recto, & in obliquo non eſt materia, & forma, concedo conſeq. inadæquate, & pro eo, ſolum, quod dicit in recto, nego conſeq.

64 Ad confirm. reſpond. Conc. defectum compoſiti eſſe defectum alicuius, quod pro eo, quod dicit in recto, diſtinguitur adæquate a connotato, non tamen eſt defectus alicuius, quod pro eo, quod dicitur in recto, & in obliquo diſtinguitur adæquate a connotato. Quare deficiente connotato, deficit etiam compoſitum ex defectu vnionis ſumptæ denominativè, quæ in obliquo includit prædictum connotatum.

65 Ad 2. confirm. reſpond. Quod compoſitum non deficit deficiente ſolo connotato, ſed deficiente ſimul vnione denominativè ſumpta, ad quod non requiritur, quod præter connotatum deficiat à rerum natura aliquid entitatis; ſed ſufficit, quod deficiat hoc, quod eſt, formam eſſe in materia, ſicut, vt incipiat, non requiritur, quod incipiat aliquid entitatis præter actionem, ſed ſufficit ſi incipiat hoc, quod eſt, formam eſſe in materia.

66. Ex quo patet ad 3. confirmat. Ad quam reſpond. Quod deficere vnionem non eſt præciſè deficere actionem vnitivam, ſed eſt deficere exercitium vnionis conſiſtens in eo, quod forma ſit in materia, quare vnio non deficit per hoc, quod aliquod medium inter materiam, & formam ſeparetur; ſed per hoc, quod vna non ſit in alia, ideſt, per hoc quod forma deſinat eſſe in materia, nam vt acutè obſervavit Caiet. 3. part. quæſt. 76. artic. 1. §. *In reſponſione ad ſextum.* Loquens de vnione; *Vt quærenti ſatisfiat, dicatur, quod vnio non ſignificat vnam ſubſtantiam ſimpliciter, ſed vnam in alia, ſcilicet formam in materia, & ideò cum auſertur, non eſt opus, quod deſinat ſubſtantia ſimpliciter, ſed vna in alia, quod poteſt fieri, vtraque manente ſeorſim.* Quare nec vnio eſt ſimpliciter aliqua entitas, ſed vna in alia, nec deficere vnionem eſt proprie deficere entitatem, ſed deſinere vnam eſſe in alia.

67 Obijcies 3. Omnis actio formaliter vel virtualiter tranſiens eſt realiter productiva termini; ſed actio productiva hominis eſt formaliter, vel virtualiter tranſiens: ergo eſt productiva termini; ſed non producit materiam, aut formam hominis: ergo producit vnionem; ac ſubinde vnio realiter diſtinguitur à materia, & forma.

68 Reſpond. Quod omnis actio tranſiens eſt productiva termini totalis: ad hoc autem non requiritur, quod pars, aut vnio realiter medians producatur, ſed ſufficit, quod ex vi actionis forma, quæ non erat in materia, modo ſit in materia: ſicut vt deſtruatur homo non requiritur, vt deſtruatur aliqua pars, aut medium aliquod inter illas, ſed ſufficit, quod ex vi actionis deſtructivæ forma non ſit in materia.

96 Inſtas: Ex vi actionis vnitivæ forma vnitur materiæ; ſed non vnitur formaliter per illam: ergo effectivè; ſed vniri effectivè per actionem eſt idem, atque vnionem produci: ergo ex vi illius ac-

actionis producitur vnio; ſed non producitur materia, aut forma: ergo vnio diſtinguitur à materia, & forma.

70 Reſpond. Per actionem quidem vnitivam produci quidem vnionem, cęterum produci vnionem, non eſt produci aliquod medium inter materiam, & formam; ſed eſt ex vi talis actionis formam, & materiam eſſe ſimul, ſivè formam eſſe in materia: vnde in forma diſting. minor. Sed non producitur materia, aut forma diviſivè, concedo min. Quoad ſimultatem, nego min. & diſt. conſeq. Ergo vnio diſtinguitur à materia, & forma diviſivè ſumptis, concedo conſeq. A materia, & forma, vt ſunt ſimul, vel vt eſt vna in alia, nego conſeq

71 Obijcies 4. Partes lineæ vniuntur punctis realiter diſtinctis ab eis: ergo materia, & forma medio vinculo realiter diſtincto ab ipſis. *Neg. conſeq.* Quia partes lineæ, cum non ſe habeant per modum actus, & potentiæ, non habent ſufficientem proportionem, vt ſe ipſis immediatè vniantur, qua tamen proportione gaudent materia, & forma.

72 Obijcies 5. Materia intrinſecè mutatur per vnionem cum forma: ergo vnio cum forma eſt aliquid intrinſecum de novo adveniens materiæ. *Reſpond.* Quod materia mutatur per vnionem cum forma, non quia recipit vnionem mediam inter materiam, & formam; ſed quia intrinſecè recipit ipſam formam.

73 6. Obijcies: Vnio accidentis cum ſubiecto diſtinguitur realiter ab extremis; nam hæc vnio eſt inhærentia, quæ realiter diſtinguitur à ſubiecto, & accidenti: ergo pariter vnio formæ ſubſtantialis cum materia diſtinguitur realiter à materia, & forma. *Reſpond.* neg. antecedens: Inhærentia autem, vel non diſtinguitur realiter ab accidenti, vel non eſt vnio ipſa accidentis, ſed eſt modus quidam exiſtendi dependenter à ſubiecto ſubſtentate complens accidens in proprio genere accidentis, ſicut ſubſiſtentia in ſubſtantijs eſt modus quidam per ſe exiſtendi complēs ſubiectum in proprio genere ſubſtantiæ.

ARTIC. II.

Vtrum totum, ſive compoſitum naturale diſtinguatur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis?

74 Pro tituli intelligentia præmitte 1. nos loqui de compoſito, non de ſuppoſito; ſuppoſitum enim præter partes ſimul ſumptas, includit ſubſiſtentiam; ac proinde illud à partibus ſimul ſumptis realiter diſtingui, non dubitamus.

75 Præmitte 2. Totum diſtingui inadæquate, ſive diſtinctione includentis, & incluſi à qualibet parte ſumpta diviſive, nam totum includit præter quamlibet partem aliam realiter diſtinctam.

76 Præmitte 3. à partibus ſimul ſumptis diſtingui totum ſaltim per rationem, quia plura affirmantur de toto, quæ cum tanta proprietate nequeunt de partibus affirmari, vt generari, & operari, & his ſimilia: hoc autem diſcrimen inter totum, & partes ſine diſtinctione ſaltim rationis non ſubſiſtit.

77 Affirmant diſtingui realiter totum à partibus Scotiſtæ, & Capreol. Soncin. Hærveus, Caiet. Flandria, Ferrara, Deza, Iabellus, Aquarius, Conimbr. Fonſeca: negant vero Soto, Aſtudillo, Palacios, Durand. PP. Carmel. Ioann. à S. Th. Lerma, & alij.

78 *Vnica concluſio: Totum, ſive compoſitum naturale non diſtinguitur realiter a ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis.*

Probatur 1. ex Philoſopho phyſic. cap. 4. dicente: *Alio modo eſt aliquid in alio, vt totum eſt in partibus, non enim aliquid eſt totum, quam partes* Et ex Div. Thom. 4. contragent. cap. 81. vbi ait: *De humanitate vero non eſt intelligendum, quod ſit quædam forma conſurgens ex coniunctione formæ ad materiam, quaſi realiter ſit alia ab vtraque, quia cum per formam materia fiat hoc aliquid actu, vt dicitur 3. de anima textu 9. illa tertia forma conſurgens non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis.*

79 Secundo probatur ratione. Totum non diſtinguitur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis adæquate, nec inadæquate: ergo nullo modo diſtinguitur realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis. Antecedens quoad primam partem patet: illud diſtinguitur adæquate ab altero, quod nihil alterius includit; ſed totum includit partes: ergo non diſtinguitur adæquate ab illis. Quoad 2. vero probatur. Illud diſtinguitur

tur realiter inadæquatè ab altero, quod includit alterum, & aliquam entitatem realem addit ſupra illud; ſed totum nullam entitatem realem addit ſupra partes ſimul ſumptas, & vnitas: ergo non diſtinguitur realiter inadæquatè ab illis. Minor prob. Res per ſe vna vnitate compoſitionis eſt totum; ſed partes, nempè materia, & forma vnitæ abſque entitate reali ſuperaddita ſunt vna res vnitate compoſitionis: ergo totum non addit entitatem realem ſupra partes ſimul ſumptas, & vnitas. Mai. eſt certa, & min. prob. Materia, & forma vnitæ ſunt vnum. *Tùm*, quia habent vnionem, quæ eſt forma conſtituens plura in ratione vnius: *Tùm*, quia ex quo ſunt vnitæ ſunt indiviſæ; vnitas enim nihil eſt aliud, quam indiviſio; ſed non ſunt vnum vnitate ſimplicitatis: ergo ſunt vnum vnitate compoſitionis.

80 Explicatur hæc ratio. Primo, compoſitum naturale nō diſtinguitur realiter ſe toto à partibus ſimul ſumptis, nec diſtinguitur realiter per aliquid ſui diſtinctum realiter ab eis: ergo nullo modo diſtinguitur realiter ab eis. Anteced. quoad primam partem probatur 1. Quod ſe toto diſtinguitur al altero, non includit alterum, nec componitur ex illo; ſed totum includit partes, & componitur ex illis: ergo non diſtinguitur ſe toto à partibus.

81 2. Nihilo diſtinguitur ſe toto ab eo, quod eſt ſibi intrinſecum, & de eſſentia ipſius; ſed partes ſunt intrinſecę toti, & de eſſentia ipſius: ergo. Prob. mai. Id, à quo res ſe tota diſtinguitur, eſt omnino extra rem, ita vt intinſecè non ſit aliquid illius; ſed implicat, quod id, quod eſt intrinſecum rei, & de eſſentia ipſius, ſit omnino extra rem, ita vt intrinſecè non ſit aliquid ipſius: ergo nihil diſtinguitur ſe toto ab eo quod eſt ſibi intrinſecum, & de eſſentia ipſius.

82 3. Si totum, v. g. homo à ſuis partibus ſe toto realiter diſtingueretur, ſequeretur. 1. Quod homo ſumptus eſſentialiter, & prout realiter distinctu ab omni, quod non eſt homo, eſſet ſimplex entitas non conſtans corpore, & anima. 2. Quod anima rationalis, & caro non eſſent homo. 3. Quod anima rationalis non eſſet forma conſtitutiva illius, 4. Quod non eſſet ex ſpirituali, & corporea natura conſtitutus, quæ omnia ſunt contra fidei dogmata expreſſa in Symbolo Div. Athanaſ. & in Concilijs Viennenſi, & Lateranen. ergo homo non diſtinguitur realiter ſe toto à ſuis partibus.

83 Secunda pars min. nempe, quod totum non diſtinguitur realiter à ſuis partibus per aliquid ſui, hoc eſt per formam totalitatis diſtinctam realiter ab illis, probatur 1. Ex totalitate, & partibus vnitis, nulla alia ſuperaddita entitate, reſultat totum: ergo pariter ex materia, & forma vnitis nulla ſuperaddita entitate poſſet reſultare totum.

84 2. Si totum ſolum ſuperaddit formam totalitatis: ergo totum nihil aliud eſt præter partes vnitas, & formam totalitatis, ſed forma totalitatis etiam eſt pars, ex qua ſimul cum alijs reſultat totum: ergo totum non diſtinguitur realiter ab omnibus ſuis partibus.

85 3. Totalitas illa nec eſt forma accidentalis, nec ſubſtantialis: ergo non datur. Antecedens pro prima parte eſt evidens: nam totum, de quo loquimur eſt ſubſtantiale: ergo conſtitutum illius non eſt forma accidentalis. Pro ſecunda prob. quod advenit enti in ſuo eſſe conſtituto, non eſt forma ſubſtantialis, forma quippè ſubſtantialis dat primum eſſe, ſed totalitas advenit enti in ſuo eſſe conſtituto, nam advenit poſtquam eſſe ſimpliciter præſtitum à forma ſubſtantiali vnita materiæ: ergo totalitas non eſt forma ſubſtantialis.

86 4. Thotalitas hominis non eſt forma ſpiritualis, nec materialis, non ſpiritualis, quia non poteſt exiſtere ſeparata; nec materialis, quia deberet eſſe perfectior forma partiali, nimirum anima rationali, quæ eſt ſpiritualis: ergo idem quod prius.

87 5. In hominis phyſica definitione non fit mentio totalitatis, ſed animæ, & corporis, imò totalitatem hominis nihil eſſe præter corpus, & animam ſatis clare indicatur, illis verbis, Symboli Div. Athanaſ. *Perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens*: ergo totus, & perfectus homo nullo alio: quam anima rationali, & humana carne ſubſiſtit.

88 Denique: quod Verbum Divinum ſemel aſſumpſit numquam dimiſit, vt eſt axioma Theologicum, & veriſsimum, ſi intelligatur de partibus ſubſtantialibus, & præcipuis naturæ humanæ, at in triduo mortis dimiſsit, ſivè non retinuit formam totalitatis: ergo illam numquam aſſumpſit, at ſi daretur, illam omninò aſſumpſiſſet, vtpote ſubſtantialem, & præcipuam naturæ humanæ aſſumptæ portionem: ergo nullatenus datur.

89 Tertiò probat. concluſio: Compoſitum ſolum dicit partes, & earum compoſitionem, ſicut album ſolum dicit ſubiectum, & albedinem, ſed partium compoſitio eſt illarum vnio? nam compoſitio nihil eſt aliud, quam vnius ſimul cum altero poſitio: ergo compoſitum nihil dicit præter partes, & vnionem.

90 Confirm. ex hoc præciſsè, quod partes componant totam, eſt compoſitum; ſed ex eo præciſsè, quod partes ſunt vnitæ, componunt: ergo ex eo præciſsè totum eſt compoſitum, ac ſubinde compoſitum, nihil aliud deſiderat præter partes, & vnionem. Prob. minor. Partes nempè materiam, & formam componere eſt materiam recipere, & formam informare, nullum enim habet exercitium, quam recipere, & informare, ſed ex eo præciſsè quod ſint vnitæ, materia recipit formam, & forma informat materiam: ergo partes ex eo præciſsè, quod ſunt vnitæ, componunt.

Argumenta diluuntur.

91 Obijcies 1. Ariſtotel. 5. metaph. text. 19. dicentem, quod bis tria non ſunt ſex, & 7. metah. textu 60. quod ſyllaba ba, non eſt B. & A. & lib. 8. metaphiſic. textū 15. totum eſſe aliud præter partes; idem Div. Thom. in 2. diſtinct. 2. in expoſitione lit. vbi ait: non eſſe intelligendam humanitatem eſſe animam, & corpus quaſi proprie dici poſsit, humanitas eſt anima, & corpus. Et ibidem quæſt. 1. artic. 3. quæſt. 1. ait, quod in Chriſto fuit corpus, & anima, & vlterius forma totius reſultat: ergo ex Philoſopho, & D. Thom. totum eſt aliquid præter partes.

92 Ad 1. Philoſophi authoritatem reſpond. illum docere, quod bis tria formaliter, & vt conſtituunt ſuam ſpeciem ternarij, non ſunt ſex, quia ſpecies formaliter non eſt alia, at non negat, tria materialiter, & vt claudunt vnitates; ex quibus numerus componitur, eſſe ſex, hac enim ratione non ſunt bis tria, ſed ſex vnitates.

93 Ad 2. reſpond. quod Philoſophus ſolum voluit, ſyllabam non eſſe litteras ſine ordine, ſed præter litteras includi in ea ordinem, quo proferuntur, nam ſi alio ordine proferentur, nempe prępone ndo A. & poſt ponendo B. non eſſent eadem ſyllaba.

94 Ad 3. reſpond. Quod apud Philoſophum totum eſt aliquid præter partes non realiter; ſed ratione diſtinctum ab

illis: vel eſt aliquid præter partes diviſivè ſumptas: vel eſt aliquid diſtinctum à partibus, quia includit vnionem, quæ extrinſecè, & ex parte obliqui, quod connotat, diſtinguitur realiter à partibus.

95 Div. autem Thom. in 1. loco ſolum negat, quod partes proprie, & in ſenſu formali ſint totum, non quod in ſenſu reali, & identico ſint totum; ad hoc autem ſufficit diſtinctio rationis inter totum, & partes. In 2. vero ſolum intendit, quod in Chriſto Domino, non ſolum fuere aſſumpta corpus, & anima ſeorſim, ſed etiam humanitas, quæ præter corpus, & animam ſeorſim ſumpta, importat vnionem animæ, & corporis.

96 Obijcies 2. Inter cauſam, & effectum datur realis diſtinctio, ſed partes ſimul ſumptæ realiter cauſant totum: ergo diſtinguuntur realiter à toto. Maior eſt certa: Quia effectus realiter dependet à cauſa reali, & nihil dependet realiter à ſe ipſo. Minor autem probat. Totum realiter à partibus dependet: ergo realiter cauſatur ab illis; non ab illis ſeorſim: ergo ab illis ſimul ſumptis.

97 Reſpondet. Quod partes ſimul ſumptę non cauſant totum, ſed ſunt ipſum totum: cauſant ergo totum partes diviſivè ſumptæ, ideſt, quælibet pars, non vero collectio illarum.

98 Inſtas. 1. Partes cauſant totum, vt vnitæ: ergo ſimul ſumptæ. Patet antecedens: Nam partes cauſant totum illud componendo; ſed componunt illud, vt vnitæ: ergo. 2. Omnes partes diviſivè cauſant totum; ſed omnes diviſivè ſunt omnes collectivè: ergo omnes collectivè cauſant totum. 3. Bene valet. Petrus portat lapidem, & Paulus portat lapidem: ergo Petrus, & Paulus ſimul ſumpti portant lapidem: ergo bene valet, materia cauſat totum, & forma cauſat totum: ergo materia, & forma ſimul ſumptæ cauſant totum. 4. Materia, & forma etiam collectivè ſumptæ ſunt partes; ſed non ſunt partes ſui: ergo totius: ergo realiter componunt, ac ſubinde cauſant illud. 5. Materia, & forma diviſivè ſunt cauſæ partiales totius: ergo collectivè ſumptæ ſunt cauſa totalis: quia non minus omnes cauſæ partiales ſunt vna totalis, quam omnes partes ſunt vnum totum.

99 Reſp. neg. conſeq. nam

Nam partes etiam, vt vnitæ poſſunt conſiderari diviſivè, & collectivè; diviſivè componunt totum, collectivè ſunt ipſum totum, & illud minimè componunt: eſt dicere quælibet pars, vt vnita componit, collectio tamen earum ſub vnione non componit. *Ad* 2. neg. min. Omnes enim partes palmi diviſivè ſunt minores palmo, nam quælibet ex eis eſt minor palmo, omnes tamen collectivè minores non ſunt; tota quippe partium palmi collectio adæquat palmum: omnes ergo diviſivè non ſunt omnes collectivè. Ad 3. neg. conſeq. Nam eo ipſo, quod Petrus, & Paulus ſeorſum ſumpti partialiter portent lapidem, vterque collectivè portat lapidem, quia huic effectui, nempe portare lapidem, cum ſit extrinſecus omnino Petro, & Paulo, non repugnat procedere, & cauſari ab eis ſimul ſumptis: toti verò, cum includat ſuas partes, repugnat cauſari ab eis ſimul ſumptis, licèt omnes diviſivè ſumptæ cauſent illud.

100 Ad 4. reſp. Quod materia, & forma collectivè non ſunt partes, ſed ſunt totum; vnde collectivè ſumptæ, nec cauſant, nec componunt totum.

101 Ad 5. reſp. Quod in cauſis extrinſecis, quibus etiam collectivè ſumptis eſt extrinſecus effectus, coniunctum plurium cauſarum partialium eſt cauſa totalis; in cauſis vero intrinſecis, in quibus cauſa eſt ipſummet conſtitutivum effectus implicat in terminis cauſa totalis, quia hæc identificatur cum omnibus conſtitutivis effectus, quod repugnat, cum impoſsibile ſit, idē eſſe cauſam ſui.

Replicabis. Totum eſt verus effectus totalis partium; non diviſivè, quia non eſt effectus, cuiuslibet partis: ergo partium collectivè: ergo partes collectivè ſumptæ ſunt cauſa totalis totius. *Secundo*. Quia materia cauſatur à forma, & forma cauſatur à materia, materia, & forma collectivè ſumptæ cauſantur, & ſunt effectus totalis; compoſitum enim, quod per nos nil eſt aliud, quam materia, & forma, verè cauſatur: ergo quia materia cauſat formam, & forma cauſat, materia, & forma collectivè ſumptæ cauſant. 3. Materia, & forma vniuntur in ratione cauſæ intrinſecæ, & in conſtituendo: ergo ex eis reſultat vna cauſa totalis, & vnum totale conſtitutivum.

102 Reſpond. quod vt totum ſit effectus totalis, ſufficit, quod habeat plures cauſas inadæquatas, & non requiritur, quod habeat vnam intrinſecam totalem. Sicut vt adæquatè

 ſit

ſit compoſitu n, non requiritur, quod habeat vnum componens totale; ſed ſufficit, quod habeat plura partialia componentia, itaque non eſt effectus totalis totum, id eſt totaliter productus à qualibet partium totaliter producente, nec ab omnibus ſimulſumptis totaliter producentibus, ſed eſt effectus totalis, ideſt totaliter cauſatus ab omnibus diviſivè ſumptis partialiter illud cauſantibus.

103 Ad 2. reſpondet. neg. conſeq. Quia cum inter partes ſimul ſumptas, & partes diviſivè ſumptas intercedat realis diſtinctio, partes ſimul ſumptæ poſſunt cauſari à partibus diviſivè acceptis, cum vero partes ſimul ſumptæ non cauſent partes diviſivè acceptas, vt de ſe patet, & aliàs à toto, quod nihil eſt aliud præter partes ſimul ſumptas non diſtinguantur, nihil remanet, quod ipſæ poſsint cauſare, vnde collectivè ſumptæ poſſunt cauſari; ſed collectivè ſumptæ nequeunt cauſare; ſicut omnes collectivè ſumptæ ſunt compoſitum: omnes tamen collectivè ſumptæ non componunt.

104 Ad tertium reſpond. quod licèt cauſæ intrinſecè vniantur, non reſultat ex eis vna cauſa totalis, quia eſt contra rationem cauſæ intrinſecæ, quod ſit totalis, de ratione quippè cauſæ intrinſecæ eſt cauſare communicando ſuam entitatem, & illam includendo in toto, implicat autem, quod ex duplici entitate reſultet cauſa totalis illius effectus, qui in nullo alio conſiſtit, quam in præfata duplici entitate. Sicut plura componentia vniuntur in componendo, & non reſultat ex eis vnum totale componens, & plures partes vniuntur in conſtituendo, & non reſultat ex eis vna pars totalis, eo quod totalitas repugnat conceptui partis, & conceptui componentis, ob eam nimirum rationem, quia repugnat eidem componere ſe ipſam, aut repugnat, quod idem ſit pars ſui ipſius.

105 2. Reſpondet, quod quælibet pars cauſat totum inadæquatè ſumptum: materia enim cauſat totum pro ea parte, qua includit formam, & forma cauſat totum pro ea parte, qua includit materiam: vtraque verò pars diviſivè ſumpta cauſat partialiter, totum ſumptum adæquatè: ex quo non ſequitur, quod vtraque collectivè ſumpta cauſet vllo modo totum; quia tunc ex influxu duplicis cauſæ in duas partes effectus, non ſequitur in-

influxus vtriuſque collectivè ſumptæ in illas, cum pars effectus in quam influit eſt cauſa, & altera cauſa, tunc enim, licèt quælibet cauſa diſtinguatur à ſuo effectu, vtraque tamen cauſa ſimul ſumpta ab vtroque effectu non diſtinguitur.

106 Habemus huius exemplum in duobus relativis mutuis, ſicut enim de ratione cauſæ eſt diſtingui realiter ab effectu, quia nihil realiter cauſat ſe ipſum, ita de ratione relationis eſt diſtingui realiter à ſuo termino, quia nihil refertur realiter ad ſe ipſum; & tamen quando duo relativa mutuo referuntur, quælibet relatio reſpicit ſuum terminum, & vtraque diviſivè ſumpta reſpicit ſuum terminum, quin ex hoc ſequatur, quod vtraque collectivè ſumpta reſpiciat terminum, alioquin cum vtraque relatio ſit etiam terminus, altera ſcilicèt alterius, relatio reſpiceret ſe ipſam: en quomodo duplex relatio non componit vnam totalem, nec ex eo quod vtraque ſeorſim reſpiciat, ſequitur, quod vtraque ſimul ſumpta reſpiciat; non alia ratione, niſi quia vna, cum ſit terminus alterius, ſi vtraque collectivè reſpiceret, reſpiceret ſe ipſam: Pariter in præſenti caſu, in quo duæ cauſæ intrinſecæ mutuo ſe cauſant, quælibet cauſat ſuum effectum, & vtraque diviſivè cauſat ſuum effectum, quin ex hoc ſequatur, quod vtraque collectivè ſumpta cauſet: alioquin cum vtraque cauſa ſit etiam effectus, altera ſcilicèt alterius, collectio illa cauſaret ſe ipſam: dicendum eſt ergo, quod duplex cauſa intrinſeca non componit vnam totalem, nec ex eo, quod vtraque diviſivè ſumpta cauſat, ſequitur, quod vtraque cauſet ſimul ſumpta, ea videlicèt ratione, quia cum vna ſit effectus alterius, ſi vtraque collectivè ſumpta cauſaret, cauſaret vtraque ſe ipſam.

Inſtatur denique argumentum. Partes vnitæ, & totalitas realiter conſtituunt totum, & tamen iuxta adverſarios partes vnitæ, & totalitas, ſi ſumantur collectivè, non diſtinguuntur realiter à toto: ergo ſtat, quod partes vnitæ realiter conſtituant totum, & quod partes vnitæ ſimul ſumptæ non diſtinguantur realiter à toto.

107 Obiicies 3. Realiter, & ex parte obiecti idē ſunt materia vnita formæ, ac materia, forma, & vnio; ſed totum non eſt realiter materia vnita formæ: ergo totum non eſt

realiter materia, forma, & vnio. *Inſtatur argumentum*: Realiter ex parte obiecti idem ſunt forma totalitatis vnita partibus, ac forma totalitatis, & partes; & tamen totum eſt forma, & totalitas, & partes, & non eſt forma totalitatis vnita partibus: ergo. *Et reſp.* Quod licèt ex parte obiecti idem realiter importetur in vtroque obiecto, modus tamen ſignificandi eſt diverſus, & ſufficiens, vt vna propoſitio ſit vera, & altera falſa, ſicut ex parte obiecti idem realiter importatur in hoc complexo *pallium Petri*, & in hoc, Petrus, & pallium, & tamen Petrus, & pallium eſt duplex res; pallium autem Petri non eſt res duplex, ſed vnica.

108 Obijcies 4. Materia, & forma adhuc vnitæ diſtinguuntur inter ſe: ergo à toto; nam quæ non ſunt idem inter ſe, non poſſunt eſſe idem cum tertio. *Reſpond.* Quod cum dicis, materia, & forma vnitæ diſtinguuntur inter ſe, materia, & forma accipiuntur diviſivè; nam ſenſus eſt, materia vnita formæ diſtinguitur à forma, & forma vnita materiæ diſtinguitur à materia, vbi diſtingui à materia, convenit formæ ſeorſim, & diſtingui à forma ſeorſim convenit materiæ. Ex quo ſolum ſequitur, diſtingui totum realiter à materia, & forma diviſivè ſumptis. Si vero contendas materiam, & formam collectivè ſumptas diſtingui inter ſe, falſum aſſumis, nam ly *inter ſe* eſt relativum reciprocum referens materiam, & formam ſimul ſumptas, ita vt ſit ſenſus, materia, & forma ſimul ſumptę diſtinguuntur à materia, & forma ſimul ſumptis, qui ſenſus eſt falſus, vel nullus erit ſenſus congruus prædictæ propoſitionis.

109 Obijcies 5. Terminus generationis hominis non eſt materia, nec forma, nec vnio, vtpote indiſtincta à materia, & forma: ergo eſt tertia entitas reſultans ex materia, & forma vnitis: ergo homo præter materiam, & formam, & vnionem includit entitatem tertiam.

110 Reſpond. quod terminus *qui*, ſivè totalis generationis hominis eſt compoſitum, quod nihil eſt aliud, quam materia, & forma vnitæ; terminus verò *quo*, ſivè formalis eſt forma, vt vnita, ad quod non requiritur, quod producatur aliquid novum novitate entitàtis, ſed novitate denominationis; conſiſtit enim generatio hominis in vnione formæ cum materia, ſicut eius deſtructio in ſeparatione formæ à materia: vnde ſicut, vt ſeparetur forma à materia, non requiritur, quod deſtruatur aliquid medium inter materiam, & formam, ſed quod ex vi actionis forma non

ſit in materia ita, vt vniatur forma materiæ, non requiritur productio alicuius entitatis mediç inter materiam, & formam, ſed quod ex vi actionis generativç forma modo ſit in materia, aliud quippe eſt vnire, aliud producere, ſicut aliud eſt ſeparare, & aliud deſtruere.

111 Denique obijcies. Aliqua verificãtur de toto, quæ de partivus negantur; nam totum generatur, & operatur, partes nec generantur, nec operantur: ergo totum, & partes realiter diſtinguntur. *Reſpondetur*: Quod omnia, quæ verificantur de toto, verificantur de partibus in ſenſu reali, licèt non verificentur in ſenſu formali, & præciſsivo Hoc autem ſolum probat diſtinctionem rationis inter totum, & partes, non realem.

112 Etſi inquiras. Quæ diſtinctio rationis detur inter totum, & partes ſimul ſumptas. *Reſpondetur*: Dari diſtinctionem rationis penes implicitum, & explicitum, ſicut eſt ea, quæ datur inter definitionem, & definitum: partes enim diſtinctè exprimunt, quod totum involuit inconfuſſo, imò partes ſunt definitio, & eſſentia totius, quo circa totum, & partes nequeunt præſcindi maiori diſtinctione, quam implicite, & explicitè.

QVÆST. VII.

De terminis compoſiti naturalis.

1 TErmini, quibus intrinſecè completur cõpoſitum naturale, ſunt ſubſiſtentia, & exiſtentia, quarum illa complet in proprio genere ſubſtantiæ, iſta vero in communiſsimo entis; ſubſiſtere quippe proprium ſubſtantiæ, exiſtere vero commune eſt cuilibet enti, ea propter ad perfectiorem compoſiti naturalis cognitionem de ſubſiſtentia, & exiſtentia illius erit nobis tandem differendum.

ARTIC. I.

Quid ſit ſubſiſtentia?

2 NOmine ſubſiſtẽtiæ intelligimus id, quod ſuppoſitum addit ſupra naturam: natura eſt principiũ operandi, ſivè id, quod ſignificatur per modũ formæ totalis conſtituẽtis rem in propria ſpecie, vt humanitas; ſuppoſitum vero id, quod ſignificatur, vt habẽs naturãm, v.g. homo dicitur ſuppoſitum, quia ſignificatur, vt habens naturã humanã: id ergo, quod homo addit ſupra humanitatẽ, dicitur ſubſiſtentia, quæ ſi ſit

ſub-

ſubſiſtentia naturæ rationalis, dicitur perſonalitas, & conſtituit perſonam, ſi vero ſit ſubſiſtentia alterius cuiuſvis naturæ ſubſtantialis, dicitur ſubſiſtentia, & conſtituit ſubſiſtens, ſive ſuppoſitum, vnde latius patet ſubſiſtentia, quam perſonalitas, & ſuppoſitum, quam perſona, omnis quippe perſonalitas eſt ſubſiſtentia, omniſque perſona eſt ſuppoſitum: ſed nec omnis ſubſiſtentia eſt perſonalitas, nec omne ſuppoſitum perſona.

3 A ſuppoſito ſive à ſubſiſtentia conſtitutiva ſuppoſiti non differt hypoſtaſis, nam licet vox iſta apud Græcos aliquando ſignificaret ſubſtantiam, aliquando ſuppoſitum in hac ſignificatione ſumitur iam ab Eccleſia, quæ idcirco concedit in Deo tres hypoſtaſes; ſolet tamen ſæpe reſtringi ad ſignificandum ſolam perſonam, ſeu ſolum ſuppoſitum naturæ rationalis.

4 Si nominis ſignificationem attendas, ſubſiſtentia eſt id, quo res habet eſſe firmum ſiſtens in ſe, cæteraque ſuſtentans, ac per conſequens ſuppoſitum per illam conſtitutum eſt ſubſtantia completa habens in ſe eſſe quod, dum per ſe exiſtens, alijſque ſubiectum, velut omnium fundamentum.

5 Cæterum quoad rem ſignificata ſubſiſtentia eſt terminus complens naturam ſubſtantialem eam in linea ſubſtantiæ vltimo perficiens, reddensque proinde proxime capacem exiſtendi, operandi, & recipiendi accidentia.

6 Subſiſtentia in tota ſua latitudine poteſt dividi in hypoſtaticam, & non hypoſtaticam, hypoſtatica eſt, quæ conſtituit ſuppoſitum, ideſt, quæ taliter complet naturam ſubſtantialem, vt reddat illam alteri penitus incommunicabilem. Non hypoſtatica eſt, quæ ſuppoſitum non conſtituit, nam ita complet naturam ſubſtantialem, vt licet reddat illam incommunicabilem alteri ex indigentia, illam tamen relinquit vlterius communicabilem alteri ſaltem ex fœcunditate; huiuſmodi ex ſubſiſtentia abſoluta, quam plures Theologi probabiliter concedunt in Deo, prout præintelligitur ſubſiſtentijs relativis: rurſus ſubſiſtentia hypoſtatica alia eſt perſonalitas, alia præciſſe ſuppoſitalitas, perſonalitas eſt ſubſiſtentia hypoſtatica naturæ rationalis, ſubſiſtentia, quæ præciſſe eſt ſuppoſitalitas, eſt ſubſiſtentia hypoſtatica naturæ ſubſtantialis, non rationalis.

7 Perſonam ſic definivit Boetius in lib. de Duabus

naturis: *Rationalis naturæ individua ſubſtantia*. Et clarius Richardus de Sanct. Vict. lib. de Trinitat. cap. 22. *Rationalis naturæ incommunicabilis exiſtentia*: ex qua definitione colliges, poſſe ſubſiſtentiam in communi definiri ſic: *Eſt ſubſtantialis naturæ incommunicabilis exiſtentia*: Quæ definitio adaptari poteſt ſubſiſtentiæ non hypoſtaticæ, qualis eſt ſubſiſtentia divina abſoluta ſi per ly *incommunicabilis* intelligamus, quod ſubſiſtens per illam conſtitutum ſit incommunicabile alteri ex indigentia; ſubſiſtentiæ vero hypoſtaticæ, ſi intelligamus, ſuppoſitum per illam conſtitutum eſſe incommunicabile alteri omnibus modis: quadrat autem definitio ſubſiſtentiæ, vt abſtrahit ab hypoſtatica, & non hypoſtatica, ſumpta incommunicabilitate omnimoda, & ab incommunicabilitate præciſſe ex indigentia.

§. I.

Vtrum ſubſiſtentia addat aliquid reale poſitivum ſupra naturam?

8 PRima Concluſio. *Suppoſitum, & natura in rebus creatis non diſtinguuntur ſola ratione, in quantum, ſcilicet, natura ſignificatur, vt quo aliquid eſt, ſuppoſitum vero, vt quod eſt*. Prob. contra Durand. qui oppoſitum docens male audit inter Theologos; ſuppoſitum ſolum differt ex modo ſignificandi à natura: ergo natura humana in Chriſto Domino realiter, & entitative eſt ſuppoſitum: ſicut Deitas realiter eſt Deus, quia Deus, & Deitas ſolum differunt: ex modo ſignificandi: ergo in Chriſto Domino præter ſuppoſitum Verbi Divini datur ſuppoſitum humanum, ac per conſequens duplex ſuppoſitum. Conſequens eſt error Neſtorij damnatus in Concilio Epheſino: ergo ſuppoſitum addit ſupra naturam, nedum modum ſignificandi, ſed aliquid realiter diſtinctum ab ea.

9 Confirm. Suppoſitum Chriſti Domini addit ſupra naturam humanam aliquid realiter diſtinctum ab ea, nempe Divinam ſubſiſtentiam; ſed ſuppoſitum Chriſti Domini gerit vices proprij, naturaliſque ſuppoſiti: ergo proprium, & naturale ſuppoſitum hominis addit ſupra naturam hominis aliquid ab ea realiter diſtinctum.

10 2. Prob. concluſio: nulla creatura eſt per ſe ipſam in proprio genere completa: ergo ſubſtantia in proprio genere ſubſtantiæ completur per aliquid realiter à ſe diſtinctum, ſed

ſed ſubſtantia in proprio genere completa nihil eſt aliud, quem ſubſtantia ſubſiſtens: ergo nulla ſubſtantia creata ſubſiſtit per ſe ipſam: Min.eſt certa: Quia ſubſtantia completa eſt ſubſtantia per ſe exiſtens independenter ab alio; ſed hoc eſt, eam ſubſiſtere: ergo. Maior autem prob. Omnis creatura eſt in proprio genere potentialis, cum ſit finita, & finito modo participet illud genus: ergo nulla eſt per ſe ipſam completa in proprio genere.

11 Conf. Sicut complementum eſſentiæ eſt exiſtentia, complemētum naturæ eſt operatio, ita complementum ſubſtantiæ eſt ſubſiſtentia; at nulla eſſentia creata exiſtit ſe ipſa, nullaque natura creata operatur ſe ipſa, ſed per aliquid realiter ſuperadditum: ergo nulla ſubſtantia ſubſiſtit ſe ipſa, ſed per aliquid ſuperadditum.

12 *Secunda Concluſio: Suppoſitum in rebus creatis non eſt ſola natura, vt connotat accidentia.* Patet ex dictis: natura humana Chriſti Domini, ſe ipſa connotat accidentia, & tamen ſe ipſa non eſt ſuppoſitum: ergo ſuppoſitum non eſt ſola natura, vt connotat accidentia. Prob. mai. Natura humana in alijs hominibus ſe ipſa, & non per aliquid ſuperadditum connotat accidentia, alioquin ſuppoſitum adderet ſupra naturam, nedum connotationem accidentis; ſed aliquid præter illam: ergo natura humana Chriſti Domini, ſe ipſa connotat accidentia.

13 *Tertia Concluſio. Suppoſitum non addit ſupra naturam ſolam ſingularitatem, ſivè ſola principia individualia.* Ratio eſt; quia natura quælibet ſe ipſa eſt formaliter ſingularis; gradus quippe individualis ſola ratione diſtinguitur ab ſpecifico; ſed natura non eſt ſe ipſa ſuppoſitum, vt probatum eſt: ergo ſuppoſitum non eſt natura, vt ſingularis.

14 Conf. Suppoſitum Verbi Divini non addit ſupra naturam humanam ſolam ſingularitatem: ergo nec ſuppoſitum proprium alterius hominis addit ſupra naturam ſolam ſingularitatem. Prob. anteced. Suppoſitum Verbi Divini ſolum addit ſupra humanitatem ſubſiſtentiam Divinam; ſed ſubſiſtentia divina non eſt ſingularitas humanitatis Chriſti: ergo. Prob. maior. Hæc numero humanitas Chriſti permanere non poteſt ſine ſua ſingularitate; ſed poteſt permanere ſine ſubſiſtentia divina; potuit enim eam dimittere Divinum Verbum: ergo ſubſiſtentia divina non eſt ſingularitas humanitatis Chriſti.

15 *Quarta Concluſio. Id, quod addit ſuppoſitum ſupra naturam, non eſt negatio dependentiæ actualis, & aptitudi-*

dinalis ab alio ſuppoſito. Ita communiter Thomiſtæ, & AA. Societatis contra Scotiſtas, qui cenſent, eſſe ſuppoſitum nihil aliud eſſe, quam actu non dependere, nec poſſe naturaliter dependere ab alio ſuppoſito: ex quo inferunt, humanitatem Chriſti Domini non eſſe ſuppoſitum, quia actu dependet à ſuppoſito, & animam rationalem adhuc ſeparatam nō eſſe ſuppoſitum, quia naturaliter poteſt dependere à ſuppoſito hominis, quem poteſt conſtituere.

16 Concluſio noſtra prob. 1. Natura creata eſt independens ab alio ſuppoſito, quia eſt completa, ac proinde non indigens altero, vt ſubſiſtentetur; ſed non eſt completa per ſe ipſam abſque entitate poſitiva ſuperaddita: ergo vt ſit ab alio ſuppoſito independens indiget entitate poſitiva ſuperaddita; ac proinde ſuppoſitum ſupra naturam nedum negationem dependentiæ, ſed entitatem poſitivam ſuperaddit. Maior eſt certa, & probat. min. Si natura humana eſſet completa per ſe ipſam, non poſſet vniri per ſe Verbo Divino, nec ex illa, & Verbo Divino poteſt fieri vnum per ſe: ex duobus enim entibus completis non poteſt fieri vnum per ſe: ergo natura per ſe ipſam nō eſt completa.

17 Confir. Si natura humana per ſe ipſam eſt completa, nec poteſt accipere ſuum eſſe à ſuppoſito Divino, nec per illud in ſuo eſſe poteſt compleri: ergo ex natura, & Verbo Divino nequit reſultare vnum per ſe. Patet conſeq. Quia vnum per ſe ſolum poteſt reſultare ex actu, & potentia, ſivè ex natura, & ipſius complemento; ſed ſi natura humana non accipit à ſuppoſito Divino ſuum eſſe, nec per illud in ſuo eſſe completur, natura, & ſuppoſitum Divinum non comparantur, vt actus, & potentia, nec vt natura, & ipſius complementum: ergo ex eis nequit reſultare vnum per ſe.

18 Confirm. 2. Si natura humana per ſe ipſam eſt completa: ergo per ſe non ordinatur ad vnionem cum ſuppoſito Divino, nec ad vnionem cum aliquo, cuius effectus poſſit ſuppleri ſuppoſito Divino: ergo non poteſt per ſe vniri ſuppoſito Divino: nam quod per ſe non ordinatur ad alterum, nec ad aliquid eminenter in altero contentum, nequit illi per ſe vniri.

19 2. Perſonalitas Divina non conſiſtit in negatione dependentiæ, ſed in aliquo reali poſsitivo: ergo perſonalitas creata non in negatione dependentiæ, ſed in aliquo reali poſitivo conſiſtit. Patet conſeq. Quia de ratione vtriuſque Perſonæ Divinæ, ſcilicèt, & crea-

creatæ eſt ſiſtere in ſe, ita vt alteri communicari nequeat, ſed totum hoc præſtat perſonalitas divina per aliquid poſitivum: ergo per aliquid poſitivum id ipſum præſtat perſonalitas creata.

20 3. Subſiſtentia creata nihil eſt aliud, quam natura, nec vnita, nec potens naturaliter vniri alteri ſuppoſito: ergo cum dicimus Catholicè, ſuppoſitum divinum gerere vices ſubſiſtentiæ propriæ, eſt ſenſus; ſuppoſitum divinum gerere vices negationis ſui ipſius, ſiquidem ſubſiſtentia propria nihil eſt aliud, quam negatio vnionis cum ſuppoſito divino: conſequens eſt implicatorium: nam implicatorium eſt, quod aliquid tribuat effectum formalem, quem præſtat negatio ſui. ergo.

21 Confirm. Perſona divina eſt natura humana non vnita ſuppoſito divino: ergo dicere, quod Verbum Divinum aſſumpſit naturam humanam, & non perſonam eſt dicere, quod Verbum Divinum aſſumpſit naturam humanam, & quod non aſſumpſit illam, relinquendo eam in vnitam ſibi. Similiter Eccleſiam definire contra Neſtorium in Chriſto Domino non fuiſſe duplex ſuppoſitum alterum creatum, & alterum increatum fuiſſet idem, ac definire in Chriſto Domino non fuiſſe naturam humanam vnitam, & inunitam Verbo Divino: conſequens eſt ridiculum: vt quid enim Eccleſia cogeret Concilium ad definiendum, quod nullus Hæreticorum potuit negare: ergo.

22 Dices cum Franciſco Bonæ Spei, ſenſum illius propoſitionis: Verbum Divinum in humanitate gerit vices propriæ ſubſiſtentiæ eſſe iſtum. *Perſonalitas Verbi Divini fecit perſonam, vt illæ negationes faciebant.* Sed contra negationes illæ faciebant perſonam reddendo humanitatem ſiſtentem in ſe, & non vnitam ſuppoſito Divino actu, nec aptitudine, ſed perſonalitas Verbi Divini in humanitate non fecit hoc modo perſonam, vt de ſe patet: ergo perſonalitas Verbi Divini in humanitate non facit perſonam, vt illæ negationes faciebant.

23 Dices 1. Cum præcit. M. ſenſum alterium propoſitionis, nempè Verbum Divinum aſſumpſit naturam humanam, & non aſſumpſit perſonã, eſſe iſtum: *Verbum aſſumpſit naturam humanam non relinquendo illam in vnitam in eſſe entis vnius per ſe.*

24 Contra. In ſenſu, in quo Eccleſia accepit Verbum *aſſumpſit*, dum definivit, verbum non aſſumpſiſſe perſonam, accepit illud, dum definivit, verbum aſſumpſiſſe naturam: ſed dum definivit, verbum non aſſumpſiſſe perſonam, intel-

telligitur ly *aſſumpſit* de aſſumptione per vnionem non accidentalem, & effectum, vt voluit Neſtorius, ſed intrinſecam, & conſtituentem vnum per ſe: ergo de aſſumptione per vnionem intrinſecam, conſtituentemque vnum per ſe, intelligit Eccleſia verbum *aſſumpſit*, dum definit, verbum aſſumpſiſſe naturam; tunc ſic ergo definire verbum aſſumpſiſſe naturam, & non aſſumpſiſſe perſonam, fuit idem, ac definire verbum vniviſſe ſibi naturam humanam in ratione entis per ſe, non relinquendo eam ſibi inunitam in ratione entis per ſe, quod eſt abſurdum.

25 *Quinta Concluſio: Suppoſitum creatum addit ſupra naturam aliquid poſitivum; quo circa ſubſiſtentia, quam ſuppoſitum addit ſupra naturam, eſt aliquid reale poſitivum realiter diſtinctum à natura.* Hæc concluſio patet ex dictis, nam ſuppoſitum addit ſupra naturam aliquid realiter diſtinctum; non negativum: ergo aliquid poſitivum realiter diſtinctum à natura.

26 Prob. etiam ratione facta pro prima concluſione. Verbum Divinum gerit vices in humanitate ſubſiſtentiæ propriæ, præſtando eidem effectum formalem, quam præſtaret propria ſubſiſtentia; ſed præſtat humanitati Verbum Divinum effectum formalem realem, & poſitivum diſtinctum realiter ab humanitate: ergo ſubſiſtentia propria præſtaret humanitati effectum formalem realem poſitivum diſtinctum realiter ab illa; ſed effectus formalis eſt ipſa forma communicata: ergo ſubſiſtentia propria eſt realitas poſitiva, realiterque diſtincta à natura; ac ſubinde ſuppoſitum proprium, quod ſubſiſtentiam propriam addit ſupra naturam, adderet aliquid reale poſitivum diſtinctum realiter à natura.

27 Confirm. Subſiſtentia eſt complementum ſubſtantiale realiter ſuperadditum naturæ: ergo eſt perfectio poſitiva realiter ſuperaddita naturæ. Prob. antec. Natura ex ſe eſt ſubſtantialiter incompleta: ergo ſubſiſtentia eſt complementum ſubſtantiale naturæ: ergo ſubſiſtentia eſt complementum ſubſtantiale realiter ſuperadditum naturæ. Antecedens probat. Subſiſtentia divina eſt complementum ſubſtantiale naturæ humanæ: ergo natura humana, ac ſubinde quælibet natura creata eſt ex ſe ſubſtantialiter incompleta.

****
****
******
***
**
*

§. II.

Argumenta ſolvuntur.

28 PRimo. Obijcies adverſus 1. & 2. concluſ. In Angelis non differunt ſuppoſitum, & natura: ergo nec in alijs rebus creatis ſuppoſitum addit aliquid reale poſitivum ſupra naturam. Prob. antecedens: ex Div. Thom. 1. p. quæſt. 3. dicente: quod *in his, quæ non ſunt compoſita ex materia, & forma non differunt ſuppoſitum, & natura.* Idem repetit quæſt.7. de pot. artic. 4. & 4. contrag. cap. 55. vbi ait, quod natura humana congruentius aſſumpta eſt à Verbo Divino, quam Angelica: *Quia in homine aliud eſt natura, & aliud eſt perſona, cum ſit ex materia, & forma compoſitus, non autem in Angelo, qui immaterialis eſt.*

29 Confirm.1. In prędicta q.3. artic.3. 1. p. docet S. D. ſuppoſitum ſolum addere ſupra naturam ſpecificam accidẽtia individuantia: ergo nihil eſt aliud ſuppoſitum, quam natura, vt connotat accidentia. Confirm.2. Perſona eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia; ſed natura rationalis per ſe ipſam eſt individua ſubſtantia: ergo per ſe ipſam eſt perſona, vel ſuppoſitum.

30 Reſpond. D. Tho. clariſsime tenere noſtram ſententiam. nam 1. part. quæſt. 3. ad 3. dicit, quod homo habet aliquid, quod non habet humanitas: & quæſt. 30. art. 4. quod nomen perſonæ non eſt nomen negationis: & 4. contrag. cap. 43. ait: quod ſi verbum aſſumpſiſſet naturam prius ſubſiſtentem, aliquid debebat corrumpi: ergo in ſentent. D. Thomę negari nequit ſubſiſtentia eſſe aliquid reale poſitivum à natura. Immo in Angelis diſtingui realiter ſubſiſtentias à natura docet Sanct. Doct. quodlib. 2. artic. 2. vbi diſputans ex profeſſo, vtrum in Angelis ſit idem ſuppoſitum, & natura, reſolvit, differre in eis ſuppoſitum à natura. Idem traddit 3. part. quæſt. 4. artic. 1. ad 3. aſſerens potuiſſe naturam Angelicam aſſumi à Deo in vnionem perſonæ, quia potuit ita præveniri, vt propria perſonalitate careat. Et denique 3. p. quæſt. 2. artic. 2. ait: *In omnibus rebus, in quibus invenitur aliquid, quod non pertinet ad rationem ſpeciei, ſecundum rem differunt natura, & ſuppoſitum ſicut maximè apparet in his, quæ ſunt compoſita ex materia, & forma*: ſentit ergo hoc eſſe commune alijs, ſed in compoſitis maximè apparere.

31 Vnde ad arg. neg. eſt ant. ad prob. reſp. quod ſuppoſitũ poteſt accepi formaliter, & radicaliter, formaliter ſumptum eſt ſubſtantia individua omnino incommunicabilis;

lis; radicaliter vero eſt individuum naturæ ſubſtantialis; ſubſiſtentia non oritur ex natura, ſecundum principia ſpecifica; ſed individuantia, vnde ſubſiſtentia ſumpta radicaliter importat principia individuationis; formaliter vero eſt terminus complens naturam reddens illam incommunicabilem, ac ſubinde ſicut naturæ individuæ ſolum convenit compleri incommunicabiliter: ita illi vt individuæ convenit radicare ſubſiſtentiam formalem; Div. Thom. aliquando ſumit ſuppoſittum, ſeu ſubſiſtentiam tantum formaliter pro ipſo termino complente naturam: aliquando etiam pro principijs individuantibus, à quibus natura habet radicare ſubſiſtentiam formalem. Eſt autem differentia inter naturam ſimplicem, & illam, quæ ex materia, & forma componitur, quod in ſimplici, forma ſe ipſa individuatur, & per aliquid ab ipſa indiſtinctum, in compoſita vero, forma individuatur per materiam, vt quantitate ſignatam, & per aliquid ab illa diſtinctum quare in Angelis ſubſiſtentia etſi ſumpta formaliter diſtinguatur à natura: ſumpta in radice non diſtinguitur ab illa: in natura compoſita, ſubſiſtentia, tàm formaliter, quam radicaliter, realiter ab illa diſtinguitur.

32 Ex quo patet ad teſtimonium Divi. Thomæ ex 1. part. *Ad ſecundum* ex 4. Contragentes reſp. quod cum identitas ſubſiſtentiæ cum natura obſtet aſſumptibilitati: quo maior eſt identitas, magis obſtat, & quo minor eſt, obſtat minus; dicèt autem ſubſiſtentia formalis in Angelis, & hominibus realiter à natura diſtinguatur, ſubſiſtentia vero radicalis cum natura Angelica identificatur, & à natura humana diſtinguitur, ac ſubinde hæc eſt magis aſſumptibilis: & quidem cum Divus Thomas vtramque naturam aſſumptibilem eſſe in ſua comparatione ſupponat, ſupponit etiam in vtraque ſubſiſtentiam formalem realiter à natura diſtingui; vnde maior congruitas ad aſſumptionem, quam concedit naturæ humanæ præ Angelica non ſumitur ex huius identitate cum ſubſiſtentia formali, ſed ex minori diſtinctione.

33 Ad 1. confirm. reſpond. Loqui Divum Thomam de ſubſiſtentia radicali naturæ materialis, quæ individuatur per materiam cum accidentibus illam deſignantibus; quæ omnia ſe habent ex additione ad naturam ſpecificam compoſitam ex materia, & forma: in quo differt individuatio compoſitorum ab individuatione ſimplicium, quæ ibidem aſſerit Div. Thom. individuari per

ſe, & non per aliud diſtinctum; & cum concludit, quod in his non differt ſuppoſitum à natura; debet intelligi de ſuppoſito radicali: ſicut quando in compoſitis aſſerit, quod ſuppoſitum addit ſupra naturam accidentia individuantia, intelligitur de radicali ſubſiſtentia.

34 Ad 2. confirmat. reſp. Quod in illa diffinitione, ly *individua* non debet ſumi præciſsè prout dicit gradum individualem; ſed etiam terminum complētem naturam, & reddentem illam incommunicabilem; vt vidimus ſupra in diffinitione Ricardi ita declarantis, & ex communi acceptione Philoſophorum: & in ſummâ quotieſcumque Div. Thom. videtur negare diſtinctionem ſuppoſiti à natura in ſimplicibus (Deo excepto) loquitur de ſuppoſito radicaliter, & non ſolum formaliter; ideſt prout ex parte principij individuationis ſe tenet: ſicut ſi dicatur, quod paſsiones radicaliter ſumptæ non diſtinguuntur à natura, bene tamen formaliter.

35 *Inſtas*: individuatio in homine non diſtinguitur realiter à natura: ergo nec ſubſiſtentia radicalis, & conſequenter diſcrimen aſsignatum à Div. Thom. inter ſimplicia, & compoſita nullum eſt. Reſpond. diſtinguendo antecedens. Pro forma'i individuationi, concedo antecedens, pro radice, nego antecedens: in compoſitis, & ſi individuatio naturam contrahens, & conſtituens metaphyſicè individuum ſumpta formaliter identificetur cum natura, cum radix huius individuationis ſit materia ſignata quantitate, quæ realiter à natura diſtinguitur; hinc eſt, quod individuatio radicaliter ſumpta realiter à natura diſtinguitur; in ſimplicibus vero, principium individuationis non eſt aliquid extrinſecum naturæ, & ab illa diſtinctum ſed natura ſe ipſa individuatur.

36 Obijcies 2. ex Ariſtot. 7. metaph. cap. 11. vbi aſſerit: *Quidquid eſt, eſſe idem cum eo, cuius eſt: ſed quidquid eſt*: importat naturam, & id *cuius eſt* importat ſuppoſitum: ergo natura, & ſuppoſitum ſunt idem: *Confirmat.* Concretum, & abſtractum non differunt ex parte rei ſignificatæ, ſed ſolum ex modo ſignificandi, album enim ſolam qualitatem ſignificat, ſicut albedo, licèt albedo ſignificet illam vt per ſe ſtantem, album vero, vt alteri inhærentem; ſed homo importans ſuppoſitum, & humanitas importans naturam ſe habent vt concretum, & abſtractum: ergo in homine ſuppoſitum, & natura; ſolum diſ-

differunt ex modo ſignificandi.

36 Reſpond. quidditatem eſſe idem cum eo cuius eſt quidditas, ſi illud ſumatur quoad eſſentialia; ſecus vero ſi conſideretur ſecundum ea, quæ ſunt prȩter eſſentiam, qualia ſunt omnia accidentia eſſentiæ, tàm prædicamentalia, vt albedo, & figura, quam prædicabilia, vt ſubſiſtentia, & exiſtentia: Philoſoph. ibi loquitur de eo *cuius eſt quidditas*, priori, non poſteriori modo conſiderato: ſolutio cũ Div. Thom. quæſt. vnica de vnione verbi artic. 3. ad 14.

38 Ad confirm. reſpond. quod nomen ſignificans concretum, tam ſubſtantiale, quam accidentale (quidquid ſit de conſideratione logica attendente ad modum ſignificandi, in qua ad minus de connotato importat ſubiectum) in conſideratione phyſica, de qua in præſenti ſignificat in recto ens completum, dicens in recto naturam, & ſubſiſtentiam, vel ſubiectum, & formam; & retorqueo argumentum: album phyſicè acceptum non eſt ſola albedo; ſed etiam ſubiectum realiter ab illa diſtinctum: ergo homo phyſicè loquendo, non eſt ſola humanitas; ſed aliquid ab illa diſtinctum, nempe ſubſiſtentia.

39 Obijcies adverſus 4. & 5. concluſionem, Naturam non dependere ab alio, nec actu, nec aptitudine, eſt aliquid negativum; ſed natura conſtituitur non dependens ab alio per ſubſiſtentiam: ergo ſubſiſtentia ſolum eſt negatio dependentiæ ab alio. *Confirmat.* Naturam eſſe omninò incommunicabilem alteri eſt aliquid negativum, quia incommunicabilitas nihil videtur eſſe niſi negatio communicabilitatis; ſed natura redditur omnino incommunicabilis per ſubſiſtentiam: ergo hæc eſt aliquid negativum.

40 Reſpond. quod natura non dependeat ab alio, nec ſit alteri communicabilis, habet ex eo quod eſt completa, & terminata: cum autem vt ſupra probatum eſt per ſe ipſam non ſit completa, & terminata; ſed per aliquid poſitivum ſupperadditum, fit vt conſtituatur non dependens, & incommunicabilis per aliquid poſitivum, & quidem quod non dependentia, & incommunicabilitas explicentur per negationem, non probat naturam conſtitui independentèm, & incommunicabilem ſolum per negationem: nam independentia in Deo, & incorruptibilitas, & alia innumera explicantur per negationem; & tamen in ſe, & formaliter ſunt aliquid poſitivum.

41 Denique obij-

cies iuxta Damaſc. Verbum aſſumpſit, quidquid in humana natura plantavit; ſed plantavit quidquid eſt poſitivum: ergo omne poſitivum aſſumpſit. Sed non aſſumpſit ſuppoſitum, vel perſonam: ergo ſuppoſitum nihil poſitivum ſuperaddit naturæ. *Confirmatur* 1. quod non eſt aſſumptum à verbo, non eſt ab ipſo ſanatum; vt ait idem Damaſc. ergo ſi ſubſiſtentia eſt aliquid poſitivum, & non aſſumptum à verbo, aliquid poſitivum pertinens ad naturam humanam non eſſet ſanatum à verbo, quod eſt inconveniens.

42 Confirm. 2. Iuxta communem ſenſum Patrum, & Theologorum, ideò natura humana Chriſti caret ſubſiſtentia propria, quia ſubſiſtit per divinam, quam habet: ergo propria ſubſiſtentia non conſiſtit in aliquo poſitivo, ſed ſolum in carentia vnionis ad aliud ſuppoſitum. *Confirmatur* 3. Sequeretur namque ex noſtra ſententia naturam humanam fuiſſe aſſumptam à verbo ſinè aliqua perfectione reali poſitiva ſibi debita: ex quo vlterius ſequeretur eſſe violentam: hæc ſequela probatur, quia talem perfectionem poſitivam ſibi debitam appeteret, & in illam naturaliter inclinaret: ergo dum caret illa eſſet violenta.

43 Reſpond. aſſump. tam eſſe à verbo omnem entitatem naturæ humanæ, & quidquid ad eam pertinet in ratione naturæ; non tamen quidquid pertinet ad modum, ſeu complementum naturæ primum intendit Damaſc. non vero ſecundum. *Ad* 1. *confirm.* dico: ea propriè dici ſanari à verbo, quæ prius ex peccato Addami languorem contraxerant; vt ſunt anima, caro, & potentiæ operativę: quare quamvis non aſſumpſerit ſubſiſtentiam propriam naturæ non ſequitur, quod aliquid pertinens ad naturam, quod fuit infirmum, non fuit ſanatum.

44 Ad 2. confirmat. nego conſeq. Quamvis ſubſiſtentia propria non coſiſtat in carentia vnionis cum divino ſuppoſito, ſed in aliquo poſitivo; ſalvatur illa cauſalis Patrum propter repugnantiam eſſentialem, quæ reperitur in eo, quod natura creata retinendo propriam perſonalitatem, vniatur cum divina perſona, nam cum duo ſimul repugnant, poſitio vnius cauſa eſt quaſi illativa carentiæ alterius.

Ad vltim. neg. vtramque ſequelam. Appetitus namque, ſeu inclinatio eſt ad aliquid ſecundum quod eſt bonum, & conveniens appetenti; cum autem bonum, quod adveniret naturæ per propriam ſubſiſtentiam, nempe illam termi-

minare, & complere præſtetur excellentiori, & eminentiori modo à ſubſiſtentia diuina; ſit vt ſine propria ſubſiſtentia, non maneat violenta: ſemel quod ſit terminata per diuinam.

§. III.

Vtrùm poſitiuum, quod addit ſubſiſtentia ad naturam ſit ſubſtantia, vel accidens; entitas, vel modus?

45 PRima Concluſio: *Subſiſtentia non eſt accidens, ſed aliquid ſubſtantiale.* Ita cōmuniter Theologi Prob. ſuppoſitum, vt tale, eſt degenere ſubſtantiæ; ſed ſuppoſitum, vt tale, conſtituitur per ſubſiſtentiam: ergo ſubſiſtentia eſt de genere ſubſtantiæ, ac ſubinde aliquid ſubſtantiale. 2. Vnio Verbi Diuini cum natura hnmana eſt ſubſtantialis: ergo extrema ſunt aliquid ſubſtantiale; ſed vnum extremum eſt ſubſiſteutia verbi gerens munus ſubſiſtentiæ creatæ: ergo hæc eſt aliquid ſubſtantiale.

46 3. Ex natura, & ſubſiſtentia fit vnum per ſe, nempe ſuppoſitum; ſed ex ſubſtantia, & accidenti vnum per ſe nequit fieri: ergo ſubſiſtentia non eſt accidens naturæ, ſed complementum ſubſtantiale illius. *Confir.* 1. Subſtantia intra proprium genus debet habere ſuum complementum, & vltimationem; ſed ſubſiſtentia eſt complementum ſubſtantiæ: ergo ſubſiſtentia eſt intra genus ſubſtantiæ. *Confirm.* 2. Prius eſt ſubſtantiam eſſe ſubſtantialiter completam, & perfectam, quam quod accidentia recipiat; ſed ſubantialiter completur, & perficitur per ſubſiſtentiam ſuperadditam: ergo hæc non eſt accidens, ſed aliquid prævium ad omne accidens; ſed quod prævenit omne accidens non eſt accidens: ſed ſubſtantia: ergo.

47 Obijcies 1. Iuxta Philoſoph. 2. De Anima ſubſtantia adæquatè diuiditur in materiam, formam, & compoſitum; ſed ſubſtantia non eſt materia, forma, nec compoſitum: ergo nec eſt ſubſtantia. Diſtin. mai. & compoſitum prout præciſſè ſignificat naturam totalem conſtantem ex partibus, nego. mai. prout etiam ſignificat naturam totalem completam, & compoſitum conſtans ex natura, & ſubſiſtentia, quod eſt ſuppoſitum, concedo maior. Nomen compoſiti frequentius attribuitur ſuppoſito, quam naturæ totali, & in hoc ſenſu loqutus eſt Philoſoph. in illa diuiſione.

2. Dici poteſt ſubſiſtentiam non pertinere ad genus

ſubſtantiæ per modum partis per ſe, nec per modum totius ex illis coaleſcentis; ſed dumtaxat per modum termini. Ariſtot. enim in illo loco ſolum meminit compoſiti, & partium eius; & licèt ibi ſubſiſtentiam non exprimat, minimè infertur illam non pertinere ad ſubſtantiam, licèt non vt partem, ſaltem vt terminum.

48 Obijcies 2. Tota eſſentia ſubſtantiæ ſalvatur ſine ſubſiſtentia: ergo ſubſiſtentia eſt accidens ſubſtantiæ. *Confirmatur* 1. In variata ſubſtantia poteſt variari ſubſiſtentia, vt ſi Verbum Divinum aſſumpſiſſet, vt potuit, naturam antea perſonatam, aut ſubſiſtentem, invariata ſubſtantialiter natura variaretur ſubſiſtentia, ſiquidem deſtrueretur ſubſiſtentia propria per adventum divinæ. *Confirm.* 2. Subſiſtentia recipitur in ſubſtantia, & illam informat: ſed non per modum formæ ſubſtantialis: ergo accidentalis.

49 Diſt. anteced. tota, & totaliter intra propriam lineam ſubſtantiæ, nego antec. Tota quaſi conſtitutivè tranſeat ant. ſubſtantia *tota* coaleſcit ex partibus: *totaliter* dicit etiam modum completionis per ſubſiſtentiam: vel tota ſalvatur ſine ſubſiſtentia totalitate de linea naturæ, non totalitate ſumpta à complemento naturæ. *Ad* 1. *Confirm.* reſpond. Quod variata ſubſiſtentia, variaretur natura ſubſtantialiter, non quoad id quod pertinet ad rationem naturæ ſed quoad id quod pertinet ad complementum ſubſtantiale illius; vnde ſicut per adventum ſubſiſtentiæ completur ſubſtantialiter non complemento partis conſtituentis, ſed termini terminantis: ità per variationem ſubſtantiæ variatur ſubſtantialiter, non variatione alicuius partis; ſed termini ſubſtantialis.

Ad 2. confirmat. Reſpond. quod recipi in natura non habet ſubſiſtentia ex ſuo proprio conceptu formali ex quo tantum habet purè terminare, & complere, vt videre eſt in ſubſiſtentia divina; ſed ex conceptu ſubſiſtentiæ creatæ, & adhuc vt talis non habet recipi per modum formæ conſtituentis aliquam naturam ſubſtantialem, vel accidentalem, ſed præciſsè per modum termini ſubſtantialis: & quidem argumentum ſolum probat ſubſiſtētiam eſſe accidens ſubſtantiæ, vel naturæ, non prædicamentale; ſed ſolum prędicabile, quod non obſtat, vt illa ſit aliquid ſubſtantiale.

50 Secunda Concluſio: *Id quod ſubſiſtentia ſuperaddit naturæ, non eſt entitas; ſed modus.* Contrarium tenet noſter Dominicus de Marinis in 1. p. quæſt.

quæſt. 3. artic. 3. aſſerens ſubſiſtentiam, & naturam diſtingui entitativè, vel tanquam res à re, referens pro ſe Caiet. ſed concluſ. noſtra eſt communior, & videtur expreſſa Div. Thom. q. 9. de Potent. art. 1. ad 1. dicentis: *Subſiſtentiam eſſe modum exiſtendi in ſingulari ſubſtantia*, & art. 2. *Perſona ſignificat naturam cum quodam modo exiſtendi, qui modus eſt eſſe per ſe exiſtens.* Idem habet alijs in locis.

51 Et prob. ratione: quod additur naturæ adæquatè conſtitutæ in ratione totius non poteſt eſſe entitas, vel res, ſed præciſè modus naturæ; ſed ſubſiſtentia additur naturæ adæquatè conſtitutæ in ratione totius: ergo ſubſiſtentia non eſt entitas; ſed modus. Minor conſtat: quia natura conſtituitur in ratione totius per partes proprie tales; & ſebſiſtentia non eſt propriè pars. Probatur mai. quod additur naturæ conſtitutæ adæquatè in ratione totius non conſtituit cum illa aliquod totum: ſed ſi naturæ prout ſic adderetur entitas, vel res cum illa conſtitueret aliquod totum: ergo quod additur naturæ adæquatè conſtitutæ in ratione totius non poteſt eſſe entitas, vel res, ſed præciſè modus: Prob. min. Quod additur alteri, vt vera entitas, ſuperadditur, vt vera pars; quia vera entitas, vel eſt ens totale, vel pars alicuius veri entis: ergo ſi naturæ totali adderetur entitas, cum illa conſtitueret aliquod totum.

52 Confirmat. 1. Si ſubſiſtentia eſſet entitas, eſſet entitas ſubſtantialis; ſed hoc eſt falſum: ergo tantum eſt modus ſubſtantialis. Maior conſtat ex præcedenti concluſione, & probat. min. Si eſſet entitas ſubſtantialis conſtitueret cum natura compoſitum ſubſtantiale, ſed ſubſiſtentia non conſtituit compoſitum ſubſtantiale; ſed illud conſtitutum ſupponit, & præciſè illud complendo conſtituit ſuppoſitum: ergo ſubſiſtentia non eſt entitas ſubſtantialis. Prob. mai. ex duplici entitate vera ſubſtantiali, nequit non conſtitui aliquod compoſitum ſubſtantiale.

53 Confirm. 2. vera entiaas ſubſtantialis non totalis, nequit non eſſe vera pars ſubſtantialis; ſed vera pars ſubſtantialis nequit non conſtituere verum totum, ſeu compoſitum ſubſtantiale: ergo ſi ſubſiſtentia eſt entitas ſubſtantialis, conſtituit compoſitum ſubſtantiale; ſed hoc eſt falſum: ergo ſubſiſtentia non eſt entitas ſubſtantialis: Prob. min. ſub ſumpt. ratio partis ſubſtantialis conſtitutiva compoſiti ſubſtantialis, adæquatè dividitur in materiam, & formam, & partes inte-

grantes; ſed ſubſiſtentia neque eſt materia, neque forma, nec pars integralis: ergo non eſt pars ſubſtantialis; ac ſubinde nec entitas ſubſtantialis.

54 Confirm. 2. Nam vt ſupra vidimus ex Ariſtotel. in 2. de Anima: ens verum ſubſtantiale adæquatè dividitur in materiam, formam, & compoſitum; ſed ſubſiſtentia non eſt forma, nec materia, nec compoſitum, prout hoc habet rationem entis ſubſtantialis, quia prout ſic nihil eſt præter materiam, & formam: ergo ſubſtantia non eſt entitas ſubſtantialis, ſed modus entis ſubſtantialis illud complens, conſtituens non in ratione compoſiti, ſed ſuppoſiti.

55 2. Prob. concluſ. quod alicui non præſtat eſſe abſolutè; ſed eſſe tali modo, non comparatur ad illud, vt res, ſeu ens; ſed præciſsè vt modus; ſed ſubſtantia non præſtat compoſito, vel naturæ eſſe abſolutè; ſed eſſe tali modo: ergo ſubſiſtentia non eſt entitas; ſed præciſsè modus. Maior conſtat: nam eſſe abſolutè, ab ente abſolute tali, & non à modo præſtatur. Prob. min. Tum ex verbis D. Thom. ſupra relatis: Tùm ex ipſis verbis explicatis; nam ſubſiſtentia non præſtat eſſe abſolutè eſſentiæ, nec exiſtentiæ, sed velmodum exiſtendi in ſingulari ſubſtantia, vel modum exiſtendi per ſe incommunicabiliter: ergo non præſtat eſſe abſolutè, ſed ſolum eſte tali modo.

56 Obijcies 1. Tota entitas ſuppoſiti creati non eſt natura; ſed ſupra naturam nihil addit ſuppoſitum, niſi ſubſiſtentiam: ergo ſubſiſtentia eſt entitas. Prob. mai. Falſum eſt, quod verbum aſſumpſit totam entitatem ſuppoſiti creati; ſed verum eſt, quod aſſumpſit naturam: ergo natura non eſt tota entitas ſuppoſiti creati. Neg. mai. Ad prob. dicimus, quod in Chriſto eſt tota entitas, quæ aliàs futura eſſet in ſuppoſito creato, quod non videtur inconveniens: quia tota illa entitas nihil eſt præter humanitatem, quantum ad prædicata naturæ: vnde in ſenſu in quo eſt verum, verbum aſſumpſiſſe totam humanitatem, erit verum aſſumpſiſſe totam entitatem ſuppoſiti; non tamen concedi debet aſſumpſiſſe totam realitatem ſuppoſiti, quia hoc latius patet, & complectitur non ſolum entitatem; ſed etiam realem modum.

Vel diſtinguatur mai. ſumpto ſuppoſito pro illo, quod præciſsè dicit de formali, & in recto, nego ſuppoſitum, quia hoc præciſsè eſt ſubſiſtentia, quæ non eſt entitas; ſi ſumatur pro eo, quod etiam includit, ſubſtentat, & commo-

tat

tat nego maior. Suppoſitum prout ſic iam dicit entitatem, ſed non aliam, niſi naturæ.

57 Obijcies 2. Iuxta Div. Thom. 3. part. quæſt. 2. art. 2. Suppoſitum comparatur ad naturam, vt habens illam, & illam includens; ſed hoc eſſet falſum, ſi ſubſiſtentia per quam conſtituitur ſuppoſitum, eſſet quidam modus, quia falſum eſt modum includere, & habere naturam, quam modificat: ergo ſubſiſtentia non eſt modus; ſed entitas. *Reſpond.* nego min. quam non ſuadet inſerta probatio nam ſuppoſitum non eſt ſolus modus ſubſiſtentiæ, ſed coaleſcit ex ipſo, & natura, vnde licèt modus non habeat nec includat naturam, illam habet, & includit ſuppoſitum, ſicut, & ſubſiſtentiam; diverſimode tamen, quia naturam habet, vt formam totalem, ſubſiſtentiam, vt illius modificationem, & complementum.

58 3. Obijcies: ſubſiſtentia non modificat naturam: ergo non eſt modus. Prob antecedens: Subſiſtentia verbi præſtat humanitati, quod præſtaret propria; ſed ſubſiſtentia Verbi non modificat humanitatem, quia imperfectius eſt modificare, quam informare, & informare eſſet imperfectio: ergo ſubſiſtentia propria non modicat. *Inſto argum.* ſubſiſtentia Verbi præſtat humanitati, quod præſtaret propria; ſed propria recipitur iu natura: ergo, & divina? Non valet conſequentia, quia ſubſiſtentia verbi præſtat, quod præſtaret propria ſublatis imperfectionibus informationis, receptionis, & modificationis rigoroſæ, & ſolum præſtat, quòd præſtaret propria in munere terminandi, & complendi naturam, quod perfectio eſt.

59 Denique obijcies: Exiſtentia non eſt modus, ſed vera entitas, & res: ergo, & ſubſiſtentia. Probatur conſeq. Sicut ſubſiſtentia comparatur ad ſubſtantiam, non vt pars, nec vt totum; ſed præciſe vt terminus, & complementum: ita exiſtentia comparatur ad eſſentiam, non vt pars nec vt forma, ſed præciſè vt terminus, & complementum; ſed hoc ſecundum non probat exiſtentiam eſſe modum: ergo male probavimus per primum, ſubſiſtentiam eſſe modum.

Reſpond. conceſſo antecedenti, de quo infra, nego conſeq. Ad prob. diſt. mai. quoad 1. partem, comparatur vt terminus, & complemētum dans totum eſſe eſſentiæ, concedo mai. dans præciſè tali modo eſſe, nego mai. exiſtētia præſtat eſſe exercitiū, & participale imò illa eſt eſſe ſimpliciter rei, quod verum non eſſet ſi ip-

ipſa non eſſet vera entitas, & res: ſubſiſtentia vero tantum habet complere ſubſtantiam, vt exiſtat vt quod, & incommunicabiliter, ad quod ſufficit modus; vel præſtat non quod ſubſtantia ſit; ſed quod ſit tali modo.

§. IV.

Vtrùm vnica ſubſiſtentia, & indiviſibilis ſufficiat toti compoſito.

60 PRocedit difficultas de ſubſiſtentia compoſitorum, quia naturas ſimplices nulli dubium eſt, ſubſiſtentia ſimplici, & indiviſibili ſubſiſtere, & procedit de compoſito non ſolum ex partibus eſſentialibus, nempe materia, & forma; ſed etiam ex partibus integralibus ſubſtantialibus conſtituto: partem negantem, & ſubſiſtentiam diviſibilem concedentem tenet Suarez, Arriaga, Hurtado, Oviedo, Carleton, & alij Recentiores Societatis: Affirmativæ ſententiæ, & neganti diviſibilem ſubſiſtentiam adhærent Vazquez, Molina, Fonſeca citati à PP. Carmelit. lib.2. de Generatione diſp. 15. quæſt. 4. §.1. & communiter Thomiſtæ cum quibus ſit.

61 *Concluſ. ſubſiſtentia compoſiti ſubſtantialis eſt vnica, & indiviſibilis.* Eam clare tenet Angelicus Mag. pluribus in locis: præſertim in 3. ad Annibald. diſtin. 5. quæſt. vnica, dicente: *Quod ratio partis contrariatur rationi perſonæ, cum perſona ſit quid completum, & perfectum, & per ſe ſubſiſtens, ratio autem partis eſt ratio imperfecti, & ideo ei non convenit ratio perſonæ*: & in 4. contrag. cap. 49. ait: *Neque partes alicuius ſubſtantiæ, ſic dicuntur particulares ſubſtantiæ, quaſi ſint per ſe ſubſiſtentes, ſed ſubſiſtunt in toto, vnde neque hypoſtaſes poſſunt dici, cum nulla illarum ſit ſubſtantia completa: aliàs ſequeretur, quod in vno homine tot eſſent hypoſtaſes, quod ſunt partes*: In quibus locis, & habetur concluſio, & ratio.

62 Prima ſit Subſiſtentia eſt modus ſubſtantialis vltimo perficiens, & complens naturam, reddenſque illam omnino incommunicabilem; ſed modus ſubſtantialis hoc præſtans naturæ compoſitæ, eſt indiviſibilis: ergo ſubſiſtentia compoſiti ſubſtantialis eſt indiviſibilis. Maior conſtat ex ſupradictis, & cum ſtat in diffinitione ſubſiſtentiæ immerito de illa diputatur: probat. min. Si talis modus ſubſtantialis eſſet diviſibilis, conſtaret ex partialibus modis ſubſtantialibus: ergo vel ex modis quorum quilibet vltimo perficeret, & compleret naturam compoſitam; vel non?

Si hoc ſecundum : ergo nullus illarum eſſet ſubſiſtentia, nec partialis, nec totalis : non totalis, vt patet : non partialis, quia careret effectu formali conſtitutiuo ſubſiſtentiæ : ſi primum : ergo quilibet illorum ſufficeret ad conſtituendam naturam perfectè ſubſiſtentem, & conſequentér alij partiales modi ſubſtantiales ſuperfluerent.

93 Dices cum aduerſarijs, quod ſubſiſtentia totalis ex partialibus coaleſcens, eſt ſola, quæ reddit naturam totalem vltimo perfectam, & completam : ſubſiſtentia vero partialis non totam naturam; ſed partem illius reddit ſubſiſtentem.

Contra 1. Subſiſtentia partialis, vel vltimo perficit, & complet partem ſubſtantiæ, vel non ? Si ſecundum, falſum eſt, quod partem ſubſtantiæ reddat ſubſiſtentem, cum illi non præſtet effectum formalem ſubſiſtentiæ : ſi primum, vel vltimo perficit, & complet partem ſubſtantiæ, vt illa per ſe, & in ſe ſiſtat, vel vt ordinetur ad aliam compartem, & ad totum ? Si hoc ſecundum, partem ſubſtantiæ partialiter ſubſiſtere eſt chymęra : ergo, & ſubſiſtentia partialis eſt chymæra. Prob. antecedens aliquid eſſe vltimo perfectum, & complementum, & ordinari ad aliud, eſt chymæra: ergo partem ſubſtantiæ vltimo perfici, & compleri, vt ordinetur ad aliam compartem, & ad totum, eſt chymæra : ſi dicatur primum, non minus eſt falſum, & chymæricum; tum quia, eſſe partem in aliqua linea, & eſſe quid vltimo completum in illa linea, eſt chymæricum: ergo ſubſiſtentiam vltimo complere partem ſubſtantię, eſt chymęricam. Tùm quia eſſe partem, & ſiſtere in ſe, & non ordinari ad aliam compartem, & ad totum eſt impoſsibile: ergo ſubſiſtentiam complere partem ſubſtantiæ, vt per ſe, & in ſe ſiſtat, & terminetur, eſt impoſsibile.

64 2. Subſiſtentia partialis correſpondens materię v. g. vel opponitur cum eo, quod à forma informetur, vel non ? Si primum : ergo ſubſiſtentia materię potius illam deſtruit, quam perficiat : ſi ſecundum : materia ſubſiſtens partiali ſubſiſtentia non eſt vltimo perfecta in linea ſubſtantię. Prob. conſeq. Materia ſic ſubſiſtens eſt informabilis à forma : ergo, & ab illa perfectibilis, ac ſubinde à partiali ſubſiſtentia non eſt vltimo perfecta.

65 Nec dicas ſubſiſtentiam materię ſolum eſſe vltimam perfectionem in linea ſubſtantiali per ordinem ad aliam partem ſubſiſtentię propriam formę cum qua, ſubſ-

ſubſiſtentiam totius naturę conſtituit; vnde ex vtraque ſubſiſtentia reſultat integra ſubſiſtentia, qua natura, prout includens materiam, & formam vltimo perficitur, & terminatur.

Contra 1. ergo vltimo perficere, complere, & terminare non convenit ſubſiſtentiæ partiali vt tali: ergo proprie non reddi ſubſiſtentem partem ſubſtantiæ, ſed tantum æquivocè, & impropriè: ſecunda conſeq. probat. Nulla ſubſtantia propriè redditur ſubſiſtens, niſi à modo ſubſtantiali vltimo illam perficiente, complente, & terminante; ſed ſubſiſtentia partialis, vt talis, non habet vltìmo perficere, complere, & terminare partem ſubſtantiæ: ergo propriè non reddit illam ſubſiſtentem.

66 2. Subſiſtentiam materiæ ſolum eſſe vltimam perfectionem in linea ſubſtantiali per ordinem ad ſubſiſtentiam formæ, eſt nullum illarum præſtare effectum formalem ſubſiſtendi; ſed ſolum quod præſtetur à ſubſiſtentia totali ex illis coaleſcente: ergo naturam ſubſiſtere eſt effectus formalis ſolum præſtandus à ſubſiſtentia totali, vt tali; ſed effectus formalis ſubſiſtentiæ eſt ipſamet, vt communicata naturæ: ergo ſolum ſubſiſtentia totalis, vt talis eſt ſubſiſtentia vera, ac per conſequens non dantur ſubſiſtentiæ partiales.

67 Confirm. 1, Effectus formalis primarius alicuius modi, vel formæ pugnans cũ conceptu partialis eſt effectus formalis præſtitus à modo, vel forma formaliter indiviſibili; ſed vltimò perficere, complere, & terminare in linea ſubſtantiali, eſt effectus formalis primarius ſubſiſtneriæ, pugnans cum conceptu partis; quia iuxta ſolutionem, ſolum poteſt præſtari à ſubſiſtentia, vt totali: ergo effectus formalis ſubſiſtendi præſtatur à ſubſiſtentia indiviſibili. Prob. maior. Effectus formalis primarius alicuius modi, vel formæ, nihil eſt niſi modus ipſe, vel forma communicata; ſed effectus formalis pugnans cum conceptu partium eſt indiviſibilis, quia quod pugnat cum aliquo, illud non admittit, & quod non admittit partes, eſt indiviſibile: ergo talis effectus formalis præſtatur à forma indiviſibili.

63 Confirm. 2. Modus totalitatis pugnat cum modo partialitatis: quia tales modi inter ſe ſunt oppoſiti; ſed modus ſubſiſtentiæ eſt modus totalitatis, cum ſit modus completionis, & incommunicabilitatis: ergo modus ſubſiſtentiæ eſt indiviſibilis. Prob. conſeq. Quia quod eſt indiviſibile

non

non pugnat cum partialitate, cũ per ipſas partes conſtituatur, & illas admittat: ergo quod pugnat cum modo partialitatis eſt indiviſibile.

69 Confirm. 3. Subſiſtentiam componi ex partibus eſt vnã partem illius ad aliam ordinari, vt ex illis reſultet tota ſubſiſtentia: ergo eſt vnam partem alteri communicari, & non vltimo terminari, & compleri: ergo eſt ſubſiſtentiam in ſe admittere communicabilitatem, & incompletionem, & non vltimam terminationem; ſed ſubſiſteutia hoc præſtat naturę ſubſtantiali, quod in ſe admittit, & habet, cum ſe ipſam pręſtet pro effectu: ergo ſubſiſtentia pręſtat ſubſtantiæ eſſe communicabilem, & incommunicabilem completam, & incompletam, terminatam vltimo, & non vltimo terminatam.

70 Si dicas, quod licèt modus totalitatis opponatur cum conceptu partium, entitas tamen totius componitur ex entitate partium; cur ergo modus totalis ſubſiſtendi, vel ſubſiſtentia totalis, ex modis partialibus non erit compoſita?

Contra eſt: Licèt entitas totius non pugnet cum entitate partium; modus vero totalitatis pugnat cum modo partiali, nec modus partis poteſt componere modum totius, cum quo oppõuitur; ſed ſubſiſtentia ex ſuo conceptu non dicit eſſe totum, ſed totalitatem, ſeu modum completionis: ergo licèt totum non pugnet cum partibus, & ex eis componatur; ſubſiſtentia partes non petit, ſed potins eas excludit.

71 Confirm. licèt completio, & vltima terminatio alicuius compoſiti, vel totius petat complere, & terminare aliquid conſtans ex partibus: ipſa vero in ſe partes neceſſariò excludit, ſed ſubſiſtentia tantum eſt completio, & vltima terminatio totius: ergo licèt totum ab ipſa modificatum conſtet ex partibus, ipſa partes neceſſariò excludit: Prob. mai. Si ipſamet vltima terminatio, & completio: partes in ſe admitteret: admitteret in ſe aliquid incompletum, & non vltimo terminatum: ergo in ſe non eſſet ex omni capite vltima terminatio, & completio: ergo ex illo capite non eſſet ſubſiſtentia; ſed aliquid indigens illa, ſicut alię res ex partibus conſtantes.

§. V.

Argumenta ſolvuntur.

72 Objicies 1. de conceptu ſubſiſtentię verę, nõ eſt reddere naturam incommunicabilem, nec eſt eſſe

eſſe modum ſubſtantialem totius: ergo conceptus ſubſiſtentiæ non opponitur cum conceptu partis, & conſequenter poterit admittere partes, in quas ſit diviſibilis. Antecedens quoad primam partem probatur. In Deo in quo plures Theologi admittunt veram ſubſiſtentiam abſolutam; ſed hæc non reddit naturam divinam, quam terminat, omninò incommunicabilem, cum communicabilis maneat tribus perſonis: ergo Quoad ſecundam etiam probat. In anima rationali, quę verè ſubſiſtit ſeparata à corpore; at non ſubſiſtentia, quæ ſit modus ſubſtantialis totius, cum ſolum modifficet partem: ergo.

73 Neg. anteced. Quoad vtramque partem: ad prob. primæ conceſſa mai. diſting min. Ex indigentia, nego min. Ex fœcunditate, concedo min. Solutio conſtat ex diffinitione ſubſiſtentiæ ſupra explicata. *Ap probat*. 2. Admiſſa mai. de qua aliqui dubitant aſſerentes, quod quamvis anima ſeparata latè dicatur ſubſiſtens pro eo, quod eſt per ſe exiſtere independenter à corpore; propriè non ſubſiſtit ob defectum incommunicabilitatis, & propter incapacitatem, vt in illo ſtatu conſtituatur ſuppoſitum, & perſona: admiſſa, in quam, mal. quia conformior eſt menti Divi Thomæ varijs in locis aſſerentis animam habere propriam ſubſiſtentiam, diſting. min. non ſubſiſtit ſubſiſtentia, quæ ſit modus ſubſtantialis totius, quoad hoc, quod eſt reddere totum ſubſiſtens, pro illo ſtatu, concedo min. Quoad hoc, quod non ſit ſufficiens, vt per illum eundem modum totum reddatur ſubſiſtens, nego min. vnde ille modus ſubſtantialis licèt pro ſtatu ſeparationis ſolum modifficet partem, in ſe eſt modus totius, quia non alio modo diſtincto ab illo, ſubſiſteret totum pro caſu coniunctionis.

74 Sed inſtas 1. Subſiſtentia animæ ſeparatæ, vel præbet effectum ſuum formalem animæ, vel non? Si hoc ſecundum, anima ſeparata non ſubſiſtit. Si primum: ergo effectus formalis ſubſiſtentiæ non eſt vltimo complere naturam; cum tribuat illum parti incompletæ. 2. Pars ſubſtantialis eſt capax effectus formalis ſubſiſtentiæ: ergo licèt ad dandum ſuum effectum formalem toti requiratur ſubſiſtentia totalis, ad præſtandum illum parti ſufficiet ſubſiſtentia partialis, vel pars ſubſiſtentiæ.

3. Modus indifferenter præſtans ſuum effectum formalem parti, & toti, non eſt pręciſsè modus totalitatis; ſed præſcindens à totalitate, & par-

partialitate: ergo eſt modus præſcindens à totali, & partiali. Probat. conſeq. Quia totalitas, & partialis explicant rationem modi diverſi, at non in alio poſſunt differre, niſi in eo, quod alter ſit totalis, & alter partialis: ergo.

75. Et confirm. 1. Subſiſtentia non præſtat animæ ſuum effectum formalem totalem: ergo præſtat effectum formalem partialem: ergo in ſe eſt ſubſiſtentia partialis, quia cum effectus formalis ſubſiſtentiæ ſit ipſaniet, vt communicata; ſi effectus eſt partialis, ipſa erit quid partiale. Anteced. autem probatur: repugnat partem, vt talem recipere effectum aliquem totalem; ſed anima ſeparata ſubſiſtit vt pars: ergo nõ recipit effectum totalem ſubſiſtentiæ.

76 Confirm. 2. Si anima ſeparata ſubſiſtit, ſubſiſtit immediate, & in ſe, & non mediante toto, & in toto: ergo non eſt contra conceptum partis ſubſtantialis ſubſiſtere immediatè, & in ſe: ergo omnes partes compoſiti ſubſtantialis poterunt ſubſiſtere immediatè, & in ſe, cum non ſit maior ratio vnius, quam alterius; ſed hoc ipſo ſubſiſtentia compoſiti erit diviſibilis: ergo. Prob. min. Subſumpt. ideò probatur ſubſiſtentiam compoſiti eſſe indiviſibilem, quamvis illud ſit diviſibile, quia partes immediatè, & in ſe non ſubſiſtunt; ſed ſolum mediatè, & in toto: ergo ſi partes poſſunt ſubſiſtere immediatè, & in ſe, ſubſiſtentia compoſiti erit diviſibilis.

77. Vt replicæ ſolvantur, & ſolutio, quam in pugnant, roboretur magis: advertes eſſe perfectum compoſiti ab anima provenire: ita Div. Thom. in 1. diſt. 8. quæſt. 5. art. 2. ad 2. *Anima ſine dubio habet eſſe perfectum: & hoc ipſum eſſe, quod eſt animæ per ſe fit eſſe coniuncti; eſſe enim coniuncti non eſt niſi eſſe ipſius formæ.* Ex quo deduces, quod cum ſubſiſtentia ſequatur, vel committetur eſſe perfectum; ſi hoc eſt in anima, & hoc ipſum præſtatur materiæ, & toti compoſito; ita ſubſiſtentia animæ erit qua ſubſiſtit compoſitum, & in ipſo etiam materia, ſine cõ quod materia propria ſubſiſtentia indigeat, vt ex ipſa, & ſubſiſtentia animæ ſubſiſtentia totius integretur: quod indicat Div. Thomas 1. p. q. quæſt. 76. artic. 1. ad 5. dicens: *Quod anima illud eſſe in quo ſubſiſtit communicat materiæ corporali; ex qua, & anima intellectiva fit vnum: ita quod illud eſſe, quod eſt totius compoſiti, eſt etiam ipſius animæ.*

78 Nec dicas, ex hoc inferri primo. Animam eſſe totam quidditatem compoſiti, cuius oppoſitum ſupra docui-

nius aſſerentes formam non eſſe totam quidditatem compoſiti naturalis. Infertur 2. Quod ſi anima humana habet eſſe totius, & ipſius materiæ, cui communicat: ergo pereunte homine non perit eſſe hominis, & per coniunctionem animæ non fit eſſe hominis, quod eſt falſum.

Neutrum ſequitur, non 1. Nam quidditas dicit partes eſſentiales, ex quibus aliquid phyſicè, aut metaphyſicè conſtituitur; vel id, per quod reſpondetur ad interrogationem *quid eſt*: cui reſpondetur diffinitione phyſica, aut metaphyſica conſtante, vel ex potentia, & actu, vel ex genere, & differentia: quarum neutra ſine duplici parte, vel materiali, & formali, vel generica, & differentiali, poteſt adæquatè ſalvari: eſſe autem dicit actualitatem eſſendi, quam materia non habet à ſe; ſed à forma, vt ſupra latè probatum eſt: & cum compoſitum non habeat eſſe diſtinctum à partibus, ſequitur quod eſſe, tàm materiæ, quā compoſiti, reducatur ad eſſè formæ.

Nec ſequitur 2. Nam pereunte homine, perit eſſe hominis, vt hominis, non vt animæ, vel perit homo non eſſe, quod eſt illius: vnde eſſe hominis eſt eſſe animæ, non abſolutè; ſed vt communicatæ corpori, & quando fit homo non fit aliud eſſe ab anima, ſed illud eſſe, quod eſt animæ, fit eſſe totius coniuncti: vt vidimus ex D. Thom. in illa diſtinct. 8. idem dicimus de ſubſiſtentia, quæ tota eſt in anima, licèt non totaliter in illa explicetur.

79 Ex his facile ſolves inſtantias. Ad 1. dico præbere animæ ſuum effectum formalem, licèt non omni modo, quo illud præſtat compoſito ob defectum totalitatis. *Ad 2. conceſſo antec.* nego conſeq. ſubſiſtentia proprie, neque eſt totalis, quia non conſtat ex partibus, nec partialis propter eandem rationem: ſed dicitur vnica, & ſimplex reſpectu totius, & partis formalis, nempe animæ; cum differentia ſolum, quod animæ tota communicatur; ſed non totaliter: compoſito vero, tota, & totaliter communicatur.

Ad 3. diſting. anteced. eſt modus præſcindens à totalitate, & partialitate, ſubiectivè & ex parte ſui, neg. antec. terminativè, & ex parte rei, cui præſtat ſuum effectum, omitto ant.

80 Ad 1. Confirmat. diſting. anteced. Subſiſtentia non præſtat animæ effectum totalem, & totaliter, concedo anteced. Totalem, licèt non totaliter, nego antec. & conſeq. Aliud eſt quod ſubſiſten-

ſtentia non totaliter explicetur in anima; aliud eſt, quod ipſa tota non ſe communicet animæ (& idem dic) de effectu formali illius: hoc ſecundum indicat partialitatem in ſubſiſtentia, & in eius effectu formali: primum vero indicat ſubſiſtentiam totam eſſe animæ communicatam, licèt ibi omnem modum ſuæ communicationis non explicet; quod quidem ſine diviſibilitate in ſe, & in ſuo effectu formali ſalvari poteſt.

81 Ad 2. confir. conceſſo anteced. diſting.conſequens, non eſt contra conceptum partis ſubſiſtere immediate, & in ſe: partis, que ſit eſſe, & perfectio alterius partis, & compoſiti, concedo conſeq. Partis, quę hoc non habet, neg. conſeq. Sicut non omni parti ſubſtantiali convęnit, quod ſit id, à quo habet eſſe altera compars, & compoſitum; ita nec omni parti ſubſtantiali convenit immediate, & in ſe ſubſiſtere.

82 2. Obijcies. Iuxta D. Thom. 3. p. q. 6. artic. 1. ad 1. Verbum aſſumpſit humanitatem mediantibus partibus, & pro aliquo priori prius partes aſſumpſit, quam totam naturam: ergo pro aliquo priori, prius partes terminavit, quam naturam, & hanc terminavit mediantibus partibus: ergo prius reddidit partes ſubſiſtentes, quā naturam, & hæc mediantibus partibus fuit conſtituta ſubſiſtens. Patet conſeq. Quia verbum facit ſubſiſtere naturam humanam media terminatione; immo ipſam terminari à verbo eſt formaliter in Verbo ſubſiſtere.

Confirm. Verbum hoc præſtat naturæ humanæ, quod præſtaret propria ſubſiſtentia: ergo partes naturæ, prius ſubſiſtunt propria ſubſiſtentia, quam natura, & hæc ſubſiſtit mediantibus ſuis partibus, & conſequenter partes non ſubſiſtunt media ſubſiſtentia totius; ſed potius è converſo, ſubſiſtet totum medijs ſubſiſtentijs partium.

83 Reſpond. Div. Thom. Ibidem ſe explicare dicendo, quod via intentionis immediatè, & prius aſſumpſit humanitatem, quam partes; licèt via operationis, ſeu exequutionis è converſo contingerit: non ita, quod adhuc in exequutione prævię ad naturam ſubſiſtant partes illius; ſed ita, quod partes prævie componunt naturam totalem, cui convenit immediatè ſubſiſtere. Vnde in forma diſting. antec. Verbum aſſumpſit humanitatem mediantibus partibus prævie ſubſiſtentibus formaliter, & in ſe, nego anteced. mediantibus partibus prævię componentibus naturam, quam immediatę reddit ſubſiſtentem, con-

cedo anteced. & in hoc ſenſu ſubſiſtentia verbi ſubrogata loco ſubſiſtentiæ propriæ, nihil probat contra concluſionem; & manet confirmat. ſoluta.

84 3. Obijcies. Subſiſtentia eſt modus: ergo debet proportionari cum re, quam modifficat; ſed modifficat totum conſtans ex partibus, & diviſibile: ergo ipſa eſt compoſita, & diviſibilis. *Confirm.* 1. Subſiſtentia rei corporeæ, non eſt tota in toto, & tota in qualibet parte: aliàs modifficaret modo ſpirituali, ſicut anima rationalis informat: ergo tota eſt in toto, & pars in parte, ac ſubinde habet partes. *Confirmat.* 2. Subſiſtentia eſt modus conſequens formam: ergo ad formam diviſibilem, ſubſiſtentia diviſibilis. Probat. conſeq. Quia in homine ſubſiſtentia eſt modus conſequens formam, & iſta eſt ſpiritualis; ſubſiſtentia eſt ſpiritualis: ergo à ſimili.

85 Diſting. 1. conſequens: proportione habitudinis termini ad terminabile, concedo conſeq. Proportione omnimodæ convenientiæ, nego conſeq. Proportio ſubſiſtentiæ cum natura potius petit, quod ſi natura eſt compoſita, illa ſit ſimplex, cum proportio debeat eſſe in terminando vltimo naturam: & ſi ſubſiſtentia eſſet compoſita, non eſſet vltimo terminans, ſed compoſitum vlterius terminabile: conſtat exemplum in puncto terminativo lineæ, quod licèt ſit indivſibile, proportionatur cum linea diviſibili, proportione termini, & terminabilis.

86 Ad 1. Confir. reſp. Quod tota ſubſiſtentia eſt in toto; in partibus vero totius, nec eſt tota in qualibet parte, nec pars in parte, immediatè, & formaliter loquendo, quia partes in ſe immediatè non ſubſiſtunt; ſed mediatè, & in toto, quod complent, & ad cuius complementum ſequitur modus totalitatis, & terminationis, quæ eſt ſubſiſtentia: nec hoc eſt modifficare modo ſpirituali; vt conſtat in vltimo terminativo lineæ, quod non modo ſpirituali terminat, ſed quantitativo, & materiali.

87 Ad 2. confirmat. neg. conſeq. ad prob. admiſſo antec. negatur paritas; quia licèt modus conſequens formã, cum illa debeat proportionari in eo, in quo forma cum modo non opponitur; non tamen in eo, in quo forma, & illius modus opponuntur: ſpiritualitas formæ non opponitur cum indiviſibilitate à ſubſiſtentia exacta; bene tamen formæ diviſibilitas: alia quam

quam plurima difficilia de ſubſiſtentia poterant opponi; immo, & hic diſputari, quę conſulto omittimus, quia Theologica ſunt, & tranſcendunt limites Philoſophi naturalis.

ARTIC. II.

De eſſentia, vt præveniente exiſtentiam.

88 ACturi, vt promiſsmus, de altero termino compoſiti naturalis, qui eſt exiſtentia; merito aliqualem notitiam eſſentiæ, vt exiſtentiam prævenientis, præmittimus: *Tùm*, quia habita notitia eſſentiæ ſine exiſtentia, melius, qualiter inter ſe eſſentia, & exiſtentia cumparentur, dignoſcetur: *Tùm* vel maximè, quia licèt materia hæc inter metaphyſicas computetur, vt præcipua, imò, & inexplicabilis penè reputetur, notitia tamen illius ad partes difficultates phyſicas valde vtilis videturPhiloſophis præcipuè modernis; quorum morem ſequentes rem hanc pertractare connamur attemperantes captui Philoſophi naturalis, quantum materia permiſſerit.

89 Eſſentiæ rerum in quadruplici quaſi ſtatu poſſunt meditari. *Exiſtentiæ*, *præteritionis*, *futuritionis*, *& poſſibilitatis*: *exiſtentiæ*, dum in ſe ipſis actu, & exercite exiſtunt: *præteritionis*, dum non exiſtunt, extiterunt tamen pro aliqua differentia temporis; *futuritionis*, dum de præſenti non exiſtunt; ſunt tamen determinatæ ad exiſtendum poſtea: *Poſsibilitatis* eſt ſtatus contrapoſitus præteritioni, futuritioni, & præſentiæ rei ſub exiſtentia, & dicit negationem exiſtendi pro quacumque differentia temporis; de eſſentijs rerum in hoc vltimo ſtatu eſt nobis aliqualiter diſſerendum in præſenti.

§. I.

Vtrùm eſſentiæ rerum in ſtatu poſsibilitatis, habeant aliquod eſſe actuale, reale, poſitivum in ſe ipſis?

90 PArvus error in principio magnus eſt in fine: ens autem, & eſſentia, ſunt, quæ primo ab intellectu concipiuntur: ideò primò, ne ex eorum ignorantia errare contingat, ad horum difficultates apperiendas, dicendum eſt, quid nomine eſſentiæ, & entis ſignificetur: verba ſunt Divi Thomæ in Procemio li-

Libri de Ente, & Eſſentia.

91 Iuxta Philoſoph. 1. topic. cap. 2. *Eſſentia* dicitur quidditas, quæ explicatur per diffinitionem; ita habet Div. Thom. varijs in locis, vbi etiam aſſerit, eſſentiam dici id, cuius actus eſt eſſe: iuxta ipſum Sanct. Doct. & comunem opinionem *ens* eſt nomen concretum: & cum concreta ſint talia per abſtracta, quæ ſunt formæ concretorum; reſtat videre, à qua forma denominetur ens, an ab eſſentia, an ab eſſe, ſeu exiſtentia? Ab vtroque poſſe denominari ens, conſtat ex Philoſoph. & Div. Thom. varijs in locis 4. Metaph. lect. 2. ait Doct. Sanct. *Quod hoc nomen, ens, quod imponitur ab ipſo eſſe, ſignificat idem cum nomine, quod imponitur ab ipſa eſſentia*: quare ens dicitur, id quod eſt, vel id, quod habet eſſe; & licèt eſſe propriè, & ſtrictè vſurpetur pro eodem, ac exiſtentia: etiam communiter eſſe ſignificat eſſentiam; vnde non ſolum id quod habet exiſtentiam; ſed etiam id, quod habet eſſentiam, poteſt ens denominari.

De ente, ſeu eſſe, quod eſt eſſentia (præſcindendo, an dicatur ens nominale, vel ens communiter, ſeu late dictum, in quo diſsident Authores, inter quos aliqui dicunt eſſentiam non eſſe *ens*; ſed *rem*, quod quidem fundamentum habet in Div. Thom.) inquirimus, an ſit ens, ſeu eſſe actuale ipſa eſſentia in ſtatu poſſibilitatis? Vel, vt in titulo; an eſſentiæ in ſtatu poſſibilitatis habeant aliquod eſſe actu in ſe ipſis, vel potius nullum eſſe actu habeant in ſe ipſis, ſed ſolum eſſe poſsibile, ſeu poſsibiliter?

93 Concluſio eſt: *Eſſentiæ rerum in ſtatu poſſibilitatis, nullum eſſe actu habent in ſe ipſis, ſed tantum ſunt actu in cauſa, & in ſe ipſis poſſibiliter.* Contrarium defendunt plures intra, & extrà Scholam Div. Thom. diverſimode tamen; nam Scotus dicit eſſe actu in ſe ipſis, non ſimpliciter; ſed in quoddam eſſe diminuto; ſcilicèt in eſſe cognito: plures vero ex noſtris aſſerunt, eſſe actu in ſe ipſis, ſumpto *eſſe*, non participialiter, ſed nominaliter tantum; vel ſumpto eſſe actuale, non pro actualitate exercita, ſed tantum ſignata: hæc ſententia tribuitur Capreolo, aliiſque Antiquioribus Thomiſtis, quos refert, & ſequitur Illuſtriſſimus Godoy; ſed noſtram concluſionem tenent Herbeus, Soncin. Bannes, Carleton, & alij plures.

Prob.

93 Prob. 1. Eſſentiæ rerum in ſtatu poſsibilitatis, nullum eſſe habent, quod non ſit à Deo producibile: ergo nullum eſſe habent actu in ſe ipſis, ſed tantum poſsibile: conſeq. patet: nam eſſe ad quod poteſt terminari productio, non eſt eſſe actu; ſed in potentia. Antec. prob. Non ſolum eſſe exiſtentiæ, ſed etiam eſſe eſſentiæ rerum eſt à Deo producibile: ergo nullum eſſe eſt in eſſentijs, quod non ſit à Deo producibile. Prob. antec. *Tùm*, quia ſi eſſe eſſentiæ, non eſt à Deo producibile; eſſe eſſentiæ rerum, vel Deus, vel nihil eſſet, quia iuxta Cyrillum, Auguſt. & alios PP. *Quidquid à Deo factum non eſt, vel Deus, vel nihil eſt*: ergo quidquid à Deo non eſt factibile, vel Deus vel nihil eſt: *Tùm* quia iuxta Div. Thom. quæſt. 3. de Potentia artic. 5. ad 2. *Hoc ipſo, quod quidditati eſſe tribuitur, non ſolum eſſe, ſed ipſa quidditas, creari dicitur*: Ergo creatio non ſolum terminatur ad eſſe exiſtentiæ; ſed etiam ad eſſe quidditatibum eſſentiæ, ac ſubinde non ſolum eſſe exiſtentię, ſed etiam eſſe eſſentiæ eſt à Deo producibile.

Confirm. eſſentię rerum in ſtatu poſsibilitatis non ſunt entia ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid: ergo nullum eſſe actu habent in ſe ipſis, ſed ſolum in potentia, vel poſſibile, ac ſubinde à Deo producibile. Antec. patet: quia ens ſimpliciter ab eſſe ſimpliciter, quod eſt exiſtentia, conſtituitur, qua carent eſſentię in ſtatu poſsibilitas: conſeq. prob. ex Div. Thom. 3. part. quæſt. 10. artic. 1. in corpore aſſerente: *Quod dupliciter aliquid dicitur ens, vno modo ſimpliciter, ſcilicèt; quòd eſt ens actu; alio modo ſecundumquid; ſcilicèt; quod eſt ens in potentia.*

94 Nec dicas; eſſe actu ſtare dupliciter, & ſignate, & exercite, eſſe actu exercite convenit eſſentijs rerum vt diſtinctis ab exiſtentia; licèt non ſine illa: & per tale eſſe, conſtituuntur ſubiectum reale exiſtentiæ: eſſe actu ſignatè, quod dicitur nominale, ſolum conſiſtit in connexione eſſentiali prædicatorum, quæ actu ab æterno eſt: ſecundum primum eſſe etiam ipſa eſſentia, & quidditas eſt à Deo producibilis; non vero ſecundum eſſe ſignatum, quod actu ab æterno, & improducibile eſt.

95 Contra 1. Eſſe ſignatum, & nominale, non eſt aliquod eſſe actu in eſſentijs poſsibilibus; ſed tantum in cauſa potente illas producere: ergo male diſtinguitur in illis duplex eſſe actu, aliud exercitum, & aliud ſignatum: Prob. ant. Antequam quidditas producatur à Deo, ſolum ha-

bet eſſe ſignatum, & nominale; ſed antequam à Deo producatur, quidditas nihil actu eſt niſi creatrix eſſentia: ergo eſſe ſignatum, & nominale, nihil actu eſt in eſſentijs, ſed tantum in cauſa. Prob. min. ex Div. Thom. quæſt. 3. Citata de Potentia, vbi ad verba ſupra relata ſubddit: *Ipſa quidditas creari dicitur, quia antequam eſſe habeat* (nempe exercitum, & per creationem) *nil eſt, niſi forte intellectu creantis; vbi non eſt creatura, ſed creatrix eſſentia.*

96 2. Eſſe ſignatum ſeu nominale in ipſis eſſentijs poſsibilibus, eſt etiam poſsibile: ergo nec ſignate habent eſſe actu. Prob. ant. eſſe ſignatum in eſſentijs eſt à Deo producibile: ergo non eſt eſſe actu, ſed poſsibile. Prob. antec. Eſſe ſignatum in eſſentijs eſt eſſedicens non repugnantiam prædicatorum; ſed quidquid non repugnat in prædicatis extra Deum, & ab ipſo non eſt productum, eſt ab ipſo producibile: ergo.

Confir. implicat aliquid diſtinctum à Deo, non repugnans, non productum, nec in ſuo conceptu formali dicens imperfectionem; & quod non poſsit à Deo fieri, vel produci; ſed eſſe ſignatum, vel nominale in eſſentijs poſsibilibus; eſt eſſe diſtinctum à Deo, non repugnans, non productum, nec dicens imperfectionem: ergo tale eſſe eſt à Deo producibile, ac per conſequens non eſt eſſe actu, ſed poſsibile.

97 Si dicas 1. Eſſentias rerum per eſſe ſignatū, & non repugnantiam, vel connexionem ſuorum prædicatorum, eſſe producibiles, & in potentia, non ad ipſum eſſe ſignatum; ſed ad eſſe exercitum exiſtentiæ. 2. Quod aliud eſt, quod omne non repugnans poſsit à Deo produci, aliud vero quod ipſa non repugnantia, ſeu habitudo prædicatorum, in qua eſse ſignatum eſſentiæ conſiſtit, ſit producibilis: primum eſt verum; ſecundum falſum.

98 Contra primam ſolutionem obſtat. *Tùm*, quia eſse ſignatum, vel dicit repugnantiam, vel non: ſi primum nihil eſt, nec actu, nec poſsibiliter: ſi ſecūdum: eſse ſignatum non eſt eſse actu, ſed poſſibile, ſeu producibile; quia omne eſſe non repugnans, ſi Deus non ſit, nec ab ipſo productum, ab ipſo eſt producibile. *Tùm*, quia eſse ſignatum eſsētiæ poſſibilis, poteſt poni ſub exiſtentia: ergo in ſe ipſo non eſt eſſe actu, ſed in potentia, & poſsibile. Patet conſeq. quidquid in ſe ipſo poteſt exiſtere, & non exiſtit, in ſe ipſo actu non eſt, ſed poſsibile: ergo ſi eſſe ſignatum eſſentiæ poſsibi-

bi-

bilis, poteſt exiſtere, & non exiſtit, non eſt eſſe actu, ſed poſsibile.

Confirm. potentia ad exiſtendum conveniens eſſentijs poſsibilibus per ſuum eſſe ſignatum, & nominale non eſt potentia phyſica, & ſubiectiva; ſed tantum obiectiva, & logica: ergo eſſe ſignatum, & nominale nihil eſt actu in eſſentijs poſsibilibus. Ant. eſt certũ, quia potentia phyſica, & ſubiectiva non convenit rebus, niſi prout ſunt extra cauſam, ad minus efficientem, & iuxta noſtram ſententiam, prout ſunt extra omnes cauſas. Conſeq. prob. Potentia logica, & obiectiva nihil actu eſt, ſed tantum non repugnantia, vt aliquid actu ſit.

99 Contra 2. Solutionem obſtat 1. Iuxta ſolutionem omne non repugnans non eſt ens actu, ſed poſsibile, & à Deo producibile: ergo non repugnantia, & habitudo prædicatorum nihil eſt actu in ipſis eſſentijs poſsibilibus. Prob. conſeq. Eſſentia poſsibilis conſtituitur in ſe ipſa poſsibilis, & producibilis per non repugnantiam, & habitudinem ſuorum prædicatorum; ſed implicat, aliquid in ſe, & intrinſecè conſtitui in potentia, & producibile per aliquid ſibi intrinſecum, quod ſit actu, & improducibile: ergo.

2. Ex eo quod non repugnantia, & habitudo prædicatorum, in qua eſſe ſignatum eſſentiæ conſiſtit, ſit improducibilis, minimè infertur eſſentias poſsibiles habere aliquod eſſe actu in ſe ipſis: ergo. Prob. conſeq. Talis non repugnantia, & habitudo prædicatorum nihil eſt actu intrinſecè in eſſentijs poſsibilibus, ſed ſolum eſt actu in cauſa, vt cõſtabit ſolvendo primam obiectionem.

100 Secundo prob. concluſio: nil extra Deum exiſtit ab æterno; ſed ſi eſſentiæ poſsibiles haberent aliquod eſſe actu intrinſecè in ſe ipſis, exiſterent ab æterno: ergo. Prob. min. Exiſtere nihil eſt aliud quam rem in ſe ipſa actu, & intrinſecè eſſe; nec eſt perceptibilis alius effectus, præſtitus eſſentijs rerum ab earum exiſtentijs, quam facere eas actu, & intrinſecè, & in ſe ipſis eſſe: ergo.

101 Si dicas: quod exiſtere aliquid, eſt eſſe actu intrinſecè in ſe ipſo actualitate exercita dante capacitatem ad exercendas operationes, accidentiaque recipienda; non vero actualitate tantum ſignata dante capacitatem ſolum ad terminandam veram cognitionem: eſſentiæ rerum poſsibilium, non primo, ſed ſecundo modo ſunt actu in ſe ipſis ab æterno.

102 Contra 1. Si eſſet

neceſſaria aliqua actualitas in eſſentijs poſsibilibus ad terminandam veram cognitionem, potius eſſet neceſſaria actualitas exercita, quam ſignata: ergo ſi prima non eſt ab æterno, nec ſecunda. Prob. antecedens: cognoſcibilitas vera obiecti petit illud actu eſſe: ergo cognoſcibilitas exercita obiecti, petit illud actu exercite eſſe: patet conſeq. Quia in tantū antecedens eſſet verum, quia cognoſcibilitas ſequitur ad eſſe: ergo cognoſcibilitas actu exercita petit obiectum actu exercitè eſſe; ſed eſſentiæ rerum ſunt actu exercite ab æterno cognoſcibiles: ergo eſſent ab æterno actu exercite in ſe ipſis.

2. Capacitas vt aliquid attingatur, ſicut in ſe eſt, eſt capacitas ad terminandam veram cognitionem; quia veritas cognitionis conſiſtit in attingentia obiecti ſicut eſt in ſe: ſed eſſentiæ rerum poſsibilium in ſe ipſis poſsibiles ſunt: ergo vt terminent veram cognitionem, non requiritur, quod ſint actu in ſe ipſis; ſed potius quod ſint poſsibiles.

Denique ad veram cognitionem non requiritur, quod modus obiecti ſit modus cognitionis: ergo ſtat cognitionem veram actu cognoſcere obiectum, quin obiectum actu in ſe ipſo ſit. Prob. antec. vera cognitio rei materialis, nō eſt materialis, ſed immaterialis in ſe; vera cognitio rei abſentis eſt præſens in ſe: ergo vera cognitio eſſentiæ poſsibilis, quæ in ſe actu eſt in Deo, non petit eſſentiam actu in ſe ipſa eſſe, ſed potius quod ſit in ſe ipſa poſsibilis.

103 Vltima ratio pro concluſione: eſſentiæ rerum vt poſsibiles ſi in ſe ipſis haberent aliquod eſſe actu; vel eſſet eſſe phyſicum, & ſubiectivū eſſentiæ, vel eſſe ſignatum, & nominale: vel eſſe diminutum in eſſe cogniti: *Non primum*, quia tale eſſe convenit eſſentijs ab exiſtentia formaliter, & effective à Deo, vel à cauſa producente; *Non ſecundum*, vt latè manet probatum: *Tertium* non eſſe reſtat probandum, quod breviter fiet.

104 1. Eſſe diminutum in eſſe cogniti, vel eſt aliquid actu intrinſecum in ipſis eſſentijs poſsibilibus, vel ſolum extrinſeca denominatio à divina cognitione: hoc 2. Non dicit Scotus, quia iuxta ipſum eſſentiæ poſsibilium ratione talis eſſe diminuti ab æterno producuntur ab intellectu divino, quod non eſſet verum, ſi eſſet extrinſeca denominatio: *Tùm* quia denominatio extrinſeca eſt improducibilis, ſi forma denominans, qualis in præſenti eſt divina cognitio, eſt improducibilis: *Tùm*, quia eſſentia divina ideò non pro-

producitur in eſſe cognito ab intellectu divino, quia conſtituitur formaliter per divinam cognitionem improducibilem.

Nec etiam primum dici poteſt, nam iuxta Scotum illud eſſe diminutum eſſet à Deo productum: ergo aliquid diſtinctum à Deo eſſet actu ab æterno neceſſariò ab ipſo productum; quod implicans apparere videtur, hæc coſeq. prob. Nam illud eſſe non eſſet Deus, cum eſſet productum extra ipſum; conveniret poſſibilibus, quæ ab æterno ſunt; deinde non eſſet productum libere, quia cognitio Dei eſt neceſſaria: ergo aliquid diſtinctum à Deo eſſet actu ab æterno neceſſariò ab ipſo productum.

2. Id ipſum prob. eſſe, quod convenit eſſentijs poſſibilibus, eſt illud, ratione cuius non repugnat, quod producantur, & exiſtant; ſed eſſentię hoc non habent ex eo quod à Deo ſunt cognitę: ergo. Major certa apparet, min. prob. chymęra etiam eſt à Deo cognita; & tamen ex hoc non habet, quod non repugnet produci, & exiſtere: ergo.

§. II.

Principalis obiectio ſolvitur.

105 Obijcies 1. hęc propoſitio *homo eſt ens* ab æterno cognoſcitur à Deo, vt vera; ſed in illa enuntiatur prędicatum actu convenire ſubiecto: ergo homo ab ęterno actu eſt ens, vel habet eſſe. Prob. min. 1 diſtinctum ſenſum facit illa, ac iſta *homo poteſt eſſe ens*: ſed iſta enuntiat ens poſſe convenire homini: ergo illa enuntiat actu illi convenire.

2. In hac propoſitione *homo eſt animal*, enuntiatur animal non de poſſibili, ſed actu homini convenire: ergo pariter in illa, cum ſint æquè eſſentiales.

3. Nihil eſt in potentia ad id, quod ei convenit eſſentialiter: aliàs illo careret, quia quod eſt in potentia ad aliquid, non habet id, ad quod eſt in potentia; ſed ens convenit homini eſſentialiter: quia *homo eſt ens* eſt propoſitio eſſentialis: ergo.

Denique: ſequeretur nullam eſſe propoſitionem accidentalem; nam ſi in hac *homo eſt albus* enuntiatur albedo, vt ſolum poſſibiliter conveniēs homini, prædicatum neceſſariò conveniret ſubiecto; ergo veritas talis propoſitionis eſſet neceſſaria, & ęterna.

106 Hæc obiectio concernit difficultatem tactam, & reſolutam in logica parva circa propoſitiones ęternę veritatis, an in illis verbum ab ſolvatur à tempore: & ex doctri-

trina ibi à nobis data conſtabit ſolutio præſentis obiectionis; igitur ex ibi dictis adverte, quod verbum *eſt* de præſenti, vt conſtituat propoſitionem veram, neceſſarò debet denotare vnionem prædicati ad ſubiectum, eſſe, & convenire de præſenti; ab hoc ergo verbum *eſt* non poteſt abſolvi; ſed quia vnio prædicati cum ſubiecto poteſt eſse duplex, neceſſaria ſcilicèt, & contingens: neceſsaria, vt cum prędicatum eſt de intrinſeca ratione ſubiecti, contingens vero, vt cum eſt accidens illius: hinc eſt, quod cum verbum *eſt* denotat convenientiam neceſsariam prædicati ad ſubiectum, non exigat aliquod extremorum exiſtere de præſenti, vt propoſitio ſit vera; quia exiſtentia extremorum, quæ creata ſunt, eſt contingens, & neceſsarium, nequit dependere, à contingenti: quare in propoſitionibus neceſsarijs verbum *eſt* denotat connexionem extremorum, quæ ſemper, & neceſſariò eſt, non vero denotat extrema exiſtere, & prout ſic vniri, vel identificari, pro tempore de præſenti: in hoc igitur ſenſu dicitur verbum *eſt* abſolvi à tempore ideſt abſolvi ab hoc, quod eſt reſtringere extrema, vt accipiantur, vt exercite exiſtentia, non vero ab hoc, quod eſt denotare connexionem extremorum exiſtere de præſenti.

Ex qua doctrina Lartius ibi traddita ſolvitur præſens obiectio: homini namque conveniunt neceſſariò, & eſſentialiter prædicata, nempè, animal, vivens, ſubſtantia, ens, & quando aliquod ex his prædicatis, per verbum *eſt* de præſenti, enuntiatur de homine, non denotatur convenientia inter prædicatum, & ſubiectum per identitatem exercitã, quæ inter illa ſit; quia identitas ſupponit entitatem, & identitas exercita entitatem exercitam media exiſtentia, quæ cum contingens ſit rebus creatis, neqnit exigit ad veritatem propoſitionis neceſsariæ ſed tantum denotatur vnum extremum actu, & de præſenti eſſe connexum cum alio, vel eſſe de præſenti connexionem extremorum. *In forma* conceſſa mai. diſt. min. enuntiatur ens actu convenire homini, vt extremum connexionis, concedo min. vt extremum exercitæ idẽtitatis, neg. min.

107 Sed inſtas 1. ergo eſsentijs poſsibilibus actu ab æterno convenit connexio inter ſua prædicata; ſed nihil amplius petit ſententia contraria: ergo. 2. Nam connexio ſupponit extrema: ergo connexio actu ſupponit extrema actu. 3. Quæ actu non ſunt, nec idem, nec diverſa ſunt: ergo, quæ actu non ſunt, nec

connexa actu, nec inconnexa ſunt; quia nullius entis nullæ ſunt proprietates.

Reſp. quòd connexio eſſentialis inter aliqua extrema vel conſiſtit, vel explicatur per bonitatem conſequentiæ de vno ad aliud, vnde veritas huius propoſitionis *homo eſt animal*, vt denotat connexionẽ eſſentialem extremorum, conſiſtit, vel explicatur per hoc, quod *Si homo eſt, animal, ſit vel ſi exiſtit homo, exiſtit identificatus cum animali*; ad bonitatem conſequentiæ de vno ad aliud extremum, non requiritur, quod extrema actu intriſecè in ſe ipſis aliquid ſint: ſed quod bene inferatur poſitio vnius, ex ſuppoſitione poſitionis alterius: vnde ſicut hæc conſequentia ſemper, & neceſſariò eſt bona, *ſi homo eſt, animal eſt* quin homo, & animal actu habeant eſſe in ſe ipſis: ita hæc propoſitio, *homo eſt animal* æquivalens illi illationi, ſemper, & neceſſariò eſt vera, quin homo, & animal actu habeant eſſe. Determinatio, & neceſsitas denotata per particulam *ſi*, vt connexio in illa conſequentia conſiſtens, non deficiat exiſtit actu de præſenti (& quidem realiter; nam exiſtentia in eſſe obiectivo, ſi in re nihil exiſtens illi correſpondeat; nihil conducit ad verificationem propoſitionis de præſenti:) ac ſubinde dicta neceſſitas, nequit eſſe intrinſeca, & identificata cum extremis connexis, quæ actu realiter non exiſtunt, & ſic eſt illis extrinſeca quid ſit, vel cum quo identificetur illa neceſsitas, & connexio: infra dicemus.

Pro nunc ad primam inſtantiam diſting. conſequens: convenit connexio, quæ ſit aliquod eſſe actu intrinſecum, in eſſentijs poſsibilibus, neg. conſeq. Connexio actu exiſtens, extrinſeca tamen eſſentijs poſsibilibus, conced. conſeq. *Ad 2. conceſſo* antecedenti diſting. conſequens, connexio actu, ſupponit extrema actu intrinſecè in ſe ipſis, neg. conſeq. actu extrinſecè, & in cauſa conced. conſeq. *Ad 3. ſimiliter diſt.* conſequens: quæ actu non ſunt, non ſunt actu connexa connexione actuali ipſis intrinſeca conced. conſeq. connexione actuali ipſis extrinſeca neg. conſeq. ſed de his plura, dum de poſsibilitate agamus.

108 Ex his etiam patet ad aliàs prob. min. argumenti principalis ad 1. concedimus aliàs propoſitiones facere diſtinctum ſenſum: nam in iſta *homo eſt ens*: enuntiatur *ens*, vt extremum connexionis, quæ de præſenti eſt: in illa: *homo potens eſſe ens*, enuntiatur *ens*, vt extremum exercitæ identitatis, quæ convenit homini tantum poſsibiliter, ſicut, &

& ratio entis exerciti. *Ad 2. diſt. antecel.* enunciatur animal actu conveniens, vt extremum connexionis, concedo ant. vt extremum exercitæ identitatis neg. ant.

Ad 3. diſting. mai. nihil eſt in potentia physica, & ſubiectiva ad id quod ei convenit eſſentialiter, concedo maior. In potentia obiectiva, & logica, neg. mai. Potentia phyſica, & ſubiectiva eſt potentia receptiva ſicut materia, & hoc modo homo poſsibilis non eſt in potentia ad ſuam eſſentiam: nam vt ait Div. Thom. 1. p. quæſt. 49. art. 1. ad 1. *Antequã mundus eſſet, poſsibile fuit mundum eſſe, non ſecundum potentiam paſsivam, quæ eſt materia:* Potentia obiectiva, & logica, eſt non repugnantia, vt homo poſsibilis tranſeat ad eſſe ſubiectivum, & phyſicum, etiam ſuæ eſſentiæ.

Ad vltimam neg. ſequelam: nam in iſta *homo eſt albus* non denotatur albedinem poſsibiliter convenire homini; ſed actu exercite, & accidentaliter: vnde licèt iſta: *homo poſſibiliter eſt alvus,* ſit neceſſaria in aliquo ſenſu; in nullo ſenſu eſt iſta neceſſaria: *homo eſt albus.*

§. III.

Reliqua argumenta ſolvuntur.

109 2. Obijcies: non repugnantia eſt aliquid poſitivum, ſed eſſentiæ rerum poſsibilium actu intrinſecè non repugnant, vel ſunt non repugnãtes: ergo actu intrinſecè ſunt aliquid poſitivum: prob. mai. repugnantia eſt quid negativũ: ergo non repugnantia eſt aliquid poſitivum, cum ſit negatio negationis.

110 Diſting. mai. non repugnantia eſt aliquid poſitivum, logicè, concedo mai. phyſicè, nego mai. & omiſſo min. diſtinguo conſequens: ſunt aliquid poſitivum logicum, cõcedo conſeq. reale, & phyſicum neg. conſeq. Non repugnantia teminorum; eſt convenientia prædicati ad ſubiectum, quæ convenientia explicatur per modum affirmationis: & hæc affirmatio logicè eſt quid poſitivum, ſicut, & connexio prædicatorum: hæc connexio, & affirmatio ſubiectivè, & phyſicè nihil eſt intrinſecum actu in eſſentijs poſsibilibus, ſed ſolum extrinſecè, vt dictum eſt, intrinſecè verò tantum eſt capacitas, & aptitudo, vt poſsint eſſe ens poſitivum actuale: repugnantia verò eſt quid negativum non ſolùm phyſicè, & realiter; ſed etiam logicè, quia eſt habitudo terminorum mutuo ſe deſtruentium, vel carentia convenientiæ illorum.

111 Denique obijcies: eſſentiæ poſsibiles actu diſtinguntur à chymæra: ergo ſunt actu

actu aliquid; quia diſtinctio, ſicut, & vnitas ſunt paſsio entis. *Confirm.* 1. Chymæra, ſeu impoſsibilia ſunt actu nihil: ergo eſſentiæ poſsibiles ſunt actu aliqui: Patet conſeq. quia opponuntur cōtradictoriè.

Confirm. 2. Eſſentiæ poſsibiles actu diſtinguntur à Deo; ſed non diſtinguntur vt ens, & non ens: ergo actu diſtinguntur, vt ens ab ente. Min. videtur certa, quia aliter diſtinguitur Deus à chymæra, ac diſtinguitur ab eſſentijs poſsibilibus: ſed à chymæra diſtinguitur vt ens à non ente: ergo ab eſſentijs diſtinguitur, vt ens ab ente: provemus iam mai. nam ex oppoſito ſequeretur eſſentias eſſe actu Deum: ex quo vlterius ſequeretur, quod videns Deum, videret omnia poſsibilia, cum videat omne, quod Deus actu eſt.

111 Reſpondetur diſt. ant. Actu diſtinguntur à chymæra ly *actu* cadente ſupra aliquid poſsibilibus intrinſecum neg. ant. Cadente ſupra aliquid ipſis extrinſecum, nempè, vel connexionem, vel continentiam illarū in cauſa, concedo ant. *Ad* 1. *confirm.* diſting. antec. ſunt actu nihil, tàm in ſe ipſis intrinſecè, quā extrinſecè, & in cauſa, concedo ant. tantum intrinſecè, & in ſe ipſis, neg. ant. hoc ſecundo modo etiam eſſentiæ poſsibiles ſunt actu nihil.

Ad 2. conf. dicimus, quod poſsibilia diſtinguntur à Deo eo modo, quo ſunt in ſe ipſis: cum autē in ſe ipſis actu poſitivè nō ſint, ſed tantum poſsibiliter, hoc modo diſtinguuntur. *Ad prob.* contra hoc concedenda eſt ſequela in ſenſu, in quo illam cōcedit Div. Thom. loco ſupra citato, aſſerens eſſentias rerum antequam à Deo producantur, nihil eſſe niſi forte ipſa creatrix eſſentia: ex quo non ſequitur, quod videns Deum, videat omnia poſsibilia, quia ſolū videre quidquid formaliter Deus eſt; non verò quidquid Deus eſt virtualiter.

§. IV.

In quo conſiſtat poſsibilitas rerum?

112 IN reſolutione huius graviſſimæ difficultatis, poteſt eſſe magna æquiuocatio: ſi prius non appareat manifeſtus ſenſus in quo controvertitur; quem manifeſtare connamur, ne quęſtio valde neceſſaria, in vocibus, vel in modo loquendi vltimo ſiſtat: ad quod, *Notabis* 1. Quod res dicuntur poſsibiles ab earum poſsibilitate, ſicut futuræ à futuritione, & exiſtentes ab exiſtentia: vnde ſicut in futuris diſtinguimus, & rem futuram, & illius futuritionem (ſaltem ex modo ſignificandi) ſicut concretū, & abſtractum, vel vt conſtitutum, & formam, vel quaſi formam per quā cōſtituitur: ita in poſsibilibus debemus

mus diſtinguere.(præſcindendo à qualitate diſtinctionis) rem, quæ eſt poſsibilis ab eius poſsibilitate: & de hac inquirimus, in quo conſiſtat?

114 Nota 2. ex Div. Thom. 1. p. q. 46. artic. 1. ad 1. & quæſt. 25. art. 3. incorp. quod poſsibile dicitur dupliciter, vno modo abſolutè; alio modo relate; relate ad potentiam dicitur aliquid poſsibile, ex eo quod aliqui potentiæ poteſt ſubijci, & ab ea accipit denominationem extrinſecam poſsibilis: poſsibile abſolutè dicitur aliquid ex habitudine terminorum; poſsibile quidem, quia prædicatum non repugnat ſubiecto; impoſsibile abſolutè, quia prædicatum repugnat ſubiecto: ex his habes duplicem poſsibilitatem, aliam abſolutam, quæ eſt habitudo terminorum ſibi non repugnantium; aliam relate, quæ eſt denominatio extrinſeca accepta à potentia: vel vt alij volunt, poſsibilitas, alia eſt intrinſeca ſumpta ex habitudine terminorum: alia extrinſeca ſumpta à potentia.

115 3. Nota, quod Latius patet poſsibile, quam eſſentiale, quia eſſentiale ſupra non repugnantiam prædicati ad ſubiectum, addit connexionem eſſentialem inter vtrumque, quæ connexio, non omnibus, quæ poſsibilia ſunt convenit; vt cum prædicatum eſt accidens ſubiecti: vnde Petrum eſſe album eſt poſsibile, cum non ſit repugnantia terminorum, quin inter Petrum, & albenincm ſit neceſſaria connexio.

116 4. Nota, quod vltra prædictas acceptiones poſſibilis; aſsignatur alia, nempe poſsibile quoad ſtatum; cuius poſsibilitas pręciſſe conſiſtit in ſtatu, quem rem habere meditamur, antequam cauſa rem producat, vel decernat producere: inter hanc, & aliàs poſsibilitates, hæc eſt differentia; quod poſsibilitas quoad ſtatum non convenit neceſſariò rebus poſsibilibus, ſecus autem aliæ poſsibilitates: ratio primi eſt, quia poſsibilitas quoad ſtatum deficit per præteritionem, futuritionem, & præſentiam rei, ſed iſti ſtatus conveniunt rebus contingenter: ergo, & poſsibilitas quoad ſtatum.

Ratio vero ſecundi eſt clara nam poſsibilitas, vel eſt abſoluta conſiſtens in habitudine terminorum, & tunc ſivè termini connectantur eſſentialiter, ſivè inter ſe accidentaliter comparentur, inter ſe non repugnare, non eſt contingens, ſed neceſſarium abſolute: vel eſt poſsibilitas relatè ad potentiam Dei, & cum hæc, neceſſario connectatur cum poſsibilitate abſoluta rerum, vt dicemus lib. 2. Si poſsibilitas abſoluta eſt neceſſaria, etiam, poſſi-

ſibiſuas extrinſeca, ſeu reſpectiva: vnde hæc propoſitio *Petrus eſt poſsibilis.* Si ex parte prædicati importetur poſsibilitas quoad ſtatum, eſt contingens: ſi importetur poſsibilitas abſoluta, vel reſpectiva, eſt neceſſaria.

117 Procedit difficultas non de poſsibilitate quoad ſtatum, quia pervium eſt in quo talis poſsibilitas conſiſtat: nec procedit de poſsibilitate reſpectiva, quia hæc, apud omnes, conſiſtit in denominatione extrinſeca à potentia potente rem producere; quare forma hoc modo conſtituens poſsibile reſpectu omnium poſſibilium eſt divina omnipotentia: procedit: ergo de poſsibilitate abſoluta. Sed adhuc, vel non manet clarus ſenſus controverſiæ, vel controverſia manet deciſſa; nam ſi poſsibilitas abſoluta eſt id quo aliquid conſtituitur poſsibile abſolute, & poſsibile abſolutè dicitur aliquid, ex habitudine terminorum ſibi non repugnantium, vt ex Div. Thom. vidimus: conſiſtet poſsibilitas abſoluta, in tali habitudine terminorum, & per hoc manebit, quæſtio omninò deciſſa?

118 Hinc denique notabis: quod aliud eſt inquirere, quid ſit obiectivè, & ex terminis poſsibilitas abſoluta aliud vero inquirere, quid ſit quaſi ſubiectivè, & phyſicè. Primum ſufficienter reſolvitur per terminos Divi Thomæ, qui ſunt quaſi difiinitio, nempe habitudo terminorum ſibi non repugnantium, vel non repugnantia prædicatorum rei poſsibilis. V. g. poſsibilitas hominis ex terminis, eſt habitudo, non repugnantia, vel connexio horum prædicatorum, *animal rationale*, vnde poſsibilitas non eſt præciſſe ipſa prædicata; ſed potius, connexio, habitudo, & non repugnantia illorum, quæ connexio, & non repugnantia ſolet communiter explicari per conditionalem: connexio. V. g. prædicatorum hominis, per hanc, *ſi exiſtit homo, exiſtet identificatus cum animali, & rationali*: Non repugnantia Petri per hanc, *ſi exiſtit Petrus, in ſuis prædicatis non erit contradictio*: cum autem particula *ſi* denotet neceſsitatem, vt ſupra diximus, de eo, quod ſi homo exiſtat, exiſtet identificatus cum animali rationali, etſi exiſtat Petrus, in ſuis prædicatis non erit contradictio: hæc neceſsitas, ſicut eſt connexio, & non repugnantia prædicatorum, ita etiam eſt poſsibilitas abſoluta, neceſſaria, & formalis rerum, obiective, & ex terminis: ac ſubinde per hæc ſufficienter manet deciſſum, quid ſit obiectivè, ex terminis, ſeu metaphyſicè, rerum poſsibilitas: in hoc igitur ſenſu non diſputamus de

de poſsibilitate rerum.

Sed in alio valde diverſo in quo communiter agitatur à DD. Societatis: nempè quid ſit, quaſi phyſicè, & ſubiectivè illa habitudo, connexio, non repugnantia prædicatorum rei poſsibilis? Vel clarius: illa neceſsitas de eo quod prædicata non repugnent, vel inter ſe connectantur, eſt realiter ante operationem intellectus indiſtincta ab entitate rei poſsibilis? An potius eſt aliquid ab illis diſtinctum realiter, nec cum ipſis identificatum? Vel ſi mauis: an prædicta neceſsitas denominans creaturas neceſſariò poſsibiles: & quæ neceſſariò verificat propoſitionem æternæ veritatis enuntiantem de re poſsibili, quod eſt poſsibilis, identificetur cum prædicatis intrinſecis rei poſſibilis? An potius ſit aliquid actu neceſſarium indiſtinctum ab ipſo Deo, & à ſuis prædicatis?

119 In deciſsione difficultatis in hoc ſecundo ſenſu eſt non parva, nec contemnenda difficultas, & ne in terminis quibus frequenter vtimur in hac materia, ſit æquivocatio; adverte, quod poſsibilitas de qua diſputamus ſolet vocari, *poſsibilitas abſoluta, formalis, obiectiva, neceſſaria, rerum*, dicitur *abſoluta* contra poſitivè ad *relate* hoc eſt ad denominationem poſsibilis ſumptam ab omnipotentia: dicitur *formalis*, quatenus eſt forma, vel illam concipimus, vt formam huius concreti *poſsibile*; dicitur *obiectiva*, quatenus per illam res poſsibilis conſtituitur obiectum omnipotentiæ; & circa hoc rurſus adverte, quod aliud eſt poſsibilitas obiectiva, aliud vero poſsibilitas obiectivè, & ex terminis: primo modo contraponitur poſsibilitati ſumptæ ab omnipotentia; quæ poteſt dici formalis, comparativè ad poſsibilitatem abſolutam, quam obiectivam vocamus. Secundo modo eſt quædam conſideratio eiuſdem poſsibilitatis abſolutæ, prout dicit ſuam eſſentiam metaphyſicam (quia etiam in ipſa poſsibilitate ſignate ſumpta conſideramus ſuam eſſentiam) quam vocamus poſsibilitatem obiectivè, & ex terminis, prout diſtinguitur à ſe ipſa conſiderata ſecundum entitatem, cum qua identificatur, & in qua, quaſi ſubiectivè, & phyſicè conſiſtit: vnde poſsibilitas abſoluta in hac ſecunda conſideratione, licèt dicatur obiectiva, non tamen conſideratur obiectivè, & ex terminis. Denique dicitur *neceſſaria*, quia neceſſariò de poſsibilibus prædicatur.

120 His notatis, & explicatis ſenſu, & terminis difficultatis, in illa prima ſententia valde recepta in Schola

Societatis aſſerit,poſsibilitatem obiectiuam rerum, aqua denominantur poſsibiles: prorſus identificari cum rebus ipſis poſſibilibus, & adæquatè diſtingui ab omni prædicato neceſſariò Dei; hæc ſententia ita eſt conformis principijs Societatis, vt quidāSocietatis alūnus fateatur, hanc ſententiam ex eo ſolū defenſandā eſſe;quia ſinè his principijs, difficile defendi poteſt Scientia Media ad mentem,& guſtum Societatis: pro illa referri poſſunt communiter omnes Scientiæ Mediæ defenſores, exceptis Antonio Perez, Rivadeneyra, & alijs paucis.

Secunda ſententia poſſibilitatem abſolutam, ſeu obiectivam rerum,cum rebus poſſibilibus,nō identificat, ſed aſſerit conſiſtere in aliquo neceſſariò de præſenti, & ab æterno exiſtente, quod nihil præter Deum,vel aliquod ipſius prędicatum poteſt eſſe, & licèt oppoſitum huius nihil immediatè pugnans cum principijs Thomiſticis inferat; conformius tamen apparet prædictis principijs,poſsibilitatem rerum,in aliquo de præſenti exiſtēte, à poſſibilibus diſtincto, conſtituere. Vnde ſit.

§. V.

Vnica Concluſio.

121 P*Oſsibilitas abſoluta rerum, à qua neceſſario denominantur poſsibiles, non identificatur cum rebus ipſis poſsibilibus; ſed conſiſtit in aliquo de præſenti, & ab æterno exiſtente.* Prob. 1.(& ſermo ſit de altero mundo, numquam extituro)ex Div. Thom.1.p.quæſt.46.artic.1. ad 1.Vbi loquendo de mundo pręſenti aſſerit,quod antequam eſſet,fuit poſsibilis,non ſolum extrinſecè per potentiam Dei: *Sed etiam ſecundumquod dicit aliquid abſolutè poſsibile; poſsibile quidem, non ſecundum aliquam potentiam, ſed ex ſola habitudine terminorum, qui ſibi non repugnant.*

Mundus præſens, antequam eſſet, fuit poſsibilis,abſolutè: ergo à poſsibilitate abſoluta, quæ fuit antequam eſſet mundus præſens; ſed poſsibilitas abſoluta, quæ eſt antequam ſit res, quæ eſt poſsibilis, non identificatur cum re poſsibili: quia quod identificatur cum alio,non eſt,antequam ſit illud aliud.ergopoſsibilitas abſoluta, qua mundus præſens fuit poſſibilis, antequam eſſet præſens, non erat identificata cum illo: ergo poſsibilitas abſoluta, qua alter mundus nunc de pręſenti eſt poſsibilis non identificatur cum mūdo poſsibili.

122 Prima ratio pro concluſ. ſit: entitas alterius mundi modo non eſt, & numquam erit: ſed illius poſsibilitas abſoluta modo, & ſemper, immo, & neceſſariò eſt: er-

go poſsibilitas abſoluta mundi numquam exituri, non identificatur cum illo. Minor prob. 1. Alter mundus ſemper, & neceſſariò eſt poſsibilis abſolutè; ſed eſt poſsibilis à poſſibilitate abſoluta: ergo illius poſsibilitas abſoluta, ſemper, & neceſſariò eſt. Prob. mai. Si alter mundus non ſemper, & neceſſariò eſſet poſsibilis abſolutè: ergo poſſet aliquando cõtingere, non eſſe poſsibilem abſolutè: ergo poſſet aliquando contingere, deficere habitudinem non repugnantem ſuorum prædicatorum, Deum non poſſe illum producere, & alia quã plurima chymærica, & impoſsibilia.

2. Poſsibilitas alterius mundi eſt neceſſaria: ergo modo, ſemper, & neceſſariò eſt, vel exiſtit. Prob. antecedens: defectus poſsibilitatis alterius mundi eſt impoſsibilis: ergo poſsibilitas alterius mundi eſt neceſſaria. Patet conſeq. Nam ex duobus contradictorijs, ſi vnum eſt impoſsibile, alterum debet eſſe neceſſarium, ſed poſsibilitas, & eius defectus, vel carentia contradictoriè opponuntur: ergo. Antecedens vero probatur: Poſsibilitas alterius mundi eſt non repugnantia ſuorum prædicatorum; ſed talem non repugnantiam deficere, eſt repugnantiam talium prædicatorum exiſtere, quod eſt impoſsibile: ergo.

123 Si dicas poſſibilitatem alterius mundi eſſe neceſſariam, non neceſsitate exiſtendi abſolutè, ſed neceſsitate exiſtendi conditionatè, ſub conditione, ſcilicèt, incluſa in hac propoſitione: *Si alter mundus exiſteret, non includeret contradictionem in ſuis prædicatis*: Quæ propoſitio explicat poſsibilitatem. Ita adverſarij.

124 Contra quos, & ſolutionem obſtat 1. Ergo poſsibilitas alterius mundi non exiſtit ſemper abſolutè, ſed tantum exiſteret ſub conditione exiſtentiæ alterius mundi; ergo alter mundus non eſt abſolutè poſsibilis; ſed eſſet poſsibilis, ſi exiſteret: quia eo modo aliquid poſsibile eſt, quo exiſtit eius poſsibilitas. Primum conſeq. conſtat ex ſolutione, ſecundum, eſſe falſum, prob. alter mundus non eſt abſolutè poſsibilis; ſed ſolum eſſet poſsibilis ſi exiſteret? Ergo alter mundus abſolutè non poteſt exiſtere, ſed ſolum poſſet exiſtere ſi exiſteret: hoc conſequens eſt abſurdum ex terminis: ergo, & antecedens. Prima conſeq. prob. eo modo, quo aliquid eſt poſſibile, poteſt exiſtere, vt admittunt adverſarij: ergo ſi ſolum eſſet poſsibilis, ſi exiſteret; ſolum poſſet exiſtere, ſi exiſteret.

2. Exiſtentia alterius mundi pendet à priori ab exiſtentia poſsibilitatis illius: ergo exiſtentia poſsibilitatis alterius mundi non pendet ab huius exiſtentia. Prob. anteced. prius eſt, & intelligitur, mundum nõ repugnare in prædicatis, quam quod exiſtat; ſed mundum non repugnare in prædicatis eſt illius poſsibilitas: ergo prius eſt, vel exiſtit poſsibilitas alterius mundi, quam huius exiſtentia. Prob. mai. Prius eſt cauſam poſſe producere mundum, quam mundum producere, & prius eſt mundum producere, quam quod exiſtat; ſed repugnat cauſam poſſe producere mundum, pro ſigno pro quo non intelligitur, & exiſtit non repugnantia prædicatorum mundi: ergo prius eſt mundum non pugnare in prædicatis, quam quod exiſtat.

3. Deus eſt potens abſolutè producere alterum mundum, & non ſolum ſub conditione exiſtentiæ illius: ergo alter mundus eſt poſsibilis abſolute, & non ſub conditione ſuæ exiſtentiæ. Antecedens eſt certum, & conſeq. prob. nulla cauſa poteſt aliquid producere, niſi eo modo quo aliquid eſt poſsibile: ergo ſi Deus, non ſub aliqua conditione, ſed abſolute, poteſt alterum mundum producere, hic eſt poſsibilis abſolutè, & nõ ſub aliqua conditione.

Denique: Neceſsitas de eo quod alter mundus non pugnet in ſuis prædicatis, vel vt volunt adverſarij de eo, quod ſi exiſteret ſine contradictione exiſteret, eſt poſsibilitas alterius mundi; ſed hæc neceſsitas exiſtit sẽper, abſolute, & independẽter à quacumque conditione: ergo poſsibilitas alterius mundi, eſt neceſſaria neceſsitate exiſtendi abſolutè, & non conditionatè. Prob. min. Talis neceſsitas non exiſtit dependenter ab aliqua conditione neceſſaria, nec contingenti: ergo exiſtit independenter à quacumque conditione. Conſeq. conſtat: quia vltra illas conditiones ſolũ reſtat conditio impoſsibilis, à qua impoſsibile eſt, & quod dependeat neceſsitas. Antecedens quoad conditionem neceſſariam concedunt adverſarij; quia quod exiſtit depẽdenter à conditione neceſſariò exiſtente, abſolute neceſſariò exiſtit: quoad conditionem contingentem prob. quia neceſſarium nequit pendere à contingenti: ergo, nec neceſsitas à conditione contingenti.

125 Nec dicas cum adverſarijs talem neceſsitatem nõ eſſe antecedentem, ſed conſequentem, vel ex ſuppoſitione exiſtentię alterius mundi; neceſſitas tantum conſequens, & ex aliqua ſuppoſitione, non inconvenit dependere ab aliquo contingenti.

126 Contra 1. Neceſsitas de eo quod ſi alter mũdus exiſteret, ſine contradictione exiſteret, eſt repugnantia de eo quod illa conditionalis ſit falſa; ſed hæc repugnantia ad falſitatem non eſt conſequens, & ex ſuppoſitione exiſtentiæ alterius mundi, ſed abſoluta, & ſemper exiſtens: ergo, & illa neceſsitas. Prob. min. *Tùm* quia abſolutè, & ſemper exiſtit aliquid pugnans cum falſitate illius conditionalis; nempè ſcientia Dei, quæ abſolutè, & ſemper exiſtit de veritate illius, ſed ſemper, & quando exiſtit aliquid pugnans cum aliqua falſitate, exiſtit repugnantia ad illã; quia repugnans non eſt ſinè repugnantia: ergo.

Tùm, quia repugnantia, quæ nunc non datur, ſed daretur ſub aliqua conditione, eſt repugnantia, quæ nunc non datur: ergo nunc non datur repugnantia ad falſitatem illius conditionalis: ergo nunc eſt poſsibilis falſitas illius conditionalis. Patet conſeq. Quia poſsibilitas falſitatis, ſicut, & cuiuſlibet rei, eſt non repugnantia ad illam: ſubſummo, nunc eſt poſſibilis falſitas illius conditionalis? Ergo nunc eſt poſsibile falſificari ſcientiam abſolute neceſſariam, quam Deus habet de illa conditionali.

117 Contra 2. neceſsitas ad veritatem illius conditionalis, eſt neceſsitas adhoc, vt ſit bona illatio denotata per particulam *ſi*; quia veritas conditionalis in illatione conſiſtit; ſed nunc datur neceſſitas de eo quod illatio illa ſit bona: ergo illa neceſsitas abſoluta eſt, & non præcisè facta aliqua ſuppoſitione. Prob. min. nunc, & ſemper bene infertur conditionatum ex illa conditione: ergo nunc, & ſemper illatio illa eſt bona; ac ſubinde abſolute neceſſaria. Prob. antecd. nunc, & ſemper intellectus perfectè cognoſcens rectè infert conditionatum ex illa conditione: ergo nunc, & ſemper recte vnum infertur ex alio. Patet conſeq. Quia nequit itellectus rectè vnum ex alio inferre quaſi activè, quin pro illo tunc exiſtat vnum rectè eſſe illatum ex alio, quaſi obiectivè, & paſſivè.

Denique: Neceſsitas tantum conſequens, & ex ſuppoſitione aliqua ſimpliciter contingenti, Deoque ſimpliciter libera, eſt neceſsitas tantum ſecundum quid, & ſimpliciter, & abſolute contingens, Deoque ſimpliciter libera; ſed exiſtentia alterius mundi eſt ſimpliciter, & abſolutè contingens, Deoque ſimpliciter libera: ergo neceſſitas ex ſuppoſitione, & conſequens talem exiſtẽtiam, eſt abſolute, & ſimpliciter contingẽs, &

Deo libera; ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob.min.ſubſumpt. quia nihil poteſt intelligi ſimpliciter liberum cauſæ, quin prius intelligatur, eſſe tali cauſæ ſimpliciter poſsibile: ergo poſsibilitas abſoluta alterius mundi præintelligitur ab libertatẽ Dei. Ex quo ſequitur 1. Eſſe quid abſolutè, & ſimpliciter neceſſarium; quia omne prævium ad libertatem Dei, & creaturæ eſt ſimpliciter, & abſolutè neceſſarium. *Sequitur.* 2. Talem poſsibilitatẽ, non conſequi ad exiſtentiam rei poſsibilis: quod patet, nam exiſtentia eſt ſimpliciter conſequẽs divinam libertatem; ſed poſsibilitas rei liberæ, & contingentis talem libertatem ſimpliciter antecedit: ergo.

128 Prob. 2. concluſ. Ratione apud noſtros valde familiari, & efficaci in alijs materijs. In propoſitione de præſenti vera enuntiatur prędicatum de præſenti convenire ſubiecto; ſed de præſenti non eſt alter mundus, & de præſenti eſt vera hæc propoſitio: *Alter mundus eſt poſsibilis*: ergo deficiẽte altero mundo; acta, & de præſen i eſt eius poſsibilitas abſoluta; ſed forma actu exiſtens, dum aliud deficit, diſtinguitur realiter ab illo: ergo.

129 Si dicas 1. Ly *poſsibilis* ampliari vſque ad poſsibilia; ac proinde, vt illa propoſitio ſit vera, non requiritur, quod poſsibilitas ſit determinate præſens, ſed poſsibilis, ſeu præſens tantum conditionatè.

Si 2. dicas: Illam propoſitionem, verificari per alienationem, non per ſtatum: quia verbum *eſt* non accipitur in ſua ſtricta ſignificatione pro eodẽ, ac exiſtit abſolutè; ſed pro eodem, ac eſſet ſub conditione exiſtentiæ alterius mundi, ratione prædicati *poſsibilis* involventis conditionalem ſępius repetitam.

Si denique dicas: veritatem propoſitionum adæquate identificari cum complexo ex propoſitione formali, & illius obiecto, vnde eo modo exiſtet veritas, quo exiſtit dictum complexum vnde ſi propoſitio vera eſt de obiecto præterito, futuro, vel poſsibili, eius veritas, qua parte includit propoſitionem formalem, exiſtit de præſenti, & eſt idem ac dicere: *Datur de præſenti propoſitio, vel actus enuntians de ſuo obiecto præteriſſe, futurum, vel poſsibile eſſe conditionate*: attamen ea parte, qua dicit ſuũ obiectum, veritas illius exiſtit, non de præſenti; ſed de præterito, futuro, vel poſsibili conditionatè.

130 Sed nulla ex his ſolutionibus ſatisfacit; non 1. Quia licèt *poſsibile* ampliet vſque ad poſsibilia rẽ, quæ poſsibilis eſt; tamẽ ipſam poſsibilitatẽ nõ ampliat, ſed determinatur ad pręsẽs iuxta exigentiã verbi *eſt*

 er-

ergo. Prob. antecedens; Licèt in his propoſitionibus: *AntiChriſtus eſt futurus*; *Petrus eſt cognitus*; *homo generatur*; *Domus deſtruitur*; detur ampliatio ad plura tēpora; tamen id, quod formaliter importat prædicatum, debet de præſenti exiſtere: vnde licèt, vt dictæ propoſitiones ſint veræ, non ſit neceſſarium quod: *Anti-Chriſtus, Petrus, homo, & Domus* exiſtant de præſenti; requiritur tamen, quod de prçſenti exiſtat, *futuritio, cognitio, generatio, & deſtructio*: ergo licèt in hac propoſitione: *Alter mundus eſt poſſibilis*, non ſit neceſſarium, quod alter mundus exiſtat; id tamen, quod de formali importat prædicatum, nempè *poſſibilitas* debet exiſtere de præſenti.

131 Nec 2. ſolutio ſatisfacit: *Tùm* quia illa propoſitio eſt vera, non per alienationem, ſed per ſtatum, & in propria verbi acceptione, in qua verè affirmatur, prædicatum actu abſolutè convenire ſubiecto, ſed in illa propoſitione verè affirmatur, poſsibilitatem actu convenire altero mundo, quia nunc verum eſt, alterum mundum eſſe poſsibilem: ergo.

Tùm, quia nunc eſt vera propoſitio affirmans poſsibilem eſſe alterum mundum: ergo nunc ita eſt, quod alter mundus eſt poſsibilis, ac proinde datur de præſenti, hoc quod eſt, alterum mundum eſſe poſsibilem. Prob. conſeq. implicat, quod res actu exiſtat, & quod pro eadem duratione rei conſtitutiva non exiſtant; ſed conſtitutiva veritatis ſunt propoſitionem aliquid affirmare, & rem ita eſſe, vt per illam affirmatur: ergo.

Tùm denique: non ſolum eſt vera propoſitio affirmans alterum mundum eſſe poſsibilē, ſed etiam eſt nunc verū obiectivè, illum eſſe poſsibilem; ſed veritas obiectiva nihil eſt aliud, quam res ipſa, quæ dicitur eſſe veram: ergo nunc datur, & eſt, hoc quod eſt, alterum mundum eſſe poſsibilem.

132 Denique contra 3. ſolutionē 1. Veritas adæquata propoſitionis ſummitur ab obiecto, quod enuntiat, & ſignificat; propter quod dicunt cōmuniter metaphyſici, quod veritas eſt in obiecto, tanquam in cauſa; in intellectu tamquam in ſubiecto, & in propoſitione tamquam in ſigno: ergo veritas propoſitionis adæquatè tāquam à cauſa ſummitur ab eo, quod directè, & ſignatè enuntiat, & ſignificat, quod eſt ſuum obiectum; ſed ſe ipſam dari, vel exiſtere non enuntiat; ſed ad ſummum exercite, vel reflexe; quod quidem etiam propoſitioni formaliter falſæ, poteſt convenire: ex quo.

Contra 2. Id quod conveniret propoſitioni, etiam ſi eſſet formaliter falſa, nequit ad veritatem illius conducere; ſed dari de præſenti propoſitionem enun-

enuntiantem poſsibilitatem alterius mundi, conveniret illi, etiam ſi eſſet formaliter falſa; nam data impoſsibilitate alterius mundi, & quod aliquis ita enuntiaret: *Alter mundus eſt poſſibilis*: daretur hæc veritas: *Datur de præſenti propoſitio affirmans de ſuo obiecto, eſſe poſſibile*, quin altera propoſitio eſſet vera, ſed penitus falſa: ergo veritas illius propoſitionis: *Alter mundus eſt poſsibilis*, adæquatè ſummitur ab obiecto illius: ergo tale obiectum, debet eſſe verum de præſenti. Alia quam plurima poſſent contra prędictas ſolutiones adduci, quæ ad Theologicam reſervamus; ſufficiat hęc Philoſophis inſinuare.

133 Ex dictis inferes 1. Quod poſsibilitas *relatæ* ſumpta à potentia potente producere, diſtinguitur realiter ab ipſis poſsibilibus; cum ſit ipſa Dei omnipotentia, quæ actu de præſenti exiſtit, illis non exiſtētibus.

Inferes 2. Cum qualibet entitate vera, identificari aliquam poſsibilitatem, ſumptam pro non repugnantia. Conſtat hoc; quia omne quod eſt verum ens in ſuo eſſe non repugnat, hoc enim eſt eſſe verum ens, & non fictum, ſeu chymæricum; hęc poſsibilitas convenit etiam rebus exiſtentibus, immo etiā ipſi Deo: de hac enim poſſibilitate, non eſt dubium identificari cum rebus; ſed pariter non eſt dubium, quod exiſt. contingenter, ſicut entitas cum qua identificatur; nec etiam eſt actu, ſed tantum poſsibiliter, ſi entitas cum qua identificatur, eſt tantum poſsibilis; cum iſta poſsibilitas cum entitate cō vertatur: hanc poſsibilitatem, ad ſummū probant aliqua fundamenta contrariorum, poſsibilitas de qua controvertimus, debet eſſe neceſſaria, non contingens, debet eſſe non poſsibilis, ſed præſens; cum ſit illa, quæ ſufficiat verificare hāc propoſitionē neceſſariam de pręſenti: *Alter mundus eſt poſsibilis.*

Inferes 3. ex Div. Thom. 1.p.quæſt. 25. artic. 3. Quod ab eo à quo res habent poſſe eſſe entia vera, habent eſſe poſsibiles abſolutè: *Quia quidquid poteſt habere rationem entis* (ait Div. Th.) *continetur ſub poſsibilibus abſolutis*; ſed poſſe eſſe vera entia, habent à primo ente continente perfectionem totius entis: ergo, & eſſe poſsibilia abſolutè habent à primo ente; ſed non ab illo effectivè. *Tum*, quia vera efficientia datur ad hoc vt poſſibilia exiſtant, non adhoc vt ſint poſsibilia. *Tum*, quia efficientia Dei non eſt ad aliquid ſimpliciter neceſſarium: aliàs eſſe poſſibilia, non habent creaturæ à ſe, & independenter à Deo: ergo habent eſſe talia à Deo formaliter, ac per conſequens illud prædicatum divinum, à quo

creaturæ habent poſſe eſſe vera entia connexionẽ ſuorum prædicatorum, diſtinctionẽ ab ente ficto, erit id in quo conſiſtat, & quo identificatur poſsibilitas abſoluta rerum, & quod verificet propoſitionẽ neceſſariã de pręſenti enuntiantem res eſſe abſolutè poſsibiles.

134 Quodnam ſit hoc prædicatum? Reſponderi poteſt cum Mag. à Sancto Thom. hoc prædicatum divinum eſſe divinam eſſentiam, vt diverſimode imitabilem ab ipſis creaturis; quia ab illa ſub ratione ideæ, habet vnaquæque res prędicata determinata, quæ ſibi conveniunt; & diſtinctionem ab his, quæ ſibi repugnant: habet ſuam ſpeciem, & quidditatem, perfectionẽ, & nobilitatẽ; & hæc diverſitas perfectionis, quæ in vnaquaque ſpecie reperitur, ex maiori acceſſu, & participabilitate primi entis deſumitur; nõ efficienter, vt probatum eſt; quia hæc diſtributio prædicatorum, & connexio illorũ ad omnem efficientiã præſupponitur; ſed formaliter tanquam à menſura perfectionis, quæ cuilibet rei poteſt convenire; & ſicut eſſentia divina eſt mẽſura, & forma, conſtructio, & connexio prædicatorum omnium poſsibilium; ita eſt poſsibilitas abſoluta, neceſſaria de præſenti exiſtens, verificans propoſitiones, in quibus de præſenti enũtiatur de rebus poſsibilibus, eſſe poſsibiles.

§. VI.

Solvuntur obiectiones.

135 Ex dictis in nobilibus inter probandam concluſionem, & in corollarijs, quam plurima argumẽta manent ſoluta: alia plurima ſunt Theologi inſtituti; vnum, vel alterum proponemus breviter in præſenti.

Obijcies 1. de præſenti eſt vera hæc: *homo eſt animal*, non exiſtente homine, nec animalitate: quia de præſenti exiſtit eſſentialis connexio inter hęc extrema, vt diximus ſolvendo primum argumentum difficultatis præcedentis: ergo de pręſenti eſt vera: *Alter mundus eſt poſsibilis*, non exiſtentibus, nec poſſibilitate, nec mundo: quia de præſẽti eſt eſsẽtialis connexio inter mundum, & eius poſsibilitatem.

Confirm. hæc propoſitio: *Aliter mundus eſt poſsibilis intrinſecè*, eſt vera; ſed verificativum illius nequit eſſe aliquid actu exiſtẽs idẽtificatũ cum Deo; quia hoc eſt extrinſecum mundo poſsibili: ergo debet eſſe aliquid illi intriſecum; ſed hoc de præſẽti non eſt, ſicut nec alter mundus intrinſecè in ſe ipſo eſt: ergo illa propoſitio eſt vera, ſine eo quod poſsibilitas exiſtat de præſẽti, ergo erit vera per hoc quod verbũ eſt alienetur.

Reſ-

136 Reſpond. concedo antec. & neg. conſeq. In prima propoſitione connexio inter extrema non importatur, explicite, & ſignate, ita vt dicta connexio ſit aliquod extremum, quod in illa enuntiatur; ſed ſolum importatur implicite, & quaſi exercite per verbum *eſt*, ratione ſuę ſtrictæ acceptionis, quæ debet dicere aliquid de præſenti, quod cum non ſint extrema (quia nullum eorũ petit exiſtere de pręſenti) debet eſſe connexio inter illa: in ſecunda vero, ipſa connexio, & non repugnantia prędicatorum alterius mundi, explicitè, & ſignatè enuntiatur de mundo, in illo prædicato *poſſibilis*; vnde ſi hoc pręedicatum nihil diceret de præſenti, talis propoſitio eſſet falſa; quia ex vna parte, ſupponitur poſſibilitatem mundi non exiſtere de pręſenti, & ex alia aſſeritur, connexionẽ mundi cum ſua poſſibilitate (quæ connexio nihil eſt, niſi ipſamet poſſibilitas) exiſtere de præſenti.

Ad confirm. diſting. mai. ſi ly *intrinſece* dicat, quod poſſibilitas, quæ de præſenti de illo verificatur, eſt illi intrinſeca, nego mai. Nam ſi alter mundus de præſenti intrinſecè in ſe ipſo non eſt, imò, & nihil eſt; quomodo de præſenti habebit poſſibilitatẽ ꝗ ſi intrinſecam, ſeu quod idem eſt, cum ipſo identificatam? Si ly *intrinſecè* dicat, quod prædicata, quibus intrinſece cõſtituitur, ſunt poſſibilia, concedo mai. vel clarius ly *intrinſece* cadente ſupra ipſam poſſibilitatem, nego mai. ſupra ſubſtractum, vel extrema inter quę verſatur habitudo, ſeu poſſibilitas, concedo mai. in quo ſenſu ſolum eſt vera hæc propoſitio enuntiata de præſenti, nullo homine exiſtente, *Prædicata hominis ſun intrinſece connexa*; quin cõnexio ipſa ſit aliquid intrinſecũ identificatum cum ipſis prædicatis, vt ſupra dictum eſt.

2. Dici poteſt, quod res ſolum ſunt poſſibiles intrinſecè à poſſibilitate ſecuta ad earum entitatem, vt ſupra diximus, ſed hæc poſſibilitas, nec eſt neceſſaria abſolutè; ſed contingens, ſicut, & ipſa entitas; nec exiſtit de præſenti, non exiſtente entitate; vnde ſi prædicatum illius propoſitionis, pro hac poſſibilitate ſupponit, illa propoſitio eſt falſa; & ſic neganda eſt maior.

137 Obijcies 2. Poſſibilitas abſoluta alterius mundi cõcipitur à nobis, ſine eo quod concipiamus aliquod prædicatum divinum: ergo non conſiſtit in aliquo prædicato divino. Prob. antec. Poſſibilitas abſoluta alterius mundi, concipitur à nobis per hoc quod concipiamus connexionem eſſentialem ſuorum prædicatorum; quia idẽ eſt connexio, ac non repugnantia illorum; ſed talem connexionem concipimus, ſine eo quod

con-

concipiamus aliquid divinum: ergo. Prob. min. *Tùm*, quia concipimus, ſicut ſignificamus; ſed prædicata eſſentialia alterius mundi nihil divinum ſignificãt: ergo. *Tùm* quia prędicata eſſentia'ia rei illam conſtituunt; ſed nihil divinum alterum mundũ conſtituit: ergo.

138 Reſpond. neg. antec. ad prob. conceſſa mai. neg. min. ad 1. prob. dicimus: quod licèt prædicata eſſentialia mũdi nihil divinum ſignificent, illa tamen, reduplicativè, vt connexa, & vt non repugnantia aliquid divinum important. *Inſtatur* in futuro, cuius prædicata concipimus ſine aliquo divino; at vero illa, reduplicativè, vt futura ſine aliquo divino non poſſumus concipere. *Ad* 2. reſpond. quod prędicata eſſentialia conſtituunt rem poſsibilem; ſed nõ illius poſsibilitatẽ; ſicut, & conſtituunt rem futuram ſed non illius futuritionẽ; vnde ſicut hęc conſtituitur, & cõſiſtit in aliquo divino, ita & poſsibilitas.

139 Inſtas 1. Poſſibilitas abſoluta hominis explicatur in hac propoſitione ęternę veritatis: *homo eſt animal* cum in hac explicetur connexio, & habitudo prędicatorum, quę ſunt poſsibilitas abſoluta hominis; ſed in hac propoſitione nihil divinum importatur; ſed ſolum eſſentia hominis, quę adęquatè aliquid creatum eſt: ergo.

Inſtas 2. poſsibile eſt, quod per productionem actualem redditur exiſtens; ſed nullum pręedicatum divinum redditur exiſtens, per productionem actualem ergo.

140 Reſpond. quod ſicut futuritio AntiChriſti poteſt importari ſignate, & explicitè, & hoc fit per has voces: *futurum, vel futuritio*: & implicite, & quaſi exercite, & hoc fit per verbum *erit*; ita hominis poſſibilitas poteſt ſignate, & explicite in propoſitione importari, & hoc fit per has voces: *Poſsibile*, vel *poſsibilitas*; & implicite, & quaſi exercite, & hoc fit per propoſitiones eſſentiales; vnde ſicut licèt in hac: *Anti-Chriſtus erit* nihil explicite, & ſignate importetur divinum, importatur tamẽ implicite determinatio divina, de eo quod Anti-Chriſtus poſtea exiſtat; ita licèt in hac: *homo eſt animal* ſignate, & explicite nihil divinum importetur; importatur tamẽ implicite, & exercetur connexio prędicatorum, quæ aliquid divinum eſt.

Ad 2. inſtatur etiam in futuro, quod per actualẽ productionem redditur exiſtens; quin divinum decretum, conſtituens futurum, reddatur exiſtens per productionem; & ſicut futuritio, licèt conſtituat rem producendam poſtea; ipſa tamen, nõ eſt poſtea producenda: ita poſſibilitas abſoluta rerum, non eſt producibilis, & ſi conſtituat

res

res potentes produci.

141 Denique obijcies: eo modo requiritur forma, quo requiritur effectus formalis illius; cum effectus formalis, nihil ſit præter formæ communicationem; ſed effectus formalis poſsibilitatis, non eſt aliquid præſens, ſed poſsibile: ergo poſsibilitas rerum nõ eſt forma de præſenti, ſed poſsibilis.

142 Diſting. maior. Eo modo requiritur forma, *vt quo*, quo requiritur effectus formalis, conced. ma. Forma, *vt quod*, neg. mai. & conceſſam in. diſt. conſeq. Eodem modo: non eſt forma de præſenti, vt *quo*, concedo conſeq. ut *quod*, neg. conſeq. Subiectum quod afficit poſſibilitas non eſt præſens, nec illud denominat præſens, ſed poſſibile; ipſa tamen poſsibilitas in ſe eſt quid præſens: nec mirum, quod cũ in ſe ſit præſens, denominet ſubiectum poſsibile; quia neceſsitas, vt non implicet, non eſt poſsibilis, ſed præſens: ſic effectus formalis futuritionis dicitur præſens, non vt *quo*; quia rẽ non conſtituit, nec denominat præſentem, ſed futuram; ſed vt *quod*, quia futuritio eſt pręſẽs, non futura: ſic dicunt logici, quod ſecunda intentio generis, vt *quo* eſt genus, quia ſubiectum quod afficit, genus denominat, & conſtituit formaliter; attamen vt *quod* dicitur ſpecies, quia ipſa in ſe eſt quædam ſpecies vniverſales.

Bene videmus inſtantiam futuritionis, in pręſẽti materia, in minimo lædere AA. Societatis, contra quos præcipuè diſceptamvs, ſed ſat nobis eſt; poſsibilitatem rerum ſtabilire, ſicut ſtabilitam putamus futuritionem.

ARTIC. III.

Vtrùm in creatis eſſentia, & exiſtentia realiter diſtinguantur?

143 DIfficultas præſens, licèt valde Metaphyſica, à cõſideratione phyſica non eſt penitus aliena; vt perfecta notitia compoſiti naturalis, vſque ad vltimum terminum ſuæ eſſentiæ, qui eſt exiſtentia, vltimatè deveniat: termini ex ſuperioribus manent ſufficienter noti: explicuimus, quid nomine eſſentiæ intelligamus: quid vero nomine exiſtentiæ, agendo de exiſtentia materiæ primæ, aliqualiter monſtravimus: diſtinctionem realẽ quę rimus, prout opponitur identitati reali.

Diſtinctionem quidem realem; non eſſentię vt poſsibilis, à ſe ipſa, vt exiſtente (ly *vt* ſumpto ſpecificativè) ſeu eſſentię, vt in potentia obiectiva, à ſe ipſa, vt in actu correſpondẽte tali potẽtię. Nam licèt eſſentiam, vt in potẽtia obiectiva, & vt poſsibilis,

lis, vt ſupra probavimus, ſit actu nihil in ſe ipſis, & vt exiſtens, ſit actu ens: hæc diſtinctio propriè non eſt realis, rei à re; ſed diſtinctio potius inter ſtatus eiuſdem rei: quia potentia obiectiva, & actus illi correſpondens, ſunt eadē res cum ſola differentia penes ſtatum: nam eademmet res, quæ erat non repugnans ad exiſtendum, in quo potentia obiectiva, ſeu logica conſiſtit, eſt quæ poſtea actu exiſtit: quærimus namque diſtinctionē realem eſſentiæ exiſtentis ab exiſtētia, quæ exiſtit, vel diſtinctionem eſſentiæ, quæ actu phyſicè eſt, ab exiſtentia, qua actu phyſicè eſt.

Identitatem realem eſſentiæ cum exiſtentia tenent cum Scoto Scotiſtæ omnes: & cum Suarez fere omnes ex Scola Societatis, excepto Molina, & Albertino, qui diſtinctionem realem inter eſſentiam creatam, & eius exiſtentiam admittunt, adhærentes communi Thomiſtarum cum Angelico Præceptore.

§. I.

Vnica Concluſio.

144 E*ſsentia, & exiſtētia in creatis, realiter diſtinguuntur.*

Angel. Præcep pro hac cōcluſione ſtare immerito dubitāt Doctores Societ. In opuſcul. 48. tract. de ſubſtantia cap. 2. ſunt hæc verba: *Eſſe eſſentiæ, & eſſe actualis exiſtentiæ, differunt realiter, vt duæ diverſæ res.* In primis, hic locum non habet interpretatio de eſſentia in eſſe obiectivo, ſeu poſsibili, in quo adverſarij nobiſcum fatentur, eſſe nihil, & non rem, proindeque nequit differre ab exiſtentia, tāquam res à re: nec locum habet interpretatio de exiſtentia, prout eſt idem ac ſubſiſtentia: quia etiam adverſarij nobiſcum, & cum communi fatentur, ſubſiſtentiam non eſſe rem, ſed modum: indubiæ igitur concluſio noſtra in prædictis verbis exprimitur; ſed quia illud opuſculum indubitatum non eſt Divi Thomæ, vim non facimus in ſolis verbis relatis.

Nec deſunt teſtimonia non minus clarè concluſionem noſtram exprimētia: nam quodlibet. 2. artic. 3. ait: *Quod in qualibet creatura, eſt aliud ipſa creatura, quæ habet eſſe, & ipſum eſſe eius.* Vbi expreſſe loquitur de eſſe exiſtentiæ diſtinctio ab eſſentia; non vt poſsibili; ſed exiſtente; quia creatura, quæ habet eſſe, non eſt poſsibilis, ſed extra cauſas; ſed hoc ipſum eſſe, quod habet extra cauſas, aſſerit eſſe aliud ab ipſa creatura, quæ illud habet: ergo eſſentia exiſtens, & id quo exiſtit, ſunt aliud, & aliud, quod abſque reali diſtinctione, percipi nequit.

Idem habet Div. Thom. pluribus in locis: ſed quia non ſolum concluſionem; ſed, & ratio

tionis illius probativas ex ipſo Sanct. Doct. depromere conamur: ex illarum efficacia, melius quam ex multiplici teſtimoniorum relatione, ſincera illius mens, in hoc puncto colligitur.

145 *Prima ratio eſt.* Exiſtere eſt prædicatum phyſicum poſitivum conveniens intrinſecè eſſentijs rerum extra cauſas conſtitutis; ſed non convenit illis exiſtere per aliquid cum ipſis identificatum: ergo convenit illis exiſtere per aliquid phyſicum poſitivum realiter ab illis diſtinctum. Maior eſt evidens: quia exiſtere, eſt rem in ſe ipſa, phyſicè, poſitivè, intrinſecè eſſe, quod cum non poſsit convenire eſsētijs poſsibilibus, ſeu intra cauſas; convenit illis extra cauſas cōſtitutis. Prob. min. exiſtere convenit accidentaliter eſsētijs extra cauſas conſtitutis: ergo exiſtere non convenit illis per aliquid cum ipſis realiter identificatum.

Antec. videtur manifeſtum, nam exiſtere de aliquo verificatur accidentaliter, cum exiſtere rem creatam ſit contingens; at non verificatur accidentaliter de re intra cauſas conſtituta, quia de illa intra cauſas nullo modo verificatur exiſtere: ergo verificatur accidentaliter de eſſentijs extra cauſas conſtitutis. Conſeq. vero prob. quidquid accidentaliter convenit rei, phyſicè conſideratæ nequit cum tali re phyſicè idētificari, quia omne quod eſt identificatum phyſicè cum aliqua re eſt de eſſentia illius rei phyſicè cōſideratę; ſed eſsētiæ extra cauſas phyſicè cōſiderantur: ergo nequit convenire illis accidentaliter exiſtere per aliquid cum ipſi realiter idētificatum.

146 Dices 1. quod eſſentijs extra cauſas conſtitutis convenit exiſtere accidentaliter, quaſi metaphyſicè, qualiter rationale accidit animali: non vero accidētaliter phyſicè: quod primò modo convenit accidētaliter, poteſt cum re, cui cōvenit, realiter identificari, vt videre eſt in exemplo adducto.

147 Contra 1. quod accidit rei phyſicè conſideratæ, convenit illi accidentaliter phyſicè, ſed exiſtere accidit eſſentię phyſicè conſideratæ, cum cōſideremus illam extra cauſas: ergo exiſtere convenit illi accidētaliter phyſicè, & non ſolum metaphyſicè. Mai. prob. 1*um* quia quod accidit rei, ſolum metaphyſicè conſideratæ, convenit illi accidentaliter metaphyſicè: ergo quod accidit rei, phyſicè conſideratæ, convenit illi accidentaliter phyſicè.

2*um* quia, quod accidit rei phyſicè conſideratæ, neceſſariò debet eſſe extra compoſitum, & quidditatem illius in phyſica cōſideratione: ergo convenit illi accidentaliter phyſicè. Patet cōſeq. Non alia ratione, albedo ac-

ci-

ci lentaliter phyſicè convenit corpori, niſi quia eſt extra conceptum corporis inconſideratione phyſica. Prob. antec. Rationale ideò accidit animali metaphyſicè conſiderato, quia rationale eſt extra conceptum animalis in metaphyſica cōſideratione: ergo quod accidit rei phyſicè conſideratæ, neſſariò debet eſſe extra conceptum illius in phyſica conſideratione.

148 Contra 2. quod accidit eſſentiæ, vt individuæ, convenit illi accidentaliter, non solum metaphyſicè, ſed phyſicè; ſed ſi exiſtere convenit accidentaliter eſſentiæ extra cauſas conſtitutæ, convenit illi, vt individuæ: quia nulla eſſentia, vel ſpecies producitur, niſi individua: ergo exiſtere convenit eſſentiæ extra cauſas conſtitutæ, accidentaliter, non quaſi metaphyſicè, ſed phyſicè. Prob. mai. quod accidit eſſentiæ, vt individuæ eſt extra rationem, & quidditatem illius, vt individuę; ſed hoc ipſo convenit illi accidentaliter, non metaphyſicè, ſed phyſicè: ergo. Prob. min. Quod accidit eſſentiæ, non vt prædicatum determinans principia generica, vt cum illis conſtituat ſpeciem; vel vt determinās principia ſpecifica, vt cum illis cōſtituat individuum; accidit eſſentiæ, nō ſolum metaphyſicè, ſed phyſicè; ſed quod eſt extra quidditatem eſſentiæ, vt individuæ, nullo ex his modis comparatur ad illam, vt ex ſe patet: ergo convenit illi accidentaliter phyſicè.

Mai. prob. ex Div. Thomæ quodlib. ſupra citato artic. 4. *Dupliciter aliquid accipitur, vt accidens, præter rationem rei: vno modo, quia non cadit in diffinitione ſignificante eſſentiam rei; ſed tamen eſt determinativum alicuius eſſentialium principiorum: ſicut rationale accidit animali; vtpote præter diffinitionem eius exiſtens; & tamen eſt determinativum eſſentiæ animalis: vnde eſt eſſentiale homini, & de ratione eius exiſtens: alio modo accidit aliquid alicui, quia nec eſt in eius diffinitione, nec eſt determinativum alicuius eſſentialium principiorum: ſicut albedo accidit homini.* Hæc Div. Thom. vbi clare habetur illa maior propoſitio, & ſimul impugnatio ſolutionis contrariorum.

149 Dices 2. Quod exiſtere non convenit accidentaliter, ſed eſſentialiter eſſentijs extra cauſas conſtitutis. nam eſſentiæ, prout ſic, involvunt exiſtētiam extrahentē illa extra cauſas: & eſſentię, vt exiſtenti eſſentialiter convenit exiſtere.

150 Contra 1. Exiſtere in exercitio eſt ſtatus, & prædicatum accidentale alicuius, vt patet; ſed non eſſentiæ, vt poſſibilis, quia eſt prædicatum contradictorium; ſicut ens actu dividitur contra ens in potentia: ergo eſſentiæ, quæ actu eſt, accidit exiſtere abſolute; licet ſecū-

dum-

dum quid, ex ſuppoſitione, dum eſt, neceſſariò ſit.

2. Ex eo quod exiſtere conveniat eſſentialiter eſſentiæ, vt extra cauſas reduplicativè, non ſequitur, quod non poſsit ei accidentaliter convenire extra cauſas ſpecificativè: ergo. Prob. antecedens: licèt eſſe album non poſsit verificari de homine, niſi vt ſubeſt albedini: dummodo albedo non reduplicetur ex parte hominis, enuntiatur de illo ſolum accidentaliter; ergo licèt exiſtere non poſsit verificari de eſſentia, niſi vt ſubeſt ſtatui, quem habet extra cauſas, dummodo talis ſtatus nō reduplicetur ex parte eſſentiæ, exiſtere enūtiabitur de eſſentia accidentaliter.

151 Confirm. hæc propoſitio: *Aliquis homo eſt exiſtens*, eſt abſolutè contingens, & vera, vt admittunt omnes Logici, & Metaphyſici: at non reduplicato prędicato ex parte ſubiecti, quia prout ſic licèt ſit vera, non erit abſolute contingens, ſed neceſſaria: nec per hoc quod prædicatum cōveniat ſubiecto, vt conſtituto intra cauſas; quia prout ſic eſt falſa, & impoſsibilis: ergo eſt abſolute cōtingens, & vera, per hoc quod prædicatū cōveniat ſubiecto extra cauſas cōſtituto, tātū ſpecificativè.

Denique: homini extra cauſas conſtituto, diverſo modo convenit eſſe animal rationale, ac exiſtere; ſed eſſe animal rationale, convenit illi eſſentialiter: ergo exiſtere ſolum convenit illi accidentaliter.

152 Si dicas 3. quod hæc propoſitio: *homo eſt animal rationale* in modo tendendi abſoluto æque contingens eſt, ſicut iſta: *homo exiſtit*; quia prædicata eſſentialia non verificantur de homine in ſenſu abſoluto, niſi homo abſolutè exiſtat, ſi autem homo non exiſtit, verificantur de illo neceſſariò, non abſolutè; ſed conditionatè: homini autem extra cauſas conſtituto, ſicut convenit abſolutè exiſtere, ſed contingenter, ita convenit abſolutè eſſe animal rationale, ſed contingenter.

153 Hæc ſolutio tangit modum dicēdi, quem impugnavimus late artic. præcedentis negantem connexionem eſſentialiter inter prędicata eſſentialia abſolutè exiſtētem: prorſuſque relegantem abſolutam neceſsitatem; & cōcedētem præciſè neceſsitatē conditionatā; & ex ſuppoſitione exiſtentiæ abſolutè contingentis, & vltra ibi dicta, contra præſentem ſolutionē obſtat 1. Eſſe animal rationale poteſt in ſenſu abſoluto verificari de homine, quin de illo verificetur, quod exiſtit: ergo in modo tendendi abſoluto poteſt hæc: *homo eſt animal* eſſe neceſſaria, & altera: *homo exiſtit* eſſe cōtingēs. Conſeq. patet: quia in modo tendendi abſoluto, veritas vnius non pendet ex veri-

ritate alterius. Ant. vero prob. eſſe animal rationale, in ſenſu abſoluto, verificatur de homine non exiſtente; vt late probavimus artic. præcedenti; ſed de homine non exiſtente non verificatur, quod exiſtit; ergo.

2. In ſenſu abſoluto nequit deficere veritas huius propoſitionis: *hom. eſt animal*, ſed in ſenſu abſoluto poteſt deficere veritas huius: *homo exiſtit*: ergo in modo tendendi abſoluto, non eſt æque contingens vna, ac alia. Mai. in qua ſtat difficultas, ſupra manet ſufficiēter probata: ſub ſummo. Ergo homini extra cauſas conſtituto, convenit eſſentialiter eſſe animal rationale, & accidentaliter eſſe exiſtens, vel exiſtere. Conſeq. quoad ſecundam partem concedunt adverſarij, & quoad primam prob. repugnat aliquod prædicatū abſolutè eſſentialiter convenire homini, & quod abſolutè neceſſariò, & eſſentialiter non conveniat illi in omni eſtatu: ergo.

§. II.

Vlterior conculuſionis probatio.

154 Ratione apud noſtros valde familiari, ſed efficaci, & Div. Thomæ. Exiſtentia idētificata cum eſſentia eſt infinita ſimpliciter; ſed hoc pugnat cum conceptu creaturæ: ergo pugnat cum cōceptu creaturæ, idētificare exiſtentiam. Mai. prob. 1. Exiſtentia eſt vltimus actus, & vltima perfectio in genere communiſſimo entis: ergo identificata cum eſſentia eſt infinita ſimpliciter. Prob. conſeq. Exiſtentia identificata cum eſſentia eſt actus, & perfectio irrecepta; quia non poteſt recipi niſi eſsētia, & nihil recipitur in eo, cum quo identificatur; ſed actus, & perfectio irrecepta in aliqua linea eſt infinita in illa linea: quia actus ſolum per receptionem ſui poteſt limitari: ergo actus, & perfectio omnis lineæ, qualis eſt exiſtentia, ſi ſit irrecepta, erit infinita in omni linea; ac ſubinde infinita ſimpliciter.

2. Actus purus eſt infinitus ſimpliciter; ſed exiſtentia idētificata cū eſſentia eſt purus actus: ergo infinita ſimpliciter. Maior conſtat: *tùm* in Deo: *tùm*, quia prima radix limitationis eſt materia, vel aliquid illius vicē gerens, nempè potentialitas, quam actus purus penitus excludit, Probat min. Excludit omnem potentialitatem: ergo eſt actus purus: Prob. antec. Excludit potētiam in ſe ad vlteriorem actūm; ſed etiam excludit eſſe actum alicuius potentiæ: ergo excludit omnem potentialitaem: conſeq. eſt bona. Quia omnis potētialitas non videtur aliter poſſe excludi. Min. etiam conſtare videtur: quia ſolum eſt actus eſsētiæ & ſi cum illa identificatur, eſſentia non eſt in potentia vera ad illam. Mai. etiā nota videtur: quia vltimus actus ex concep-

ceptu vltimi excludit ad alium actum ordinari per modum potentiæ.

3. Eſſentia entis ſummè ſimplicis eſt infinita ſimpliciter; ſed exiſtentia identificata cum eſſentia eſt exiſtentia entis ſummè ſimplicis: ergo eſt infinita ſimpliciter. Maior conſtat: *Tùm* quia ex ſumma ſimplicitate Dei infert Div. Thom. eius infinitatem, propter quod in 1. p. ſumma ſimplicitas eſt primum attributum, quod de Deo demonſtrat. *Tùm*, quia omnis limitatio fundatur in aliqua vera compoſitione, quę ab ente ſummè ſimplici penitus relegatur.

Prob. min. Excluſa radicè, vel prima compoſitione, omnis vera compoſitio excluditur, remanetque ſumma ſimplicitas; ſed ens idētificans ſuam exiſtentiā excludit veram compoſitionē ex eſſentia, & exiſtentia, quæ eſt prima, & radix omnis compoſitionis: ergo ens identificans ſuam exiſtētiam eſt ſummè ſimplex. Min. quoad ſecundam partem, nempè quod prima radix omnis compoſitionis ſit cōpoſitio ex eſſentia, & exiſtentia. Prob. prima compoſitio creaturæ, ibi primò debet meditari, vbi primus eius formalis, & quidditativus conceptus conſideratur; ſed primus formalis, & quidditativus cōceptus creaturæ in linea entis eſt eius eſsētia cuius actus in eadem linea eſt exiſtētia: ergo prima compoſitio creaturæ, quæ nequit non eſſe in linea entis, eſt compoſitio ex eſſentia, & exiſtentia.

155 Variè huic rationi reſpondetur ab adverſarij, tàm antiquis, quàm modernis: & quia ſolutiones Antiquiorum abundè Auctores noſtri impugnaverunt, vnam, vel alteram Recentiorum ſolutionem tantū referre, & refellere licèt dicunt 1. Ad primam, & ſecundam probationem primæ maioris, quod exiſtentia creata, licèt non recepta in eſsētia, ſed cū ipſa identificata, habet à quo limitetur abſque eo quod recipiatur phyſicè in alio, vel aliud recipiat limitatur namque ex ipſa differentia exiſtētiæ creatæ: nā quævis creatura ex cōceptu creaturæ, ex quo habet eſſe ab alio, habet formaliter, & intrinſecè limitationē: vnde limitatio poteſt oriri, vel ex eo quod aliquid recipiatur in alio, vel ex eo quod recipiatur activè ab alio, hoc ſecundū cōvenit exiſtētiæ productæ à Deo identificatæ cum eſſentia.

Dicunt. 2. Quod admiſſo gratis limitationem de omni ex potētialitate, vt res recipiatur, vel recipiat, hanc non deficere exiſtentiæ identificatæ cū eſſentia, nā eſt in potētia ad recipiēdā ſubſiſtentiam & accidētia, quibus ſubſtantia creata perficitur: deinde exiſtentia accidentium, & formæ ſubſtantialis recipitur, ſicut res, quas conſtituit exiſtentes.

Dicunt denique ad vltimam prob. vel ſufficere compoſitionem metaphyſicam ex genere, & differentia, quamvis deſit cōpoſitio aliqua realis, vt creatura non accedat ad ſimplicitatē Dei, vel ſi requiritur aliqua cōpoſitio realis, licèt deficiat ex eſſentia, & exiſtentia propter identitatem, manet compoſitio cum ſubſiſtentia, præſentia, & productione, quæ realiter ab eſſentia diſtinguuntur.

156 Quæ omnes ſolutiones aliæ non ſunt ab his, quibus P. Suarez, & alij antiquiores occurrūt rationi noſtrę. Et ſic breviter impugnantur. *Prima* ſolutio deficit. *Tùm*, quia exiſtentia non recepta in alio, vel aliud recipiens, eſt omninò independēs ab alio: ergo nequit limitari per hoc, quod recipiatur ab alio activè. Prob. ant. Exiſtētia non recepta, nec recipiens, eſt ſummè perfecta in lineaeſsēdi; ſed quod eſt ſumme perfectū in linea eſſendi à nullo depēdet: ergo. Minor conſtat, quia omnis dependētia dirigitur adhoc, vt idquod dependet in ſuo eſſe perficiatur. Maior prob. quod ex ſuo cōceptu eſt perfectio in linea eſsēdi, & aliàs eſt incapax, vt in illa linea imperficiatur ab alio, & ab alio perficiatur, eſt ſumme perfectum in linea eſſendi, ſed exiſtētia eſt perfectio in linea eſſendi, & incapax, vt imperficiatur per ſui receptionem, incapaxque, vt perficiatur per receptionē alterius actus in ipſa: ergo exiſtētia non recepta, nec recipiens eſt ſumme perfecta in linea eſsēdi. Maior ex terminis videtur nota; nam ideò Deus ſumme perfectus eſt, quia in ſe eſt perfectio taliter, vt nec vlterius ſit perfectibilis, nec capax imperfectionis.

Tùm, quia licèt eſſe limitatum ab alio ſit, non tamen eſt intrinſecè limitatum, quia ab alio eſt; ſed potius ab alio eſt, quia in ſe habet principia ſuę limitationis; ſed hæc principia alia eſſe non poſſunt, niſi recipi in alio, vel aliud recipere: ergo. Maior probatur: Nam effectus à cauſa eſt, quia in ſe tali cauſæ poſsibilis eſt, ſed actus in ſe intrinſecè non limitatus nulli cauſæ poſsibilis eſt: ergo ideò effectus ab alio eſt, quia in ſe habet principia limitationis.

Confirm. nam principium infinitum nequit eſſe prima ratio limitādi effectū: ergo prima ratio limitationis in effectu nequit ſumi ex eo, quod à Deo ſit; ſed exiſtere eſt proprius effectus Dei, cum ſit actus rationis communiſsimæ entis, quæ propriè à primo ente eſt: ergo.

Confirm. 1. Effectus recipit eſſe à cauſa iuxta exigentiam ipſius effectus; ſed exiſtentia creata recipit à Deo eſſe limitatum: ergo exiſtentia creata exigit ſui limitationem: ergo in ſe habet principium talis exigētiæ: aſsigna illud. Non eſſe à Deo

Deo: quia ad hoc pręſupponitur exigentia limitationis: ergo ſolū reſtat, quod ſit eſſe in eſſentia receptum.

157 *Secunda* ſolutio etiā deficit: *Tùm* quia ſi exiſtentia eſſet in potētia ad recipiendam ſubſiſtentiam, hæc eſſet magis actualis intra lineam ſubſtātiæ, quam exiſtentia: hoc eſt falſum: ergo. Maior ex terminis videtur nota. Minor probatur: Illud eſt magis actuale, quod magis habet de perfectione, & illud eſt perfectius, quod magis habet de entitate; ſed ſubſiſtentia iuxta adverſarios non eſt ens, ſed tantum modus, exiſtentia verò eſt ens, immò, eſt id ratione cuius omnia ſunt entia perfecta, & actualia: ergo. *Tùm* quia caſu quo exiſtentia accidentium, & formę ſubſtantialis eſſet cum illis identificata; eſſet cum illis identificatus vltimus actus de linea communiſsima entis, & tūc currit in accidētibus, & forma ſubſtantiali ratio à nobis ſupra facta de infinitate ſimpliciter, quin maneat locus, vt tale ens identificans ſuam exiſtentiā ſit accidens, vel ens incompletum in linea ſubſtantiæ, qualis eſt forma, ſed ens ſumme actuale, ſumme ſimplex, & ſimpliciter infinitum.

158 *Tertia* denique ſolutio etiam deficit. *Tùm* quia compoſitio ex genere, & differentia eſt per noſtros conceptus cùm fundamento in re: ergo debet fundari in aliqua compoſitione reali, nam quod in re eſt omninò ſimplex, nequit præbere fundamentum ad concipiendam veram compoſitionem: ſed vt ſupra probavimus, radix, & fundamentum omnis compoſitionis, eſt illa, quam facit eſſentia cum exiſtentia: ergo ſi hæc deficit, deficiet metaphyſica, & omnis.

Tum quia Div. Thom. 1. p. quæſt. 3. art. 5. inter aliàs rationes adducit ad probandum Deū non eſſe compoſitum ex genere, & differentia: quia Deus non eſt compoſitus ex eſſentia, & eſſe, ſeu exiſtentia: ergo ſentit quod compoſitio metaphyſica fundatur ſupra phyſicam ex eſſentia, & eſſe.

159 Denique confirm præcedens ratio, & ſimul impugnātur ſolutiones datæ. Actualitas, & perfectio non determinata, & limitata ad aliquem determinatum gradum, vel ſpeciem entis eſt ſimpliciter infinita: ſed exiſtentia non componens cum eſſentia media ſui receptione eſt actualitas, & perfectio non determinata, nec limitata ad aliquem gradum, vel ſpeciē entis: ergo. Prob. min. quod eſt commune omni enti ſolū poteſt determinari, & limitari ad aliquē gradum, vel ſpeciem entis per ſui diviſionem: ergo vel per diviſionē ſui formalē, quæ fit per formales differētias, vel per diviſionem ſui materialem, quæ ſit

concipiamus aliquid divinum: ergo. Prob. min. *Tùm*, quia concipimus, ſicut ſignificamus; ſed prædicata eſſentialia alterius mundi nihil divinum ſignificāt: ergo. *Tùm* quia prędicata eſſentia'ia rei illam conſtituunt; ſed nihil divinum alterum mundū conſtituit: ergo.

138 Reſpond. neg. antec. ad prob. conceſſa mai. neg. min. ad 1. prob. dicimus: quod licèt prædicata eſſentialia mūdi nihil divinum ſignificent, illa tamen, reduplicativè, vt connexa, & vt non repugnantia aliquid divinum important. *Inſtatur* in futuro, cuius prædicata concipimus ſine aliquo divino; at vero illa, reduplicativè, vt futura ſine aliquo divino non poſſumus concipere. *Ad 2.* reſpond. quod prędicata eſſentialia conſtituunt rem poſsibilem; ſed nō illius poſsibilitatē; ſicut, & conſtituunt rem futuram: ſed non illius futuritionē; vnde ſicut hęc conſtituitur, & cōſiſtit in aliquo divino, ita & poſsibilitas.

139 Inſtas 1. Poſſibilitas abſoluta hominis explicatur in hac propoſitione ęternę veritatis: *homo eſt animal* cum in hac explicetur connexio, & habitudo prędicatorum, quę ſunt poſsibilitas abſoluta hominis; ſed in hac propoſitione nihil divinum importatur; ſed ſolum eſſentia hominis, quę adęquatè aliquid creatum eſt: ergo.

Inſtas 2. poſsibile eſt, quod per productionem actualem redditur exiſtens; ſed nullum prędicatum divinum redditur exiſtens, per productionem actualem ergo.

140 Reſpond. quod ſicut futuritio AntiChriſti poteſt importari ſignate, & explicitè, & hoc fit per has voces: *futurum, vel futuritio*: & implicite, & quaſi exercite, & hoc fit per verbum *erit*; ita hominis poſſibilitas poteſt ſignate, & explicite in propoſitione importari, & hoc fit per has voces: *Poſsibile*, vel *poſsibilitas*; & implicite, & quaſi exercite, & hoc fit per propoſitiones eſſentiales; vnde ſicut licèt in hac: *Anti-Chriſtus erit* nihil explicite, & ſignate importetur divinum, importatur tamē implicite determinatio divina, de eo quod Anti-Chriſtus poſtea exiſtat; ita licèt in hac *homo eſt animal* ſignate, & explicite nihil divinum importetur; importatur tamē implicite, & exercetur connexio prędicatorum, quæ aliquid divinum eſt.

Ad 2. inſtatur etiam in futuro, quod per actualē productionem redditur exiſtens; quin divinum decretum, conſtituens futurum, reddatur exiſtens per productionem; & ſicut futuritio, licèt conſtituat rem producendam poſtea; ipſa tamen, nō eſt poſtea producenda: ita poſſibilitas abſoluta rerum, non eſt producibilis, & ſi conſtituat

rés

res potentes produci.

141 Denique obijcies: eo modo requiritur forma, quo requiritur effectus formalis illius; cum effectus formalis, nihil ſit præter formæ communicationem; ſed effectus formalis poſsibilitatis, non eſt aliquid præſens, ſed poſsibile: ergo poſsibilitas rerum nō eſt forma de præſenti, ſed poſsibilis.

142 Diſting. maior. Eo modo requiritur forma, *vt quo*, quo requiritur effectus formalis, conced. ma. Forma, *vt quod*, neg. mai. & conceſſam in. diſt. conſeq. Eodem modo: non eſt forma de præſenti, vt *quo*, concedo conſeq. ut *quod*, neg. conſeq. Subiectum quod afficit poſſibilitas non eſt præſens, nec illud denominat præſens, ſed poſſibile; ipſa tamen poſsibilitas in ſe eſt quid præſens: nec mirum, quod cū in ſe ſit præſens, denominet ſubiectum poſsibile; quia neceſsitas, vt non implicet, non eſt poſsibilis, ſed præſens: ſic effectus formalis futuritionis dicitur præſens, non vt *quo*; quia rē non conſtituit, nec denominat præſentem, ſed futuram; ſed vt *quod*, quia futuritio eſt pręsēs, non futura: ſic dicunt logici, quod ſecunda intentio generis, vt *quo* eſt genus, quia ſubiectum quod afficit, genus denominat, & conſtituit formaliter; attamen vt *quod* dicitur ſpecies, quia ipſa in ſe eſt quædam ſpecies vniverſales.

Bene videmus inſtantiam futuritionis, in pręſēti materia, in minimo lædere AA. Soticratis, contra quos præcipuè diſceptamvs, ſed ſat nobis eſt; poſsibilitatem rerum ſtabilire, ſicut ſtabilitam putamus futuritionem.

ARTIC. III.

Vtrùm in creatis eſſentia, & exiſtentia realiter diſtinguantur?

143 DIfficultas præſens, licèt valde Metaphyſica, à cōſideratione phyſica non eſt penitus aliena; vt perfecta notitia compoſiti naturalis, vſque ad vltimum terminum ſuæ eſſentiæ, qui eſt exiſtentia, vltimatè deveniat: termini ex ſuperioribus manent ſufficienter noti: explicuimus, quid nomine eſſentiæ intelligamus: quid vero nomine exiſtentiæ, agendo de exiſtentia materiæ primæ, aliqualiter monſtravimus: diſtinctionem realē quærimus, prout opponitur identitati reali.

Diſtinctionem quidem realem; non eſſentię vt poſsibilis, à ſe ipſa, vt exiſtente (ly *vt* ſumpto ſpecificativè) ſeu eſſentię, vt in potentia obiectiva, à ſe ipſa, vt in actu correſpondēte tali potētię. Nam licèt eſſentiam, vt in potētia obiectiva, & vt poſsibilis,

lis, vt ſupra probavimus, ſit actu nihil in ſe ipſis, & vt exiſtens, ſit actu ens: hæc diſtinctio propriè non eſt realis, rei à re; ſed diſtinctio potius inter ſtatus eiuſdem rei: quia potentia obiectiva, & actus illi correſpondens, ſunt eadē res cum ſola differentia penes ſtatum: nam eademmet res, quæ erat non repugnans ad exiſtendum, in quo potentia obiectiva, ſeu logica conſiſtit, eſt quæ poſtea actu exiſtit; quærimus namque diſtinctionē realem eſſentiæ exiſtentis ab exiſtētia, quæ exiſtit, vel diſtinctionem eſſentiæ, quæ actu phyſicè eſt, ab exiſtentia, qua actu phyſicè eſt.

Identitatem realem eſſentiæ cum exiſtentia tenent cum Scoto Scotiſtæ omnes: & cum Suarez fere omnes ex Scola Societatis, excepto Molina, & Albertino, qui diſtinctionem realem inter eſſentiam creatam, & eius exiſtentiam admittunt, adhærentes communi Thomiſtarum cum Angelico Præceptore.

§. I.

Vnica Concluſio.

144 E*ſſentia, & exiſtētia in creatis, realiter diſtinguuntur.* Angel. Præcep pro hac cōcluſione ſtare immerito dubitāt Doctores Societ. In opuſcul. 48. tract. de ſubſtantia cap. 2. ſunt hæc verba: *Eſſe eſſentiæ, & eſſe actualis exiſtentiæ; differunt realiter, vt duæ diverſæ res.* In primis, hic locum non habet interpratatio de eſſentia in eſſe obiectivo, ſeu poſsibili, in quo adverſarij nobiſcum fatentur, eſſe nihil, & non rem, proindeque nequit differre ab exiſtentia, tāquam res à re: nec locum habet interpratatio de exiſtentia, pro vt eſt idem ac ſubſiſtentia: quia etiam adverſarij nobiſcum, & cum communi fatentur, ſubſiſtentiam non eſſe rem, ſed modum: indubiæ igitur concluſio noſtra in prędictis verbis exprimitur; ſed quia illud opuſculum indubitatum non eſt Divi Thomæ, vim non facimus in ſolis verbis relatis.

Nec deſunt teſtimonia non minus clarè concluſionem noſtram exprimētia: nam quodlibet. 2. artic. 3. ait. *Quod in qualibet creatura, eſt aliud ipſa creatura, quæ habet eſſe, & ipſum eſſe eius.* Vbi expreſſe loquitur de eſſe exiſtentiæ diſtinctio ab eſſentia; non vt poſsibili; ſed exiſtente; quia creatura, quæ habet eſſe, non eſt poſsibilis, ſed extra cauſas; ſed hoc ipſum eſſe, quod habet extra cauſas, aſſerit eſſe aliud ab ipſa creatura, quæ illud habet: ergo eſſentia exiſtens, & id quo exiſtit, ſunt aliud, & aliud, quod abſque reali diſtinctione, percipi nequit.

Idem habet Div. Thom. pluribus in locis: ſed quia non ſolum concluſionem; ſed, & ratio

tionis illius probativas ex ipſo Sanct. Doct. depromere conamur: ex illarum efficacia, melius quam ex multiplici teſtimoniorum relatione, ſincera illius mens, in hoc puncto colligitur.

145 *Prima ratio eſt*. Exiſtere eſt prædicatum phyſicum poſitivum conveniens intrinſecè eſſentijs rerum extra cauſas conſtitutis; ſed non convenit illis exiſtere per aliquid cum ipſis identificatum: ergo convenit illis exiſtere per aliquid phyſicum poſitivum realiter ab illis diſtinctum. Maior eſt evidens: quia exiſtere, eſt rem in ſe ipſa, phyſicè, poſitivè, intrinſecè eſſe, quod cum non poſsit convenire eſsētijs poſsibilibus, ſeu intra cauſas; convenit illis extra cauſas cōſtitutis. Prob. min. exiſtere convenit accidentaliter eſſetijs extra cauſas conſtitutis: ergo exiſtere non convenit illis per aliquid cum ipſis realiter identificatum.

Antec. videtur manifeſtum, nam exiſtere de aliquo verificatur accidentaliter, cum exiſtere rem creatam ſit contingens; at non verificatur accidentaliter de re intra cauſas conſtituta, quia de illa intra cauſas nullo modo verificatur exiſtere: ergo verificatur accidentaliter de eſſentijs extra cauſas conſtitutis. Conſeq. vero prob. quidquid accidentaliter convenit rei, phyſicè conſideratæ nequit cum tali re phyſicè idētificari, quia omne quod eſt identificatum phyſicè cum aliqua re eſt de eſſentia illius rei phyſicè cōſideratæ; ſed eſsētiæ extra cauſas phyſicè cōſiderantur: ergo nequit convenire illis accidentaliter exiſtere per aliquid cum ipſi realiter idētificatum.

146 Dices 1. quod eſſentijs extra cauſas conſtitutis convenit exiſtere accidentaliter, quaſi metaphyſicè, qualiter rationale accidit animali: non vero accidētaliter phyſicè: quod primò modo convenit accidētaliter, poteſt cum re, cui cōvenit, realiter identificari, vt videre eſt in exemplo adducto.

147 Contra 1. quod accidit rei phyſicè conſideratæ, convenit illi accidentaliter phyſicè, ſed exiſtere accidit eſſentię phyſicè conſideratæ, cum cōſideremus illam extra cauſas: ergo exiſtere convenit illi accidētaliter phyſicè, & non ſolum metaphyſicè. Mai. prob. *1ùm* quia quod accidit rei, ſolum metaphyſicè conſideratæ, convenit illi accidentaliter metaphyſicè: ergo quod accidit rei, phyſicè conſideratæ, convenit illi accidentaliter phyſicè.

2ùm quia, quod accidit rei phyſicè conſideratæ, neceſſariò debet eſſe extra compoſitum, & quidditatem illius in phyſica cōſideratione: ergo convenit illi accidentaliter phyſicè. Patet cōſeq. Non alia ratione, albedo ac

ci-

ci lentaliter phyſicè convenit corpori, niſi quia eſt extra conceptum corporis inconſideratione phyſica. Prob. antec. Rationale ideò accidit animali metaphyſicè conſiderato, quia rationale eſt extra conceptum animalis in metaphyſica cõſideratione: ergo quod accidit rei phyſicè conſideratæ, neſſariò debet eſſe extra conceptum illius in phyſica conſideratione.

148 Contra 2. quod accidit eſſentiæ, vt individuæ, convenit illi accidentaliter, non ſolum metaphyſicè, ſed phyſicè; ſed ſi exiſtere convenit accidentaliter eſſentiæ extra cauſas conſtitutæ, convenit illi, vt individuæ: quia nulla eſſentia, vel ſpecies producitur, niſi individua: ergo exiſtere convenit eſſentiæ extra cauſas conſtitutæ, accidentaliter, non quaſi metaphyſicè, ſed phyſicè. Prob. mai. quod accidit eſſentiæ, vt individuæ eſt extra rationem, & quidditatem illius, vt individuę; ſed hoc ipſo convenit illi accidentaliter, non metaphyſice, ſed phyſicè: ergo. Prob. min. Quod accidit eſſentiæ, non vt prædicatum determinans principia generica, vt cum illis conſtituat ſpeciem; vel vt determinãs principia ſpecifica, vt cum illis cõſtituat individuum; accidit eſſentiæ, nõ ſolum metaphyſicè, ſed phyſicè; ſed quod eſt extra quidditatem eſſentiæ, vt individuæ, nullo ex his modis comparatur ad illam, vt ex ſe patet: ergo convenit illi accidentaliter phyſicè.

Mai. prob. ex Div. Thom. quodlib. ſupra citato artic. 4. *Dupliciter aliquid accipitur, vt accidens, præter rationem rei: vno modo, quia non cadit in diffinitione ſignificante eſſentiam rei; ſed tamen eſt determinativum alicuius eſſentialium principiorum: ſicut rationale accidit animali; vtpote præter diffinitionem eius exiſtens; & tamen eſt determinativum eſſentiæ animalis: vnde eſt eſſentiale homini, & de ratione eius exiſtens: alio modo accidit aliquid alicui, quia nec eſt in eius diffinitione, nec eſt determinativum alicuius eſſentialium principiorum: ſicut albedo accidit homini.* Hæc Div. Thom. vbi clare habetur illa maior propoſitio, & ſimul impugnatio ſolutionis contrariorum.

149 Dices 2. Quod exiſtere non convenit accidentaliter, ſed eſſentialiter eſſentijs extra cauſas conſtitutis. nam eſſentiæ, prout ſic, involvunt exiſtẽtiam extrahentẽ illa extra cauſas: & eſſentię, vt exiſtenti eſſentialiter convenit exiſtere.

150 Contra 1. Exiſtere in exercitio eſt ſtatus, & prædicatum accidentale alicuius, vt patet; ſed non eſſentiæ vt poſsibilis, quia eſt prædicatum contradictorium; ſicut ens actu dividitur contra ens in potentia: ergo eſſentiæ, quæ actu eſt, accidit exiſtere abſolute; licet ſecũ-

dum-

dum quid, ex ſuppoſitione, dum eſt, neceſſariò ſit.

2. Ex eo quod exiſtere conveniat eſſentialiter eſſentiæ, vt extra cauſas reduplicativè, non ſequitur, quod non poſsit ei accidentaliter convenire extra cauſas ſpecificativè: ergo. Prob. antecedens: licèt eſſe album non poſsit verificari de homine, niſi vt ſubeſt albedini: dummodo albedo non reduplicetur ex parte hominis, enuntiatur de illo ſolum accidentaliter; ergo licèt exiſtere non poſsit verificari de eſſentia, niſi vt ſubeſt ſtatui, quem habet extra cauſas, dummodo talis ſtatus nō reduplicetur ex parte eſſentiæ, exiſtere enũtiabitur de eſſentia accidentaliter.

151 Confirm. hæc propoſitio: *Aliquis homo eſt exiſtens*, eſt abſolutè contingens, & vera, vt admittunt omnes Logici, & Metaphyſici: at non reduplicato prędicato ex parte ſubiecti, quia prout ſic licèt ſit vera, non erit abſolutè contingens, ſed neceſſaria: nec per hoc quod prædicatum cōveniat ſubiecto, vt conſtituto intra cauſas; quia prout ſic eſt falſa, & impoſsibilis: ergo eſt abſolutè cōtingens, & vera, per hoc quod prædicatũ cōveniat ſubiecto extra cauſas cōſtituto, tãtũ ſpecificativè.

Denique: homini extra cauſas conſtituto, diverſo modo convenit eſſe animal rationale, ac exiſtere; ſed eſſe animal rationale, convenit illi eſſentialiter: ergo exiſtere ſolum convenit illi accidentaliter.

152 Si dicas 3. quod hæc propoſitio: *homo eſt animal rationale* in modo tendendi abſoluto æque contingens eſt, ſicut iſta: *homo exiſtit*: quia prædicata eſſentialia non verificantur de homine in ſenſu abſoluto, niſi homo abſolutè exiſtat, ſi autem homo non exiſtit, verificantur de illo neceſſariò, non abſolutè; ſed conditionatè: homini autem extra cauſas conſtituto, ſicut convenit abſolutè exiſtere, ſed contingenter, ita convenit abſolutè eſſe animal rationale, ſed contingenter.

153 Hæc ſolutio tangit modum dicēdi, quem impugnavimus late artic. præcedentis negantem connexionem eſſentialiter inter prędicata eſſentialia abſolutè exiſtētem: prorſuſque relegantem abſolutam neceſsitatem; & cōcedētem præciſsè neceſsitatē conditionatã; & ex ſuppoſitione exiſtentiæ abſolutè contingentis, & vltra ibi dicta, contra præſentem ſolutionē obſtat 1. Eſſe animal rationale poteſt in ſenſu abſoluto verificari de homine, quin de illo verificetur, quod exiſtit: ergo in modo tendendi abſoluto poteſt hæc: *homo eſt animal* eſſe neceſſaria, & altera: *homo exiſtit* eſſe cōtingēs. Conſeq. patet: quia in modo tendendi abſoluto, veritas vnius non pendet ex veri-

ritate alterius. Ant. vero prob. eſſe animal rationale, in ſenſu abſoluto, verificatur de homine non exiſtente; vt late probavimus artic. præcedenti; ſed de homine non exiſtente non verificatur, quod exiſtit; ergo.

2. In ſenſu abſoluto nequit deficere veritas huius propoſitionis: *homo eſt animal*, ſed in ſenſu abſoluto poteſt deficere veritas huius: *homo exiſtit*: ergo in modo tendendi abſoluto, non eſt æque contingens vna, ac alia. Mai. in qua ſtat difficultas, ſupra manet ſufficiēter probata: ſub ſummo. Ergo homini extra cauſas conſtituto, convenit eſſentialiter eſſe animal rationale, & accidentaliter eſſe exiſtens, vel exiſtere. Conſeq. quoad ſecundam partem concedunt adverſarij, & quoad primam prob. repugnat aliquod prædicatū abſolutè eſſentialiter convenire homini, & quod abſolutè neceſſariò, & eſſentialiter non conveniat illi in omni eſtatu: ergo.

§. II.

Vlterior conculuſionis probatio.

154 Ratione apud noſtros valde familiari, ſed efficaci, & Div. Thomæ. Exiſtentia idētificata cum eſſentia eſt infinita ſimpliciter; ſed hoc pugnat cum conceptu creaturæ: ergo pugnat cum cōceptu creaturæ, idētificare exiſtentiam. Mai. prob. 1. Exiſtentia eſt vltimus actus, & vltima perfectio in genere communiſsimo entis: ergo identificata cum eſſentia eſt infinita ſimpliciter. Prob. conſeq. Exiſtentia identificata cum eſſentia eſt actus, & perfectio irrecepta; quia non poteſt recipi niſi eſſētia, & nihil recipitur in eo, cum quo identificatur; ſed actus, & perfectio irrecepta in aliqua linea eſt infinita in illa linea: quia actus ſolum per receptionem ſui poteſt limitari: ergo actus, & perfectio omnis lineæ, qualis eſt exiſtentia, ſi ſit irrecepta, erit infinita in omni linea; ac ſubinde infinita ſimpliciter.

2. Actus purus eſt infinitus ſimpliciter; ſed exiſtentia idētificata cū eſſentia eſt purus actus: ergo infinita ſimpliciter. Maior conſtat: *tùm* in Deo: *tùm*, quia prima radix limitationis eſt materia, vel aliquid illius vicē gerens, nempè potentialitas, quam actus purus penitus excludit, Probat min. Excludit omnem potentialitatem: ergo eſt actus purus: Prob. antec. Excludit potētiam in ſe ad vlteriorem actum; ſed etiam excludit eſſe actum alicuius potentiæ: ergo excludit omnem potentialitatem: conſeq. eſt bona. Quia omnis potētialitas non videtur aliter poſſe excludi. Min. etiam conſtare videtur: quia ſolum eſt actus eſſētiæ & ſi cum illa identificatur, eſſentia non eſt in potentia vera ad illam. Mai. etiā nota videtur: quia vltimus actus ex concep-

ceptu vltimi excludit ad alium actum ordinari per modum potentiæ.

3. Eſſentia entis ſummè ſimplicis eſt infinita ſimpliciter; ſed exiſtentia identificata cum eſſentia eſt exiſtentia entis ſummè ſimplicis: ergo eſt infinita ſimpliciter. Maior conſtat: *Tùm* quia ex ſumma ſimplicitate Dei infert Div. Thom. eius infinitatem, propter quod in 1. p. ſumma ſimplicitas eſt primum attributum, quod de Deo demonſtrat. *Tùm*, quia omnis limitatio fundatur in aliqua vera compoſitione, quę ab ente ſummè ſimplici penitus relegatur.

Prob. min. Excluſa radicè, vel prima compoſitione, omnis vera compoſitio excluditur, remanetque ſumma ſimplicitas; ſed ens idētificans ſuam exiſtentiā excludit veram compoſitionē ex eſſentia, & exiſtentia, quæ eſt prima, & radix omnis compoſitionis: ergo ens identificans ſuam exiſtētiam eſt ſummè ſimplex. Min. quoad ſecundam partem, nempè quod prima radix omnis compoſitionis ſit cōpoſitio ex eſſentia, & exiſtentia. Prob. prima compoſitio creaturæ, ibi primo debet meditari, vbi primus eius formalis, & quidditativus conceptus conſideratur: ſed primus formalis, & quidditativus cōceptus creaturæ in linea entis eſt eius eſsētia cuius actus in eadem linea eſt exiſtētia: ergo prima compoſitio creaturæ, quæ nequit non eſſe in linea entis, eſt compoſitio ex eſſentia, & exiſtentia.

155 Variè huic rationi reſpondetur ab adverſarij, tàm antiquis, quàm modernis: & quia ſolutiones Antiquiorum abundè Auctores noſtri impugnaverunt, vnam, vel alteram Recentiorum ſolutionem tantū referre, & refellere licèt dicunt 1. Ad primam, & ſecundam probationem primæ maioris, quod exiſtentia creata, licèt non recepta in eſsētia, ſed cū ipſa identificata, habet à quo limitetur abſque eo quod recipiatur phyſicè in alio, vel aliud recipiat limitatur namque ex ipſa differentia exiſtētiæ creatæ: nā quævis creatura ex cōceptu creaturæ, ex quo habet eſſe ab alio, habet formaliter, & intrinſecè limitationē: vnde limitatio poteſt oriri, vel ex eo quod aliquid recipiatur in alio, vel ex eo quod recipiatur activè ab alio, hoc ſecundū cōvenit exiſtētiæ productæ à Deo identificatæ cum eſſentia.

Dicunt. 2. Quod admiſſo gratis limitationem deſumi ex potētialitate, vt res recipiatur, vel recipiat, hanc non deficere exiſtentiæ identificatæ cū eſſentia, nā eſt in potētia ad recipiēdā ſubſiſtentiam & accidētia, quibus ſubſtantia creata perficitur: deinde exiſtentia accidentium, & formæ ſubſtantialis recipitur, ſicut res, quas conſtituit exiſtentes.

Dicunt denique ad vltimam prob. vel ſufficere compoſitionem metaphyſicam ex genere, & differentia, quamvis deſit cõpoſitio aliqua realis, vt creatura non accedat ad ſimplicitatẽ Dei, vel ſi requiritur aliqua cõpoſitio realis, licèt deficiat ex eſſentia, & exiſtentia propter identitatem, manet compoſitio cum ſubſiſtentia, præſentia, & productione, quæ realiter ab eſſentia diſtinguuntur.

156 Quæ omnes ſolutiones aliæ non ſunt ab his, quibus P. Suarez, & alij antiquiores occurrũt rationi noſtrę. Et ſic breviter impugnantur. *Prima* ſolutio deficit. *Tùm*, quia exiſtentia non recepta in alio, vel aliud recipiens, eſt omninò independẽs ab alio: ergo nequit limitari per hoc, quod recipiatur ab alio active. Prob. ant. Exiſtẽtia non recepta, nec recipiens, eſt ſummè perfecta in linea eſsẽdi; ſed quod eſt ſumme perfectũ in linea eſſendi à nullo depẽdet: ergo. Minor conſtat, quia omnis dependẽtia dirigitur adhoc, vt idquod dependet in ſuo eſſe perficiatur. Maior prob. quod ex ſuo cõceptu eſt perfectio in linea eſsẽdi, & aliàs eſt incapax, vt in illa linea imperficiatur ab alio, & ab alio perficiatur, eſt ſumme perfectum in linea eſſendi, ſed exiſtẽtia eſt perfectio in linea eſſendi, & incapax, vt imperficiatur per ſui receptionem, incapaxque, vt perficiatur per receptionẽ alterius actus in ipſa: ergo exiſtẽtia non recepta, nec recipiens eſt ſumme perfecta in linea eſsẽdi. Maior ex terminis videtur nota; nam ideò Deus ſumme perfectus eſt, quia in ſe eſt perfectio taliter, vt nec viterius ſit perfectibilis, nec capax imperfectionis.

Tùm, quia licèt eſſe limitatum ab alio ſit, non tamen eſt intrinſecè limitatum, quia ab alio eſt; ſed potius ab alio eſt, quia in ſe habet principia ſuę limitationis; ſed hæc principia alia eſſe non poſſunt, niſi recipi in alio, vel aliud recipere: ergo. Maior probatur: Nam effectus à cauſa eſt, quia in ſe tali cauſæ poſsibilis eſt, ſed actus in ſe intrinſecè non limitatus nulli cauſæ poſsibilis eſt: ergo ideò effectus ab alio eſt, quia in ſe habet principia limitationis.

Confirm. nam principium infinitum nequit eſſe prima ratio limitãdi effectũ: ergo prima ratio limitationis in effectu nequit sũmi ex eo, quod à Deo ſit; ſed exiſtere eſt proprius effectus Dei, cum ſit actus rationis communiſsimæ entis, quæ propriè à primo ente eſt: ergo.

Confirm. 1. Effectus recipit eſſe à cauſa iuxta exigentiam ipſius effectus; ſed exiſtentia creata recipit à Deo eſſe limitatum: ergo exiſtentia creata exigit ſui limitationem: ergo in ſe habet principium talis exigẽtiæ: aſsigna illud. Non eſſe à

Deo

Deo: quia ad hoc preſupponitur exigentia limitationis: ergo ſolū reſtat, quod ſit eſſe in eſſentia receptum.

157 *Secunda* ſolutio etiã deficit: *Tùm* quia ſi exiſtentia eſſet in potẽtia ad recipiendam ſubſiſtentiam, hæc eſſet magis actualis intra lineam ſubſtãtiæ, quam exiſtentia: hoc eſt falſum: ergo. Maior ex terminis videtur nota. Minor probatur: Illud eſt magis actuale, quod magis habet de perfectione, & illud eſt perfectius, quod magis habet de entitate; ſed ſubſiſtentia iuxta adverſarios non eſt ens, ſed tantum modus, exiſtentia verò eſt ens, immò, eſt id ratione cuius omnia ſunt entia perfecta, & actualia: ergo. *Tùm* quia caſu quo exiſtentia accidentium, & formę ſubſtantialis eſſet cum illis identificata; eſſet cum illis identificatus vltimus actus de linea communiſsima entis, & tũc currit in accidẽtibus, & forma ſubſtantiali ratio à nobis ſupra facta de infinitate ſimplicìter, quin maneat locus ?, vt tale ens identificans ſuam exiſtentiã ſit accidens, vel ens incompletum in linea ſubſtantiæ, qualis eſt forma, ſed ens ſummè actuale, ſummè ſimplex, & ſimpliciter infinitum.

158 *Tertia* denique ſolutio etiam deficit. *Tùm* quia compoſitio ex genere, & differentia eſt per noſtros conceptus cùm fundamento in re: ergo debet fundari in aliqua compoſitione reali, nam quod in re eſt omninò ſimplex, nequit præbere fundamentum ad concipiendam veram compoſitionem: ſed vt ſupra probavimus, radix, & fundamentum omnis compoſitionis, eſt illa, quam facit eſſentia cum exiſtentia: ergo ſi hæc deficit, deficiet metaphyſica, & omnis.

Tùm quia Div. Thom. 1. p. quæſt. 3. art. 5. inter aliàs rationes adducit ad probandum Deũ non eſſe compoſitum ex genere, & differentia: quia Deus non eſt compoſitus ex eſſentia, & eſſe, ſeu exiſtentia: ergo ſentit quod compoſitio metaphyſica fundatur ſupra phyſicam ex eſſentia, & eſſe.

159 Denique confirm præcedens ratio, & ſimul impugnãtur ſolutiones datæ. Actualitas, & perfectio non determinata, & limitata ad aliquem determinatum gradum, vel ſpeciem entis eſt ſimpliciter infinita: ſed exiſtentia non componens cum eſſentia media ſui receptione eſt actualitas, & perfectio non determinata, nec limitata ad aliquem gradum, vel ſpeciẽ entis: ergo. Prob. min. quod eſt commune omni enti ſolũ poteſt determinari, & limitari ad aliquẽ gradum, vel ſpeciem entis per ſui diviſionem: ergo vel per diviſionẽ ſui formalẽ, quæ fit per formales differẽtias, vel per diviſionem ſui materialem, quæ

ſit per materiam, vel aliquid loco materiæ, nẽpe reale receptivum; ſed exiſtentia eſt communis omni enti, vt actualitas illius, & perfectio, & nequit dividi per differẽtias formales, quia cum ſit vltima actualitas, nihil eſt illa formalius: ergo reſtat, quod determinatio, & limitatio illius ad aliquem gradum, vel ſpeciẽ, ſit media ſui diviſione materiali, quæ nequit, ſine ſui receptione, in aliquo potentiali intelligi: ergo hac receptione negata, omne illius limitativum deficit, & manet infinita ſimpliciter.

§. III.
Diluuntur quædam obiectiones.

160 Obijcies 1. Eſſentia pro priori ad exiſtẽtiam ſuperadditam exiſtit: ergo identificatur cum ſua exiſtẽtia, & alia diſtincta ſuperfluit: Antecedens multipliciter prob. eſſentia pro priori ad exiſtentiã ſuperadditam eſt potens proximæ illã recipere: ergo & illam cauſare, ſaltim in genere cauſæ materialis: ergo pro illo priori exiſtit. Prob. hęc vltima conſeq. Omnis cauſa pro priori ad effectũ eſt tunc proximè potens ad ipſum, potius quam antea: ergo exiſtens; quia cauſa præſcindens ab exiſtẽtia nunc non eſt potius proximè potens quam antea.

2. Eſſentia, vt extra cauſas, prævenit exiſtentiam ſuperadditam: ergo exiſtit pro priori ad exiſtentiam ſuperadditam. Cõſeq. conſtat: Quia eſſentia, vt extra cauſas, eſt eſſentia exiſtens: Prob. ant. Eſsẽtia, vt extra cauſas ſolũ poteſt recipere exiſtentiã: quia hæc nequit recipi in eſsẽtia poſsibili; ſed receptivũ prę venit formam receptam: ergo.

161 Conf. 1. Exiſtentia ſuperaddita debet recipi in eſsẽtia exiſtente; ſed non exiſtente per exiſtentiam receptam; aliàs effectus formalis formæ ſupponeretur ad ſui communicationem: ergo exiſtẽte ſe ipſa. Prob. mai. exiſtentia debet recipi in eſsẽtia, non poſsibili, nõ præterita, non futura: ergo in eſsẽtia exiſtẽte. Quia non eſt imaginabilis alius ſtatus rei capacis exiſtentiæ ſuperadditæ.

162 Conf. 2. Eſſentia nequit recipere exiſtentiam ſuperadditã, niſi vt producta, vt patet; ſed eſsẽtia vt producta exiſtit: ergo pro priori ad exiſtentiã receptã exiſtit: Prob. n. in. *Tùm* quia eſſentia, vt terminat actionẽ productivã, non eſt nihil: ergo eſt vere aliquid; ſed verè aliquid nõ eſt, niſi quod exiſtit: ergo. *Tùm*, quia eſsẽtia, vt producta diſcernitur à ſe ipſa vt intra cauſam producentẽ; ſed nõ per aliud niſi per ſui exiſtentiam; quia eſſe effectum in cauſa ſolum deficit per eſſe effectũ in ſe ipſo, quod eſt exiſtere: ergo.

Tùm, quia effectus productus non ſolum accipit à cauſa exiſtentiam ſuperadditam; ſed

etiam

ètiam ipſam ſuam eſſentiam: ergo effectus productus habet à parte rei extra cauſas; tum ſuã eſſentiam, tum exiſtentiam ſuperadditam; ſed eſſentia extra cauſas, vt diſtincta ab exiſtẽtia, eſt eſſentias exiſtens? vt diſtincta ab exiſtentia; quia aliquid extra cauſas, & exiſtens idem prorſus ſunt: ergo.

Tùm; quia ens in actu iuxta omnes cõſtituitur tale per exiſtentiam; vel ergo eſſentia producta, vt diſtincta ab exiſtentia ſuperaddita, eſt ens in actu, vel ſolum in potentia? Si hoc ſecũdum: ergo eſt quid pure poſsibile, ac ſubinde erit producta, & poſsibilis; dabitur eius exiſtentia diſtincta, & eſſentia à parte rei non erit, quod eſt chymæra: ſi eſt ens in acta: ergo vt diſtincta ab exiſtentia ſuperaddita eſt exiſtens.

163 Tandem Conf. eſſentia exiſtens, prout diſtincta ab exiſtẽtia ſuperaddita, terminat actum ſcientiæ Dei diſtinctũ ſaltim ratione noſtra ab actu, quem terminat ipſa exiſtentia, ſiquidem diſtinctorũ obiectorũ diſtinctos nos actus concipimus in ſcientiã divina: vel ergo actus ille eſt ſimplicis intelligẽtię, & ſic eſſentia per eum cognita erit poſsibilis; vel eſt viſionis, & ſic eſſentia per eum cognita, vt diſtincta ab exiſtentia ſuperaddita, per ſe ipſam erit exiſtens.

164 Hæc obiectio prę-cipuum contra ... ſci. ... tiæ fundamẽtũ, magna ex parte manet ſolutum ſupra, dum materiã primam habere propriam exiſtentiam negavimus; & ex doctrina ibi tradita ad primam obiectionem, non erit difficile pręſentẽ obiectionem ſolvere: ad quam reſpondetur, diſting. antec. Eſſentia pro priori ad exiſtentiã ſuperadditam exiſtit per id, per quod eſt prior ipſa exiſtentia ſuperaddita, nego antec. Per ipſam exiſtentiam ſuperadditam, concedo antecedens: In illo priori eſſentia iam intelligitur exiſtens, non per id, per quod eſt prior natura ipſa exiſtentia; ſed per ipſam exiſtẽtiam ſuperadditam, à qua nec in illo priori valet præſcindi.

Ex quo patet ad 1. prob. anteced. concedimus, quod pro illo priori eſt potẽs proximè exiſtentiam recipere, & illam cauſare: concedimus etiam, quod pro illo priori exiſtit; non quidem exiſtentia, quę præcedat exiſtẽtiam ſuperadditam, ſed per ipſammet exiſtentiam ſuperadditam: ratio enim recipiendi exiſtẽtiam, & illam cauſandi materialiter eſt entitas eſſentię, exiſtẽtia cauſata, & recepta eſt tantum conditio: quare licèt eſſẽtia cauſans, & recipiens præcedat; vt exiſtens, non procedit, vt exiſtens reduplicativè, ſed ſpecificativè.

Per quod etiam patet ad 2. prob. primi anteced. diſting. antec. Eſſẽtia, vt extra cauſas, prę-

venit exiſtentiam ſuperadditã ly *vt* ſumptum ſpecificativè,cõcedo ant. ſumptum reduplicativè,nego antec.ratio præveniẽdi exiſtentiã,non eſt ipſum eſſe eſſentiam extra cauſas;ſed tantum ipſa entitas eſsẽtiæ,quę nõ poteſt præveniẽte exiſtentiam, nec illam recipere,niſi ſit extra cauſas,ſe habeute tali ſtatu , vel exiſtentia,tamquam cõditione.

165 Ad primam confirm. dicimus, quod exiſtentia recipitur in eſſentia exiſtente per ipſammet exiſtentiam receptam; nõ taliter quod exiſtẽtia recepta ſit ratio formalis ſuæ receptionis,ſed tantũ conditio; ratio recipiendi exiſtentiã,eſt ipſa en.titas eſſentię ex quo infertur eſſentiã , pro priori receptionis paſsivæ exiſtentiæ non eſſe poſſibilẽ,præteritam, vel futuram; ſed exiſtentẽ exiſtentia cõmitante, nõ præcedente exiſtentiæ receptionẽ : fundamentum præſentis doctrinæ,exempla quibus cõprobatur,de ſubſtantia quanta,& extenſa,de vltimis diſpoſitionibus,de priori Originis Patris ad Filium,de Scientia viſionis,& aliјs plurimis videantur in art.de exiſtentia propria materiæ,ad primam obiectionem, ne iterum acta agamus.

166 Ad 2.confirm. diſting. min. eſſentia,vt producta exiſtit ſpecificativè, conced.min.reduplicativè,nego min.eſt dicere,quod pro ſigno,in quo intelligitur eſſentia terminans productionem, intelligitur exiſtẽs ſpecificativè,non reduplicativè; ideſt;intelligitur exiſtentia non vt terminus per ſe productionis eſſentiæ ; hic enim non eſt exiſtentia ; ſed entitas intrinſeca eſſentiæ , quæ exiſtit. Per quod patet ad primam , & ſecundam probationem concedendo totum.

Ad 3.prob. illius min. conceſſo antc.& 1.conſeq. diſting. min. ſubſumpt.eſt eſſentia exiſtens, vt diſtincta ab exiſtentia, exiſtens *vt quod*, & quaſi cauſaliter conc.min.*vt quo*,&formaliter,neg. min. omne quod eſt extra cauſas exiſtit,ſed nõ omne id, quod eſt extra cauſas, & exiſtit, eſt id per quod, vel quo res eſt extra cauſas,& exiſtit.

Ad 4.dicimus, quod eſſentia producta,vt diſtincta ab exiſtentia eſt ens in actu,non per ſe ipſam,tamquam id quo eſt in actu,ſed per ſe ipſam tamquã id, quod eſt in actu immo , vt ipſa per ſe ipſam ſit id, quod eſt in actu,vel ſit ſubiectum actus exiſtentiæ,indiget ipſamet exiſtentia,tamquam conditione.

167 Ad vltimam confirm. reſp.quod eſſentia exiſtens , vt diſtincta ab exiſtentia terminat actum Scientiæ Viſionis Dei, ex quo ſolum infertur,quod vt diſtincta ab exiſtentia ſit exiſtẽs *vt quod*,nõ vero *vt quo*, & per ſe ipſam:vel iuxta terminos , quibus vtimur in principio ſolutionis poteſt occurri tertię,& quar

tæ probationi, & vltimę confir. dicendo, quod eſſentia, vt diſtincta ab exiſtētia, eſt extra cauſas exiſtens, ens in actu, & terminat ſcientiam viſionis: non per id, per quod eſt diſtincta ab exiſtentia; ſed per ipſam exiſtētiam, à qua diſtinguitur. Conſulatur doctrina traddita loco ſupra citato.

168 2. Obijcies, & poteſt eſſe replica. Poſita in rebus eſſentia cum exiſtentia ſuperaddita, deficit à rebus carentia talis eſſentiæ: ergo eſsētia vt diſtincta ab exiſtentia ſuperaddita eſt exiſtentia formalis ſui. Prob. conſeq. Exiſtentia formalis eſsētiæ poſitæ in rebus eſt id, per quod deficit formaliter à rebus eius carentia: quia apud omnes, defectus formalis vnius contradictorij eſt exiſtētia formalis alterius, & eſſentia, & eius carētia contradictoriè opponuntur, ſed defectus formalis à rebus carentiæ eſſentiæ eſt ipſamet eſſentia in rebus, vt diſtincta ab exiſtentia ſuperaddita: ergo ipſamet eſt exiſtentia formalis ſui. Prob. min. Non eſt exiſtentia ſuperaddita; quia hæc tātùm eſt defectus formalis ſuæ carentiæ, quæ diſtincta eſt à carentia eſſentiæ: ergo erit eſſentia, vt diſtincta ab exiſtentia.

169 Præſens obiectio ad præcedentē addit pulchriorem formam, non novàm difficultatem. *Reſpond.* quod eſſentię duplex poteſt aſsignari cōtradictorum, iuxta duplicē illius conſiderationem: poteſt cōſiderari, prout ſolum dicit habitudinem, & connexionem neceſſariā prædicatorum, & huius cōtradictorium eſt non habitudo, & non connexio talium prædicatorū, vel carētia dictę habitudinis, & cōnexionis: & poteſt conſiderari eſſentia in rebus cum ſua entitate exercita; & huius cōtradictorium eſt carentia eſſentiæ, nō quomodocumque, ſed carētia, vel defectus eſſentię exercitæ in rebus.

Et ſicut defectus formalis carentiæ eſſentiæ in prima conſideratione non eſt præciſſa affirmatio prædicatorū, ſed potiùs connexio, & habitudo illorum, quæ de præſenti exiſtit, diſtincta ab ipſis prædicatis, & idētificata cū Deo; ita defectus formalis carētiæ eſſentiæ exercitæ in rebus non eſt præciſſa eſſentia, ſed id quo in rebus illa eſt entitativè exercitè, nempè exiſtentia ab illa diſtincta: eſſentia nāque in rebus idem eſt, ac hoc concretum *exiſtens*, & ſicut hoc concretum non ſolum dicit entitatē eſſentiæ, quæ eſt quaſi ſubiectum, ſed etiam formam, quę eſt exiſtētia diſtincta; ita contradictorium eſſentiæ in rebus erit contradictorium illius cōcreti, nempè carentia non ſolum entitatis eſsētiæ, ſed etiam exiſtētiæ. Vndè defectus formalis à rebus carentiæ eſſentiæ non eſt ipſa eſſentia, ſed forma, qua eſ-

eſſentia eſt in rebus, nempè exiſtentia ſuperadditur.

170 Obijcies 3. Exiſtētia illa, quam ſuperaddimus eſſentiæ eſt creata, & identificata cum ſua eſſentia, ne abeamus in infinitum eſſentiarum, & exiſtētiarum: ergo ſtat aliqua eſſentia creata identificata cum ſua exiſtentia: cur non omnis eſſentia identificabit exiſtentiam; cū omnis eſſentia patiatur inſtantiam in eſſentia ipſius exiſtētię, quoad identitatem ſuæ exiſtentiæ?

Reſpond. exiſtentia eſt creata, non tanquam id quod eſt, ſed tāquam id, quo ens creatum eſt ens exiſtens, vnde eſſentia exiſtentiæ non eſt eſſentia alicuius entis, quod ſit; ſed eſt ratio per quam omnia ſunt, & ratio formalis, per quam omnia ſunt, nō indiget alia ratione à ſe diſtincta, vt ipſa ſit: ſicut ratio formalis, vt omnia viſibilia videātur, quæ diſtincta eſt à viſibilibus, non indiget alia ratione à ſe diſtincta, vt ipſa videatur.

171 Dices 1. Exiſtentia eſt aliquid, cum non ſit nihil: vel ergo eſt aliquid, quod eſt ſuū eſſe, vel habet eſſe à ſe diſtinctū: Si primum inſtantur omnia noſtra fundamenta. Si ſecundum, fit proceſſus in infinitum.

2. Ante creationem exiſtētia eſt in ſui potentia obiectiva diſtincta à potentia obiectiva correſpondente eſsētiæ; cum nō ſolum detur nō repugnantia eſſentiæ, ſed etiam non repugnantia exiſtētiæ: ergo poſt creationem, exiſtentia eſt in actu correſpondente ſuę potētiæ obiectivè, vel per ſe ipſam, & ſic cur non dicemus idem de eſſentia poſt creationem: vel per aliud à ſe diſtinctum, & ſic erit proceſſus in infinitum.

172 Ad 1. reſpond. quod exiſtētia, nec eſt nihil, neque eſt ſuum eſſe, proprie loquendo; ſed id, quo omnia ſunt aliquid, ſū pto *aliquid* pro eo, quod habet eſſe, vt *quod* per quod diſcernitur à nihilo, & à Deo, cui tantum convenit proprie, quod ſit ſuum eſſe; vnde cum non ſit id quod eſt, neque eſt ſuū eſſe, neque habet eſſe à ſe diſtinctum; quia tantum illud quod eſt concretivè, & *vt quod*, eſt de quo vere dicitur, quod habet eſſe.

Ad 2. dici poteſt, quod non repugnantia eſſentiæ eſſentialiter includit non repugnantiam exiſtentiæ: quia nihil aliud eſt eſſentia in potentia obiectiva, quam capacitas mutandi ſtatū, quæ mutatio per receptionem exiſtentiæ fit. Vndè exiſtētia, antequam ſit exercens munus actuandi, eſt poſsibilis poſsibilitate ſubiecti, cuius eſt actus; & ſic cū ſit vna poſsibilitas, quaſi formalis vtriuſque, vnico tantū actu expletur, qui eſt actus exiſtētię, quo ipſa exercetur; & eſsētia actuatur, ſicut diximus ſupra de poſsibilitate materiæ, & formę agēdo de actuentitativo materię

Obij-

173 Obijcies 4. Eſſe eſt effectus formalis formæ, vt diximus agendo de materia, & forma ſubſtātialì, quod, ſcilicèt, forma eſt, quæ dat eſſe rei; ſed effectus formalis non diſtinguitur à forma; ergo nec exiſtentia, quæ eſt eſſe, diſtinguitur à forma, ac ſubinde, nec ab eſſentia.

Diſting. mai. eſſe primum, & conſtituens, concedo mai. eſſe vltimum, & exiſtens, nego mai. & conceſſa min. negatur conſeq. imò, & ipſa forma non dat eſſe primū, exercitè conſtituēdo; niſi vt exiſtēns ſaltim ſpecificativè, ſe habēte exiſtentia formæ, vt conditionè, vt actuet, & informet materiā, dando illi eſſe, & conſtituēdo compoſitū.

§. IV.

Reliqua argumenta ſolvuntur.

174 OBijcies 5. Specialiter contra rationes, quibus concluſionē probabimus: Necquit intelligi rem eſſe productā, quin intelligatur exiſtēs; ſed vt intelligatur producta, nihil phyſicū requiritur, niſi vel quod per ſe ipsā ſubiectetur agēti; vel quod dependeat ab agente, quæ dependentia eſt quædam relatio, & non aliqua forma abſoluta ſuperaddita: ergo vt intelligatur exiſtens, ſufficit talis ſubiectio, aut relatio dependentiæ, ſecluſa alia forma abſoluta ſuperaddita.

175 Reſpond. quod rem eſſe productam ab agente, vel ſummitur pro aliqua ratione intrinſeca denominante, qua formaliter, & intrinſecè ponatur res in facto eſſe, & extra cauſas; & hoc vocamus exiſtētiam: vel eſt præciſsè denominatio extrinſeca producti; & per hoc res nō intelligitur exiſtens; quia nihil magis intrinſecè denominat, quā ipſum eſſe, quod eſt intimū in vnaquaque re conſtituēs illam actu, & intrinſecè ens: idē dicimus de depēdentia, quæ cū ſit relatio realis, & contingens, debet fundari in aliquo abſolut & contingenti; hoc nequit en[illegible]entia, prout præciſsè dicit prædicata quidditativa, quia vt ſic eſt neceſſaria, & æterna: reſtat ergo, quod ſit aliquid abſolutū illi ſuperadditum, cōtingenter ab agente participatū: hæc eſt exiſtentia.

176 Obijcies 6. Ex eo quod eſſentia creata contingēter exiſtat, non ſequitur exiſtentiam ab illa realiter diſtingui: ergo ruit primum fundamentum noſtræ concluſionis. Prob. antecedens 1. Ex eo, quod materia, & forma ſint cōtingenter vnitę (ſiquidem poſſunt non eſſe vnitæ) non ſequitur vnionem à materia, & forma diſtingui, vt ſupra verius iudicavimus: ergo. 2. Ex eo quod exiſtētia ſit contingēter in rerū natura, non ſequitur, quod ſit in rerū natura per aliquid ab ipſa realiter diſtinctum:

tum : ergo pariter eſſentia.

177. Negatur aſſumptum ad 1. prob. conceſſo antec. neg. conſeq. Quia cū accidit ſubiecto denominatio primaria alicuius entitatis, rectè infertur formam, à qua provenit denominatio, eſſe ab illo realiter diſtinctā; ſecus vero ſi denominatio, quæ accidit ſubiecto, ſit tantum ſecūdaria, vnioni non eſt denominatio primaria materiæ, & formæ, in quibus diximus vnionē conſiſtere, propter rationes quas ibi diximus; vnde ex eo, quod materiæ, & formæ accidat vniri, non ſequitur vnionē ab illis realiter diſtingui: exiſtere autē eſt denominatio primaria entitatis exiſtentiæ, vnde ex eo quod exiſtere accidit eſſentiæ, rectè infertur ab eſſentia realiter diſtingui.

Si inquiras. Cur exiſtere non eſt denominatio ſecundaria potens præſtari ab eſſentia per ſemetipsā? *Reſpond.* quod exiſtere eſt denominatio prior, & maxima in linea entis, cum ab exiſtere omnia vere ſint, & denominētur entia in actu, & perfecta, & conſequēter nequit eſſe ſecundaria in linea entis, quia maximū in aliqua linea nequit eſſe in illa linea ſecundariū; ſed primarium, ac ſubinde exiſtere eſt denominatio primaria alicuius de linea entis, & illi eſſentialis, quia denominatio primaria formæ eſt formæ eſſentialis, cū ſit ipſa forma. Cum autem nequeat eſſe denominatio primaria ipſius eſſentiæ; aliàs adhuc denominativè nō poſſet de illa dici cōtingenter; ſequitur quod ſit denominatio primaria alicuius de linea entis diſtincti ab eſſētia, quod aliud eſſe nō poteſt, niſi realitas, vel entitas exiſtētię.

Ad 2. reſpond. quod exiſtētia non contingēter, ſed eſſentialiter eſt vt *quo* in rerum natura, cum per ſe ipſam, & per ſuam eſſentiā habeat eſſe, id quo alia ſunt in rerum natura contingēter: id quod eſt ratio, vt aliquid ſit accidentaliter tale, in ſe non eſt accidentaliter tale.

178. 7. Obiicies. Stat limitatio ſinè aliqua reali cōpoſitione: ergo ſinè eo, quod exiſtētia recipiatur in eſſentia, & cum illa cōponat, eſſentia erit limitata. Prob. antec. Eſſētia Gabrielis, vt præintellecta ad ſuā exiſtentiam eſt finita, & limitata; at vt præintellecta ad exiſtentiam caret realiter compoſitione: ergo ſtat limitatio ſine reali cōpoſitione.

Confirm. quamvis limitatio non eſſet ſinè reali cōpoſitione, nō ſequitur, quod limitatio non ſit ſinè compoſitione ex eſſentia, & exiſtentia: ergo eſſētia limitata poteſt identificare exiſtentiā. Prob. antec. Compoſitio ex eſſentia, & eſſe non eſt prima, & radix cōpoſitionum realium: ergo poteſt aliqua ex his inveniri ſinè illa: ergo, & limitatio. Prob. antecedens: Compo-

poſitio ex eſſentia, & eſſe, eſt compoſito ex vltimo actu: ergo ſupponit compoſitionem ex potentia, & actu primo, ſivè ex materia, & forma.

179 Diſting. antec. ſinè reali compoſitione adæquatè ſumpta, prout dicit duplex extremum, concedo ant. inadæquatè ſumpta pro aliquo ex extremis, nego ant. vt aliquid limitetur, non requiritur, quod ſit cōpoſitum: ſufficit, quod ſit pars, quæ cum alia comparte invicē limitantur, & reſultat compoſitum limitatum.

Ad confirm. neg. antec. ad illius prob. diſting. ant. non eſt prima quaſi in intentione neg. ant. in exequutione, ſub diſting. nō eſt prima & ab illa alia prior dependet, concedo antec. nō eſt prima, nec alia prior ab illa depēdet, neg. ant. quod prius intēditur in re creata, eſt quod ſit, & cum eſſe non poſsit, niſi exiſtētiam recipiat, & cum illa cōponat; fit vt hæc ſit prima cōpoſitio. Verum eſt, quod ſi res, quæ eſt, vel exiſtit, eſt compoſita, ad eſſe illius præintelligatur cōpoſitio partium conſtituentiū, ſed non ſinè dependentia ab exiſtētia componente cum eſſentia. *Tùm*, quia vt ſupra diximus, materia, & forma nō præſtāt ſuos effectus in exercitio ſinè exiſtētia cōmitante, tamquam conditione *Tùm* quia ex defectu cōpoſitionis cum exiſtētia, arguitivè colligitur defectus cōpoſitionis ex materia, & forma cū remaneat actus purus.

180 Reſtabat diſputare, an dentur exiſtentiæ partiales, ſed ſi vera sūt (vt iudicamus) quæ in ſuperioribus tradidimus, ex illis haud difficile erit reſolvere, illas non dari: nam fundamēta oppoſitum ſuadere intendentia eo tēdunt uel vt identificent eſſentiam cum exiſtentia: vel vt materiæ tribuant exiſtentiam diſtinctā ab exiſtentia formæ. Hoc ſecundum latè reijcimus quæſt. de materia prima: primū vero in præsēti articulo. Etſi quid deſiderādum ſupereſt, parum, aut nihil differt à doctrina, qua indiviſibilitatē ſubſiſtētiæ propugnavimus.

LIBER SECVNDVS. PHYSICORVM.

De principijs extrinſecis, ſivè de cauſis entis naturalis.

HActenus cum Philoſopho de primis principijs entis naturalis egimus. Iuxta cuius proceſſum, vt ex ſuperiori cōſtat partitio

ne, ſequitur de natura, & cauſis, texere quæſtiones; in quarũ enodatione, librũ ſecundum conſumit in novem capita diviſum; non ſinè cõnexione inter illa duo; quia natura diffinitur per modũ principij, & cauſæ motus, ideoque neceſſe fuit inveſtigare cauſas, tractãdo de natura: nos igitur Ariſtot. veſtigia ſequentes, primo diſputabimus de natura, deinde de cauſis in communi, poſtea de eiſdẽ in particulari, ac tandem de comparatione earum, tàm inter ſe, quàm in ordine ad ſuós effectus.

QVÆST. VIII.

De natura, violentia, & arte.

CONſulto hæc tria in vnica quęſtione comprehendimus: quia vnũ per aliud ad invicem declaratur. Violẽtia enim naturæ opponitur; ars vero naturam imitatur. Vnde violentia, & ars nobis innoteſcunt per naturam:

ARTIC. I.

Quid ſit natura, & quibus ratio naturæ conveniat?

1 CVm aliud ſit, id à quo primo nomem impoſitũ eſt, & aliud quod non ẽ ſignificare poteſt, primã acceptionẽ huius nominis *natura*, & alias omnes, ad quas extẽdi ſolet, declarare opporter, vt ad illã, pro qua vſurpatur in præsẽti, deveniamus. Nomẽ igitur naturæ derivatur *à naſcendo*, & ſic *primo* impoſitũ eſt ad ſignificandã Generationẽ vivẽtiũ, quæ dicitur *nativitas*: ſic Primogenitus dicitur ex natura, ideſt, ex ipſo nativitatis ordine: & Apoſtolus ait: *Not natura filios eſſe iræ*, ideſt ex cõceptione, & nativitatè, à qua peccatũ trahimus. *Secundo* ſummitur pro ipſo. Auctore naturę, qui non tàm natura eſt, quàm origo totius naturæ, quare ab Auguſt. vocatur *natura creatrix*. *Tertio* ſummitur pro tota vniverſalitate rerum, & ad hunc ſensũ dicimus, quod aliquid eſt in rerum natura; Div. Thom. multoties aſſerit totam naturam eſſe inſtrumentum Dei. *Quarto* ſumitur pro materia, & forma, ſic homo dicitur conſtare duabus naturis partialibus *Quinto* pro eſsẽtia rei, ſic dicimus naturã, ideſt, eſſentiam Angelicã eſſe perfectiorem humana. *Demum* ſummitur natura pro principio intrinſeco motus, & quietis rerum, hoc eſt pro radicè intima illorũ motuum, quos non agentis externi vis extorquet à rebus; ſed ipſæ res ex ſe vltro effundunt. Omnes iſtas naturę acceptiones ex D. Thom. colligimus varijs in locis, præcipuè 1. p. quæſt. 29. artic. 1. ad 4. de natura in hac vltima acceptione erit ſermo in præſenti.

§.

§. I.

Naturæ definitio explicatur.

2 *An eſt* naturæ demonſtrare ridiculum eſt, inquit Philoſophus in præſenti, & merito, cū naturam eſſe ſit per ſe notum, ad ſenſum enim apparet multa eſſe à natura, quæ habent principium ſui motus in ſe; quare habita terminorum notitia, tàm per ſe notum eſt naturam eſſe; ac nivem eſſe albam. Vndè ad explicandam naturæ diffinitionem procedimus.

3 In text. Philoſoph. talis habetur diffinitio; *Eſt igitur natura principium alicuius, & cauſa movendi, & quieſcendi, in quo eſt, primum per ſe, & non ſecundum accidens.* Vel vt communiter: *Natura eſt principium, & cauſa motus, & quietis eius, in quo eſt primo, & per ſe, & non ſecundum accidens.* Ponitur *principium*, & additur ly *cauſa*; vel vt per primum conveniat cum privatione, & per ſecundū ab illa differat, vt aliqui explicant; vel melius cum D. Thom. hic lect. 1. Ad deſignandum, quod in aliquibus natura eſt principium paſsivum, & hoc deſignatur per ly *principium*, in alijs activum, & hoc deſignatur per ly *cauſa*.

Ponitur *motus*, *& quietis*; nomine *motus* non intelligitur præciſsè motus localis, ſed quicūque motus phyſicus, & corporeus, ſivè alterationis, ſivè alterius ſpeciei, de quibus infra. Nec nomine *quietis* intelligitur pura carentia motus; ſed carentia illius cū poſſeſsione termini, rā carētiæ, quatenus nihil, non datur principiū reale, quietis vero poſitivæ principium eſt natura. Ly *&* denotat alterationē, qua res ſponte ſua modo movētur, vt lapis ad cētrum, modo quieſcunt, vt lapis in centro; aut vniformiter quædam perpetuo movētur, vt ſidera; quædam perpetuo quieſcunt, vt Globus terre. Vnde verba illa *motus, & quietis* accipienda ſunt per diſtributionem accommodam.

Eius in quo eſt. Ponitur primo, ad excludenda artificialia, quæ nō habent motum ortum ex aliqua forma, vel principio intrinſeco, ſed præciſsè ab arte, quæ extrinſeca eſt illi in quod motū cauſat. Secūdo excluditur violentia, cuius principiū, & cauſa eſt extrinſeca. Deniquè excluditur efficientia alicuius motus in aliquid extrinſecū, quare ignis nō dicitur natura, quia aliud extra ſe activè calefacit; ſed quia habet principium motus in ſe, nempè ſurſum aſcendere.

Ponitur *primum*: Vel *primo*: Ad excludenda principia motus ſecūdaria, inſtrumentalia, & accidentalia, quia omnia hæc ſupponūt iam naturā, & illi adiungūtur. Natura enim debet eſſe primū, & radicale principiū. Additur denique, *per ſe, & nō ſecundum accidens* per modum decer-

terminationis illius particulæ *eius in quo eſt*.Et explicat D. Th. exemplo Medici ſanantis ſe ipſum:nam licèt illa ſanitas proveniat à principio ipſi Medico intrinſeco;peraccidens eſt ipſum, qui ſanatur,eſſe Medicum:vndè non dicitur ſanari à natura, ſed ab ipſa arte, ſicut alij infirmi, quia talis ſanitas non eſt per ſe ab intrinſeco principio, ſed per accidēs.Hęc eſt conveniēs prędictæ diffinitionis expoſitio. Sed vt amplius percipiatur.

4 Primo contra illam oppones.Primum principiū per ſe exactum ad motum naturalē vt tale,nequit non eſſe natura; ſed privatio eſt primum principium per ſe exactum adgenerationem,quæ eſt vere motus naturalis:ergo privatio eſt natura. Aliàs illi non convenit eſſe cauſam: ergo hæc particula ſuperfluit.Prob.mai. quia motus naturalis,vt talis,nequit per ſe pēdere,niſi ab eo cui convenit ratio naturæ,cum à natura naturalis dicatur.

Diſting.mai.per ſe exactum, vt terminus à quo derelictus à motu neg.mai.per ſe exactum, vt in motum vere influens, cōced.mai.ad prob.in cōtra dico: quod talis motus provt à privatione,dicitur naturalis æquivocè,vel quaſi negativè, hoc eſt, prout dicit ordinē ad privationē,vt principium,nō eſt violētus, artificialis, vel præternaturalis;non tamē eſt poſitivè naturalis,

5 Oppones 2.Nulla cauſa naturalis ſe habet ad oppoſita, cum hoc tantum conveniat cauſæ liberæ; ſed quies contrariatur motui:ergo natura, quę eſt principiū motus, nequit eſſe principium quietis.

Reſp.in primis illam particulā,vt ſupra explicavimus, debere intelligi per diſtributionē accommodā,nēpè quod in aliquibus natura eſt principiū motus tantū, vt in Cœlo, in alijs quietis tantum, vt in terra. *Sed* quia in aliquibus eſt principium motus, & quietis,vt in igne, & lapide.

Reſpond. 2. Quod ſolum quies violenta cōtrariatur motui naturali; & illius quietis non eſt natura principium; ſed ſolum quietis naturalis,quæ motui naturali non contrariatur. Immò potius propter hanc ſolet natura motum cauſare. Vnde aſſerit D.Thom.hic lect. 1. quod, quæ naturaliter moventur ad locum,magis naturaliter in loco quieſcunt: ſicut ignis naturaliter movetur ſurſum, quia naturaliter ibi eſt.

6 Inſtas 1.Cœlum naturaliter movetur localiter; & tamen naturaliter in loco non quieſcit:ergo falſa eſt illa propoſitio D.Th.2.Terra naturaliter in loco quieſcit;& tamen naturaliter nequit moveri ad locū: ergo idem quod prius.

Conf. Quies dicitur correlativè ad motum, & motus ad quie-

quie-

quietē: ergo cui non eſt naturale moveri, neque quieſcere, vt in terra; & cui nō eſt naturale quieſcere, neque moveri, vt in Cęlo.

Ad 1. reſp. propoſitionem D. Th. debere intelligi non de his, quæ movētur tantum in loco; ſed de his, quæ moventur ad locū. Cœlum enim naturaliter movetur ſolum in loco, non ad locum novum acquirendum, quia in motu circulari, totum mobile non deſerit locū in quo movetur. *Nec obſtat*, quod Sol non ſolum in loco, ſed ad locum movetur, nempè ab Oriēte in Occidentem, quin naturaliter in loco quieſcat. *Non inquam obſtat*. Nam Sol primò, & per ſe non movetur ad locum, ſed ſolum movetur ſic ad motū differētis, ſivè ad motum alterius, licèt de hoc melius infra §. 3. Propoſitio D. Thom. eſt vera de his, quæ primò, & perſe moventur ad locum.

Ad 2. dico. Quod ſicut contra conceptum naturæ non eſt, quod ſit principium motus naturalis, & non naturalis, vt vidimus in Cœlo; ita nec eſt contra illius conceptum, quod ſit principium naturalis quietis, & non naturalis motus.

Quare ad confirm. dico, quod quies dicitur correlativè ad motum in his, in quibus eſt motus propter quietem, vt videre eſt in igne; non verò in his, quæ vel immobiliter adhærent quieti, vt terra, vel moventur, nō propter quietem in qua perficiantur, ſed propter perfectionem aliorum, in quibus medio motu influant, vt Cœli, de quo infra.

7 Opponens 3. Calefactio ignis eſt actio naturalis, cum non ſit artificialis, nec violenta; & tamen non eſt motus eius in quo eſt: ergo natura non eſt tantùm principium motus eius, in quo eſt.

Diſt. mai. eſt actio naturalis, hoc eſt, ſecundum inclinationē naturę, cōcedo mai. eſt naturalis per hoc, quod per ordinē ad illam conſtituatur natura, nego mai. Aliqua ſunt, in quę inclinat natura, quæ naturā conſtitutam ſupponunt, vt in ſui propagationē naturaliter inclinat, propter quod actio generativa naturalis dicitur, quin per ordinem ad illam conſtituatur natura, ſed conſtituta ſupponatur

8 Denique oppones. Ars ſaltandi, & ratiocinandi nō ſunt natura; & tamē per ſe loquēdo ſunt cauſa motus eius in quo ſunt: ergo per hanc particulā natura non diſtinguitur ab arte.

Diſting. min. ſunt cauſa motus, quoadmodū artificioſum illius, conced. min. quoad ſubſtantiā motus, nego min. & conſeq. In motu enim ſaltandi, & eſt ſubſtantia, & eſt modus artificioſus: primū eſt à natura, ſecundum ab arte, quę licèt inhęreat intrinſecè in homine, ſicut alia accidentia; nō tamē eſt ab intrinſeco

eo ipſius naturæ. Ars vero ratiocinandi propriè nō dirigit opera naturæ, vel naturalia, introducendo in ipſa aliquam realē formam artificialem, ſed tantū dirigit opera rationis artificioſe diſponendo obiecta.

§. II.

Secunda pars artic. reſolvitur.

9 Prima Concluſio: *Materia, & forma ſunt vere, & proprie natura.* Eſt expreſſa Philoſoph. & D. Thom. ſicèt aliqui diſſentiāt de materia, vt Valles: & alij de aliquibus particularibus formis, de quibus infra. Prob. Vtrique convenit diffinitio traddita naturæ: ergo ſunt vere naturæ. Prob. antecedens: omne ens naturale capax alicuius motus, vel quietis phyſicæ, & naturalis in ſe ipſo, debet habere talis motus, vel quietis aliquod principiū primū, & radicale in ſe ipſo; ſed hoc principium eſt materia, & forma: ergo vtraque eſt principium, & cauſa motus, & quietis primo, & per ſe, &c. in quo ſita eſt diffinitio naturæ. Mai. cōſtat: Nam omnis motus, vel quietis debet aſsignari aliquod primum, & radicale principiū, vt patet, etſi tale principiū nō eſt in ipſo in quo eſt motus, vel quies, nō erunt motus, vel quies, naturales, ſed violēti, vel artificiales. Min. vero prob. Cōſtitutiva rei, quę naturaliter cauſat, & recipit motum, ſunt radicale talis motus principiū; ſed materia, & forma ſunt cōſtitutiva entis naturalis capacis motus, vel quietis naturalis in ſe ipſo: ergo.

10 Secunda Concluſio: *Principium activum motus eius in quo eſt, eſt vere, & proprie natura, vnde ad ſalvandam rationem propriam naturæ ſufficit, quod ſit principium activum motus eius in quo eſt*: Contrarium videntur tenere Simplicius, Scotus, Faber. Pontius. Sed noſtra concluſ. eſt communior, & prob. 1. In diverſis naturis ſunt diverſi motus naturales; ſed huius diverſitatis origo eſt diverſitas formarum, quæ ſunt radices activæ: ergo influxus activus eſt proprius naturæ.

2. Sicut à forma artis dicitur res artificialis, ita à forma ſubſtantiali dicitur naturalis, ſed tales formæ differunt, in hoc quod eſt eſſe principium activum motus: ergo eſſe principium activū motus ſufficit in forma ſubſtātiali, vt differat ab artificiali: ergo ſufficit vt vna ſit natura, & non alia.

3. Sicut pati convenit ratione materiæ, ita agere convenit ratione formæ; ſed forma eſt magis natura, quā materia, iuxta Philoſoph. & D. Th. quia magis dicitur in aliqua linea, id quod eſt in actu, quā quod eſt in potētia: ergo ratio principij activi conveniēs formæ ſufficit ad rationem veram naturæ.

De-

Denique, Viventia, vt talia conſtant vera, & propria natura; ſed vt talia ſe movent à principio intrinſeco activo: ergo principium activum motus ſufficit ad rationem naturæ. Mai. conſtat ex Philoſop. hic numerante inter naturalia, vt diviſa à non naturalibus, animalia, plantas, & ſimplicia corpora. Minor etiam conſtare videtur. *Tum* quia plantæ ab intrinſeco augẽtur, animalia ſentiunt, homines intelligunt. *Tum*, quia differentia inter viventia, & non viventia conſiſtit in eo, quod perfectio viventium ſita eſt in moveri à ſe, taliter, vt ceſſante iſto motu, ceſſet vita; perfectio verò non viventium conſiſtit in quiete; taliter vt ſolum moveantur, quando ſunt extra quietem, & perfectionem naturalem, vt illam adquirant: ergo in viventibus motus vitales ſunt naturales, prout à principio intrinſeco activo procedunt.

11 Tertia Concluſio: *Principium paſsivum motus eius in quo eſt, eſt vere natura, vnde ratio naturæ ſalvatur in Cœlo, per hoc, quod ſit principium paſsivum ſui motus.* Contrarium huius tenent, qui materiæ veram naturæ rationẽ negant, & qui motum Cœli non eſſe naturalem iudicant, ſed præternaturalem, vel neutrum, vt Avicena, & Scot. & alij. Sed noſtra concluſ. videtur expreſſa Philoſoh. & Div. Thom. qui lect. 8. litt. 6. in lib. 8. Phyſic. textu 32. aſſerit: *Contra intentionem Philoſophi eſt, quod in materia ſit principium activum (quod quidam dicunt eſſe neceſſarium, ad hoc quod motus ſit naturalis) ſufficit enim ad hoc paſſivum principium, quod eſt potentia naturalis ad actum.*

Deinde pluribus in locis tenet motum Cœli eſſe naturalem reducens rationem naturæ in Cœlo ad principium paſsivum, quod naturaliter eſt ſuſceptivum motus cœleſtis. Ita habet 1. part. quæſt. 70. art. 3. ad 4. & q. 5. de Potentia art. 5. & in præſenti probat motum localem corporum cœleſtium eſſe naturalẽ, licèt ſit amotore ſeparato activè; quia in ipſo corpore cœleſti eſt potentia naturalis paſsiva ad talem motum: ergo ad motum naturalem ſufficit principium paſsivum, ac ſubindè hoc habet rationem naturæ.

Ratio ad idem ſuffragatur. Primo, quia materia prima eſt verè principium, & cauſa motus, & ſuſceptionis formarum per ſui tranſmutationem, ſed nõ eſt vllo modo principium activum: ergo. 2. Quia motus Cœli eſt naturalis, ſed in illo non eſt principium activum: ergo. Min. conſtat, non habet principium activum ex parte materiæ, vt patet: nec ex parte formæ ſuppoſito, quod non ſit vivens. Mai. verò prob. *Tum* quia eſt motus circularis, cui naturaliter apta eſt figura circularis, qua pollẽt orbes cœleſtes ex conditione ſibi pro-

pria; *Tum* quia motus Cœli eſt naturalis regula omniũ motuũ naturalium: ergo nequit non eſſe naturalis. Intelligibile videtur non eſſe verè à natura motum, qui eſt regula omnium motuum à natura procedentium.

12 Nec dicas, talem motum non eſſe violẽtum, quia nihil violentum tantum durat, nec naturalem, quia ad illum nõ datur in Cœlo principium activum, eſſe tamen motum neutrum, vel præternaturalem.

Contra 1. repugnat potentia, vel principium neutrum: ergo, & motus neuter comparative ad illud. Prob. antecedens: tale principium, vel eſſet determinatum ad genus, & indifferẽs ad ſpecies, vel aliquid determinate negativum, vel determinate poſitivum, vel indifferens. *Primum*, eſt abuſus terminorum, aliàs materia erit potentia neutra ad formam, propter indifferentiam ad formam huius, vel illius ſpeciei. *Secũdum* eſt deſtruere rationem potentiæ, & principij, quia negatio potentiæ, potentia non eſt. Si dicatur *tertium*, cũ potentia poſitiva diffiniatur per actũ: ergo vel per actum in quẽ inclinat poſitivè, & ſic erit determinate naturalis; vel per actum cui poſitive reſiſtit, & ſic erit violenta; vel per actũ cui ſe habeat obediẽtialiter, de quo nõ agimus in præſenti, nec Cœlo poteſt cõvenire, cũ illius motus nõ ſit ſupernaturalis, nec artificialis.

2. Repugnat potentia activa neutra: ergo, & paſsiva. Conſeq. conſtare videtur ex D. Tho. 9. metaph. docente, quod fruſtra eſſet in natura potentia aliqua activa, cui non correſponderet potẽtia paſsiva. Prob. ant. Nam potentia activa, vel continet motum ratione ſui, vel ratione auxilij alterius, vel nullo modo continet: ſi hoc vltimum, nullo modo erit potentia activa; ſi ſecundum, erit in potentia activa obedientiali, vel artificiali, de quibus modo nõ agimus. Si primum, erit determinate potentia activa naturalis.

13 Quarta Concluſio: *Anima rationalis non ſolum, vt vegetativa, & ſenſitiva; ſed etiam vt rationalis poſt ſtatu coniũctionis ad corpus eſt natura.* De anima igitur vt ſeparata aſſerit D. Tho. in præſenti lect. 4. ex Philoſoph. quod non pertinet agere ad phyſicũ, ſed ad Metaphyſicum, indicans non eſſe prout ſic verè naturam prout de illa in præſenti agimus. De illa prout præbet gradum vegetandi, & ſentiendi eſt certum eſſe naturam, cum ſit primum principium motuum vere naturalium phyſicorum. De illa vt rationalis eſt pro ſtatu cõiunctionis, prob. breviter. Quia anima rationalis, vt talis eſt principium motum humanorũ, & vera, propriaq; forma hominis, vt talis, vt definitur in Cõcilijs Vienenſi, & Lateranẽſi: ergo vt rationalis habet rationem

turæ, vti, & aliæ formæ; quod ſi habet operationes ſupra naturam corpoream elevatas, vt *intelligere, & velle*, adhuc reſpectu illarum eſt natura, quia tales operationes, quandiu anima eſt in corpore, dependent aliquo modo à corporalibus motibus: ſentimus enim, quod ita vehementer excitata rapit voluntatem, & bona imaginatio iuvat ad intelligendum.

14 Quarta Concluſio: *Forma totalis, ſeu compoſitum ex materia, & forma poteſt aliquomodo dici natura.* Cum natura, vt ſupra diximus, ſumatur aliquando pro eſſentia, & quidditate rerum: in hoc ſenſu nulli eſt dubiū eſſe naturam; diſsident AA. an ſit natura ſumpta pro principio motus phyſici: alij negant, alij affirmāt, & mens omnium penè reducitur ad noſtram concluſionem; nam ſi natura ſummatur rigoroſe pro primo principio, ſeu prima radice motuum, forma totalis natura eſſe nō poteſt rigoroſè, quia nequit eſſe prima radix in aliqua linea, quod reſolvitur, & componitur ex alijs, quæ in eadem linea conceptum primæ radicis obtinent; ſed hoc contingit in compoſito ex materia, & forma conſtante ex his, quæ conceptū primę radicis motū obtinent, vt probabimus: ergo. Propter quod dicimus in concluſione, quod *aliquo modo* eſt natura in quantū, ſcilicèt, eſt radix, & origo motuum ſurſum, & licèt non ſit prima radix per modum primi elementi, eſt tamen prima radix totalis, per quod opponitur principio accidentali, ſeu inſtrumentali.

15 Vltima Concluſio: *Nec Deo nec Angelis vere convenit ratio naturæ in phyſica conſideratione.* Prob. quia natura ſupra à nobis diffinitur, per ordinem ad motum imperfectum, & diviſibilē ſenſibilemque; ſed horum motuum ſunt incapaces Deus, & Angeli, quorum omnes operationes ſunt intelligere, & velle omnino independentes à rebus ſenſibilibus, & corporeis: vnde ſolū illis attribuitur natura ſūpta pro quidditate, vel pro radice operationum quarumcumque.

§. III.

Argumenta ſolvuntur.

16 OBijcies primò, contra primam concluſ. materia non eſt effectiva alicuius motus, vt patet: nec receptiva illius, quia nullū accidens in materia poteſt recipi: ergo non eſt principium, nec activum, nec paſsivum motus, ac ſubinde, nec natura.

Neg. antec. quoad ſecundam partem, vel diſting. Proxime, & vt *quod*, conc. ant. radicaliter, & vt *quo*, neg. ant, & eodem modo diſtinguatur conſeq. quoad rationem principij paſsivi motus: nā licet ſubiectum proximum accidentiū, ſit compoſitum; ſubiectū *quo* radicale eſt materia, quoad

 illa

illa potius adſtruit, quam deſtruit rationem naturæ, vt ex definitione conſtat.

17 Obijcies 2. Si ratio naturæ verè, & propriè conveniret materiæ, cum aliàs verè, & propriè conveniat etiam formæ, natura vnivoce diceretur de materia, & forma; conſequēs eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis prob. *Tum* quia iuxta Phyloſop. & D. Tho. hic lect. 2. forma eſt magis natura, quam materia ergo non poſſunt vnivocari in participāda ratione naturę

Tum quia materia haberet aliquid, quo vnivoce conveniret cum forma, & quo ab illa differret in ratione naturæ: ergo eſſet ratione ſui ſpecies ſaltim partialis, ac proinde haberet ratione ſui, aliquem actum ſaltim metaphyſicum, quem ſupra materiæ negavimus. *Tum* denique: quia eſſe principium, & cauſam motus convenit materiæ dependenter à forma: ergo in hoc nequeunt convenire vnivoce, ac ſub inde nec in ratione naturæ.

Propter hoc diſsīdent Authores in aſsignanda convenientia inter materiam, & formam in ratione naturæ. Aliqui ſolum analogiam metaphoricam inveniunt, negantes materię propriā rationem naturæ. Alij vnivocationem inter illa admittunt, in ratione naturæ, & occurrunt argumento dicendo, inæqualitatem, & dependentiam inter illa eſſe ſolum phyſicam, & in rationibus particularibus; nec inferri ex hoc habere materiam ratione ſui actum metaphyſicū, quia entibus potentialibus, aſsignatur convenientia in genere, & diſtinctio in ſpecie incompleta, ſolum per ordinem ad actum, ſeu formam.

Alij denique aſſerunt convenire ſolum analogice; non quia materiæ verè, & propriè non conveniat ratio naturę; ſed quia in participanda tali ratione, materia dependet à forma, quę poteſt dici analogia proportionalitatis. Ex his habemus, quod noſtra concluſio ſalvatur, ſivè natura dicatur vnivoce, ſivè proportionaliter analogicè de materia, & forma.

18 3. Obijcies contra 2. concluſ. ratio principij activi nō ſe habet per ſe ad motum naturalem; ſed natura aliquid dicitur per ordinem ad motum naturalem: ergo ad rationē naturę non ſufficit eſſe principium activum motus. Prob. mai. 1. ratione illius dicitur aliquid natura, ratione cuius dicitur mobile, & mutabile primo, & per ſe; ſed mobile, & mutabile primo, & per ſe importat principium paſsivum motus: ergo.

2. Natura debet eſſe principium motus eius in quo eſt, vt conſtat ex definitione; ſed hoc nequit ſalvari per ſe, & præcisè ratione principij activi; quia hoc eſt indifferens ad motum in alio: ergo.

Denique:nam licet viventibus conveniat ratio naturæ, non ſunt natura ratione principij activi,ſed paſsivi,vt in motu cordis per ordinem ad quem dicitur natura, cuius principium activum eſt extra,& ſolum ſerit principium paſsivum eſt intrinſecum,& natura:ergo.

Negatur mai.ad 1.prob. reſpond.quod principium activum ſine vlla motione movens eſt ſupra omnem naturam, vt Deus;ſi autem movet indigens mutatione ad movendum,non excluditur à ratione naturæ per ſe,adhuc vt movens active;quia ipſa mobilitate diſponitur ad movendum: quare dicitur aliquid natura,in quantum mobile,non præciſſe ad recipiendũ, ſed etiam in quantum mobile ad agendum.

Ad 2.conceſſa mai.diſting. min.ſi ly *præciſſe* dicat principiũ pura activum,conc.min.ſi dicat quod principio activo per ſe, & ratione ſui, non conveniat eſſe principium motus eius in quo eſt;neg.min.conſtat namque in viventibus eſſe principium intrinſecum activũ ad movendũ ſe,quod quidẽ illis per ſe,& eſsẽtialiter convenit,vt non à vivẽtibus diſtinguuntur: & licet primi motus cordis,ſicut,& primi actus intellectus,detur principiũ activum extra; hoc non tollit, quod principium activum, quo viventia vltra ſe movent, non habeat rationem naturæ.

19 4.Obijcies contra 3. concluſ.reſpectu principij paſsivi nullus datur motus,aut quies naturalis;ergo ad rationem naturæ,non ſufficit eſſe principiũ paſsivum motus, vel quietis. Prob.antec.1.principium paſsivum ſolum poteſt comparari ad motum,& quietem,vt ſubiectum:ſed hoc non ſufficit ad naturalitatem motus,& quietis;aliàs repugnaret violentia, cum nulla ſit violentia in motu, vel quiete, cuius non ſit aliquod principium paſsivum,vel ſubiectum:ergo.

2.Cœli non moventur nunc naturaliter,nec quieſcent naturaliter poſt diem iudicij:non alia ratione, niſi quia reſpectu motus præſentis,& quietis futuræ, cõparantur, vt principium paſsivũ: ergo reſpectu principij paſsivi nullus datur motus, aut quies naturalis.Prob. min. *Tum* quia ſi naturaliter nunc moventur,& naturaliter poſtea quieſcerent,duo contraria eſſent ipſis naturalia.*Tum*,quia in primis quies Cœlorũ non erit naturalis;cum non ſit adquiribilis medio motu ad illam;aliàs motus præſensCœli eſſet propter illum quietem:quia quod naturaliter quieſcit;ſi movetur,nõ violẽter movetur propter quietem: vt motus gravis ad centrum; ſed motus preſensCęli nõ eſt propter illam quietem;aliàs quandiu caret illa,eſſet ſine ſua naturali perfectione:deinde nõ movetur

naturaliter;quia motus naturalis ad quietem naturalem debet terminari.ergo Cœli,nec moventur naturaliter, nec naturaliter quieſcunt.

Tum denique.Si pars Cæli divideretur a toto,ſervaret naturam totius;ſed tunc caſus,nec movetur naturaliter, nec naturaliter quieſceret :ergo totum Cælum idem habet. Prob.min. ponamus illam partem Cœli in hoc mundo inferiori ; in primis non quieſceret naturaliter;cum eſſet extra proprium locum: nec naturaliter moveretur;quia nec motu circulari, cum careret forma rotunda, nec motu ſurſum , quia careret levitate, nec motu deorſum,quia careret gravitate:ergo.

20. Reſp.negando antec.ad 1.prob.diſting. mai.ſolū poteſt comparari,vt ſubiectum vel receptionis, vel inclinationis,conc.mai.vt ſubiectum receptionis præciſſe, neg. mai.ſubiectum receptionis præciſſe eſt indifferens ad omnem motum naturalem,violentum, vel artificialem;vnde ſub hoc præciſo conceptu principium paſsivum non eſt natura,ſed propter naturalem aptitudinem,ſeu exigētiam,vel inclinationem ad motum,vel formam:de quo plura articulo ſequenti.

Ad 1.neg.maior. Ad huius 1.prob.in primis inſtatur in gravi,quod naturaliter quieſcit in centro,quin duo contraria illi ſint naturalia;quia vt ſupra diximus,ſolum quies violenta cōtrariatur naturali motui,non vero quies naturalis , propter quā eſt naturalis motus:*vel dicatur*,quod non inconvenit duo contraria naturaliter alicui convenire pro diverſis ſtatibus;ſicut lapidi extra centrum naturale eſt moveri,& in contro quieſcere.

Ad 2.maioris probationem reſp.quod quies Cœli poſt diem iudicij erit naturalis,quaſi negative,non poſitive, in quantum deficit Cœlo motus naturalis, non per violentiam,ſed ob defectum finis talis motus,qui eſt generatio inferiorum corporum: ex quo non infertur, quod motus præſens Cœli nō ſit naturalis poſitive,quia talis motus non dicitur naturalis ratione termini,quem adquirat,vt illo quieſcat : ſed ratione principij, quo paſsive inclinatur ad motum ſui, quo motu conſtituitur primum alterans,& influens in generationes viventium.

Ad vltimam reſp.quod tunc caſus,illa pars Cœli moveretur ſurſum ad locum ipſi debitum non ratione levitatis,qua careret,ſicut totum Cœlum ; nec vt in ſuo loco naturali conſervetur;quia cum Cælum ſit incorruptibile , non indiget loco conſervante;ſed propter dignitatem, quam habet ſupra inferiora corpora, ex vi ſuæ creationis ab ipſo creatore moveretur ad locum ſibi debitum ſupra

pra omnia corpora.

21 Denique obijcies contra quartam concluſionem. Nihil ex his, quæ conveniunt naturæ in phyſica conſideratione, convenit animę rationali, vt tali: ergo anima rationalis vt talis non eſt natura. Prob. ant. in primis non producitur per motum naturalem, ſed à Deo immediate creatur excedens materiæ capacitatem: deinde, vt rationalis non eſt principium motus phyſici, ſive de quo agat phyſica, qui ſit actus imperfecti, cum ſolum ſit principium intellectionis, & volitionis: ac denique, quia natura eſt determinata ad vnum; anima autem rationalis, ſe habet ad oppoſita: ergo prout ſic non eſt natura.

Negatur ant. ad 1. probat. reſp. quod licet illud ſit verum; non tollit, quod anima vt rationalis ſit natura; quia eſt vera forma corporis, illique vnitur, naturali agente inducente naturales diſpoſitiones; eſt etiam principium motuum rationalium, vt ridendi, flendi, loquendi, quæ licet exerceantur mediante corpore, ſunt tamen propria gradus rationalis.

Ad 2. dicatur, quod licet ſubſtantia actuum intellectionis, vt eſt præciſe ſpiritualis non oriatur ab anima, vt natura; eadem tamen, vt affecta iſto modo proprio hominis pro iſto ſtatu, oritur ab anima, vt natura cum dependeat à corpore miniſterialiter, per quod differt ab arte, quę ſiſtit præciſe in influxu circa modũ, & non ſe extẽdit ad ſubſtantiam actus ſub illo modo.

Ad 3. dicatur primo: quod illud axioma: *Natura eſt determinata ad vnum*, eſt verum, & tenet ſumpta natura, prout dicit ſpecialem modum cauſæ neceſſariæ; & in hoc ſenſu verum eſt, modum cauſæ liberæ condiſtingui à modo cauſandi naturæ: cum quo componitur, quod in eademmet, cauſa libera ſupponatur ratio naturæ in aliquibus operationibus rationalibus. 2. *dici poteſt*, quod naturę ſemper correſpondet vnum, cum proportione tamen: naturæ in generẽ vnum in genere; naturæ in ſpecie, vnum in ſpecie; & naturæ individuæ, vnum individuale: vnde animæ, vt rationali, etiam correſpondet aliquid vnum ipſi proportionatum; vnum proportionatum principio immateriali eſt verum, & bonũ in communi, ſub quo multa particularia continentur: vtraque ſolutio videri poteſt in D. Thom. 1. 2. q. 10. art. 1. ad 1. & 3.

ARTIC. II.

Quid ſit violentum, & quodnam illius agens, & patiens?

22 ARiſtoteles 3. Ethic. cap. 1 definit violentũ dicendo: *id eſt violentũ, cuius principium eſt foris, in quod nihil is, qui agit,*

aut patitur confert: in idem reddit diffinitio communis tradita etiã à D.Thom.8.Phyſic.lect.7.*quod eſt à principio extrinſeco, paſſo non conferente vim*. Quę definitio non melius explicari poteſt, quam ſigillatim explicando tria, quæ violentũ eſſentialiter involvit, & quæ in prædicta definitione importatur: nempe motus, qui violentus dicitur, cauſæ, quę violentiam inferunt, & ſubiectum, quod violentiam patitur. Et incipiendo à cauſis ſit.

§. II.

Quænam ſint cauſæ violentiam inferentes?

23 IN huius reſolutione ſimul explicata manebit illa particula diffinitionis *à principio extrinſeco*, quæ vtique importat cauſam violentiã inferentẽ: pro quo adverte 1. quod non omne, quod eſt à principio extrinſeco eſt violentum; quia poteſt eſſe vel ſupernaturale, vel præternaturale, vel artificiale; per hanc enim particulã differt violẽtũ à naturali, & voluntario quę petũt eſſe à principio intrinſeco. Adverte 2. quod cũ omnibus cõſtet, & ſit experientia cõpertum, agẽtia creata multoties violentiam inferre, tota difficultas devolvitur ad agẽs increatũ an poſſit violentiam inferre?

Denique adverte: quod violentum dici poteſt dupliciter, & ſimpliciter, & ſecundũquid: violentum ſimpliciter dicitur, quod eſt contra præcipuam rei inclinationem, vel ſaltim, ita eſt contra aliquam minus principalem inclinationem, vt non ſit iuxta principaliorem; quænam ſit præcipua inclinatio in creaturis, infra dicemus: ſecundumquid violentum dicitur, quod licet contrarietur inclinationi minus præcipuæ, conſonat tamen alteri inclinationi magis principali.

24 Concluſio noſtra eſt: *Deus ſuis creaturis nequit violentiam ſimpliciter inferre*. Contrarium huius tenent plures tàm domeſtici, quàm extranei, diverſimode tamen, nam aliqui abſolute affirmant Deum violentiam creaturis inferre, quoties illas movet cõtra proprias inclinations: ita Lorca, Franciſcus Felix, Vazq. Salas, Valentia, Granados, & alij. Media via incedunt alij aſſerentes, quod Deus in quantũ motor vniverſalis nequit violentiam inferre; bene tamen ſi velit operari vt particularis motor, ita Monteſinos, Mag. à Sancto Thom. & alij ſed noſtram concluſionẽ tenent Ferrara, Conrad. Alvarez, PP. Carmelitæ, Prodo, & alij.

25 Prob. 1. ex illo Sapientiæ 16. *Ignis, vt nutrirentur iuſti, etiam ſuæ virtutis oblitus eſt, creatura enim tibi factori deſerviens*. & Div. Auguſt. lib. 26. contra Fauſtum cap. 3. *Deus creator, & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit; id enim erit cuicumque naturale, quod ille fecerit, à quo eſt*

omnis numerus,& ordo naturæ. Idē expreſſe habet D.Thomas pluribus ſuæ doctrinæ locis 3.contra gentes cap.100.1.p.q.105.art.6 ad 1.q.1.de poten.art.3.ad 1.22 q.26.art.3.& alibi ſæpè.

26 Ratio Sancti Doct.ex dictis locis ſic proponitur: quidquid Deus facit in creaturis,prout ab eo fit,ſemper fit iuxta præcipuam illarum inclinationem: ergo in nullo poteſt illis violentiam ſimpliciter inferre. Prob. ant.præcipua,& ſuperior inclinatio cuiuſlibet creaturæ eſt ad obediendū Deo, & ad ſe ſubijciendū divinæ volūtati.omniſq; alia particularis inclinatio huic obediētię debet ſubordinari;ſed quidquid Deus facit in creaturis, prout ab eo fit,eſt iuxta hanc vniverſaliſsimā obediētiā,& ſubiectionē:ergo fit iuxta præcipuā creaturarum inclinationem.

Conf.1.quælibet pars, in eo quod eſt,eſt ſui totius:ergo naturaliter plus propendit in bonū totius,quam in bonum particulare ipſius partis;alias natura nō partes propter totum,ſed èconttra condidiſſet;ſed bonū conſiſtens in adimpletione voluntatis Dei,per quam facit omnia,quæ facit in creaturis(cum operetur omnia ſecundum cōſilium volūtatis ſuæ)cōparatur ad alia particularia bona,ſicut totū ad partes:ergo quælibet creatura propenſius inclinat in prædictū bonum,quam in bonum particulare,& proprium.

Conf.2.In corpore humano pars minus principalis exponit ſe ictui,ne nobilior lædatur, vt manus,ne lædatur oculus,vel caput:&bonus civis propter bonū commune.Civitatis bona particularia periculo exponit;nō alia ratione,niſi quia tam in naturalibus,quam in politicis, inclinatio in bonum totius prævalet alijs inclinationibus in bona particularia:ergo pariter.

27 Nec dicas:totum hoc verum tenere,operante Deo,vt vniverſali motore contra peculiares rerum inclinationes:non vero ſi cōtra illas operetur vt particularis motor privatas inclinationes conſervando.

Contra 1.Deus,ſive vt motor vniverſalis,ſive vt particularis ſemper agit,vt ſupremus Dominus, intendendo ſemper finē vniverſalē,qui eſt impletio ſuæ volūtatis,& oſtenſio ſuæ bonitatis:ergo hunc modum operandi repugnat à ſe abdicare:ergo quomodocumque operetur,operatur iuxta inclinationem in creatura prædominantē ad ipſi obediendū;ac ſubinde nō violētur.

2.Sicut repugnat aliquem effectum procedere à Deo,& non ſub ratione politi ab ipſo, oſtenſivique ſuæ bonitatis;ita repugnat talem effectum non recipi in creaturis ratione inclinationis ad ipſi obediēdū :ergo ſicut Deus,quocūq; modo operetur, nequit in agēdo prędictū dominiū ſuæ volūtatis,& finē oſtē in

nis ſub bo i tatis excludere; ita creaturæ, quocumque modo à Deo patiantur, nequeunt denudari ab eius obedientia, & non pati ratione inclinationis prędominantis ad ſe Deo ſubijcien dum.

28 Obijcies 1. Falſum eſt, quod in creaturis detur illa duplex inclinatio, alia particularis, alia vniverſalis ad bonum vniverſi, vel ad obediendum Deo: ergo ratio noſtra non tenet. Prob. antecedens. *Tum* quia naturaliter vnumquodque magis inclinatur ad bonum proprium quam ad alienum. hoc enim no amat, niſi propter illud, & propter quod vnumquodque tale, & illud magis; *Tum* quia alias natura eſſet ſibi contraria, ſi tribuiſſet rei inclinationes inter ſe oppoſitas, vt ad aſcendendum, & deſcendendum.

Negatur antec. ad 1. probat. reſpond. illam doctriná non tenere in partibus reſpectu totius; quia pars plus amare debet totum, quam ſe ipſam; cum ipſa ſit propter totum; & retorquetur axioma; propter quod vnumquodque tale, &c. *Ad* 2. diſt. antec. Si tribuiſſet inclinationes oppoſitas non ſubordinatas, natura eſſet ſibi contraria, conced. antec. Si illas tribuat inter ſe ſub ordinatas, vt illas tribuit, ita vt magis particularis cedat vniverſaliori, neg. ant.

29 Obijcies: ſequitur ex noſtra ratione, nullam dari violentiam: prob. aſſumptum: Tunc ſolum eſt violentia, cum fit ab aliqua cauſa efficaciori, & ſuperiori vincente renitentiam paſsi: ergo ſi propter ſuperioritatem cauſæ vniverſalis reſpectu inferiorum non datur violentia à cauſa vniverſali; vbicumque fuerit ſuperioritas ad alterum, ceſſabit violentia.

Neg. ſequellam: ad probat. diſting. antec. Superioritate ſolum in vincendo paſsi reſiſtentiam, concedo antec. Superioritate in cauſando, & continendo omnem actionem, & modú inferioris, neg. ant. Deus taliter eſt ſuperior omni creaturæ, quod cauſat, & continet omnem actionem, & modum creaturæ: ex quo infertur, quod cum creatura in omni ſua inclinatione, ſive activa, ſive paſsiva, totaliter à Deo dependeat: quælibet impreſsio Dei in creaturam nequit in creatura reſiſtentiam invenire, quod non contingit in agente creato vincente reſiſtentiam alterius.

30 Obijcies 3. Aqua aſcendens ad replendum vacuum violenter movetur; & tamen movetur ab inclinatione tendente ad bonú vniverſi: ergo inferior poteſt violentari à ſuperiori movente propter bonum vniverſale totius. Prob. mai. quia aqua quádo ſic elevatur, gravitas cũ experientia conſtet fiſtulã plenã aqua ſic aſcendente magis põderare, quam vacuam: ergo reſiſtit,

tis, ac ſubinde violentatur.

Neg.mai.ad prob. diſting, antec. Gravitat actu, nego ant. aptitudine, vel in actu primo, concedo antecedens: de illa experientia evidenter non conſtat, ſed illa data, dicimus, quod tota aqua, quę intra fiſtulā poni tur, non gravitat; quia non tota aſcendit ad replendum vacuum ſed aliquæ illius partes adhærēt lateribus fiſtulæ, & aliæ per poros intrant, quibus fiſtula magis ponderare videtur.

31 Denique obijcies: motui Dei, vt ſpecialis motoris, poteſt creatura reſiſtere: ergo poteſt violentiam pati à Deo ſpeciali motore. Prob. ant. 1. Motui Dei, cum cauſa ſecunda violentiā inferēte, creatura reſiſtit; ſed Deus ſe ſolo poteſt producere eundē effectum, quē producit cum cau ſa ſecunda: ergo. 2. nulla eſt repugnantia in eo, quod ſicut homo proijcit lapidē ſurſum actua liter gravitatē, proindeque violenter; Deus eodem modo lapidem proijciat ſurſum actualiter gravitantem: ſed in hoc ſenſu lapis motui Dei reſiſtet: erg. Prob. min. Quia Deus movens lapidē ſurſum, non remota gravitatione velut, vt ſuo motui reſiſtatur, ſicut ſi ab homine proijceretur.

3. Nam Deus poteſt intendere ipſam violentiam in motu, vt cum torquet Dæmones medio inſtrumento ignis, aut ſi ſe ipſo immediate torqueret; talis motus eſt violentus cum infe rat triſtitiam, & pœnam, & Dæmones renitantur, quantum poſ ſunt, illi alligationi: ergo motui Dei poteſt creatura reſiſtere.

32 Reſpond. neg. antec: ad prob. conceſſa mai. diſting. min: Eundem effectum ex parte rei factæ, omitto min. (quia non eſt vniverſaliter vera) ex parte modi faciendi, neg. min. modus operandi in Deo ſemper eſt ſuperioris, & Domini, & propter bonum vniverſaliſsimum, quod eſt ſuæ voluntatis impletio cum autem in creaturis inclinatio ad hoc bonum non tam reſpiciat rem factam, quam modū agendi, fit vt talis effectus, prout à Deo violentus eſſe non poſsit.

Ad 2. diſting. min: motui Dei reſiſtit, reſiſtentia ſimpliciter tali, nego min. ſecundum quid tali, omitto min. & eodem modo diſtinguatur ad probationem ſubiunctam: Deus namque nequit velle, vt ſuo motui reſiſtatur ſecundum inclinationē vniverſalem ad ipſi obediēdum, vt ſupra probavimus: ſed ad ſummum ſecundum inclinationem particularem, ſecundum quam manet tantum violentia ſecundumquid: & licet ſit motor ſpecialis, nequit adhuc in hoc à ſe abijcere dominium ſupremum, quod adhuc in hoc præternaturali modo operandi relucet.

Per quod patet ad 3. tota illa renitentia ex parte Dœmonis, cum non excludat in illo;

qui ratione eſt creatura, inclinationem vniverſalem ad obediēdum Deo, ſolum infert violentiam ſecundumquid, quę ſolum intendi poteſt a Deo indigente pœnam, & quę etiam ſufficit ad pęnā: idem dic de detērione Solis in medio Celi ad vocem Ioſue; & de retroactione illius ſub Ezechia Rege Iudà, at denique de diviſione aquarum in mari rubro, quę ſursū ſteterunt, quaſi in murum, ad tranſitum filiorū Iſrael.

§. II.

An detur violentia contra principium paſsivum?

33 SEcunda particula diffinitionis violenti eſt; *paſſo non conſerēte vim*, hoc eſt nō præbente, ſeu non habente inclinationem: poteſt autē paſsū non habere inclinationem, vel poſitive, vel negative: negative; quia nec reſiſtit, nec inclinatur; ſicut aer reſpectu illuminationis & anima reſpectu gratiæ: poſitive, quia eſt poſitiva repugnātia, ſaltim ex parte peculiaris inclinationis, ſicut in lapide ad aſcenſum ſurſum.

34 Certum eſt ad violentum requiri, quod paſſum non ſe habeat mere negative; ſed cōtrarie, & poſitive reſiſtat motui. ratio eſt; quia dum paſſum eſt ſub violentia, aliquid in illo manet, quo reſiſtat motui, vel formæ violentæ, ſed ſi ſolum negative ſe habet, adveniente motu, vel forma, negatio tollitur, & nihil manet motui, vel formæ reſiſtens: ergo ſi ſolum negative ſe habet ad motum, vel formā; dum eſt ſub illis, non eſt ſub violentia.

Certum eſt etiam dari violentiam contra principium activū, quæ quidem fit per motum impedientem activam inclinationem, eiuſque actionem, & motum naturalem, quæ in paciente illam requirit principium activum ad aliquem motum naturalem, quo privatur per motum contrarium, huicque active reſiſtit; difficultas eſt, an etiam poſſit eſſe violentia contra principium paſsivum? An ſcilicet, in principio paſsivo poſsit dari poſitiva reſiſtentia ad contrarium illius, ad quod non active, ſed paſsive comparatur.

35 Concluſio noſtra eſt affirmativa contra Vazquez, & aliquos, & vt communior a nobis recepta. prob. 1. ex Philoſoph. diffinitione: *In quo nihil is, qui agit, aut patitur, confert*: in quo denotatur, non ſolum contra activum, ſed etiam contra paſsivum principium violentiam dari. 2. à ratione. Inclinatio, quæ ſufficit ad conſtituendum motum naturalem per conformitatem, conſtituit motum violentum per repugnantiam: nā contrariorū cōtrariæ ſunt cauſæ, ſed in principio paſsivo datur ſufficiēs inclinatio ad conſtituēdū motū natura-

ralem, vt vidimus articulo præcedenti; ergo, & ſufficiens poſitiva reſiſtentia ad conſtituendum motum violentum.

Denique probatur exem plis: nam materiæ primæ ſublunari non ſolum eſt connaturalis hæc vel illa forma, ſed tota collectio formarum diviſivè recep tarum: ergo ſi per poſsibile, vel impoſsibile ponatur materia abſque omni forma, vel materia ſublunaris informaretur forma Cœleſti, pateretur violentiã; cũ ageretur contra illius naturalẽ inclinationem paſsivam. Deinde in Cœlo receptio motus ab intelligentia motrice eſt illi naturalis: ergo ſi ſtante motione Angeli, impediretur Cœlum ne Angelo obediret, violentiã pateretur: ac denique ſi oculus non impeditus privaretur ſpeciebus non minus illi fieret violentia, quam ſi habens ſpecies apertus nihil videret; ergo ſicut in ſecundo caſu eſſet violentia contra principium activum; ita in primo caſu fieret violentia contra principium paſsivum.

36 Argumenta contra præcedentem aſſertionem ruunt; ſi advertas 1. Quod in exemplis poſitis ſolum in aliquibus probatur violentia conſiderata metaphyſicè, non practice, & naturaliter; imò in noſtra ſentẽtia, nec ſupernaturaliter poteſt poni materia denudata ab omni forma: vnde regulariter imò, nec naturaliter datur motus contra paſsivam inclinationem materiæ, cæli, & oculi: quare ſi daretur talis motus, vel daretur medio agẽte creato, vel à ſolo Deo? Si hoc ſecundum; ſolum erit violentia ſecundumquid, vt diximus §. præcedenti: ſi primum erit violentia ſimpliciter.

Adverte 2. Quod violentia, vel poteſt eſſe formalis, vel activa, dicitur formalis quãdo removetur paſſum à connaturali ſtatu ſuæ paſsivæ inclinationis, ſivè reſpectu propriarum formarum, vt in materia, ſivè reſpectu proprij activi, & motoris; vt in Cœlo: activa violentia eſt, quãdo paſum impeditur activa inclinatione, & huius naturali motu, vel actione.

§. III.

De motu violento.

37 Hoc eſt vltimum, quod explicandum promiſsimus: qualiter ſcilicet motus violentus differat à motibus non violẽtis, vel ſit mediũ inter motũ violentum, & naturalem; pro quo adverte primo: quod, vt ex ſupra dictis patet, motus cui deficiat aliquid ex duobus his nẽpè eſſe ab extrinſeco agẽte: & quod paſsũ illi poſitivè reſiſtat per inclinationem in paſſo prædominantẽ, ſivè activam, ſivè paſsivam, non erit motus ſimpliciter violentus: vnde, per hæc duo, motus ſimpliciter violentus differt à motu nõ violẽto ſimpliciter: ſicut motus ſimpli-

pliciter naturalis differt à motu ſimpliciter nõ naturali per alia duo: nempe eſſe à principio intrinſeco, & eſſe iuxta propriam rei inclinationem, ſive activam, ſive paſsivam.

Adverte 2. Quod agens extrinſecum motus poteſt eſſe, vel increatum, vel creatum: *Rurſus*: agens extrinſecum increatũ agere poteſt, vel vt Author vniverſalis, vel vt ſpecialis: & rurſus vt Author ſpecialis agere poteſt, velut Author ſupernaturalis, vel naturalis; ſimiliter agens extrinſecũ creatũ poteſt eſſe, vel vniverſale, vel particulare iuxta diverſitatem horũ agentiũ, ſimul cum diverſitate illis correſpondente ex parte paſsi, poſſunt diſtingui diverſi motus, & poterit ſimul cognoſci qualitas illorũ, & an detur motus medius inter naturalem, & violentum.

38 Certum eſt primo, quod nullus motus procedens ab aliquo ex agentibus extrinſecis enumeratis, ſi detur principium paſsivum poſitive inclinans in illum, poteſt eſſe naturalis, vt patet ex dictis. Certum eſt 2. quod motus procedens à Deo, vt agẽte vniverſali naturali concurrente cum cauſis ſecundis naturalibus erit naturalis, ſi habeat illa duo, quæ ſupra aſsignavimus, & erit violentus, ſi habeat ſimiliter illa duo, quæ violentiam conſtituunt. Certum eſt 3. Quod motus procedens à Deo vt Authore ſupernaturali non eſt violentus ſimpliciter, nec ſimpliciter naturalis.

Primum patet: nam vel Deus agit ſupernaturaliter perficiendo naturam, vel ſe opponendo inclinationi illius particulari? Si primum; patet non eſſe violentiam, quia creatura nõ violentatur in eo, in quo perficitur, ſi ſecundum; non dari violentiam ſimpliciter, ſed ad ſummum ſecundum quid, vidimus §. primo. Quod autem motus procedens à Deo Authore ſupernaturali nequeat eſſe ſimpliciter naturalis, cõſtat: *Tum* quia eſt ab agente extrinſeco: *Tum*, quia ad formam, ſeu motum ſupernaturalem nequit dari in creatura poſitiva inclinatio, nec particularis, nec vniverſalis; ſed tantum potentia purè obediẽtialis: quare motus ſic à Deo procedentes dicuntur ſupernaturales, qui omnino ſunt extra conſiderationem Philoſophiæ.

Certum eſt 4. ex dictis §. primo, quod motus procedens à Deo vt Authore naturali ſpeciali nequit eſſe ſimpliciter violentus, etiam ſi ſit contra inclinationem poſitivam particularem cuiuslibet creaturę: & idem dicendum videtur de motu procedente ab aliquo agente creato vniverſali ſuperiori contra particularem inclinationem inferioris; cum ratio noſtra ibi vtrumque probet: hinc oritur

dif-

difficultas, an prædictus motus ſit medius inter naturalem, & violentum.

39 Sed pro maiori claritate adverte, quod motus, qui eſt iuxta inclinationem poſitivam vniverſalem creaturæ poteſt comparari ad illius inclinationem particularem, dupliciter: vel ut contra illam, vt ſi Deus vt agens ſpeciale proijceret lapidem ſurſum, & aqua ad replendũ vacuum ſurſum aſcenderet: vel taliter, quod non ſit contra inclinationem particularem poſitive, nec poſitive iuxta illam, vt motus circularis ignis, vel aeris proveniens ex motu firmamenti: hic motus non eſt poſitive contra inclinationem particularem horum elementorum, quia non extrahit illa à proprio, & connaturali loco: nec etiam eſt iuxta inclinationem poſitivam particularem illorum; quia hæc eſt ad aſcendendum ſurſum, ſi infra locum naturalem ſint: de his motibus eſt difficultas, an ſint medij inter naturales, & violentos?

40 Nos igitur conformiter ad dicta §. primo, dicimus tales motus eſſe abſolutè, & ſimpliciter naturales; at vero ſecundumquid erit violentus motus, ſi ſit contra inclinationem particularem; & ſecundumquid erit præter naturalis, ſi motus ſit nec iuxta inclinationem particularem, nec contra illam: ac ſubinde abſolute, & ſimpliciter loquendo, non datur motus medius inter violentum, & naturalem in conſideratione phyſica: contrarium tenet Mag. à Sancto Thoma, & alijs, ſed noſtra reſolutio videtur conformior Philoſopho aſſerenti in 4. Phyſicorum text. 67. *Omnis motus, aut fit natura, aut vi.*

41 Sed quoad omnes partes breviter ſuadetur: in primis prædicti motus ſunt iuxta inclinationem poſitivam naturalem vniverſalem, quæ in rebus eſt præcipua ad obediendum agenti ſuperiori, & ad bonum totius; ſed denominatio ſimpliciter talis ſumitur ab eo, quod in rebus eſt præcipuum, & principalius: ergo motus, qui eſt iuxta inclinationem, naturalem vniverſalem creaturarum, eſt abſolute, & ſimpliciter naturalis. Quoad alias partes etiã conſtat, quia ſi motus eſt contra inclinationem particularem, rationi huius motu, ſit aliqualis reſiſtentia: ergo ſufficit ad violentiam ſaltim ſecundumquid: denique ſi motus, nec eſt iuxta, nec contra inclinationem particularem, nec ſupra illam, cum non ſit ſupernaturalis, erit præter inclinationem: ergo ſufficiet, vt ſit præternaturalis, ſaltim ſecundumquid.

Addimus in noſtra reſolutione non dari medium inter motum ſimpliciter naturalem, & ſimpliciter violentum in conſideratione phyſica, vt excludamus motum ſupernaturalẽ ſimpliciter,

pria; *Tum* quia motus Cœli eſt naturalis regula omniū motuū naturalium: ergo nequit non eſſe naturalis. Intelligibile videtur non eſſe verè à natura motum, qui eſt regula omnium motuum à natura procedentium.

12 Nec dicas, talem motum non eſſe violētum, quia nihil violentum tantum durat, nec naturalem, quia ad illum nō datur in Cœlo principium activum, eſſe tamen motum neutrum, vel præternaturalem.

Contra 1. repugnat potentia, vel principium neutrum: ergo, & motus neuter comparative ad illud. Prob. antecedens: tale principium, vel eſſet determinatum ad genus, & indifferēs ad ſpecies, vel aliquid determinate negativum, vel determinate poſitivum, vel indifferens. *Primum*, eſt abuſſus terminorum, aliàs materia erit potentia neutra ad formam, propter indifferentiam ad formam huius, vel illius ſpeciei. *Secūdum* eſt deſtruere rationem potentiæ, & principij, quia negatio potentiæ, potentia non eſt. Si dicatur *tertium*, cū potentia poſitiva diffiniatur per actū: ergo vel per actum in quē inclinat poſitivè, & ſic erit determinate naturalis; vel per actum cui poſitive reſiſtit, & ſic erit violenta; vel per actū cui ſe habeat obediētialiter, de quo nō agimus in præſenti, nec Cœlo poteſt cōvenire, cū illius motus nō ſit ſupernaturalis, nec artificialis.

2. Repugnat potentia activa neutra: ergo, & paſsiva. Conſeq. conſtare videtur ex D. Tho. 9. metaph. docente, quod fruſtra eſſet in natura potentia aliqua activa, cui non correſponderet potētia paſsiva. Prob. ant. Nam potentia activa, vel continet motum ratione ſui, vel ratione auxilij alterius, vel nullo modo continet: ſi hoc vltimum, nullo modo erit potentia activa; ſi ſecundum, erit in potentia activa obedientiali, vel artificiali, de quibus modo nō agimus. Si primum, erit determinate potentia activa naturalis.

13 Quarta Concluſio: *Anima rationalis non ſolum, vt vegetativa, & ſenſitiva; ſed etiam vt rationalis poſt ſtatu coniūctionis ad corpus eſt natura.* De anima igitur vt ſeparata aſſerit D. Tho. in præſenti lect. 4. ex Philoſoph. quod non pertinet agere ad phyſicū; ſed ad Metaphyſicum, indicans non eſſe prout ſic verè naturam prout de illa in præſenti agimus. De illa prout præbet gradum vegetandi, & ſentiendi eſt certum eſſe naturam, cum ſit primum principium motuum vere naturalium phyſicorum. De illa vt rationalis eſt pro ſtatu cōiunctionis, prob. breviter. Quia anima rationalis, vt talis eſt principium motum humanorū, & vera, propriaq; forma hominis, vt talis, vt definitur in Cōcilijs Vienenſi, & Lateranēſi: ergo vt rationalis habet rationem

naturæ,

turæ, vti, & aliæ formæ; quod ſi habet operationes ſupra naturam corpoream elevatas, vt *intelligere, & velle*, adhuc reſpectu illarum eſt natura, quia tales operationes, quandiu anima eſt in corpore, dependent aliquo modo à corporalibus motibus: ſentimus enim, quod ita vehementer excitata rapit voluntatem, & bona imaginatio iuvat ad intelligendum.

14 Quarta Concluſio: *Forma totalis, ſeu compoſitum ex materia, & forma poteſt aliquomodo dici natura.* Cum natura, vt ſupra diximus, ſumatur aliquando pro eſſentia, & quidditate rerum: in hoc ſenſu nulli eſt dubiū eſſe naturam; diſsident AA. an ſit natura ſumpta pro principio motus phyſici: alij negant, alij affirmāt, & mens omnium penè reducitur ad noſtram concluſionem; nam ſi natura ſummatur rigoroſe pro primo principio, ſeu prima radice motuum, forma totalis natura eſſe nō poteſt rigoroſè, quia nequit eſſe prima radix in aliqua linea, quod reſolvitur, & componitur ex alijs, quæ in eadem linea conceptum primę radicis obtinent; ſed hoc contingit in compoſito ex materia, & forma conſtante ex his, quæ conceptū primę radicis motū obtinent, vt probabimus: ergo. Propter quod dicimus in concluſione, quod *aliquo modo* eſt natura in quantū, ſcilicèt, eſt radix, & origo motuum ſurſum, & licèt non ſit prima radix per modum primi elementi, eſt tamen prima radix totalis, per quod opponitur principio accidentali, ſeu inſtrumentali.

15 Vltima Concluſio: *Nec Deo, nec Angelis vere convenit ratio naturæ in phyſica conſideratione.* Prob. quia natura ſupra à nobis diffinitur, per ordinem ad motum imperfectum, & diviſibilē ſenſibilemque; ſed horum motuum ſunt incapaces Deus, & Angeli, quorum omnes operationes ſunt intelligere, & velle omnino independentes à rebus ſenſibilibus, & corporeis: vnde ſolū illis attribuitur natura ſumpta pro quidditate, vel pro radice operationum quarumcumque.

§. III.
Argumenta ſolvuntur.

16 OBijcies primò, contra primam concluſ. materia non eſt effectiva alicuius motus, vt patet: nec receptiva illius, quia nullū accidens in materia poteſt recipi: ergo non eſt principium, nec activum, nec paſsivum motus, ac ſubinde, nec natura.

Neg. antec. quoad ſecundam partem, vel diſting. Proxime, & vt *quod*, conc. ant. radicaliter, & vt *quo*, neg. ant, & eodem modo diſtinguatur conſeq. quoad rationem principij paſsivi motus: nā licèt ſubiectum proximum accidentiū, ſit compoſitum; ſubiectū *quo* radicale eſt materia, quoad

illa potius adſtruit, quam deſtruit rationem naturæ, vt ex definitione conſtat.

17 Obijcies 2. Si ratio naturæ verè,& propriè conveniret materiæ, cum aliàs verè,& propriè conveniat etiam formæ, natura vnivoce diceretur de materia,& forma; conſequēs eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis prob. *Tum* quia iuxta Phyloſop.& D.Tho. hic lect.2. forma eſt magis natura, quam materia: ergo non poſſunt vnivocari in participāda ratione naturę

Tum quia materia haberet aliquid, quo vnivoce conveniret cum forma,& quo ab illa differret in ratione naturæ: ergo eſſet ratione ſui ſpecies ſaltim partialis, ac proinde haberet ratione ſui, aliquem actum ſaltim metaphyſicum, quem ſupra materiæ negavimus. *Tum* denique: quia eſſe principium,& cauſam motus convenit materiæ dependenter à forma: ergo in hoc nequeunt convenire vnivoce, ac ſub inde nec in ratione naturæ.

Propter hoc diſsident Authores in aſsignanda convenientia inter materiam,& formam in ratione naturæ. Aliqui ſolum analogiam metaphoricam inveniunt, negantes materię propriā rationem naturæ. Alij vnivocationem inter illa admittunt, in ratione naturæ, & occurrunt argumento dicendo, inæqualitatem,& dependentiam inter illa eſſe ſolum phyſicam,& in rationibus particularibus; nec inferri ex hoc habere materiam ratione ſui actum metaphyſicū, quia entibus potentialibus, aſsignatur convenientia in genere, & diſtinctio in ſpecie incompleta, ſolum per ordinem ad actum, ſeu formam.

Alij denique aſſerunt convenire ſolum analogice; non quia materiæ verè, & propriè non conveniat ratio naturę; ſed quia in participanda tali ratione, materia dependet à forma, quę poteſt dici analogia proportionalitatis. Ex his habemus, quod noſtra concluſio ſalvatur, ſivè natura dicatur vnivoce, ſivè proportionaliter analogicè de materia,& forma.

18 3. Obijcies contra 2. concluſ. ratio principij activi nō ſe habet per ſe ad motum naturalem; ſed natura aliquid dicitur per ordinem ad motum naturalem: ergo ad rationē naturę non ſufficit eſſe principium activum motus. Prob. mai. 1. ratione illius dicitur aliquid natura, ratione cuius dicitur mobile,& mutabile primo,& per ſe; ſed mobile,& mutabile primo, & per ſe importat principium paſsivum motus: ergo.

2. Natura debet eſſe principium motus eius in quo eſt, vt conſtat ex definitione; ſed hoc nequit ſalvari per ſe, & præcisè ratione principij activi; quia hoc eſt indifferens ad motum in alio: ergo.

De-

Denique:nam licet viventibus conveniat ratio naturæ, non ſunt natura ratione principij activi,ſed paſsivi,vt in motu cordis per ordinem ad quem dicitur natura, cuius principium activum eſt extra,& ſolum ;erit principium paſsivum eſt intrinſecum,& natura:ergo.

Negatur mai.ad 1.prob. reſpond.quod principium activum ſine vlla motione movens eſt ſupra omnem naturam, vt Deus;ſi autem movet indigens mutatione ad movendum,non excluditur à ratione naturæ per ſe,adhuc vt movens active;quia ipſa mobilitate diſponitur ad movendum : quare dicitur aliquid natura,in quantum mobile,non præciſſe ad recipiendũ, ſed etiam in quantum mobile ad agendum.

Ad 2.conceſſa mai.diſting. min,ſi ly *præciſſe* dicat principiũ pura activum,conc.min.ſi dicat quod principio activo per ſe, & ratione ſui, non conveniat eſſe principium motus eius in quo eſt;neg.min.conſtat namque in viventibus eſſe principium intrinſecum activũ ad movendũ ſe,quod quidẽ illis per ſe,& eſsẽtialiter convenit,vt non à viuẽtibus diſtinguuntur: & licet primi motus cordis,ſicut,& primi actus intellectus,detur principiũ activum extra; hoc non tollit, quod principium activum, quo viventia vltra ſe movent, non ſiabeat rationem naturæ.

19 4.Obijcies contra 3. concluſ.reſpectu principij paſsivi nullus datur motus,aut quies naturalis;ergo ad rationem naturæ,non ſufficit eſſe principiũ paſsivum motus, vel quietis. Prob.antec.1.principium paſsivum ſolum poteſt comparari ad motum,& quietem,vt ſubiectum:ſed hoc non ſufficit ad naturalitatem motus,& quietis;aliàs repugnaret violentia, cum nulla ſit violenria in motu, vel quiete, cuius non ſit aliquod principium paſsivum,vel ſubiectum:ergo.

2.Cœli non moventur nunc naturaliter,nec quieſcent naturaliter poſt diem iudicij:non alia ratione, niſi quia reſpectu motus præſentis,& quietis futuræ, cõparantur, vt principium paſsivũ: ergo reſpectu principij paſsivi nullus datur motus, aut quies naturalis.Prob. min. *Tum* quia ſi naturaliter nunc moventur,& naturaliter poſtea quieſcerent,duo contraria eſſent ipſis naturalia.*Tum*,quia in primis quies Cœlorũ non erit naturalis;cum non ſit adquiribilis medio motu ad illam;aliàs motus præſensCœli eſſet propter illum quietem:quia quod naturaliter quieſcit;ſi movetur,nõ violẽter movetur propter quietem : vt motus gravis ad centrum ; ſed motus pręſensCęli nõ eſt propter illam quietem;aliàs quandiu caret illa,eſſet ſine ſua naturali perfectione:deinde nõ movetur

naturaliter;quia motus naturalis ad quietem naturalem debet terminari.ergo Cœli,nec moventur naturaliter, nec naturaliter quieſcunt.

Tum denique.Si pars Cæli divideretur a toto,ſervaret naturam totius;ſed tunc caſus,nec movetur naturaliter , nec naturaliter quieſceret : ergo totum Cælum idem habet. Prob.min. ponamus illam partem Cœli in hoc mundo inferiori ; in primis non quieſceret naturaliter;cum eſſet extra proprium locum: nec naturaliter moveretur;quia nec motu circulari, cum careret forma rotunda, nec motu ſurſum , quia careret levitate, nec motu deorſum,quia careret gravitate:ergo.

20. Reſp.negando antec.ad 1.prob.diſting. mai.ſolū poteſt comparari,vt ſubiectum vel receptionis , vel inclinationis,conc.mai.vt ſubiectum receptionis præciſſe, neg. mai.ſubiectum receptionis præciſſe eſt indifferens ad omnem motum naturalem,violentum, vel artificialem;vnde ſub hoc præciſo conceptu principium paſsivum non eſt natura,ſed propter naturalem aptitudinem,ſeu exigētiam,vel inclinationem ad motum,vel formam;de quo plura articulo ſequenti.

Ad 1.neg.maior. Ad huius 1.prob in primis inſtatur in gravi,quod naturaliter quieſcit in centro,quin duo contraria illi ſint naturalia;quia vt ſupra diximus,ſolum quies violenta cōtrariatur naturali motui,non vero quies naturalis , propter quā eſt naturalis motus:*vel dicatur*,quod non inconvenit duo contraria naturaliter alicui convenire pro diverſis ſtatibus;ſicut lapidi extra centrum naturale eſt moveri,& in contro quieſcere.

Ad 2.maioris probationem reſp.quod quies Cœli poſt diem iudicij erit naturalis,quaſi negative,non poſitive, in quantum deficit Cœlo motus naturalis, non per violentiam,ſed ob defectum finis talis motus,qui eſt generatio inferiorum corporum: ex quo non infertur, quod motus præſens Cœli nō ſit naturalis poſitive,quia talis motus non dicitur naturalis ratione termini,quem adquirat,vt illo quieſcat ; ſed ratione principij, quo paſsive inclinatur ad motum ſui, quo motu conſtituitur primum alterans,& influens in generationes viventium.

Ad vltimam reſp.quod tunc caſus,illa pars Cœli moveretur ſurſum ad locum ipſi debitum non ratione levitatis,qua caret,ſicut totum Cœlum ; nec vt in ſuo loco naturali conſervetur;quia cum Cælum ſit incorruptibile , non indiget loco conſervante;ſed propter dignitatem, quam habet ſupra inferiora corpora , ex vi ſuæ creationis ab ipſo creatore moveretur ad locum ſibi debitum ſupra

pra omnia corpora.

21 Denique obijcies contra quartam concluſionem. Nihil ex his, quæ conveniunt naturæ in phyſica conſideratione, convenit animę rationali, vt tali: ergo anima rationalis vt talis non eſt natura. Prob. ant. in primis non producitur per motum naturalem, ſed à Deo immediate creatur excedens materiæ capacitatem: deinde, vt rationalis non eſt principium motus phyſici, ſive de quo agat phyſica, qui ſit actus imperfecti, cum ſolum ſit principium intellectionis, & volitionis: ac denique, quia natura eſt determinata ad vnum; anima autem rationalis, ſe habet ad oppoſita: ergo prout ſic non eſt natura.

Negatur ant. ad 1. probat. reſp. quod licet illud ſit verum; non tollit, quod anima vt rationalis ſit natura; quia eſt vera forma corporis, illique vnitur, naturali agente inducente naturales diſpoſitiones; eſt etiam principium motuum rationalium, vt ridendi, flendi, loquendi, quæ licet exerceantur mediante corpore, ſunt tamen propria gradus rationalis.

Ad 2. dicatur, quod licet ſubſtantia actuum intellectionis, vt eſt præciſe ſpiritualis non oriatur ab anima, vt natura; eadem tamen, vt affecta iſto modo proprio hominis pro iſto ſtatu, oritur ab anima, vt natura cum dependeat à corpore miniſterialiter, per quod differt ab arte, quę ſiſtit præciſe in influxu circa modū, & non ſe extēdit ad ſubſtantiam actus ſub illo modo.

Ad 3. dicatur primo: quod illud axioma: *Natura eſt determinata ad vnum*, eſt verum, & tenet ſumpta natura, prout dicit ſpecialem modum cauſæ neceſſariæ; & in hoc ſenſu verum eſt, modum cauſæ liberæ condiſtingui à modo cauſandi naturæ: cum quo componitur, quod in eademmet, cauſa libera ſupponatur ratio naturæ in aliquibus operationibus rationalibus. 2. *dici poteſt*, quod naturę ſemper correſpondet vnum, cum proportione tamen: naturæ in generē vnum in genere; naturæ in ſpecie, vnum in ſpecie; & naturæ individuæ, vnum individuale: vnde animæ, vt rationali, etiam correſpondet aliquid vnum ipſi proportionatum; vnum proportionatum principio immateriali eſt verum, & bonū in communi, ſub quo multa particularia continentur: vtraque ſolutio videri poteſt in D. Thom. 1. 2. q. 10. art. 1. ad 1. & 3.

ARTIC. II.

Quid ſit violentum, & quodnam illius agens, & patiens?

22 ARiſtoteles 3. Ethic. cap. 1 definit violentū dicendo: *id eſt violentū, cuius principium eſt foris, in quod nihil is, qui agit,*

aut patitur confert:in idem reddit diffinitio communis tradita etiã à D.Thom.8.Phyſic.lect.7.*quod eſt à principio extrinſeco, paſſo non conferente vim*.Quę definitio non melius explicari poteſt,quam ſigillatim explicando tria, quæ violentũ eſſentialiter involvit, & quæ in prædicta definitione importatur:nempe motus, qui violentus dicitur,cauſæ,quę violentiam inferunt, & ſubiectum, quod violentiam patitur. Et incipiendo à cauſis ſit.

§. II.

Quænam ſint cauſæ violentiam inferentes?

23 IN huius reſolutione ſimul explicata manebit illa particula diffinitionis *à principio extrinſeco*, quæ vtique importat cauſam violentiã inferentẽ:pro quo adverte 1. quod non omne,quod eſt à principio extrinſeco eſt violentum; quia poteſt eſſe vel ſupernaturale,vel præternaturale, vel artificiale; per hanc enim particulã differt violẽtũ à naturali,&voluntario quę petũt eſſe à principio intrinſeco.Adverte 2.quod cũ omnibus cõſtet,& ſit experientia cõpertum,agẽtia creata multoties violentiam inferre,tota difficultas devolvitur ad agẽs increatũ an poſsit violentiam inferre?

Denique adverte:quod violentum dici poteſt dupliciter,& ſimpliciter,& ſecundũquid:violentum ſimpliciter dicitur,quod eſt contra præcipuam rei inclinationem,vel ſaltim, ita eſt contra aliquam minus principalem inclinationem, vt non ſit iuxta principaliorem;quænam ſit præcipua inclinatio in creaturis,infra dicemus:ſecundumquid violentum dicitur, quod licet contrarietur inclinationi minus præcipuæ,conſonat tamen alteri inclinationi magis principali.

24 Concluſio noſtra eſt:*Deus ſuis creaturis nequit violentiam ſimpliciter inferre*.Contrarium huius tenent plures tàm domeſtici, quàm extranei,diverſimode tamen,nam aliqui abſolute affirmant Deum violentiam creaturis inferre, quoties illas movet cõtra proprias inclinations : ita Lorca,Franciſcus Felix, Vazq. Salas,Valentia,Granados,& alij. Media via incedunt alij aſſerentes,quod Deus in quantũ motor vniverſalis nequit violentiam inferre;bene tamen ſi velit operari vt particularis motor,ita Montesinos,Mag. à Sancto Thom.& alij;ſed noſtram concluſionẽ tenent Ferrara,Conrad.Alvarez, PP.Carmelitæ,Prodo,& alij.

25 Prob.1.ex illo Sapientiæ 16.*Ignis,vt nutrirentur iuſti,etiam ſuæ virtutis oblitus eſt, creatura enim tibi factori deſerviens*:& Div. Auguſt.lib.26. contra Fauſtum cap. 3.*Deus creator, & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit;id enim erit cuicumque naturale,quod ille fecerit, à quo eſt*

omnis numerus,& ordo naturæ.Idē expreſſe habet D.Thomas pluribus ſuæ doctrinæ locis 3.contra gentes cap.100.1.p.q.105.art.6 ad 1.q.1.de poten.art.3.ad 1.22 q.26.art.3.& alibi ſæpè.

26 Ratio Sancti Doct.ex dictis locis ſic proponitur: quidquid Deus facit in creaturis,prout ab eo fit,ſemper fit iuxta præcipuam illarum inclinationem: ergo in nullo poteſt illis violentiam ſimpliciter inferre. Prob. ant.præcipua,& ſuperior inclinatio cuiuſlibet creaturæ eſt ad obediendū Deo, & ad ſe ſubijciendū divinæ volūtati.omniſq; alia particularis inclinatio huic obediētię debet ſubordinari;ſed quidquidDeus facit in creaturis, prout ab eo fit,eſt iuxta hanc vniverſaliſsimā obediētiā,& ſubiectionē:ergo ſit iuxta præcipuā creaturarum inclinationem.

Conf.1.quælibet pars, in eo quod eſt,eſt ſui totius:ergo naturaliter plus propendit in bonū totius,quam in bonum particulare ipſius partis;alias natura nō partes propter totum,ſed è contra condidiſſet;ſed bonū conſiſtens in adimpletione voluntatis Dei,per quam facit omnia,quæ facit in creaturis(cum operetur omnia ſecundum cōſilium volūtatis ſuæ)cōparatur ad alia particularia bona,ſicut totū ad partes:ergo quælibet creatura propenſius inclinat in prædictū bonum,quam in bonum particulare,& proprium.

Conf.2.In corpore humano pars minus principalis exponit ſe ictui,ne nobilior lædatur, vt manus,ne lædatur oculus,vel caput:&bonus civis propter bonū commune.Civitatis bona particularia periculo exponit;nō alia ratione,niſi quia tam in naturalibus,quam in politicis, inclinatio in bonum totius prævalet alijs inclinationibus in bona particularia:ergo pariter.

27 Nec dicas:totum hoc verum tenere,operante Deo,vt vniverſali motore contra peculiares rerum inclinationes:non vero ſi cōtra illas operetur vt particularis motor privatas inclinationes conſervando.

Contra 1.Deus,ſive vt motor vniverſalis,ſive vt particularis ſemper agit,vt ſupremus Dominus, intendendo ſemper finē vniverſalē,qui eſt impletio ſuæ volūtatis,& oſtenſio ſuæ bonitatis:ergo hunc modum operandi repugnat à ſe abdicare:ergo quomodocumque operetur,operatur iuxta inclinationem in creatura prædominontē ad ipſi obediendū;ac ſubinde nō violētur.

2.Sicut repugnat aliquem effectum procedere à Deo,& non ſub ratione voliti ab ipſo, oſtenſivique ſuæ bonitatis;ita repugnat talem effectum non recipi in creaturis ratione inclinationis ad ipſi obediēdū :ergo ſicut Deus,quocuq; modo operetur, nequit in agēdo prędictū dominiū ſuæ volūtatis,& finē oſtē[illegible]

pis ſub bo i tatis excludere; ita creaturæ, quocumque modo à Deo patiantur, nequeunt denudari ab eius obedientia, & non pati ratione inclinationis prędominantis ad ſe Deo ſubijcien dum.

28 Obijcies 1. Falſum eſt, quod in creaturis detur illa duplex inclinatio, alia particularis, alia vniverſalis ad bonum vniverſi, vel ad obediendum Deo: ergo ratio noſtra non tenet. Prob. antecedens. *Tum* quia naturaliter vnumquodque magis inclinatur ad bonum proprium quam ad alienum. hoc enim nō amat, niſi propter illud, & propter quod vnumquodque tale, & illud magis; *Tum* quia alias natura eſſet ſibi contraria, ſi tribuiſſet rei inclinationes inter ſe oppoſitas, vt ad aſcendendum, & deſcendendum.

Negatur antec. ad 1. probat. reſpond. illam doctrinā non tenere in partibus reſpectu totius; quia pars plus amare debet totum, quam ſe ipſam; cum ipſa ſit propter totum; & retorquetur axioma; propter quod vnumquodque tale, &c. *Ad* 2. diſt. antec. Si tribuiſſet inclinationes oppoſitas non ſubordinatas, natura eſſet ſibi contraria, conced. antec. Si illas tribuat inter ſe ſub ordinatas, vt illas tribuit, ita vt magis particularis cedat vniverſaliori, neg. ant.

29 Obijcies: ſequitur ex noſtra ratione nullam dari violentiam: prob. aſſumptum: Tunc ſolum eſt violentia, cum fit ab aliqua cauſa efficaciori, & ſuperiori vincente renitentiam paſsi: ergo ſi propter ſuper oritatem cauſæ vniverſalis reſpectu inferiorum non datur violen tia à cauſa vniverſali; vbicumque fuerit ſuperioritas ad alterum, ceſſabit violentia.

Neg. ſequellam: ad probat. diſting. antec. Superioritate ſolum in vincendo paſsi reſiſten tiam, conce do antec. Superioritate in cauſando, & continendo omnem actionem, & modū inferioris, neg. ant. Deus taliter eſt ſuperior omni creaturæ, quod cauſat, & continet omnem actionem, & modum creaturæ: ex quo infertur, quod cum creatura in omni ſua inclinatione, ſive activa, ſive paſsiva, totaliter à Deo dependeat: quælibet impreſsio Dei in creaturam nequit in creatura reſiſtentiam invenire, quod non contingit in agente creato vincente reſiſtentiam alterius.

30 Obijcies 3. Aqua aſcendens ad replendum vacuum violenter movetur; & tamen movetur ab inclinatione tendente ad bonū vniverſi: ergo inferior poteſt violentari à ſuperiori movente propter bonum vniverſale totius. Prob. mai. quia aqua quādo ſic elevatur, gravitas cū experientia conſtet ſitulā plenā aqua ſic aſcendente magis pōderare, quam vacuam: ergo reſiſtit,

tis, ac ſubinde violentatur.

Neg.mai.ad prob. diſting, antec.Gravitat actu, nego ant. aptitudine, vel in actu primo, concedo antecedens:de illa experientia evidenter non conſtat,ſed illa data,dicimus, quod tota aqua,quę intra ſiſtulā ponitur,non gravitat; quia non tota aſcendit ad replendum vacuum ſed aliquæ illius partes adhærēt lateribus ſiſtulæ,& aliæ per poros intrant,quibus fiſtula magis ponderare videtur.

31 Denique obijcies, motui Dei,vt ſpecialis motoris, poteſt creatura reſiſtere: ergo poteſt violentiam pati à Deo ſpeciali motore.Prob.ant. 1.Motui Dei, cum cauſa ſecunda violentiā inferēte,creatura reſiſtit;ſed Deus ſe ſolo poteſt producere eundē effectum,quē producit cum cauſa ſecunda:ergo.2. nulla eſt repugnantia in eo,quod ſicut homo proijcit lapidē ſurſum actualiter gravitatē,proindeque violenter; Deus eodem modo lapidem proijciat ſurſum actualiter gravitantem:ſed in hoc ſenſu lapis motui Dei reſiſtet:erg.Prob. min.Quia Deus movens lapidē ſurſum, non remota gravitatione velut,vt ſuo motui reſiſtatur, ſicut ſi ab homine proijceretur.

3.Nam Deus poteſt intendere ipſam violentiam in motu, vt cum torquet Dæmones medio inſtrumento ignis,aut ſi ſe ipſo immediate torqueret; talis motus eſt violentus cum inferat triſtitiam,& pœnam,& Dæmones renitantur,quantum poſſunt, illi alligationi: ergo motui Dei poteſt creatura reſiſtere.

32 Reſpond. neg. antec:ad prob.conceſſa mai.diſting.min. Eundem effectum ex parte rei factæ,omitto min.(quia non eſt vniverſaliter vera)ex parte modi faciendi,neg.min. modus operandi in Deo ſemper eſt ſuperioris,& Domini,& propter bonum vniverſaliſsimum,quod eſt ſuæ voluntatis impletio cum autem in creaturis inclinatio ad hoc bonum non tam reſpiciat rem factam,quam modū agendi,fit vt talis effectus, prout à Deo violentus eſſe non poſsit.

Ad 2.diſting.min.motui Dei reſiſtit,reſiſtentia ſimpliciter tali,nego min.ſecundumquid tali, omitto min. & eodem modo diſtinguatur ad probationem ſubiunctam: Deus namque nequit velle,vt ſuo motui reſiſtatur ſecundum inclinationē vniverſalem ad ipſi obediēdum, vt ſupra probavimus: ſed ad ſummum ſecundum inclinationem particularem, ſecundum quam manet tantum violentia ſecundumquid:& licet ſit motor ſpecialis,nequit adhuc in hoc à ſe abijcere dominium ſupremum, quod adhuc in hoc præternaturali modo operandi relucet.

Per quod patet ad 3. tota illa renitentia ex parte Dæmonis,cum non excludat in illo;

qua

quæ ratione eſt creatura, inclinationem vniverſalem ad obediē-dum Deo, ſolum infert violentiam ſecundumquid, quę ſolum intendi poteſt a Deo indigente pœnam, & quę etiam ſufficit ad pęnā: idem dic de detētione Solis in medio Celi ad vocem Ioſue; & de retroactione illius ſub Ezechia Rege Iudà, at denique de diviſione aquarum in mari rubro, quę ſurſū ſteterunt, quaſi in murum, ad tranſitum filiorū Iſrael.

§. II.

An detur violentia contra principium paſsivum?

33 SEcunda particula diffinitionis violenti eſt; *paſſo non conferēte vim*, hoc eſt nō præbente, ſeu non habente inclinationem: poteſt autē paſsū non habere inclinationem, vel poſitive, vel negative: negative; quia nec reſiſtit, nec inclinatur; ſicut aer reſpectu illuminationis & anima reſpectu gratiæ: poſitive, quia eſt poſitiva repugnātia, ſaltim ex parte peculiaris inclinationis, ſicut in lapide ad aſcenſum ſurſum.

34 Certum eſt ad violentum requiri, quod paſſum non ſe habeat mere negative; ſed cōtrarie, & poſitive reſiſtat motui: ratio eſt; quia dum paſſum eſt ſub violentia, aliquid in illo manet, quo reſiſtat motui, vel formæ violentæ, ſed ſi ſolum negative ſe habet, adveniente motu, vel forma, negatio tollitur, & nihil manet motui, vel formæ reſiſtens: ergo ſi ſolum negative ſe habet ad motum, vel formā; dum eſt ſub illis, non eſt ſub violentia.

Certum eſt etiam dari violentiam contra principium activū, quæ quidem fit per motum impedientem activam inclinationem, eiuſque actionem, & motum naturalem, quæ in paciente illam requirit principium activum ad aliquem motum naturalem, quo privatur per motum contrarium, huicque active reſiſtit; difficultas eſt, an etiam poſſit eſſe violentia contra principium paſsivum? An ſcilicet, in principio paſsivo poſsit dari poſitiva reſiſtentia ad contrarium illius, ad quod non active, ſed paſsive comparatur.

35 Concluſio noſtra eſt affirmativa contra Vazquez, & aliquos, & vt communior a nobis recepta. prob. 1. ex Philoſoph. diffinitione: *In quo nihil is, qui agit, aut patitur, confert*: in quo denotatur, non ſolum contra activum, ſed etiam contra paſsivum principium violentiam dari. 2. à ratione. Inclinatio, quæ ſufficit ad conſtituendum motum, naturalem per conformitatem, conſtituit motum violentum per repugnantiam: nā contrariorū cōtrariæ ſunt cauſæ, ſed in principio paſsivo datur ſufficiēs inclinatio ad conſtituēdū motū natu

ra-

ralem, vt vidimus articulo præcedenti; ergo, & ſufficiens poſitiva reſiſtentia ad conſtituendum motum violentum.

Denique probatur exemplis: nam materiæ primæ ſublunari non ſolum eſt connaturalis hæc vel illa forma, ſed tota collectio formarum diviſivè receptarum: ergo ſi per poſsibile, vel impoſsibile ponatur materia abſque omni forma, vel materia ſublunaris informaretur forma Cœleſti, pateretur violentiã; cũ ageretur contra illius naturalẽ inclinationem paſsivam. Deinde in Cœlo receptio motus ab intelligentia motrice eſt illi naturalis: ergo ſi ſtante motione Angeli, impediretur Cœlum ne Angelo obediret, violentiã pateretur: ac denique ſi oculus non impeditus privaretur ſpeciebus non minus illi fieret violentia, quam ſi habens ſpecies apertus nihil videret; ergo ſicut in ſecundo caſu eſſet violentia contra principium activum; ita in primo caſu fieret violentia contra principium paſsivum.

36 Argumenta contra præcedentem aſſertionem ruunt; ſi advertas 1. Quod in exemplis poſitis ſolum in aliquibus probatur violentia conſiderata metaphyſicè, non practice, & naturaliter; imò in noſtra ſententia, nec ſupernaturaliter poteſt poni materia denudata ab omni forma: vnde regulariter imò, nec naturaliter datur motus contra paſsivam inclinationem materiæ, cœli, & oculi: quare ſi daretur talis motus, vel daretur medio agẽte creato, vel à ſolo Deo? Si hoc ſecundum; ſolum erit violentia ſecundumquid, vt diximus §. præcedenti: ſi primum erit violentia ſimpliciter.

Adverte 2. Quod violentia, vel poteſt eſſe formalis, vel activa, dicitur formalis quãdo removetur paſſum à connaturali ſtatu ſuę paſsivæ inclinationis, ſivè reſpectu propriarum formarum, vt in materia, ſivè reſpectu proprij activi, & motoris; vt in Cœlo: activa violentia eſt, quãdo paſum impeditur activa inclinatione, & huius naturali motu, vel actione.

§. III.

De motu violento.

37 HOc eſt vltimum, quod explicandum promiſsimus: qualiter ſcilicet motus violentus differat à motibus non violẽtis, vel ſit mediũ inter motũ violentum, & naturalem; pro quo adverte primo: quod, vt ex ſupra dictis patet, motus cui deficiat aliquid ex duobus his nẽpè eſſe ab extrinſeco agẽte: & quod paſsũ illi poſitivè reſiſtat per inclinationem in paſſo prædominantẽ, ſivè activam, ſivè paſsivam, non erit motus ſimpliciter violentus: vnde, per hæc duo, motus ſimpliciter violentus differt à motu nõ violẽto ſimpliciter: ſicut motus ſimpli-

pliciter naturalis differt à motu ſimpliciter nō naturali per alia duo: nempe eſſe à principio intrinſeco, & eſſe iuxta propriam rei inclinationem, ſive activam, ſive paſsivam.

Adverte 2. Quod agens extrinſecum motus poteſt eſſe, vel increatum, vel creatum. *Rurſus*: agens extrinſecum increatū age re poteſt, vel vt Author vniverſalis, vel vt ſpecialis: & rurſus vt Author ſpecialis agere poteſt, velut Author ſupernaturalis, vel naturalis; ſimiliter agens extrinſecū creatū poteſt eſſe, vel vniverſale, vel particulare, iuxta diverſitatem horū agentiū, ſimul cūm diverſitate illis correſpondente ex parte paſsi, poſſunt diſtingui diverſi motus, & poterit ſimul cognoſci qualitas illorū, & an detur motus medius inter naturalem, & violentum.

38. Certum eſt primò, quod nullus motus procedens ab aliquo ex agentibus extrinſecis enumeratis, ſi deſit principium paſsivum poſitive inclinans in illum, poteſt eſſe naturalis, vt patet ex dictis. Certum eſt 2. quod motus procedens à Deo, vt agēte vniverſali naturali concurrente cum cauſis ſecundis naturalibus erit naturalis, ſi habeat illa duo, quæ ſupra aſsignavimus, & erit violentus, ſi habeat ſimiliter illa duo, quæ violentiam conſtituant. Certum eſt 3. Quod motus procedens a Deo vt Authore ſupernaturali non eſt violentus ſimpliciter, nec ſimpliciter naturalis.

Primum patet: nam vel Deus agit ſupernaturaliter perficiendo naturam, vel ſe opponendo inclinationi illius particulari? Si primum; patet non eſſe violentiam, quia creatura nō violentatur in eo, in quo perficitur, ſi ſecundum; non dari violentiam ſimpliciter, ſed ad ſummum ſecundumquid, vidimus §. primo. Quod autem motus procedens à Deo Authore ſupernaturali nequeat eſſe ſimpliciter naturalis, cōſtat: *Tum* quia eſt ab agente extrinſeco: *Tum*, quia ad formam ſeu motum ſupernaturalem nequit dari in creatura poſitiva inclinatio, nec particularis, nec vniverſalis; ſed tantum potentia purè obediētialis: quare motus ſic à Deo procedentes dicuntur ſupernaturales, qui omnino ſunt extra conſiderationem Philoſophiæ.

Certum eſt 4. ex dictis §. primo, quod motus procedens à Deo vt Authore naturali ſpeciali nequit eſſe ſimpliciter violentus, etiam ſi ſit contra inclinationem poſitivam particularem cuiuslibet creaturę: & idem dicendum videtur de motu procedente ab aliquo agente creato vniverſali ſuperiori contra particularem inclinationem inferioris; cum ratio noſtra ibi vtrumque probet: hinc oritur dif-

difficultas, an prædictus motus ſit medius inter naturalem, & violentum.

39 Sed pro maiori claritate adverte, quod motus, qui eſt iuxta inclinationem poſitivam vniverſalem creaturæ poteſt comparari ad illius inclinationem particularem, dupliciter: vel ut contra illam, vt ſi Deus vt agens ſpeciale proijceret lapidem ſurſum, & aqua ad replendū vacuum ſurſum aſcenderet: vel taliter, quod non ſit contra inclinationem particularem poſitive, nec poſitive iuxta illam, vt motus circularis ignis, vel aeris proveniens ex motu firmamenti: hic motus non eſt poſitive contra inclinationem particularem horum elementorum, quia non extrahit illa à proprio, & connaturali loco: nec etiam eſt iuxta inclinationem poſitivam particularem illorum; quia hæc eſt ad aſcendendum ſurſum, ſi infra locum naturalem ſint: de his motibus eſt difficultas, an ſint medij inter naturales, & violentos?

40 Nos igitur conformiter ad dicta §. primo, dicimus tales motus eſſe abſolutè, & ſimpliciter naturales; at vero ſecundumquid erit violentus motus, ſi ſit contra inclinationem particularem; & ſecundumquid erit præter naturalis, ſi motus ſit nec iuxta inclinationem particularem, nec contra illam: ac ſubinde abſolute, & ſimpliciter loquendo, non datur motus medius inter violentum, & naturalem in conſideratione phyſica: contrarium tenet Mag. à Sancto Thoma, & alijs, ſed noſtra reſolutio videtur conformior Philoſopho aſſerenti in 4. Phyſicorum text. 67. *Omnis motus, aut fit natura, aut vi.*

41 Sed quoad omnes partes breviter ſuadetur: in primis prædicti motus ſunt iuxta inclinationem poſitivam naturalem vniverſalem, quæ in rebus eſt præcipua ad obediendum agenti ſuperiori, & ad bonum totius; ſed denominatio ſimpliciter talis ſumitur ab eo, quod in rebus eſt præcipuum, & principalius: ergo motus, qui eſt iuxta inclinationem, naturalem vniverſalem creaturarum, eſt abſolute, & ſimpliciter naturalis. Quoad alias partes etiā conſtat, quia ſi motus eſt contra inclinationem particularem, rationi huius motu, ſit aliqualis reſiſtentia: ergo ſufficit ad violentiam ſaltim ſecundumquid: denique ſi motus, nec eſt iuxta, nec contra inclinationem particularem, nec ſupra illam, cum non ſit ſupernaturalis, erit præter inclinationem: ergo ſufficiet, vt ſit præternaturalis, ſaltim ſecundumquid.

Addimus in noſtra reſolutione non dari medium inter motum ſimpliciter naturalem, & ſimpliciter violentum in conſideratione phyſica, vt excludamus motum ſupernaturalē ſimpliciter,

qui alienus eſt ab iſta conſideratione & quamvis D.Thom.lib. 1.de Cœlo,lect.4.aſſerat, quod circulatio ignis,vel aeris *eſt quodammodo ſupra naturam*;intelligendus eſt,non de ſupernaturalitate quaſi Theologica, ſed de præternaturalitate phyſica,& adhuc de iſta inteligendus eſt non ſimpliciter,ſed ſolum ſecundúquid, cum illa circulatio non ſit præter inclinationem præcipuam ignis,vel aeris,ſed tantum præter inclinationem particularem vtriuſque.

ARTIC. III.

Quid ſit artificiale,& qualiter à naturali diſtinguatur.

42 AB hoc breviter nos expediemus;non licèt tamen illud omninò prętermittere cum aliqualis notitia artificialium conducat maximè ad pleniorem notitiam naturę, & rerum naturalium.

§. I.

Quid ſit artificiale?

43 ARtificiale ſolet ſic definiri: *Artificiale eſt, cuius principium eſt extra in ratione practica externam materiã diſponente*,hanc definitionẽ eſſe cõgruam conſtat,*Tum* quia artificiale dicitur ab arte;ſed ars definitur,quod ſit *recta ratio factibilium illis extrinſeca*:ergo artificiale eſt,cuius principium eſt extra in ratione practica operantis.

Tum quia in tali definitione habetur id per quod artificiale differt à violento,& naturali: à violento quidem;quia licet huius principium ſit extra,eſt tamẽ oppoſitum,& contrarium poſitivè inclinationi naturæ: artificiale verò,licèt habeat principium extra, non tamen naturæ opponitur, nec artificiale contrariatur naturali;ſed potiùs ars imitatur naturam,& tendit quã tum poteſt,ad hoc vt artificiale imitetur naturale:& ratio eſt D. Thomæ hic lect. 4. quia ars eſt cognitio,& ratio recta practica diſponens factibilia: ſed omnis noſtra cognitio eſt accepta à rebus naturalibus ſenſibilibus: ergo ad ſimilitudinem naturalium operamur in artificialibus.

Quod autem in prædicta definitione habeatur id per quod artificiale differt à naturali,nempè per hoc,quod principiũ artificialis eſt extra; naturalis verò principium eſt intra,cõſtat ex Philoſopho 12.metaphyſicę cap.3.tex.13.dicente: *ars igitur principium eſt in alio,natura verò principium in ipſo.*Conſtat etiã ex D.Tho.hic lect.14.in fine dicente:*In nullo enim alio natura ab arte videtur differre,niſi quia natura eſt principium intrinſecum; & ars eſt principium extrinſecum.*

Huius differentię ratio nulla alia aſsignari poteſt; niſi quia cõmunis conceptio omniũ nomine *naturæ* nihil aliud intelligit,niſi principium intrinſecũ mo-

motus eius, in quo eſt: nomine *artis*, nihil aliud intelligit, niſi rectam rationem dirigentem factibilia: ſed hæc recta ratio, quæ ars dicitur, non eſt in artefacto, ſed in artificè: ergo ex cōmuni conceptione natura eſt principium intrinſecū motus, ars vero principium extrinſecum.

44 Sed contra diffinitionem artificialis, & differentiam illius à naturali. Obijcies 1. Iuxta commune axioma, opus naturæ eſt opus intelligentiæ; ſed nō intelligentiæ, quæ ſit intrinſeca rei naturali: ergo intelligentiæ, quę ſit principium extrinſecum: ergo in hoc non differunt ars, & natura.

Reſpond. ex D. Thom. loco vltimo immediatè citato, vbi ſubdit: *Natura nihil eſt aliud, quā ratio cuiuſdam artis, ſcilicèt divinæ, indita rebus, quia ipſæ res moventur ad finem determinatum*; vnde opus naturæ, eſt opus intelligentiæ non creatæ, ſed divinæ, quæ licèt ſit extrinſeca rebus, ab illa derivantur principia intrinſeca motus, imò, & omnis natura: quod arti humanæ nequit convenire, vt paulo infra amplius videbimus.

45 Obijcies 2. Quam plurimæ formæ artificiales ſunt intrinſeca principia motus eius in quo eſt: ergo. Prob. antec. *Tùm* in arte citharizandi, quæ ſolum ordinatur ad motum eius in quo eſt. *Tùm* in forma navis, Plauſtri, & Rotarum, & vniverſaliter videmus corpora figuræ ſphęricę velotius moveri, quam figuræ quadratę, vel planæ. *Tùm* in motu horologij, in quibus omnibus forma, & diſpoſitia artificialis taliter eſt principium motus, quod ſi talis forma, vel diſpoſitio deficiat, ceſſat motus: ergo talis forma eſt principium intrinſecum.

Reſpond. quod in his omnibus forma, vel diſpoſitio artificialis tantum eſt principiū motus quoadmodum; nullatenus vero eſt principium illius quoad ſubſtantiam; motus enim citharizandi quoad ſubſtantiam vitalis eſt, proindeque à principio intrinſeco naturali vitali, ſed quod tali numero, aut ordine fiat, quod pertinet tantū ad modum motus, ab arte eſt: ſimiliter quod navis ſupernatet habet à natura ligni, nam ſi eſſet plumbea, vel ferrea, non nataret; quod vero velociter moveatur à ventis, habet à forma artis: idem dicēdum eſt de Rotis plauſtri, & vniverſaliter, figura circularis, aptior eſt ad velocitatē motus, quia habet partes magis vnitas; ac ſubinde magis aptas ad ſcindendum aerem: in horologijs verò rotæ moventur, vel à gravitate ponderis centrum naturaliter repetentis, vel à lamina Chalibea violenter complicata ſe paulatim explicante ordo vero, & duratio talis motus erit à forma, vel diſpoſitione artificiali.

§. II.

Vtrùm ars poſsit aliqua opera naturæ efficere?

46 RESolutio noſtra cū Divo Tho. varijs inlocis eſt: *Ars virtute propia tantum poteſt eſſe principium formæ accidentalis artificialis: virtute tamen agentium naturalium poteſt aliquas formas ſubſtantiales naturales inducere, tantum per modum conditionis applicantis activa paſsivis: licèt aliqua ſint naturalia, quæ adhuc hoc ſecundo modo per artem non poſsint fieri.*

Prima pars prob. ars creata ſupponit in artefacto ſubſtantiā, & naturam materię, quam artificialiter diſponit: ergo forma reſultās ex tali diſpoſitione artificiali eſt tantum accidentalis; cōſequētia videtur bona, quia forma ſuper veniens ſubſtantiæ, & naturæ conſtitutæ, ſolum poteſt eſſe accidentalis: ant. vero prob. intellectus creatus in hoc differt à divino, quod ille non eſt factivus ſubſtātiæ, & naturæ per idęā, & artem, bene tamē intellectus divinus: ergo ars creata ſupponit in artefactis ſubſtantiam, & naturam illorum.

Secunda etiam pars prob. *Tùm* quia virtus naturalis quātum ad applicationem, multoties ſubiacet arti: videmus enim, quod artificioſe miſcendo res naturales, fiunt quam plurimi effectus naturalis, vt ſanatio infirmorum, diverſi odores, & colores. *Tum* quia Dęmones qui comprehendunt virtutes naturales animaliū, herbarum, metalorum, & ſimiliū, & omnia hæc ſubijci poſſe illorum directioni, ex illis faciūt effectus mirabiles, vt in Ægypto fecerunt ſerpentes, ranas, & alia huiuſmodi: quod autē in his omnibus effectibus ars tantum concurrat per modum conditionis applicantis, conſtat: nam cauſæ, naturales talium effectuum, ſirè eo quod eis virtus aliqua naturalis ſupperadatur, ſed præciſè per hoc, quod earum virtus debitè applicetur, producunt tales effectus: ergo debite applicans non concurrit vt veri m efficiens, ſed tantum, vt conditio ad efficiendum; ſed arti tribuitur debitè applicare: ergo.

Vltima denique pars conſtat; quia nō repugnat, eſſe aliqua naturalia talis conditionis, vt in illis non poſsit ars invenire propria activa, & paſsiva, ex quibus formas ſubſtantiales inducat; vt de auro aſſerit D. Tho. in 2. diſt. 7. q. 3. art. 1. ad 5. vbi aſſerit: quòd Alchymiſtę faciunt aliquid ſimile auro, quantum ad accidentia exteriora, non tamen verum aurum: quia forma ſubſtātialis auri nequit fieri calore ignis, quo illi vtuntur, ſed ſolis in mineralibus; ſed an verū aurum fieri poſſit ſaltem arte Dęmonis, & quæ ſint naturæ, in quibus ars nō poſſit invenire propria activa, & paſſiva? Præſentis inſtituti non eſt.

QVÆſ.

QVÆST. IX.

De cauſis in communi.

LIcèt agere de cauſis in quantum huiuſmodi, ſit proprium Metaphyſici inſtituti, propriè etiam de illis agit Philoſophus naturalis; quia naturalium mutationum notio maximè per earum cauſas habetur: de cauſis incommuni in hac quæſtione, & de illis in particulari in ſequentibus agere intendimus.

ARTIC. I.

Quid, & quotuplex ſit cauſa?

1 AD quæſtionem *quid eſt*, nō niſi per quidditatiuā rei diffinitionē exactè reſponderi poſſe manifeſtiſsimè apparet; licèt nō ita manifeſte appareat diffinitio cauſę incommuni: in primis apud Philoſophum expreſſe nō habetur, quod cauſam præbuit pluribus Philoſophis, tàm antiquis, quam modernis, vt in hoc puncto quilibet pro ſuo libito opinari contēdat aliqui cauſam incommuni indefinibilem reputantes, & qui illā definibilem inveniunt, penè tot ad in venerunt definitione; quot ſunt capita: Primi quidem immerito cauſam incummuni à claſe diffinitorum excludunt: *Tū*, quia difficilime negari poteſt aliqua ratio cauſæ communis quatuor generibus cauſarum, quæ vnitatem ſaltem analogicam nō participet, quæ ſufficiēs ſit ad aliquam definitionē, vel ad minus deſcriptionem. *Tùm* quia *principiū* quid communius eſt, quā *cauſa*, vt infra dicemus, & illud incommuni diffinit Philoſoph. 5. Meth. vnde cauſam incōmuni definibilē eſſe admittentes, ad illius exactam definitionem explicandam procedamus.

§. I.

Exactior cauſæ definitio traditur, & explicatur.

2 INter multiplices cauſæ definitiones, quæ à Philoſophis, tàm Antiquis, quàm modernis, proferuntur; illa nobis exactior viſa eſt, quæ à D. Thom. traditur in q. 10. de Potentia art. 1. ad 3. & hic lect. 11. ſub his præciſsè terminis clauſa: *Cauſa eſt ad quam ſequitur aliud, vel eſſe alterius.* Vt congruentia verborum præſentis definitionis appareat prius videndum eſt, quid re ipſa ſit de conceptu cauſæ, iuxta communem ſenſum Philoſophorum, vt inde videatur, an totum illud præfatis verbis manifeſtetur ſufficienter.

3 *Primo* de conceptu cauſæ eſt, eſſe *principium*; hoc autem definit Philoſoph. 5. Met. & ibidem D. Th. lect. 1. *Principiū eſt vnde aliquid eſt*: vel clariùs.

D.Thom.1.part.quæſt.33.artic. 1.dicens: *Hoc nomen principium nihil aliud ſignificat, quam id à quo aliquid procedit*: cuius alia ratio aſsignari non poteſt, quam ex proprietate vocum, & communi ſapientium conceptione nihil aliud percipientiū nomine principij. Plura de principio diximus lib.1.q.2.art.1.

4 *Secundo* de conceptu cauſæ eſt influxus: pro quo adverte, quod influere in rigore ſoli cauſæ efficienti convenit, quia huius proprium eſt producere,& facere,ſicut ab illa proprie ſummitur denominatio *effectus*: communius tamen *influere* accipitur pro eo quod eſt aliquo modo dare,vel communicare alteri eſſe, quod quidem omni cauſæ convenire poteſt; quia omnes cauſæ eo tendunt, vt ponant in actu, quod erat in potētia,& eſſe eſt vltima actualitas omnis rei.

5 *Tertiò* de conceptu cauſæ eſt realis diſtinctio ab eo cuius eſt cauſa, quod colligitur ex requiſito immediato,quia nihil ſibi ipſi communicat eſſe,nec ſe ipſum cauſat:vnde D. Tho.q. 33. citata dicit,quod *cauſa exigit diverſitatem ſubſtantiæ ab effectu*; & idem inductione probat in 1. diſt. 29. quæſt.1.art.1.Quia omnis cauſa,vel eſt extra eſſentiam rei,vt efficiens, & finis;vel pars eſſentiæ,ſicut materia,& forma; quorum neutrum identitatem importat,

6 *Quartò* eſt de conceptu cauſæ dependentia cauſati ab illa,quod colligitur ex tertio requiſito: quia ſi cauſa in aliquo vero ſenſu cōmunicat eſſe cauſato,hoc in ſuo eſſe à cauſa dependere,eſt neceſſe.*Quintò* de ratione cauſæ eſt aliqua prioritas realis, quæ ex reali dependentia colligitur, & infra de illa agemus.*Denique* eſt de ratione cauſę, quod cauſatū,ab illa ſit limitatę, & finitæ perfectionis,quod ex dependentia non obſcure colligitur.

7 Omnia hæc recenſita eſſe de conceptu cauſæ (licet non omnia æque primo:ſed aliqua primario, vel vt primus, conceptus,alia vero ex cōſequēti)cōmunis fert ſenſus Philoſophorum:ſed qualiter omnia hęc, tàm inter ſe,quàm ad conſtituēdam cauſam comparētur videre reſtat: ratio principij comparatur ad cauſam tanquam genus, per quod cauſa convenit cum pluribus,quæ rationem cauſæ nō ſortiuntur:alia vero,quæ de cōceptu cauſę eſſe diximus,comparantur ad illā tanquam differētiæ,per quæ cauſa ab alijs, quę rationem principij, & non cauſę habent,differt.

Primùm conſtat:*Tùm* quia iuxta D. Thom. varijs in locis principium in plus eſt,quā cauſa, & communis ipſa: vnde omnis cauſa eſt principium, ſed non convertitur:verba ſunt D. Thomæ.*Tùm* quia terminus *à quo* motus eſt illius principium, punctū

eſt

eſt principium lineæ, mane eſt principiū diei, ac denique Pater in divinis eſt vere principium filij, quorum nulli vere convenit ratio cauſæ.

Secundum etiam conſtat: nam licèt ex termino *à quo* ſequatur motus, ſicut ex nocte dies, & ex vita mors, ſequela quaſi logica, vel ordinis, non vero ſequela phyſica, quam importat cauſa per verum influxum tribuentem novum eſſe, vel novum modum eſſendi: deinde licèt punctum principiet lineam, caret etiā vero influxu in illam tribuente eſſe: etiam mane principiat diem, ſed in illū non influit: ac denique Pater in divinis eſt vere principium filij, à quo differt cauſa per omnia, quæ de ratione cauſæ eſſe diximus, præter rationē principij; quia Patri deficit, *Tùm* ratio influxus tribuentis novum eſſe diſtinctum realiter à principio. *Tùm* dependentia principiati ab ipſo; *Tum* vera prioritas realis reſpectu filij: ac denique illi deficit, quod principiatum ſit limitatæ, & finitæ perfectionis.

8 Ex his colligitur qualiter omnia illa, quæ de conceptu differētiali cauſę eſſe diximus inter ſe comparētur; & dicimus, quod ratio influxus phyſici tribuētis novum eſſe, vel modum eſſendi; comparatur ad reliqua, tāquā differentiā primario cōſtituens cauſam; reliqua vero, tāquā differētiæ cōſequutæ ex primaria, & vt maior expreſsio illius.

Conſtat hoc, nam per influxum verum phyſicum tribuētem eſſe diſtinctum, differt cauſa ab alijs, quæ rationem cauſæ nō participant; ſed per dependentiam, prioritatem, & limitationem, vel nō differt cauſa ab omnibus, quæ non habent rationē cauſæ, vel ſi per illa tria differt, eſt in quantum ſupponunt verā rationē influxus phyſici tribuētis novū eſſe; ergo ratio talis influxus veri eſt primaria differentia conſtitutiva cauſæ Mai. conſtat; nam non erit aſsignabile aliquid, quod habeat influere phyſicè tribuendo eſſe novum, reale, diſtinctum, quod rationē cauſæ non participet; ac ſubinde per hoc cauſa differt ab alijs quę rationem cauſæ non participant.

Minor vero prob. quia in relatione repetitur limitatio, & depēdentia à ſuo termino: in motu reſpectu termini *à quo* eſt dependentia poſterioritas, & limitatio; humanitas reſpectu Perſonæ Verbi eſt limitata, & depēdens, quin nulli ex his ratio cauſæ conveniat; non alia ratione niſi quia terminis relationis, & motus, & perſonalitati reſpectu humanitatis deficit vera ratio influxus phyſici tribuentis eſſe: ergo per illa tria, vel non differt cauſa ab alijs vel ſi per illa differt eſt in quantum ſupponunt veram rationem influxus phyſici tribuentis eſſe reale diſtinctum.

9 Viſis his, quæ de con-

ceptu cauſæ ſunt iuxta commune placitum Philoſophorũ: reſtat videre, an omnia illa in definitione à nobis tradita contineantur, & per illius terminos exactius, quam per alios exprimātur? Reſpondemus affirmativè, prima pars probatur: noſtra definitio explicat exitum effectus à principio communicante eſſe diverſum; ex quo ſequitur dependentia, & limitatio effectus, & prioritas cauſæ: ſed nihil plus, vt vidimus eſt de conceptu cauſæ: ergo. Maior conſtabit probando ſecundam partem, in qua affirmamus, quod per terminos noſtræ definitionis melius, quam per terminos aliarum, totum illud exprimitur.

10 Referamus vnam, vel alteram definitionem, quæ communius acceptatur inter noſtros, & extraneos, vt cum noſtra definitione fiat comparatio: Mag. S.Thom. ſic cauſam definit: *Cauſa eſt principium alicuius per modum influxus, ſeu derivationis, ex qua natum eſt aliquid conſequi ſecundum dependentiam in eſſe.* Ab iſta parum differt illa, quæ traditur à Recētioribus Societatis: *Cauſa eſt principium influens, & communicans eſſe termino limitatæ perfectionis, & diſtincto realiter à ſuo principio*: congruentia harum definitionum videtur conſtare ex eo quod per terminos proprios exprimūt omne illud, quod de conceptu cauſæ eſſe diximus.

11 Sed contra illas obſtat: *Tum* quia definitio exacta debet eſſe breviſsima, & ſi poſsibile ſit, duobus tantum terminis conſtare debet, vt ex Boetio ſolet dici; in prędictis definitionibus potius habetur quædam circumlocutio, & expoſitio quidditatis cauſę, quam logica, & artificioſa definitio; nec licèt omnes voces, quibus terminos diffinitionum explicamus, inter particulas diffinitionũ intromittere: præterquā quod, poſt tot particulas additas adhuc indigent maiori, & vlteriori explicatione.

12 *Tùm* quia definitiones, cum ſint communes animi conceptiones, debent vocibus communibus exprimi, & ab opinionibus abſtrahere; ſed hec in noſtra definitione invenitur, non vero in reliquis: ergo noſtra eſt exactior. Prob. min. in primis nõ conſtat apud omnes, quod principiũ ſit communius, quàm cauſa, cum in aliquo ſenſu licèt non rigoroſo plures defendant, & cũ fundamento in D.Thom. principium, & cauſam dici convertibiliter: ergo aptius pro genere in diffinitione cauſæ, ponitur illa particula relativa, *ad quā*, quam principium.

Deinde, aptius vtimur illa vocè: *ſequitur*, quam illis vocibus *influens, vel influxus*, quia vox *ſequitur*, phyſicam emanationem cuiuslibet effectus incommuni declarat; aliæ vero voces in rigore, ſolum cauſæ efficienti conveniunt; ly *aliud*, vel poteſt ſummi-

mi in rigore, & ſic explicat diverſitatem in natura, & per hoc excluduntur perſonæ divinæ à ratione cauſati; quia in divinis non eſt aliud, & aliud, quamvis ſit alius, & alius; vt docet D. Thom. 1. p. q. 31. artic. 2. vel non faciendo vim in dictione neutra; vt eã non facit Div. Th. hic lect. 10. dicendo cauſam eſſe, *ad quam ſequitur eſſe alterius*: propter quod nos etiam in difinitione ponimus: *Aliud, vel eſſe alterius*. Ad deducendam diſtinctionem ſubſtãtialem, vel realem inter cauſam, & effectum; facimus vim in verbo *eſſe*: quia quæ differunt ſecundum eſſe realiter, vel ſubſtantialiter differunt, & in Deo non eſt niſi vnum eſſe, & vnica natura trium perſonarum.

Denique: *dependentia, & limitatio*, quæ in alijs diffinitionibus ponitur, & in noſtra omittitur rectitudinẽ noſtræ commendat: quia tales conceptus, vel nõ faciunt cauſam differre ab allijs, vel conſequuntur ex conceptu differentiali primario cauſæ, vt ſupra vidimus: ergo de primo ad vltimum habemus, quod noſtra definitio cõtinet omnia, quæ de quidditate cauſæ eſſe poſſunt: deinde illa exprimit per terminos, & voces aptiores ad logicè, & artificioſe diffiniendum: ac denique antiquitate, & auctoritate reliquas moderniores definitiones excedit: ergo reliquis eſt exactior cauſæ definitio. Nec contra illam, vt à nobis expoſitam, aliqua obiectio militare poteſt, quæ ex ſupradictis ſoluta non maneat.

§. II.

Cauſæ incommuni diviſio.

13 Reſolutio noſtra cõmunis, & vera eſt: quod quatuor tantum ſunt genera cauſarum, in quæ cauſa incommuni dividitur; nempè in finalem, efficientem, formalẽ, & materialem. Prob. 1. ex Philoſopho text. 68. iuxta expoſitionem Divi Thom. ibidem lect. 10. ſub hac forma: cauſa eſt ad quam ſequitur eſſe alterius; ſed eſſe cauſati cuiuslibet ad quatuor prædicta tantum ſequi poteſt: ergo genera cauſarum ſunt tantum quatuor prædicta. Prob. min. eſſe cauſatum, vel cõſideratur abſolute, & in ſe; & ſic cauſatur per formam, quæ abſolutè conſtituit in eſſe, vel conſideratur ſecundum quod de ente in potentia fit ens in actu, & ſic duplicem cauſam involvit, materiam ſcilicèt, quæ eſt in potentia, & efficientem, quę debet eſſe in actu, vt reducat materiam de potentia in actum, recipiendo illum; actio autem efficientis, ſicut ab aliquo determinato principio procedit, ita ad aliquid determinatũ tendit, ſivè intendit; id autem quod intendit, ſivè ad quod tendit actio efficientis, dicitur, & eſt cauſa finalis; ſed non plures cauſę requiruntur ad conſtitutionem rei cauſatæ in ſuo eſſe, &

& ſi quæ aliæ cōcurrunt ad iſtas ſunt reducibiles: ergo ſunt tātum quatuor genera cauſarum.

Prob. min. Nam licèt aliquo modo obiectum ſit cauſa ſcientiæ, idæa ſit cauſa domus, eſſentia cauſa proprietatum, ſerra cauſa feneſtræ; & fundamentum cauſa relationis: tamen obiectum reducitur ad cauſam formalem, quatenus ſaltem extrinſecè ſpeciem tribuit, & facit diſtinguere, quod eſt proprium formæ, vel ad cauſam finalem in aliquo ſenſu, quatenus ſcientia eſt propter obiectum: idea vt infra dicemus, etiam reducitur ad cauſam formalem, quatenus eſt ipſa rei forma extrinſecè in mente artificis exiſtens: eſſentiam reducitur ad cauſam efficientem, quatenus proprietates ab illa tāquā à fontali principio dimanant: inſtrumenta etiam, ad cauſam efficientem, à quibus ſaltem miniſterialiter primò incipit motus: ac denique de fundamento relationis idem dicimus ac de eſſentia: ergo.

14 Secundo, & breuius poteſt eadem ratio proponi: cuiuslibet effectus naturalis tantū poſſunt eſſe duæ cauſæ internæ, vna potentialis ex qua, & alia actualis qua fiat: prima eſt materia, ſecunda forma; ſed materia non eſt reducibilis ad actum formæ à ſe ipſa, quia potentiam ad actum non reducit niſi quod in actu præſupponitur, nec eſt reducibilis ab ipſa forma, aliàs forma à ſe ipſa eſſet in ſuo actu, ſi materiam ad ſuum actum reduceret, quod eſt falſum; quia nihil finitum à ſe ipſo fit in actu: ergo tantum eſt reducibilis ad actum formæ per cauſam extrinſecam efficientem; ſed cauſa efficiens non agit temere, ſed tendens in aliquid certum, quod eſt finis ſui, & operis per modum mouentis: ergo cuiuslibet effectus naturalis cauſæ tantum ſunt quatuor, duæ intrinſecæ materia & forma; duæ extrinſecæ efficiens, & finalis.

15 Sed obijcies ex Diu. Auguſt. lib. 83. quæſtionum: q. 28. dicente: *Quod omnis cauſa efficiens eſt.* Reſpond. vel quod loquutus fuit de cauſa ſtrictiſsima ſecūdum id à quo nomen cauſæ fuit impoſitum, nempè ab efficiendo, ſicut ab hoc etiam ſumptum eſt nomen effectus: *vel melius*: quod ibi *efficere* accipit pro eodem, ac vere influere: quod licèt rigoroſe, vt ſupra vidimus, ſumatur pro eo quod eſt facere, quod eſt proprium efficiētis: communis tamen, & vere, etiam ſummitur pro eo quod eſt dare eſſe, quod omni cauſæ cōuenit; vt videbimus de cauſis in particulari agentes.

16 Breuitati conſulentes pluſra ān præſenti omittimus, quæ hic late ab Auctoribus pertractātur. Omittimus 1. An prædicta diviſio ſit vnivoca: quia ſemel ſtatuendo, rationem cauſæ vere, &

& propriè cōvenire quatuor generibus cauſarum, parum, aut nihil refert ad exactam earum notitiam, quod ratio cauſæ de illis dicatur vnivocè, dummodo de illis ad minus dicatur analogicè, proportionaliter, & non purè metaphoricè: quod autem cauſa vère dicatur de omnibus, ſtatuemus agendo de qualibet illarum in particulari.

Omittimus 2. Sub, diviſiones cauſarum, quæ vſque ad duodecim recenſentur frequēter ab Auctoribus præcipuè Societatis, quia ferme omnes ſunt ſub diviſiones cauſæ efficientis; & cum de illa ex profeſſo agamus, neceſſarias eius diviſiones, & membra, abte, & clare exponemus: & idem ſi aliqua diviſio occurerit in alijs cauſis, agendo de illis in particulari, præſtabimus.

Omittimus deniquè in præſenti tractare de prioritate, dignitate, & alijs conditionibus ad cauſandū, & comparatione cauſarum inter ſe, & ad ſuos effectus; quia licèt omnia hæc ad cauſam incommuni pertineant, opportunius erit de omnibus his diſſerere, ſingulis generibus cauſarum ſigillatim expoſitis: quare omnia hæc ad quæſt. 13. reſervamus, vnum in præſenti omittere non licèt, quia ad pleniorem notitiam quidditatis cauſæ aliquātulum conducere iudicamus, nempè connexionem illius cum effectibus, vnde ſit.

ARTIC. II.

Vtrùm de conceptu cauſæ ſit connexio eam effectibus.

17 NOn dubitamus præſentem difficultatem incipientium captum excedere ad quorum inſtructionem, opus, & labor noſter præcipuè dirigitur; ad quod attendentes Auctores noſtri in phyſicis inſtitutionibus parum, aut nihil de connexione pertractant, nos igitur vſui, & methodo huius Univerſitatis conſulentes, aliquātulum in hoc puncto inſtruerā Diſcipulos neceſſarium indicavimus, ne inſcij penitus inveniantur in controverſijs, quæ apud Auctores Societatis in phyſica latiſsimè diſputari ſolent.

§. I.

Notabilia pro deciſione difficultatis.

18 Connectere idem ac ſimul nectere ſignificare videtur: vndè connexio idem, ac nexus, vel alligatio duorum, vel plurium exprimit; & ex terminis importat impotentiam de eo quod vnum extremum ſinè alio coextremo ſit; ſoletque etiā explicari per neceſſariā illationem vnius ex alio: vnde inquirere, an cauſæ connectantur cum effectibus, idem erit ac quærere; an cauſa ſit ita alligata ſuis effectibus, vt ipſis deficientibus, vel re-

pugnãtibus, cauſa deficiat, vel repugnet, & è cõtra? An vero talis nexus, vel aligatio ſit diſſolubilis.

16 Propter quod adverte; quod connexio poteſt eſſe, vel ſolum moralis, vel ſolũ naturalis; vel metaphyſica, & eſſentialis: cõnexio metaphyſica eſt, quam ſolvi contradictionem implicat; naturalis nequit immutari cõnaturaliter, benè tamẽ Deo miraculoſe operante: moralis eſt, quando nexus inter extrema, moraliter ſaltim ſolvi nõ poteſt: ſolum de metaphyſica, & eſſentiali connexione, fit ſermo in præſenti.

20 Deinde adverte, connexionem metaphyſicã eſſe duplicem: aliam mutuam, quando neutrum extremum, poteſt eſſe ſine coextremo; vt nexus inter Patrem, & Filium in divinis: aliam non mutuam, quando ſcilicèt, vnum extremum ſinè alio nequit exiſtere, bene tamen ècontra; talis eſt connexio creaturarũ exiſtentium cum Deo, ſine quo nequeũt exiſterẽ; bene tamen Deus ſine exiſtentia illarum.

Rurſus connexio metaphyſica mutua; alia poteſt dici à priori, illa ſcilicèt, quæ fundatur in continentia formali, eminentiali, vel virtuali vnius extremi in alio; alia poteſt dici à poſteriori; illa ſcilicèt, quæ fundatur; vel cõſiſtit independentia vnius extremi ab alio. hanc quærimus inter cauſas, & ſuos effectus: nec loqui de effectibus, vt præciſsè exiſtentibus; quia prout ſic, mutuò non connecti cum cauſis ad minus cum cauſa prima certum eſt: nec loquimur de cauſis vt in actu ſecundo cauſantibus de quibus infra; ſed de cauſis in actu primo, ſecundum ſuam virtutem formalem, vel radicalem; & de ſuis effectibus, vt poſſibilibus; an ſcilicèt ſi omnes, vel aliquis illorũ redderetur impoſſibilis, deficeret cauſa; vel an ſi deficeret cauſa, aliquis illorum, vel omnes manerent poſsibiles? In quo ſita eſt connexio, vel non connexio, mutua, vel non mutua cauſarum cum ſuis effectibus vt poſsibilibus.

21 Denique procedit difficultas de cauſa non ſolum creata, ſed increata, de qua licèt Theologicum ſit, & ad Theologos præcipuè ſpectet diſputare; hic etiã qua potuerimus brevitate, & claritate de cõnexione cauſæ primæ agemus; quæ non parum lucis præſtabit, vt connexionẽ cauſarũ ſecundarũ cum ſuis effectibus poſtea tradamus. Circa connexionem cauſæ primæ cũ ſuorum effectum poſsibilitate non eſt concors Philoſophorum, & Theologorum placitum: negant talẽ connexionẽ frequenter Scotiſtæ cum Scoto: cũ quibus Vazquez, Ripalda vterque Hurtado, Alarcon, Oviedo, Izquierdo, Alphonſo in Phyſica: & alij. Connexionẽ Dei cum poſsibilibus propugnãt omnes Thomiſtæ quibus adhærent ex Schola Societatis, quam

quam plurimi quos citant, & ſequuntur, Rivadeneyra, & Peynado.

§. II.

Concluſio ſtatuitur.

21 *CAuſa prima metaphyſicè connectitur cum poſsibilitate ſuorum effectuum taliter, vt omnibus, vel ſaltem aliquo illorum redditis impoſsibilibus; cauſa prima deficeret.* Prob. 1. Impoſsibile eſt, quod deficiēte prima cauſa, poſsibilia non deficiāt; & quod deficiētibus poſsibilibus, prima cauſa non deficiat: ergo prima cauſa metaphyſicè mutuo connectitur cum poſsibilitate ſuorū effectuū; ant. quoad primam videtur pluſquā evidens, quia poſsibilia ſunt talia, vel denominatione extrinſeca à cauſa potente illa producere, & pro vt ſic, poſsibilia deficere deficiente prima cauſa, eſt perſe notum; vel poſsibilitate abſoluta conſiſtente in habitudine terminorū non repugnantium; & prout ſic, etiā deficere, deficiēte prima cauſa, eſt manifeſtum: *Tùm* quia, vt vidimus agentes de conſtitutibo poſsibilitatis abſolutæ rerum, hæc identificatur cum prædicatis primę cauſę, ac ſubinde deficeret, deficiente prima cauſa.

Tùm quia, vt ibidem vidimus ex D. Thom. quidquid poteſt habere rationem entis, continetur ſub poſsibilibus abſolutis; ſed ablato primo ente, nihil poteſt habere rationē entis: ergo, nec poſsibilitatem abſolutam.

Tùm denique: nam poſsibile abſolutè eſt quod poteſt ſine cōtradictione exiſtere; ſed aliquid poſſe exiſtere deficiente prima cauſa, implicat contradictionē; quia implicat aliquid diſtinctum à Deo poſſe exiſtere à ſe. *Deinde*; implicat poſſe exiſtere ab alio deficiente prima cauſa; ac per cōſequens impoſsibile eſt, quod prima cauſa deficiēte, poſsibilia non deficiant; quod eſt prima pars primi antecedentis.

Secunda pars prob. deficientibus poſsibilibus deficeret Deo aliquod prædicatum nunc Deo cōveniens ab intrinſeco, & neceſſariò: ergo deficeret Deus. Prob. ant. poſſe producere poſsibilia nunc ex ſe ab intrinſeco, & neceſſariò convenit Deo; ſed hoc deficeret, deficientibus poſsibilibus: ergo. Mai. eſt evidens; nam poſſe producere poſsibilia convenit Deo ratione ſuæ infinitæ virtutis continentis omnē perfectionem poſsibilem, & illum cōſtituentis in ratione primæ, & vniverſaliſsimæ cauſæ, quæ omnia conveniunt Deo ab intrinſeco ex ſe, & neceſſariò. Iam prob. min. defacto Deo non convenit poſſe producere chymæram; ſed ſi poſsibilia deficerent, eſſent vt modo eſt chymæra: ergo deficeret Deo poſſe illa producere.

23 Dices: quod poſſe produ-

ducere poſsibilia, quod ex ſe ab intrinſeco, & neceſſariò convenit Deo, non eſt poſſe abſolutũ, ſed conditionatum, ſub cõditione ſcilicet, poſsibilitatis illorum; quod poſſe nõ deficeret, deficiẽtibus poſsibilibus; ſicut, & nunc non deficit Deo reſpectu chymæræ, ſub conditione quod eſſet poſsibilis.

24 Contra 1. Deo ab intrinſeco deficit poſſe, tàm abſolutè, quàm conditionatè producere impoſsibilia, formaliter vt talia, hoc eſt, in ſenſu cõpoſito ſuæ implicãtiæ: ſed chymæra, tã abſolutè, quàm cõditionatè implicat: ergo Deo deficit ab intrinſeco poſſe, ſivè abſolutum, ſivè cõditionatum ad illã producẽdam: ſed ſi poſsibilia deficerent, idem de illis, ac de chymęra diſcurrendum eſt: ergo ſi deficerẽt Deo, deficeret poſſe illa producere abſolutè, & conditionatè. Major cum minori ſub ſumpta cõſtat: min. principalis prob. in primis, quod chymæra nunc abſolutè implicet conſtat; quod etiam implicet cõditionatè prob. chymæra ſub cõditione ſuæ poſsibilitatis, vel maneret chymæra, vel non? Si *primum*: ergo adhuc ſub illa conditione implicaret, quia quod manet chymera, manet implicatorium. Si *Secundum*; ergo chymæra ſub illa cõditione non manet poſsibilis; quia quod nõ remanet pro caſu poſsibilitatis, nõ manet poſsibile: ſicut ſi caſu quo produceretur chymæra, nõ remaneret chymæra, hæc nõ produceretur, ſed aliquid aliud ab illa diſtinctum. *Deinde*: nam ſi tũc caſus nõ maneret chymæra: ergo tũc caſus eſſet maxima chymæra, quia caſus deſtruẽs eſſentiam rei, reddit illam chymęricam: ſicut caſus, in quo homo non eſſet homo, eſſet caſus, in quo homo eſſet chymæra.

Conf. Si Petrus, qui modo eſt poſsibilis, redderetur impoſsibilis, vel maneret idẽ Petrus, vel non? *Si hoc ſecundum*: ergo Petrus non maneret improducibilis à Deo. Prob. conſ. quia tantum manet improducibile, quod manet impoſsibile; ſed tunc caſus, non Petrus, ſed aliud à Petro, maneret impoſsibile: ergo non Petrus; ſed aliud à Petro eſſet improducibile. *Si dicatur primum*: ergo manerẽt eadem prædicata Petri, quæ modo habet: ergo maneret Petrus poſsibilis in ſenſu compoſito impoſsibilitatis ipſius, quod eſt pluſquam impoſsibile.

25 2. Efficaciter; caſu quo chymæra eſſet poſsibilis, vel haberet eadem prædicata, quę modo habet, vel alia diſtincta. *Si primum*: implicaret ſicut modo, quia modo implicat in prędicatis, quę habet modo. *Si ſecundum*: illa prędicata diſtincta vel nunc intrinſecè pręcontinentur in Deo; vel licèt nunc non contineantur, continerẽtur tunc caſus; vel nec nunc, nec tunc continerentur in Deo. Si dicatur *primum*; talia prędicata, vel dicunt per-

perfectionem, vel non? Si dicunt; ergo Deus defacto poterit chymerã producere; quia poteſt de facto producere, quidquid dicit perfectionem, & defacto continetur in ipſo: ſi non dicunt perfectionem: ergo Deus defacto intrinſecè continet prædicata nullam dicentia perfectionem, quod abſurdũ eſt, ſicut, & quod illa producat.

Si dicatur *ſecundum*: nempè quod nunc non continet illa prædicata, contineret tamen tũc caſu: ergo caſu quo chymæra eſſet poſsibilis, Deus intrinſecè mutaretur: quia intrinſecè præcontineret prædicata, quæ nunc intrinſecè non præcontinet, ac ſubinde Deus deficeret, quia Deus intrinſecè mutabilis eſt, Deus intrinſecè defectibilis: ex quo vlterius infertur, in caſu poſsibilitatis chymæræ intrinſecè variari Deũ, & nõ præcisè cõnotatum extrinſecũ, vt aliqui adverſarij intendunt; cum variaretur eius intrinſeca continentia: *Si denique* dicatur vltimũ: ergo ſicut Deus defacto non poteſt producere chymærã, nec in illa hypotheſi; quia Deus in nulla hypotheſi producere poteſt, quod in nulla hypotheſi præcõtinet intrinſecè: ac ſubinde in illa hypotheſi chymæra eſſet poſsibilis, & à Deo improducibilis; quod eſt pluſquã chymæra.

26 Denique impugnatur illa ſolutio: potentia, quæ poteſt impediri, ne poſsit producere effectũ, quem continet, ab aliquo extra ſe, & ex ipſa non orto eſt potẽtia ex terminis imperfecta, & Deo repugnans: talis eſt potentia conditionata datæ ſolutionis: ergo. Min. conſtat: nam iuxta illam Deus poteſt impediri, ne poſsit producere poſsibilia, quę cõtinet, ab eorum impoſsibilitate cõditionatã, quæ extra Deũ eſt & ex ipſo non oritur: mai. prob. *Tùm* quia indigere aliquo ad actu operandũ non orto ex cauſa operãte arguit imperfectionem, & ſubordinationem operantis ad aliquid extra ſe; ergo multo magis indigere aliquo ad poſſe operari.

Tùm, quia potentia conditionata ſub conditione ſimul necesſaria, & impoſsibili, eſt potẽtia chymærica; talis eſt quæ à cõtrarijs adſtruitur in Deo reſpectu poſsibilium: ergo: prob. min. cõditio à qua Deus dependet, vt poſſit abſolutè producere Petrũ, & chymærã, eſt poſsibilitas vtriuſque; ſed poſsibilitas Petri eſt neceſſaria, vt latè probavimus agẽtes de rerũ poſsibilitate, poſsibilitas vero chymærę eſt impoſsibilis; vt immediatè ante monſtravimus, quia impoſsibile non repugnare, impoſsibile eſt: ergo.

27 Denique prob. concluſ. deficientibus poſsibilibus deficeret eorum poſsibilitas: ergo deficeret Deus. Prob. conſeq. poſſibilitas rerum adæquatè identificatur cum Deo (loquimur de poſſibilitate neceſſaria, cũ qua Deũ

connecti intendimus) ergo illa deficiente, Deus deficeret: Antecedens prob. Poſsibilitas rerū, vel eſt abſoluta, cōſiſtēs in habitudine terminorum non repugnantium: & hanc non cum ipſis poſsibilibus, ſed cum Deo idētificari, late ſupra probavimus: vel eſt reſpectiva, ſeu extrinſeca, & hanc adæquatè in omnipotentia conſiſtere, prob. Quia denominatio extrinſeca poſsibilis adæquatè ſummitur ab eo, à quo Deus conſtituitur adæquatè potens producere poſsibilia; ſed adæquatè conſtituitur potēs à ſua omnipotentia; aliàs attributum Dei conſtitueretur ſaltim adæquatè per aliquid extra Deū: ergo.

§. III.
Solvuntur obiectiones.

28 OBijcies 1. Cauſa inconnexa cum poſsibilitate ſuorum effectuum perfectior eſt, quam connexa; ſed cauſa prima debet adſtrui perfectiſsima: ergo inconnexa. Probat. mai. 1. cauſa inconnexa cōtinet ad minus omne, quod cōtinet connexa: aliàs hæc deficit in caſu, quo illa permanet: ergo illa eſt perfectior. 2. Cauſa plus potēs producere, perfectior eſt, ſed cauſa prima inconnexa poteſt producere poſsibilia, & impoſsibilia, ſaltim conditionatè: connexa verò ſolum poteſt producere poſsibilia: ergo.

3. Cauſa inconnexa eſt impotens ad chymæram, non ex defectu virtutis, ſed ex defectu cōditionis ex parte termini; cauſa vero cōnexa, eſt impotens ex parte vtriuſque: ergo inconnexa perfectior eſt. *Deinde*: cauſa connexa in ſuo eſſe dependet à termino connexionis, cum ſine illo non poſsit ſubſiſtere cauſa vero inconnexa eſt omninò independens: ergo.

29 Reſpondetur ex dictis ſupra. Quod prędicata divina ſunt perfectiſsima in linea veræ perfectionis, non chymæricę, qualis eſſet perfectio cauſæ primæ inconnexæ, vnde neg. mai. ad illius primam prob. in primis falſum eſt, cauſam inconnexam continere omne, quod connexa; cum negemus veram continentiam ſine cōnexione: etſi ab arguente hoc ſupponitur, ſupponitur implicans, ex quo ſequitur quodvis.

Sed adhuc ſuppoſita continentia, & inconnexione: perfectior eſt continentia connexa, quam inconnexa: quia vt ſupra diximus, inconnexa indiget aliquo extra ſe ad conſtituendam cauſam abſolutè potētem, quod imperfectionem arguit in cauſa: continentia vero connexa ab intrinſeco affert poſsibilitatē effectis, ac ſubinde nullo extra ſe indiget, vt poſsit illum abſolutè producere: vnde quamvis deficiente effectu poſsibili ipſa deficiat, deficeret quidem defectu ali-

licuius ex ſuis intrinſecis orto, & intellecto prius defectu ſui, quam defectu ſui effectus.

Vnde in forma diſting. min. Cauſa connexa defficit, cū inconnexa permanet; & deficit connexa per defectum alterius à ſe, quaſi à priori, nego min. Per ſui defectum, ex quo infertur à priori defectus poſsibilium, cōcedo min. quamvis enim in tali caſu ſupponatur permanens cauſa inconnexa, ſupponitur permanentia chymærica non arguens perfectionem, ſicut ſi ſupponatur aliquem Deum permanere in caſu defectus veri Dei, non infertur eſſe aliquem Deum perfectiorem vero Deo.

Ad 2. dato, quod cauſa inconnexa poſsit plus producere, quam connexa, non infertur inconnexam eſſe perfectiorem cōnexa. *Tùm* quia eſſet plus poſſe chymæricum, & hoc perfectionem non dicit. *Tùm* quia ille exceſſus virtutis in cauſa inconnexa eſſet dependens ad producendum ab aliquo extra ſe ex intrinſecis cauſæ nō orto, quod imperfectio eſt, per quod patet ad 3.

Ad vlimam nego antec. quoad vtramque partē, imò oppoſitum eſt verum, nempè cauſam inconnexam dependere ab aliquo extra ſe, vt immediatè diximus: cauſam vero connexam à nullo dependere. *Tùm* quia vt in notabilibus diximus, cōnexio alia eſt à priori fundata in continentia vnius extremi in alio, & hæc non infert dependentiam extremi continentis à contento; ſed potius è contra. *Tùm* quia cōnexio poteſt fundari, vel in indigentia, vel in fœcunditate: Prima cum conſiſtat in eo, quod aliquid non poſsit à ſe, & in ſe eſſe, niſi ab alio à quo habet eſſe, & conſervatur, in quo dependentia conſiſtit, eſt connexio ſimul, & dependentia: Secunda vero cum fundetur in ſumma perfectione, vel vtriuſque extremi (vt cōnexio, quæ datur inter naturam divinam, & perſonas, & inter ipſas perſonas) vel alicuius extremi, cuius ſumma perfectio per ſui communicabilitatem cōpletur, quæ petit poſsibilem eſſe terminum cui cūmunicetur (vt connexio, quæ datur inter Deū, & poſsibilia) fit vt talis connexio ſalvari poſsit ſinè dependentia, vel vtriuſque extremi, vel ad minus ſinè dependentia vnius.

Præterquamquod, licèt Deus non poſsit ſubſiſtere ſinè poſsibilibus, non infertur, quod indigeat in ſuo eſſe aliquo extra ſe, & ex ſe ipſo non orto: ſed ſolum infertur, indigere ſe ipſo, vt inferente poſsibilia, quæ deficere non poſſunt, niſi prius Deus deficiat. Vnde deficiente termino fœcunditatis aliquid perfectionis Dei deficeret, non quia ipſe terminus ſit perfectio Dei, ſed quia deficeret fæcunditas, quæ perfectio Dei eſt, & ſic vt ſubſiſtat Deus indiget ſui fæcunditate, non termino illius.

Obiije

30 Obiicies 2. Connexio Dei, vel eſt cum rebus, quæ dicuntur poſsibiles, vel cum earũ poſsibilitate; ſi primũ falſum eſt: quia res, quæ ſunt poſsibiles in ſe ipſis nihil ſunt, & Deus cum nihilo connecti non poteſt: præter quam quod ſequeretur poſſe Deum connecti cum chymæra, quæ non eſt minus nihil; quam parè poſsibilia; ſi dicatur ſecundum: ergo Deus connectitur cũ ſe ipſo, non cũ poſsibilibus; quia poſsibilitatem, tàm abſolutam, quàm relatam, & extrinſecam, identificamus cum Deo.

Reſp. Deum connecti cum rebus poſsibilibus: ad quod non requiritur, quod ſint aliquid in ſe ipſis, ſed quod poſsint eſſe aliquid. Vnde Deus nequit cõnecti cum nihilo, tàm actu, quàm poſſibiliter, quale eſt chymæra (ſaltim poſitivè, quia negativè, vel logicè, etiám cõnectitur cũ chymera; quatenùs ipſe Deus, eſt fundamentum impoſsibilitatis chymæræ) poteſt tamen, & de facto cõnectitur cum eo, quod actu eſt nihil, & poſsibiliter aliquid: vnde ſicut poſsibilia quãvis nihil ſint, de facto terminant ſcientiam neceſſariam Dei, ita, & terminant connexionem.

31 Obiicies 3. Magis neceſſarium nequit connecti metaphyſicè cũ minus neceſſariò; ſed quamvis poſsibilia ſint neceſſaria, magis neceſſaria eſt prima cauſa, à qua omnis neceſsitas derivatur, & propter quod vnumquodque tale, & illud magis: ergo.

Inſto 1. In veritate principiorum connexa cũ veritate cõcluſionum quin obſtet, quod cõcluſiò ſit minus vera, cùm ſit vera propter veritatem principiorum, ac ſubinde horum veritas magis neceſſaria. *Inſto* 2. In ſententia contrariorum, qui negare non poſſunt omnipotentiam eſſe determinatam ad continendum hominem ſub conditione poſsibilitatis illius; ac ſubinde cõditionatè ad minus eſt connexa cum paſsiva continentia hominis, quin obſtet, quod continentia activa ſit magis neceſſaria, quam paſsiva, quia activá eſt divina, & paſsiva aliquid creatum, vel creabile.

31 Denique obiicies: defectus poſsibilium infert potius exiſtentiam primæ cauſæ: ergo hæc cum illis non eſt connexa. Antecedens prob. 1. bene valet: *Vel prima cauſa eſt, vel creaturæ ſunt poſsibiles; ſed creaturæ non ſunt poſsibiles: ergo prima cauſa eſt*, à diſiunctiva, cum negatione vnius partis ad poſitionem alterius.

2. Permanere primam cauſam deficiẽte aliquó poſsibili, eſt iuxta nos impoſsibile; ſed ſi hoc impoſsibile fieret poſsibile, maneret prima cauſa: ergo etiã maneret, ſi aliquod poſsibile fieret impoſsibile, cum non ſit apud nos, maior ratio vnius, quam alterius. Prob. min. impoſsibile, quod nos iudicamus, ſi fieret poſſi-

ſibile eſſet poſsibile, quod iudicāt adverſarij; ſed iſti iudicant permanere primam : cauſam, deficientibus poſsibilibus: ergo.

33 Facile reſpond. detegendo ſophiſma: neg. primum antec. ad 1. prob. inſto: *Vel Deus eſt, vel omnipotens eſt, ſed omnipotens non eſt: ergo Deus eſt*, & idem de Deo, & quolibet eius prædicato, poteſt diſcurri, quin valeat conſequentia, à disiunctiva cum negatione vnius partis ad poſitionem alterius, quando disiunctiva conſtat ex partibus inter ſe connexis, ita vt negatio vnius ſit formalis, vel virtualis negatio alterius, vt in caſu noſtro, & in inſtantijs contingit : quare dicimus, iſtum locum, ſeu modum arguendi, tunc tenere, quando disiunctiva eſt vera, & conſtat ex partibus, ita in connexis, vt negatio vnius, non ſit formalis, vel virtualis negatio alterius : vt ſi hæc eſt vera: *Vel Petrus ſedet, vel diſputat*, & negatur Petrum diſputare, neceſſariò debet eſſe verum, ſedere.

Ad 2. inſtatur etiam manifeſte in contraria ſententia, in qua noſtra ſententia eſt aliquod impoſsibile, quod ſi redderetur poſsibile, neceſſariò deficeret prima cauſa, deficiente aliquo poſsibili: vnde diſting. min. maneret prima cauſa, & non maneret, conced. min. Maneret tātum, nego min. Maneret tunc caſus, vt ſupponitur, non maneret, quia careret prædicatis ſibi eſſentialibus quare prima cauſa tunc caſus manens eſſet chymærica, & illud poſsibile, quod tunc caſus ſupponitur, eſſet chymæricum: quia à prima cauſa chymarica nihil eſt poſsibile, niſi chymæricum.

Pene innumera ſunt argumenta, & plura ſophiſmate, quæ contra concluſionem poſſunt opponi: ſicut & illa poteſt pluribus rationibus roborari, à quibus abſtinemus ea reſervātes ad Theologiam. Sufficiant hęc pro captu incipientium, & tyronum exercitatione.

§. IV.

De connexione cauſæ creatæ.

34 Loquimur de cauſa pure naturali : nam de cauſa obedientiali reſpectivè ad effectus, quos virtute aliena poteſt continere, & producere (licèt quid dicendum ſit, nō obſcure colligatur ex his, quę modo dicemus) dependet ex alijs principijs, quę in pręſenti examinare non vacat. Varie in hoc puncto opinantur Auctores : alij omni cauſę creatę negant connexionem cum poſsibilitate ſuorū effectuum: vt Oviedo, & Suarez, Luſit. alij omni cauſę purè naturali connexionem concedunt, negant tamen illam cauſę obedientiali reſpectivè ad effectus ſupernaturales, quos vt elevata poteſt producere: vt Ripalda : alij cum Quiros, cauſis adęquatis viden-

dentur cõnexionem concedere; negant tamen illam cauſis inadę quatis, cuiuſcumque ſint conditionis.

Alij connexionem eſſentialem admittunt in cauſis naturalibus cum ratione formali, in qua omnes effectus tali cauſæ conveniunt non vero cum ſingulis individuis; vnde aiunt, quod quolibet repugnante, dum maneat vnum, in quo ſalvetur ratio formalis obiecti talis cauſæ, non id circò impoſsibilis redditur talis cauſa: ita Mag. Prado in phyſica: alij connexionem admittunt in quavis cauſa creata cum poſsibilitate ſuorum effectuum: ita Suarez, Vazq. Conimb. Tholetus, Carleton, & alij plures.

35. *Concluſio eſt*: Cauſa naturalis creata metaphyſicè cõnectitur cum poſsibilitate ſuorum effectuũ, ita vt ſi aliquis redderetur impoſsibilis deficeret ipſa cauſa: hæc conformior eſt principijs ſupra ſtatutis D. Thom. & Thomiſtarum. Probant illam Docti Recentiores ex eo quod omnis cauſa creata connectitur metaphyſicè cum exiſtentia Dei; ſed Deus connectitur metaphyſicè cum poſsibilitate omnium effectuum cuiuſcumque cauſæ creatæ: ergo.

Hæc ratio licet verum contineat, & ſit illatio ex doctrina tradita in præcedenti concluſione: infert tamen connexionem non ſolum cauſarũ cum ſuis effectibus, ſed cum effectibus aliarum cauſarum, quos nec præcontinent, nec poſſunt cauſare, & connexionem cauſarum inter ſe, & effectuum inter ſe; immo, & omniũ poſsibilium inter ſe, eũ omnia hæc metaphyſicè cõnectãtur cum exiſtentia Dei, quę cõnexio valde remota eſt, & parum vtilis ad cognoſcendã propriam rationem, & conceptum cauſæ; propter quod vnice hanc controverſiam de connexionibus in præſenti intromittimus.

36. Prob. concluſ. hac ratione: variata eſſentialiter cauſa naturali, ipſam deficere neceſſe eſt; ſed ſi aliquis eius effectus redderetur impoſsibilis, variaretur eſſentialiter cauſa naturalis: ergo omnis cauſa creata naturalis connectitur eſſentialiter cũ ſuis effectibus, ita vt quolibet deficiente, vt poſsibili, ipſa deficiat. Prob. min. variata eſſentialiter virtute radicali cauſæ, neceſſe eſt ipſam variari eſſentialiter; ſed ſi aliquis eius effectus redderetur impoſsibilis, variaretur eſſentialiter virtus radicalis cauſæ: ergo. Minor eſt certa: quia virtus radicalis cauſæ eſt ipſa forma, qua in ſuo eſſe eſſentialiter conſtituitur, iuxta cuius perfectionem metiri debet perfectio cauſæ, & virtus ad producendos effectus.

Minor vero probatur. Virtus radicalis nequit non variari eſſentialiter, ſi modo ei aliquid eſſentialiter repugnet, quod antea ei non repugnabat; ſed ſi-

al-

aliquis eius effectus antea poſſibilis modo redderetur impoſſibilis, aliquid ei modo repugnaret eſſentialiter, quod antea ei non repugnabat: ergo. Prob. min. Repugnat eſsētialiter cuivis cauſæ virtus radicalis, vel proxima ad effectum implicantem in terminis, & abſolutè impoſſibilē: ſed ſi effectus antea poſsibilis modo redderetur impoſsibilis; modo implicaret in terminis, & eſſet abſolute impoſſibilis: ergo modo repugnaret eſſentialiter cauſæ virtus radicalis, vel proxima ad illum, quæ antea cauſæ nō repugnabat, ſed potius ei eſſentialiter conveniebat.

37 Hæc ratio ſemper videtur efficaciſsima, & à priori, pro ſtabilenda connexione cuiuſvis cauſæ cū poſsibilitate ſuorum effectuum, cum ſummatur ex his, quæ cauſam in ratione cauſæ primo, & eſſentialiter cōſtituunt. Solutiones, quę huic rationi poſſunt adhiberi, reijci, & impugnari poſſunt ex his, quæ pro connexione cauſæ primæ cū poſſibilibus adduximus: vnū, vel alterum argumentum contra illam proponemus, vt illorum ſolutione vis rationis magis clareſcat.

§. V.

Argumenta ſolvuntur.

38 OBijcies: ſine eſſentiali variatione cauſæ creatæ poteſt eius virtus terminari ad aliquid impoſſibile ſub conditione, quod eſſet poſſibile: ergo neque variaretur eſſentialiter, ſi aliquis eius effectus poſſibilis redderetur impoſſibilis: conſequentia conſtat, quia militat eadem ratio, & prob. antecd. in potentia viſiva datur ſufficiens virtus ad videndum Angelum ſub conditione, quod eſſet coloratus; & tamen videri Angelum eſt abſolute impoſſibile: ergo.

Confirm. cauſa, vel virtus ſolum variatur eſſentialiter per variationem terminis formalis, à quo ſpecificatur; ſed variatió aliquo effectu particulari de poſſibili in impoſſibilem, ſolum eſſet variatio in termino materiali, & quaſi ſecundario: ergo.

Confirm. 2. Etiam ſi deficeret aliqua creatura, ad quam viſio beatifica terminatur ſecūdario: non variaretur talis viſio; non alia ratione, niſi quia eſt terminus illius materialis, & ſecundarius: ergo.

39 Reſp. neg. antec. ad prob. negatur mai. quia ſolum poteſt dari virtus in cauſis cōditionata, ſub conditione modo non repugnante: ſicut in igne exiſtente Compluti datur nunc virtus ad calefaciendum. Toletam ſub cōditione, quod illi applicaretur; quia eſt cōditio ex terminis modo non repugnans; conditio coloris in Angelo modo repugnat, & licèt ex terminis, color vt ſic modo non repugnet, repugnat modo ex terminis talis

ior ab Angelo individuatus; & ſe ad illum videndum modo nō datur virtus, quamvis ponatur conditio, quod eſſet coloratus, quia modo non datur virtus in potētia viſiva, vt terminetur ad colorem chymæricum.

Ad 1. confirm. diſting. mai. ſolum variatur eſſentialiter, quaſi à priori per variationē termini formalis ſpecificativi, cōcedo mai. à poſteriori, & arguitivè, nego mai. variatio eſſentialis per id quod tribuit ſpeciem, eſt variatio à priori; variatio per id, quod licèt nō ſpecificet cauſam, præcontinetur tamen in virtute illius, eſt variatio virtutis ſaltim arguitivè; & cum virtus radicalis ſit forma, per quā agens conſtituitur, nequit illa variari iſta non variata; ſicut Deus non accipit ſpeciem à poſsibilibus, nec in communi, nec in particulari, & tamen vt probevimus, defectus vnius tantum infert à poſteriori defectum Dei.

Pro ſolutione 2. confirm. adverte: quod potentia, vel virtus alia eſt, quæ efficit ſuum terminum, & in illo aliquid intrinſecum ponit: alia eſt ſolum extrinſecè denominans terminum ponens ſolum in illo extrinſecam denominationem, quæ virtutes in hoc differunt: quod in prima, defectus termini, & ſi materialis, & ſecundarij, arguit defectum virtutis in ipſa: non vero defectus termini materialis, & ſecundarij ſecundæ virtutis. *Primum* conſtat: quia tunc terminus quamvis materialis, & ſecūdarius, dependet intrinſecè à virtute, & in illa continetur, & ſic impoſsibilitas talis termini provenit ex defectu continentiæ in virtute, & hic defectus arguit defectum in virtute.

Secundum etiam coſtat; quia tunc caſus nec terminus pendet intrinſecè, & eſſentialiter à uirtute, cū hæc in termino nihil intrinſecum ponat: nec virtus à tali termino (cum ſupponamus eſſe ſecundarium) nec ſpecificatur, nec dependet: primi generis ſunt omnes cauſæ, & virtutes productivæ ſecundi generis eſt viſio beatifica: per quod habes diſparitatem, & ſolutionem ſecumdæ confirmationis.

40 Sed inſtas 1. Potentia viſiva comparatur ad ſuum terminum ſolum, vt extrinſecè denominans: & tamen repugnante aliquo termino materiali illius, illa deficeret: ergo. Prob. min. Repugnaret actus viſionis ad talem terminum materialē, qui actus in virtute potentiæ viſivæ continetur: ergo.

Inſtas 2. Petrus futurus eſt terminus non effectus, ſed ſolum extrinſecè denominatus à decreto; & tamen deficiente Petro futuro, deficeret decretum in noſtris pricipijs: ergo.

Ad 1. reſpond. quod noſtra doctrina procedit de virtute pure extrinſecè reſpiciente terminum ſecundarium, ea præciſè ra-

ratione, qua illum extrinſecè reſpicit ſine indigentia novi actus; ſed præciſè per ſecundariam terminationẽ eiuſdem actus primarij, vt in viſione beatifica reſpectu creaturarum: terminus vero materialis & ſecundarius potentiæ viſivæ, & ſi reſpectu potentiæ ſit materialis, non ſpecificans, & extrinſecè denominatur, eſt tamen primarius ſpecificans actum, ad quem potentia compararatur, vt efficiens, & ex illius repugnantia ſequeretur defectus potentiæ; ſicut ex repugnantia cuiuslibet effectus ſequitur defectus cauſæ.

Ad 1. reſpond. quod decretum, licèt non ſit efficiens futuritionem, eſt tamen efficiens futurum; vnde futurum non eſt terminus purè denominatus, ſed etiam effectus. 2. *Reſpond.* quod Petrus futurus eſt terminus primarius (non ſpecificans) imò, & vnicus decreti terminari ad ipſum, vnde non mirum, quod ex defectu Petri futuri deficiat decretum.

QVÆST. X.

De cauſis intrinſecis, & exemplari.

1 CAuſas intrinſecas vocamus materialem, & formalem, & quia huic ſecundæ valde affinis eſt cauſa exemplaris, vt videbimus infra, de illa in hac quæſtione agere intendimus.

ARTIC. I.

Vtrùm materia ſit vera cauſa?

PRo noticia materiæ, & formæ ſub formalitate cauſæ, parum reſtat addendũ ad ea, quæ de illis ſub formalitate principij entis naturalis, partis totius, & de earum vnione tradidimus, lib. 1. Formalitas cauſæ inter alia, tria præcipue importat: id quo conſtituitur potens in actu primo cauſare, à quo ſummitur denominatio cauſæ: id quo in actu ſecundo cauſat, quod denominatur cauſalitas: & effectus cauſatus. Hæc tria breviter de materia differemus, & iuxta modũ, quo invenerimus illi cõvenire, reſolvemus, quod quærimus in titulo: An ſcilicèt materia ſit vera cauſa?

§. I.

Explicatur vis cauſativa, cauſalitas, & effectus cauſæ materialis.

2 PRima Concluſio. *Vis cauſativa conſtitues cauſam materialem in actu primo conſiſtit in ratione potentiæ ſuſceptivæ formarum.* Prob. materia per ſuam entitatem, & eſſentiam habet vim cauſandi; ſed entitas Phyſica, & eſſentia metaphyſica materiæ cõſiſtit in ratione potentiæ ſuſceptivæ formarũ, vt vidimus lib. 1. artic. 2. ergo. Prob. mai. materia per ſuammet entitatem, & eſſentiam eſt pars materialis cõpo-

poſsibili naturalis;ſed ratio cauſę intrinſecè materialis cōvenit illi inquantum pars materialis compoſiti naturalis: ergo.

3 Ex quo inferes, quod eadem diffinitio materiæ in quā tum partis compoſiti naturalis eſt, quæ diffinitur, in quantum cauſa materialis: *Nempè primum ſubiectum ex quo fit aliquid cum inſit.*

Ex quo fit aliquid, ponitur ad denotandum vim cauſativam materiæ, vt diſtinctę ab alijs cauſis: Nam efficiens eſt à qua aliquid fit; finalis propter quam fit, formalis per quam fit; exemplaris ad cuius inſtar fit: *cum inſit* ponitur ad denotandam permanentiam cauſæ materialis in cōpoſito, quod eſt effectus eius; per quod differt à privatione, ex qua licèt fiat aliquid, ſed non tāquam ex eo, quod ineſt, & permanet, quia tranſit privatio, & ſubdit forma.

4 Secunda Concluſio: *Cauſalitas materiæ nihil reale ſuperaddit ipſius entitate, & conſiſtit in ſubiectione ad formam, vel huius paſſiva receptione, quæ materializatio vocatur*: Prima pars eſt fere omnium, qui nobiſcum negant vnionem materiæ, & formę incompoſito ſubſtantiali diſtingui realiter ab extremis vnitis, ac ſubindè eiſdem rationibus ſuaderi poteſt: quare nunc breviter ſuadetur; cauſalitas materię, vt immediatè probavimus, cōſiſtit in eo, quod materia formam recipiat, & illi ſubijciatur, ſed hoc habet materia per ſuammet entitatem: ergo non per aliquid ipſius entitati ſuperadditum. Prob. min. Materia per ſui ſubiectionem ad formam, & huius paſsivam receptionem conſtituitur in ratione partis intrinſecę actualis compoſiti; ſed eſſe partem intrinſecam actualem compoſiti, habet materia per ſuammet entitatem: ergo. Minor conſtat: Nam ratio partis intrinſecè materialis in actu primo conſiſtit in eo, quod ſit ſuſceptiva formę, & huic ſubijcibilis, vt diximus precedenti concluſione; & conſequenter, eſſe partem intrinſecam materialem in actu ſecundo, conſiſtet in paſsiva ſuſceptione formę, & actuali ſubiectione ad illam. Minor vero prob. Si eſſe partem intrinſecam in actu ſecundo, habet materia ratione alicuius ſuperadditi ipſius entitati, haberet ratione alicuius ipſi accidentalis: ergo compoſitum in actu eſſet compoſitum accidentale, vtpote conſtans ex partibus actualibus accidentaliter.

Secunda pars concluſionis etiam conſtat: *Tum* quia cauſalitas materialis eſt id, quo tanquam ratione formali, materia cauſat materialiter ſuos effectus; ſed ratio formalis cauſandi materialiter in actu ſecundo effectus materiæ eſt eius ſubiectio ad formam, & huius paſsiva

va receptio:ergo in hoc conſiſtit cauſalitas materiæ. Mai. conſtat in cæteris cauſis; cauſalitas efficientis eſt, id quo tamquam ratione formali agens agit: & cauſalitas formæ id quo tamquam ratione formali, forma informat: ergo cauſalitas materię, erit id, quo tanquam ratione formali, materia materializat: ſed ratio formalis materializandi eſt ratio formalis recipiendi, & ſubijciendi ſe per modum potentiæ, & ſubiecti: ergo in hoc conſiſtit eſſentialiter cauſalitas materiæ.

Tum quia cauſalitas materiæ eſt illius concurſus, quo facit ſuos effectus ab ipſa dependere: ſed concurſus, quo materia facit à ſe dependere formam cum ſit paſſivus, & ſubiectivus, non in alio videtur poſſe conſiſtere, niſi in ſui ſubiectione, & paſsiva receptione:ergo.

5 Ex quo inferes, quod licèt ſubiectio, & receptio paſſiva ſit idem in materia cum ipſius vnione ad formam, melius explicatur cauſalitas materiæ per ſubiectionē, & receptionē, quam per vnionem. *Tum* quia cauſalitas materiæ melius explicatur per terminos illam diſtinguentes à cauſalitate formæ, cū materia, & forma eo quod ſunt diſtinctæ cauſæ, diſtinctis cauſalitatibus potiri debent; ſed vniri in exercitio eſt quid commune materiæ, & formæ in exercitio cauſantibus;ergo.

Tum quia vt diximus lib. 1. agentes de quidditate materię artic. 2. in ſolutione argumentorum: licèt in materia ratio potentiæ ſuſceptivæ formæ, & ratio vnibilis cum illa ſint idem; per noſtros conceptus diſtinguuntur, & prima ratio conſtituit materiam in ratione cauſæ: non vero ſecunda: ergo licèt in materia exercitium receptionis, & vnionis ſint idem; per noſtros cōceptus poſſunt diſtingui, & in primo conſiſtit cauſalitas materiæ, & non in ſecundo: *Tum* denique: Nam licèt in executione prius intelligamus materiā vniri, quam recipere: at vero in intentione prius reſpicit materia receptionem, quam vnionem; cum vnio ſit propter receptionem, & non èconverſo:ergo.

6 Tertia Concluſio: *Effectus materiæ ſunt forma, compoſitum, & generatio*: Probatur per partes: prima conſtat: *Tum* ex D. Thom. opuſc. 31. dicente: *Materia eſt cauſa formæ, in quantum forma non eſt, niſi in materia. Tum* quia omnis forma nata componere cum materia, dependet à concurſu, & cauſalitate materię: ergo eſt effectus materiæ: patet conſequentia: Nam ratio effectus independentia rei à concurſu, & cauſalitate cauſæ, ſita eſt. Prob. antecedens: omnis forma, vel eſt materiali; & hæc dependet à concurſu materiæ quoad fieri, eſſe, & operari; cū ſit educibilis ex illa, vt vidimus lib. 1.

Vel eſt ſpiritualis, & hæc depẽdet à materia, quoad munus informandi, & actuandi illam, quia munus actuandi, & informandi nequit intelligi ſine cõcurſu paſſivo materiæ recipientis formã, in quo cauſalitas materiæ conſiſtit: ergo omnis forma nata componere cum materia dependet à concurſu, & cauſalitate illius.

Secunda pars etiam conſtat: *Tùm* ex Philoſopho 2. Phyſicorum: text. 31. dicente: *Partes ſunt cauſa totius*, ſed compoſitum eſt totum conſtans ex materia tanquam ex parte: ergo compoſitum eſt effectus materiæ: *Tùm*, quia compoſitũ habet partes intrinſecas, in quas reſolvitur, tanquã in ipſius principia, & cauſas intrinſecas: ſed vna ex partibus intrinſecis eſt materia: ergo cõpoſitum, tanquam effectus, depẽdet ab illa, *Tùm* denique, nam materia vt cauſa eſt ſubiectum, ex quo fit aliquid, cui in eſt: ergo cauſat rem factam, quam cõponit; ſed res facta eſt compoſitũ ex illa conſtans: ergo hoc eſt effectus materiæ.

Tertia denique pars etiam eſt manifeſta. *Tùm* ex D. Thom. 1. de Gener. lect. 10. dicẽte. *Quod prima materia eſt ſubiectum maximè proprium ſubſceptibile generationis, & corruptionis. Tùm*, quia generatio, vt mutatio ſubſtantialis reſpicit materiam, vt ſubiectũ quod ſupponit ſub vtroque terminos cum in hoc differat generatio à creatione: ergo materia exercet comcurſum ſubiecti reſpectu generationis, & hæc à tali concurſu dependet: ergo eſt effectus materiæ.

7 Ex hoc inferes, quod licèt vltra hos effectus, alij communiter numerentur ab Auctoribus; nempè limitare, formã; incommunicabilitas, & individuatio: iſti magis ſunt rationes effectum materiæ, vel effectus conſecuti ex aſsignatis: nam ex receptione formę oritur limitatio, oritur, quod cum materia ſit vltimum ſubiectũ, vltra illud non trãſeat forma ad aliud, quo radicaliter incõmunicabilis redditur; oritur denique individuatio ſicut, & diviſio, ſeu multiplicatio individualis.

8 Vltima concluſ. Reſponſiva titulo artic. *Materia eſt vera cauſa Phyſica, & realis*: conſtat ex dictis: cui convenit vera vis cauſativa Phyſica, & effectus Phyſicus verus; eſt vera cauſa realis, & phyſica; totum hoc cõvenit materia, verè, & propriè, vt probatum manet: ergo.

§. II.

Argumenta ſolvuntur.

ARgumenta contra 1. cõcluſ. ſoluta ſunt lib. 1. dũ de eſſentia materię egimus: cõtra 2. concluſ. fere eadem militant argumenta, ac contra identitatem vnionis cum materia, & forma, quę negando modum vnio-

vnionis latè propoſuimus, & ſolvimus. Contra 3. Concluſ. obijcies 1. materia nequit eſſe cauſa formæ: ergo nec hæc effectus illius: Prob. antecedens: cauſa debet eſſe ſaltim æque nobilis, ac effectus; ſed materia eſt imperfectiſsima, & prope nihil; forma vero eſt actus, ac ſubinde perfectio: ergo.

Negatur anteced. ad prob. diſting. mai. cauſa efficiens finalis, & formalis omitto: cauſa materialis nego: *Materia eſt imperfectior eo cuius eſt cauſa* ait Div. Thom. quæſt. 7. de Veritat. artic. 7. ad 1. quia cauſat vt pura potentia, ſe ſubijciendo, & recipiendo perfectionem, quod potius in cauſa imperfectionem petit.

10 2. Obijcies: de ratione cauſæ eſt dare eſſe; ſicut de ratione effectus recipere eſſe à cauſa, ſed materia non dat eſſe formæ, ſed potiusècontra: ergo.

Reſpond. quod dare eſſe, ſicut, & influere, ſi ſumatur in rigoroſa acceptione, ſolum convenit cauſæ efficienti; ſi vero ſummatur non ita rigoroſe; ſed pro eo, quod eſſe alterius vere à cauſa dependeat, ſic etiam cōvenit materiæ; quia forma ſi ex materia educitur, in ſuo eſſe à materia dependet: ſi vero ex materia non educitur dependet ab illa, quoad ſuum eſſe vt receptum; vnde licèt materia illi non tribuat eſſe abſolute tribuit illi vt receptæ eſſe, Qualiter cōpoſitum ſit effectus cauſæ materialis: & quidquid contra hoc poteſt obijci ſolvimus defendentes identitatem totius cum ſuis partibus.

11 Denique obijcies: materia non exercet ſuam cauſalitatem erga generationem: ergo generatio non eſt effectus materiæ. Prob. antecedens. Cauſalitas materiæ cōſiſtit in ſubiectione, & receptione; ſed generatio nō ſubiectatur in materia, ſed in toto compoſito, vt dicunt communiter Thomiſtæ in libris de generatione: ergo.

Reſpond. diſting. min. Generatio non ſubiectatur in materia vt eſt accidens omitto min. ſub conceptu mutationis, nego min. Duplex ſubiectum ſolet diſtingui, & ſubiectum inhæſionis, & hoc nequit eſſe materia prima (loquendo immediatè) & ſubiectum tranſmutationis, & hoc eſt proprium materię: ſed de hoc latè agemus in libro de Generatione.

ART. II.

Vtrùm forma ſit vera cauſa?

12 SVppoſita reſolutione articuli præcedentis, parum aut nihil difficultatis manet in præſēti: tria in forma, ſicut in materia diſtinguere debemus, vt ex illis rationem veræ cauſæ in forma colligamus: Vim cauſandi, cauſalitatem, & effectum formæ.

§. I.

Vis cauſativa, cauſalitas, & effectus cauſæ formalis.

13 PRima Concluſ. *Vis cauſativa formæ conſtituens cauſam formalem intrinſecam eſt ratio actus dantis eſſe formale intrinſecum*: conſtat, nam forma ſe habet ex oppoſito, & correlative ad materiã: ſed vis cauſativa materiæ eſt ratio potentiæ ſuſceptivæ formæ indiſtincta ab eius entitate: ergo vis cauſativa formę eſt ratio actus dantis eſſe, ſivè ſubſtantiale, ſivè accidẽtale, quę ratio indiſtincta eſt ab entitate formæ.

14 Secunda Concluſio: *Cauſalitas formæ eſt indiſtincta ab eius entitate, & conſiſtit in actuatione, & informatione ſubiecti, vel potentiæ*: Prima pars conſtat: *Tùm* ex ſupra dictis, negãdo modum vnionis ſuper additum: *Tùm* quia cauſalitas eſt id, quo cauſa exercet ſuum munus; ſed forma ſe ipſa exercet ſuũ munus: ergo. Prob. min. materia ſe ipſa exercet munus cauſæ materialis intrinſecæ: ſed forma eſt etiã cauſa intrinſeca: ergo ſe ipſa exercet munus cauſæ formalis, prob. cõſequent. nam cauſæ intrinſecæ ſe ipſis exercent munus partis, ſed hoc ipſo quod vt partes intelligãtur communicantes in eodem eſſe, & vnitæ, intelligitur materia recipiens, forma informans, & compoſiti conſtitutio: ergo.

Tùm denique: nam effectus formalis non diſtinguitur intrinſecè, & entitativè ab ipſamet forma vt communicata: ergo nec cauſalitas formalis: patet conſequentia; nam ſi effectus formalis non diſtinguitur ab ipſa cauſa multo minus cauſalitas medians inter cauſam, & effectum: quare cõnotata præciſsè actione agentis; ſicut materia, & forma ſe ipſis vniuntur in actu ſecundo, ita ſe ipſis in actu ſecundo cauſant.

Secunda pars concluſ. etiam conſtat; nam forma eſſentialiter, & vt cauſa eſt actus primus ſubſtantialis materiæ vna cum ea conſtituens compoſitũ: ergo id, quo hęc ratio intelligitur formaliter in actu ſecundo erit formæ cauſalitas; ſed conſtat, quod forma actuando materiam conſtituit compoſitum, & tollitur, & determinatur potentialitas materię: ergo ſufficienter explicatur cauſalitas formę per actuationem, & informationem materię.

15 Tertia Concluſ. *Effectus formæ ſunt materia, vt actuata, & compoſitum vt coſtitutum*: probat. breviter: effectus proprius alicuius cauſę eſt qui accipit eſſe à cauſa media ipſius cauſalitate; ſed materia accipit à forma eſſe actuale; & compoſitum ſui conſtitutionem, & ſpeciem media actione, & informatione, quę eſt cauſalitas formæ: ergo materia actuata, & compoſitum

tùm ſunt effectus formæ.

Circa effectum ſecundarium formæ, qui eſt expulſio formæ antea informantis materiã variè opinantur Auctores; ſed aptius circa hoc mentes eorũ examinabimus, & mentem noſtram aperiemus, in libris de Generat. & corrupt. & infra, dum fiat ſermo de concurſu multiplicis cauſæ formalis circa eandem materiam.

§. II.

Obiectiones ſolvuntur.

16 OBijcies: Materia non dependet à forma: ergo non eſt effectus formæ. Prob. anteced. *Tum*, quia materia non accipit ſuum eſſe à forma, ſed à Deo illam creante. *Tùm* quia forma ſolum cauſat vt cauſa intrinſeca; ſed ſolum eſt intrinſeca compoſito, nõ vero materiæ: ergo. *Tùm* denique, nam effectus formæ eſt dare eſſe ſpecificũ, & formale; ſed hoc directe non pręſtat materiæ, ſed compoſito: ergo.

Nego anteced. ad primam probationem diſtinguo anteced. Non accipit à forma ſuum eſſe, prout præciſsè dicit rationẽ puræ potentiæ, & entitatem materiæ, concedo antecedens: prout dicit ens actu, vel entitatem determinatam, & actuatam nego antecedens: Materia vt actuata, & determinata, & ſublata eius potentialitate, & indifferentia, tùm ad eſſendum, tũ ad cauſandum determinatum compoſitum; phyſicè dependet à forma, tanquam à vera cauſa huius effectus.

Ad 2. & 3. reſpond. quod licèt forma ſit extrinſeca potentiæ, & entitati materiæ: tamen nequit eſſe cauſa intrinſeca compoſiti præbendo illi ſpeciem, niſi actuando materiam, & tolendo illius indifferentiam: & in hoc (in aliquo ſenſu) adhuc exercet munus cauſæ intrínſecæ, non reſpectu entitatis materiæ, ſed reſpectu effectus formalis, qui eſt ſui ipſius communicatio, cum per ſe ipſam, & non alia entitate actuet materiam.

17 Ex dictis inferes 1. quod via intentionis primus effectus materię, & formæ eſt totũ compoſitum, licèt via executionis prius ſe cauſent ad invicem: primum conſtat ex Divo Thoma ſæpius dicente, quod via intẽtionis, prius eſt perfectum, quam imperfectum, & prius finis, quã ea quæ ſunt ad finem; ſed partes ſunt imperfectiores toto, & ipſæ, & earum mutuæ cauſalitates, & effectus, ad totum conſtituendum, vt ad finem ordinantur: ergo. Ex quo etiam patet. 2. Nã in executione prius eſt effectus imperfectus, quã perfectus, prius ea quæ ſunt ad finem, quam finis: ergo prius in executione, materia, & forma mutuo ſe cauſant, quam totum.

In-

18 Inferes 2. Formam eſſe veram cauſam phyſicam, & realē; cum vt vidimus, habeat vim cauſativam, cauſalitatem, & effectum, verè, & phyſicè.

Denique inferes, quod ea quæ diximus de cauſalitate, & effectibus materiæ, & formæ ſubſtantialis, prout ſunt cauſę intrinſecæ poſſunt cum aliqua proportione adaptari materiæ, & formę compoſiti accidentalis: ac ſubinde, diviſiones cauſæ, tàm materialis, quā formalis fieri proportionabiliter poſſunt, admodum quo formam, & materiam diviſimus lib.1. agentes de arū quidditate.

ARTIC. III.

Vtrùm idea, ſeu exemplar ſit vera cauſa?

19 PRimo quid ſit idea; deinceps rationem cauſæ; ac poſt modum ad quod genus cauſæ pertineat breviter explicabimus: quia de ideis late diſputāt Theologicum D. Th. 1.p. quæſt.15.art.1.& ſequentibus.

§. I.

Definitio ideæ explicatur.

20 IVxta D. Thom. q. 3. de veritate art.1. *Idea eſt forma, quam aliquis imitatur ex intentione agentis determinantis ſibi finem.* Hanc definitionē deſumpſit ex D. Auguſtino 12. de Civit. Dei cap.25. ad quā reducitur illa, quę communiter traditur: *Idea eſt id ad quod reſpiciēs artifex operatur: Forma* ponitur loco generis, per quod convenit idea cū alijs formis, quæ idea non ſunt: igitur forma alia eſt *per quam*: alia *à qua*: alia: *ad quam*: prima eſt, per quam aliquid formatur, & conſtituitur: ſecunda, à qua res procedit, & qua agēs agit: tertia eſt ad cuius inſtar aliquid formatur ſicut dicitur Exodi 25. *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in mente mōſtratum eſt.*

21 Solum hæc vltima forma eſt idea, & differt ab alijs formis per reliquas particulas diffinitionis: *Quam aliquis imitatur*, ponitur ad differētiam formę intrinſecæ, quæ potius participata eſt à forma ideali, quæ extrinſeca eſt, & participabilis. *Ex intentione agentis*, ponitur ad excludendam formam ad cuius imitationem poteſt aliquid fieri, non per ſe, ſed per accidens, vt ſi præter intētionem agentis aliquid illius effectus exiret ſimilis, & imitaretur formam aliquam extrinſecā: hæc enim eſſet imitatio à cauſa, & præter intentionem.

22 *Determinantis ſibi finem*, ponitur ad excludendam formam agentis naturalis naturaliter operātis; Vnde cum ignis generat alium ignem, forma ignis generātis nō eſt idea ignis geniti: quia licèt agatur ab Auctore naturæ ad propriū, & determinatum finem, propriè nō agit propter finem præſtituendo ſibi finem,

nem, & hoc requiritur in agente operante per idæam ex quo infe res, quod in rebus omni cognitione carentibus, licèt inveniantur aliqua exemplaria externa; minime vero ideæ; quia non operantur per artē, nec determināt ſibi finem idem dic de brutis quæ carent arte, & ideis, quibus ſe determinent ad operandum; quia licèt aliquo modo agant propter finem, non propriè.

Forma, ad quam reſpiciens agens operatur, poteſt eſſe, vel intra ipſum, & ab ipſo agente in mente formata; vel extra ipſum, vt quando pictor v.g. viſa vna imagine ad illius imitationem aliam depingit: prima proprie habet rationem ideæ; ſecunda vero improprie, & per accidens; quia adhuc iſta determinat agēs ad operandum, vt de novo in ſua mente reformata.

23 Cum igitur idea ſit id quo determinatur agens ad operandum, vt in ſua mente exiſtens; & in mente artificis vltra habitus, & artes, ſint ſpecies impreſſæ, actus intelligēdi, & ſpecies expreſſa, ſeu verbum: videre reſtat: in quonā ex his ratio ideæ conſiſtit? Et dicimus 1. non cōſiſtere in arte: *Tùm* quia vnius artis plures ſunt ideæ: tū quia artefacta non imitantur artē; ſed neceſſariò imitātur ideam: *Tum* denique; quia ars, & idea diſtinctis diffinitionibus diffiniuntur, vt ſupra vidimus, diffiniendo artem, & nunc diffiniendo ideam.

2. dicimus ſpeciem impreſſam non eſſe ideam: *Tum*, quia prædicta ſpecies indifferenter requiritur, tàm ad operationē ſpeculativam, quam practicam: idea vero practicè dirigit ad opus: *Tùm* quia licèt ad opera practica requirantur ſpecies, requiruntur remote, idea vero determinat proximè: *Tùm* denique; quia ſpecies eſt ſemen alicuius obiecti, & ad illius inſtar fit; idea vero formatur ab agente, vt ad inſtar illius alia faciat.

3. Dicimus ideam non eſſe ipſum actum intelligendi: *Tùm* quia ideata non aſsimilantur intellectioni, vel actui inteligendi; & debent aſsimilari ideæ: *Tùm*, quia ideatum in idea inſpicitur ab agente, & actus eſt, quo inſpicit ideatum.

Denique dicimus: ideam conſiſtere in verbo mentis, ſeu ſpecie expreſſa, non præciſè ſecundum ſuum eſſe entitativum, & intentionale, vi cuius ſolum habet eſſe puram ſimilitudinem rei cognitæ in ipſa, & dicit habitudinem ad intellectū, vt id quo intelligit; ſed prout dicit obiectum ipſum ſecundum eſſe immateriale quod habet in verbo, ſuperadita habitudine imitabilitatis, & principij practici ad rē factibilē. Huius rei exactior diſcuſſio, & obiectionum ſolutio propriū obtinet locū in prima p. q. 15. citata: ſufficiat hæc notitia ad rationem cauſæ inveſtigandam, quæ propria eſt huius loci.

§. II.
Ratio cauſæ exemplaris exponitur.

24 PRima Concl. *Idea ſeu exemplar eſt vere, & proprie cauſa*: prob. *Tùm* quia ei vere, & proprie convenit diffinitio cauſę: ergo. Prob. antec. in aliquo vero ſenſu idea eſt principium dans eſſe ideato, & huius eſſe ab idea dependet: ergo. *Tùm*, quia nihil poteſt eſſe vere, & proprie in aliqua determinata ſpecie, niſi vere, & proprie participet rationem generis; ſed idea vere, & proprie eſt in aliqua determinata ſpecie cauſæ: ergo vere participat rationem cauſæ. Min. conſtabit ſequenti concluſione.

25 Secunda Concluſ. *Idea eſt vere, & proprie cauſa formalis extrinſeca*: Prob. 1. cauſa formalis eſt illa, a qua effectus participas ſuam ſpeciem, & perfectionē; ſed ideatum ſaltim extrinſecè participat ſpeciem, & perfectionem ab idea: ergo hæc eſt cauſa formalis ſaltim extrinſeca. Mai. conſtat: quia ſpecificare, & perficere eſt proprium actus, & formæ: prob. min. forma naturalis intrinſeca totam ſpeciem, & perfectionē, quā præſtat intrinſecè conſtituto per illā, participat tāquam à mēſura, & regula ab idea divina: ſimiliter forma artificialis participat tanquā à menſura, & regula ab idea artificis ſpeciē, & perfectionem, quā tribuit arteſacto: ergo ideatum ſaltim extrinſecè participat ab idea ſuam ſpeciem, & perfectionem.

2. Licèt ideatum non informetur ab idea, ab illa tamē formatur: ſed formare nequit nō eſſe proprium formæ ſaltim extrinſecæ, ſicut informare eſt proprium formæ intrinſecæ: ergo.

Denique: idea eſt vera, & propria cauſa ideati; ſed non propriè efficiens, finalis, aut materialis: ergo eſt vera, & propria cauſa formalis: mai. conſtat. *Tùm* ex prima cōcluſ. *Tùm*, quia ideatum vere, & propriè pendet in ſuo eſſe ab idea tanquā à principio, & conſequenter tāquam à vera cauſa; min. vero prob. & de cauſa materiali eſt certū; de finali conſtat ex D. Th. q. 3. de Verit. art. 2. in corpore dicente. *Forma exemplaris, vel idea habet quodam moderationem finis*: ergo non proprie eſt finis.

De efficiente etiam probatur: nam quod proprie, & per ſe eſt cauſa efficiens eſt principium mutationis, iuxta diffinitionem cauſæ efficientis poſtea tradendam; ſed idea non eſt exemplar edifficationis, quæ eſt actio, & motus, ſed edificij: ſicut forma artis in mente edificatoris principaliter eſt forma domus edificandæ; edificationis autē ex cōſequēti; vt docet D. Thom. 3. p. quæſt. 78. art. 1. ergo idea per ſe concurrit formaliter, & ſolum concomitanter, ſeu ex conſequēti concurrit efficienter.

Nec

26 Nec dicas, admiſſo ideam eſſe veram cauſam, & nõ materialem finalem, aut efficiẽtem; non inferri eſſe veram cauſam formalem; ſed novum genus cauſæ ab his quatuor diſtinctum: *Contra* eſt: *Tùm*, quia Ariſt. numerando tantum quatuor genera cauſarum inter illa numeravit exemplar: *Tùm*, quia explicando genus cauſæ formalis dixit: quod *Forma eſt ſpecies, & exemplar*: Ergo ſentit eſſe veram cauſam formalem.

27 Ex dictis inferes, quod concurſus effectivus, & finalis etiam cõvenit ideæ licèt non ita proprie, ſicut formalis: de effectivo conſtat, nam licèt idea ſe habeat, vt forma, eſt tamen forma practica dirigens, & determinãs ad opus: ergo eſt aliquo modo effectiva: quia ratio practici efficiẽtiã importat, ſivè ex proprijs, ſivè ex voluntate participatam; vnde idea concurrit efficienter directivè, licèt non executivè. De concurſo finali etiam cõſtat; quia ideatum reſpicit ideã, vt ſui perfectionem, cum per imitationem illius perficiatur: ſed perfectio alicuius finis eius eſt: ergo.

QVÆST. XI.

De cauſa efficiente.

1 DE cauſa efficiente quam plurima Theologis neceſſaria tractant metaphiſici: non omnia hæc diſputare intendimus, licèt nihil, quod ad phyſicos attinet, omittamus; illius quidditatem, diviſionẽ, vim cauſativam, & cauſalitatẽ declarabimus, & licet ſub efficiente contineatur Deus, qui dicitur prima cauſa, de illo tantum in præſenti attingemus, quantũ ſufficiat ad pleniorem notitiam cauſæ ſecundæ, vt cauſæ primæ ſubordinatæ.

ARTIC. I.

Quid, & quotuplex ſit cauſa efficiens?

2 ARiſtotel. 5. metaph. cap. 2. & hic lib. 2. cap. 3. text. 9. & 1. de Generat. textu 55. cauſam efficientem diffinit: *Eſt id vnde primum principium eſt mutationis, & quietis.* In eiſdem locis eam tradit, & exponit Div. Thom. & ſi ad hanc ſincere intellectam, & explicatam, non reducuntur diffinitiones aliquorum recẽtiorum, prorſus ſunt reijciendæ: cum hæc lõge omnes ſuperet auctoritate, antiquitate, & brevitate, ſincera expoſitione adiuncta.

§. I.

Explicatur diffinitio cauſæ efficientis.

3 Adverte 1. quod vt notat Div. Thom. in 5. metaph. lect. 2. cauſa efficiens idem eſt ac *cauſa movens*: ac ſubinde eſt cauſa extrinſeca, quia id quod activè movet, & reducit de potentia ad actum, debet eſſe

quid

quid extrinſecum rei motæ; per quod cauſa efficiens differt à materia, & forma, prout vtraque rationē cauſæ participat; quia cauſant intrinſecè componendo totum, media vnione fundata in aliqua mutatione, quæ in ipſis exercetur, non quæ ex ipſis activè oritur.

4 Adverte 2. quod per eſſe cauſam moventem, ſeu principium mutationis, differt cauſa efficiens à finali cauſa; quia hæc nō eſt principiū mutationis ſub formalitate motus, ſeu mutationis; quia ſolum motus, ſeu mutatio executa eſt proprie mutatio; finis tantum eſt principium primum mutationis vt intentæ, vel intentionis illius, ac proinde ante executionem quæ incipit à cauſa efficiente, intenditur mutatio, ſed propriè mutatio non eſt: vnde eſſe primum principium mutationis ſoli efficienti cauſæ convenit.

5 Adverte 3. Quod per eſſe cauſam moventem, ſeu principium activum mutationis, differt etiam efficiens à natura *Tùm*, quia natura eſt principium motus, & quietis, præſcindens ab activo, & paſſivo: efficiens eſt determinate principium activum: *Tùm*, quia efficiens non petit eſſe principium motus interni, ſeu *eius in quo eſt*, ſicut exigit natura. *Tùm* denique; quia ab efficiēte poteſt oriri motus, & quies, non ſolum naturalis, ſed etiam violenta, non vero à natura.

6 Denique adverte; quod vt diffinitio alicuius ſpeciei ſit recta, non opus eſt, quod in illa ſint particulæ per quas excludantur ea, quæ rationem generis non participant; quia hęc debent ſupponi excluſa per diffinitionē rationis genericæ: cum autē cauſa efficiens; ſub cauſa in communi ſupra à nobis diffinita, contineatur, vt ſpecies; eius recta diffinitio ſolum exigit particulas, per quas cum alijs tribus cauſis conveniat, tanquam per genus, & per quas ab illis differat, tanquā per differentias.

7 His notatis, facile apparet, quod diffinitio cauſæ efficientis ſupra tradita ex Philoſopho ſit recta: nam ly *principium* importat rationem genericam, proximam, ſumpto *principio* pro eodem, ac vera cauſa; vt debet ſummi ſuppoſita ex capitibus antecedentibus diffinitione, & explicatione cauſę in cōmuni per hoc quod eſt eſſe, non quomodocūque principium, ſed *primum mutationis* excluduntur cauſæ, materialis, formalis, & finalis, quæ ſunt ſpecies, quæ in eodē genere proximo cōmunicant; quia mutatio propriè dicit mutationem executā, vt advertimus, & illius pro vt ſic nec materialis, nec formalis cauſa, poſſunt eſſe primum principium, cum cauſent media vnione, & vnio priorem cauſam vnientē ſupponat; & etiā quia cauſalitas illarum in reductione potētiæ materię ad actū formę media mutatione, & vnione con-

ſiſ-

ſiſtit, quod ab ipſis nequit primo activè, & in executione incipere: ſimiliter nec finis, nec natura, vt vidimus hoc modo poſsut eſſe primū principium mutationis ergo in illa diffinitione recte explicata continetur eſſentia cauſę efficientis.

8 Vnde ſi in ſumma vis non novam diffinitionem cauſæ eficientis, ſed antiquam philoſophi diffinitionem cum ſincera illius explicatione paucis verbis comprehendere dic: *Cauſa efficiens eſt, principium extrinſecum activum, à quo in executione primo incipit motus, vel quies.*

9 Hæc diffinitio ſic explicata omni, & ſoli cauſæ efficienti convenit, & vt obiter aliquibus obiectionibus, contra illam fieri ſolitis occurras: notabis, quod ly *primum* poſitum in diffinitione, poteſt denotare, vel primum in omni genere cauſę vel primum in omni ordine cauſæ: per *primum* in omni genere cauſæ fit comparatio ad quatuor genera cauſarum inter ſe: per *primum* in omni ordine cauſæ, fit comparatio ad cauſas diverſi ordinis, vt ſunt cauſa increata, & creata. Ex quo inferes, quod licèt cauſa eficiens creata non ſit principium primum in omni ordine, eſt primum in omni genere cauſæ quia mutatio executa ab illa primo incipit; vnde ſi diffinitio ſit de cauſa præciſsè creata: ly *primum* debet intelligi de primo in genere: ſi vero aptetur cauſæ præſcindēti à creata, & increata, debet ly *primum* ab vtroque præſcindere.

Similiter poteſt Philoſophari de mutatione, quæ poteſt accipi, & metaphyſicè, & phyſicè: hoc ſecundo modo ſupponit materiam, & non poteſt convenire cauſæ primæ creanti: primo modo, eſt mutatio ſolum ex modo ſignificandi, prout omnis tranſitus de non eſſe ad eſſe dicitur mutatio, & in hoc ſenſu etiā cauſa prima creans dici poteſt *primum principium mutationis.*

§. II.

Cauſæ efficientis diviſio.

10 MVltiplex cauſæ efficientis diviſio ſolet ab Auctoribus aſsignari, ſed relictis aliquibus, præcipuas diviſiones trademus: prima eſt in cauſam *per ſe*, & cauſam *per accidens*: illa eſt quæ ſecundum virtutem ſuæ naturæ, vel formæ producit effectum iſta eſt, quæ non virtute ſua producit effectum, ſed per accidens coniungitur cauſæ per ſe producenti, vel effectui per ſe producto.

Rurſus cauſa ſivè *per ſe*, ſivè *per accidens* dividi poteſt, quaſi accidentaliter in *proximam, & remotam*, vel in cauſam *mediatā, & immediatam. Eſſe proximam, & remotam* accidit cauſæ ex approximatione, vel elōgatione, coniunctione, vel diſtantia ab effectu: mediatio, vel immediatio cau

ſæ eſt duplex, alia ſuppoſiti, alia virtutis; vnde cauſa immediata ſimpliciter eſt, quæ ſe ipſa tātum influit; mediata vero, quæ influit interveniente aliquo medio, ſivè ſit virtus, ſivè ſuppoſitum.

11 Cauſa *per ſe* dividitur vltra in *principalem*, & *inſtrumentalem*: illa eſt, quæ agit per propriā formam: iſta vero quæ non agit per propriam formā, ſed in quātum mota ab alio.

Rurſus cauſa principalis dividitur in *vnivocam*, & *æquivocam*: Prima eſt, quæ producit effectum eiuſdem rationis, aut ſpeciei cum illa: *æquivoca* vero, quę producit effectū ſpecie differentem ab ipſa; vel vt ait Div. Tho. vnivoca eſt; in qua ſimilitudo effectus invenitur vniformiter, hoc eſt in genere, vel ſpecie eadem; æquivoca: in qua invenitur excellentius: ſicut calor excellentiori modo eſt in ſole, quam in igne: at vero eodem modo eſt in vno igne, ac in alio.

Rurſus cauſa *æquivoca*: Alia eſt *prima* ſimpliciter quæ ſolus Deus eſt: alia eſt *prima* in genere determinato; vt in genere alterabilium corpus cœleſte dici poteſt prima cauſa.

12 Deinde cauſa alia eſt *vniverſalis*, alia *particularis*: illa eſt quæ ad plures ſpecies, vel genera ſe extendit, vt Deus, Cœlum, & aſtra: iſta quæ eſt ad vnū effectum ſecundum ſpeciē determinata; vt ignis, equus, &c. Cauſa vniverſalis ſub dividi poteſt in vniverſalem in cauſando, & in vniverſalem in prædicando.

13 Vltra: cauſa alia eſt *totalis*, alia partialis: illa eſt, quę in ſuo genere eſt de ſe ſufficiens, & adæquata, non indigens ad effectum concurſu alterius cauſæ ſui generis, *partialis* eſt, vel quia non operatur tota ſua virtute, vel quia caret ſufficienti virtute ad productionem effectus, & indiget concurſu alterius cauſæ eiuſdem generis.

14 Deinde cauſa alia eſt *libera*, alia *neceſſaria*. Illa eſt, quę ex electione operatur, & cū indifferentia ad vtrumvis, & taliter operans, vt poſſit non operari, & ècontra: *neceſſaria* quæ cū determinatione ad vnum operatur.

Dividitur etiam cauſā efficiens in *Phyſicam*, & *Moralem*; illa eſt, quæ influxu vero, & phyſico producit effectum. *Moralis* vero, quæ vel ſolum metaphoricè influit in effectum, vel cui in prudentum æſtimatione tribuitur effectus.

15 Denique; cauſa alia eſt *per ſe*, & *eſſentialiter ſubordinata*, alia *ſubordinata per accidens*; prima eſt, quando inter ſubordinatam, & ſubordinantem talis eſt cōnexio, vt qualibet ſublata, tollitur effectus; vel vt ait D. Thom. quandó intentio cauſæ ſubordinantis reſpicit vſque ad vltimum effectū per omnes cauſas medias: ſicut ars fabri movet manum, manus n. malleum, qui fer-

tum percuſſum format, at quod fertur intentio artis: *Per accidens ſubordinatæ* dicũtur, quarum mul tiplex concurſus non petitur per ſe ab effectu: ſicut multitudo mal leorum ad eundem effectum, vel vt ait Div. Thom. quando intentio cauſę ſubordinatis non dirigitur niſi ad primum effectum: quod autem ille effectus efficiat alium, eſt præter intentionẽ primi efficientis, ac ſubinde ſubordinatio ad illum eſt per accidẽs; ſicut qui accendit candelam prę ter intẽtionem illius eſt, quod in hac accendatur alia, & in iſta alia.

16 Aliæ, quam plurimę aſsignari ſolent diviſiones cauſæ efficientis, quas libenter omittimus, vel quia non ſunt præſentis inſtituti; vel quia ad aſsignatas reduci poſſunt: circa aſsignatas diviſiones, ſolum pro nunc opportet advertere 1. Quod plures ex his diuiſionibus non ſunt ita propriæ cauſæ efficientis, quod alijs cauſis non poſsint convenire: cauſæ enim per ſe, & per accidens, vniverſalis, & particularis, vnivocæ, & æquivocæ, totalis, & partialis diviſio, in fine, & in alijs cauſis inveniri poteſt: proprius tamen ad cauſam efficientem attinet ratio principalis, & inſtrumentalis, immò, & cauſalitas mo ralis.

Adverte 2. Quod de his omnibus cauſis hic ſolum obiter agi mus, quia in ſequentibus expreſſius fiet ſermo; vt de cauſa vniverſali, & pariculari, ſubordinata per ſe, & per accidens agemus, dum de ſubordinatione cauſę ſecundæ ad primam diſputemus: idem de cauſa inſtrumentali, & principali; pariter de cauſa totali, & partiali ſuis locis ſermonem inſtituemus.

ARTIC. II.

Vtrùm ſubſtantia creata ſit immediatè operativa?

17 NEgare cauſis ſecũdis creatis veram efficientiam, vel cauſalitatem effectivam, vocat D. Thom. ſtultitiam illorum, qui aſſerebant creaturas nihil efficere, ſed Deum ſe ſolo ad creaturarum præſentiam omnia facere: in 2. diſt. 1. q. 1. art. 4. igitur de vi effectiva, ſeu virtute qua ſubſtantiæ creatæ efficiunt, & operantur, erit ſermo in præſenti.

Dicimus vim effectivam, ſeu virtutem operativã id, quo cauſa ſecunda conſtituitur in actu primo valẽs effectum aliquẽ producere, & operationem elicere, vel quo conſtituitur principium quo contẽtivũ, tum operationis, tum effectus: (ſupponimus principium, vt *quod* operativũ eſſe ſuppoſitum, vel perſonam, & de hoc non procedit quæſtio.)

18 Quare dum inquirimus an ſubſtantia creata ſit immediatè operativa; idem eſt ac inquirere, an virtus qua ſubſtãtia creata immediatè attingit operationes,

& effectus ipſis correſpondentes ſit ipſamet ſubſtantia, & aliquid cum ipſa identificatum: an vero ſit aliquid ei accidentale, & accidens quoddam ab ipſa realiter diſtinctum?

19 In primi videtur nō poſſe negari ſubſtātiæ rationem principij *quo* ſaltim mediati, & radicalis operativi, & effectivi, præſertim alterius ſubſtantiæ: quod quidē videtur expreſſum; *Tum* in Philoſopho 2. Phyſic. text. 17. & 2. de Anima textu 24. *Tùm* in D. Thom. ibidem: & ex profeſſo hoc aſſumptum probat 3. Cōtra gent. cap. 69. ratione 9. cuius vis probativa ſic breviter proponitur.

Agere ſequitur ad eſſe in actu: ergo inconveniens eſt, quod actus perfectior actione deſtituatur; ſed forma ſubſtantialis eſt actus perfectior, quam forma accidentalis: ergo ſi formis accidētalibus, quæ ſunt in rebus corporalibus, tribuuntur operationes propriæ, multo magis formæ ſubſtantiali debet tribui aliqua operatio propria; ſed hæc actio nō eſt præciſsè diſponere materiam, quia hoc per alteratione̅ fit, ad quam ſufficiunt formæ accidētales: ergo ſaltim erit actio generativa, qua forma ſubſtantialis introducitur in generatū: hæc in ſumma ratio D. Thom.

Vel compendioſius: operari ſequitur ad eſſe: ergo eo modo quo forma dat eſſe, debet dare proportionabiliter eſſe operationis principium; ſed forma ſubſtantialis dat eſſe primum, & ſubſtantiale: ergo dat eſſe primum, & radicale operationis principium.

Confirm. formæ ſubſtantiali convenit ratio naturæ; ergo & ratio principij primij motus, vel actionis; ſed natura non eſt præciſse primū principium paſſivum, ſed etiam activum, quod quidē nequit illi convenire ratione materiæ: ergo illi cōvenit ratione formæ ſubſtantialis, & conſequenter forma ſubſtantialis ſaltim erit principium primum, & radicale activum motus, vel operationis.

20 Devoluitur tota difficultas ad principium *quo* immediatum per modum virtutis attingētis immediate operationes, & effectus, qui ſubſtantiæ, tanquā cauſæ principali attribuuntur: ſubſtantiæ tanquam radici, & primo principio activo poſsūt attribui, non ſolum effectus ſubſtantiales, ſed etiam accidentia, tàm communia, quàm propria, quę dicuntur illius paſsiones, ſeu proprietates.

Certum eſt, effectus ſubſtantialis ſubſtantiam non eſſe principium, niſi media operatione, vel actione ab illa deſcēdente: de accidentibus cōmunibus, vel proprijs non eſt ita certum, ſed maximè controverſum, an profluant à ſubſtantia media actione, vel operatione ad ipſa terminata; an vero dimanent ab ip-

ipſa, & reſultent ſine nova, & diſtincta actione ab ea, qua producitur ſubſtantia cuius ſunt proprietates, vel accidentia.

Et cum ſolutio huius difficultatis maximè pēdeat ex his, quæ circa difficultatem generalem, quam in titulo comprehendimus reſolvemus; prius in generali diſputavimus, an ſubſtantia immediatè, & per ſe ipſam, tanquā principium *quo* proximū valeat attingere operationem aliquam, & poſtea breviter attingemus, an indigeat operatione aliqua, nō ſolū vt illi tribuantur effectus ſubſtantiales, ſed etiam accidentia propria, vel communia.

21 In hoc puncto quoad præcipuam illius controverſiam, duæ etiam præcipuè, & capitales ſunt ſententię: prima docet ſubſtantiam creata non ſolum eſſe immediatè operativā, immediatione ſuppoſiti, & principij *quod*: neque ſolum eſſe principium *quo* radicale operandi, ſed etiam eſſe immediatè, & proximè operativam immediatione virtutis, & principij *quo*: Ita Scotus, & Scotiſtæ omnes, quos refert, & ſequitur Pontius, Durand. Ocamus: & eſt communior inter Auctores Societatis cum Suarez.

Per oppoſitum Thomiſtę omnes cum Angelico Præceptore, quibus adhærent aliqui Societatis, Toletus, Fonſeca, Vazquez, & Albertinus docent omnem virtutē, qua ſubſtantia immediate operatur, nullatenus cum illa identificari, ſed cum accidentibus, quæ ſunt potentiæ proximę, & tota virtus mędia, qua ſubſtātia operatur: in ſumma docent ſubſtantiam nullatenus eſſe immediatè operativā: hæc eſt noſtra concluſio.

§. I.

Noſtræ concluſionis probatio.

22 Prob. 1. concluſ. ex Div. Thom in 1. diſt. 3. quæſt. 4. artic. 2. *Deus ſolus eſt, qui non agit per potentiam mediam differentem à ſuæ ſubſtantia: in omnibus autem alijs operatio eſt accidens: & ideo opportet, quod proximū principium operationis ſit accidens*: idem docet ſigillatim de qualibet ſubſtantia, ſivè inanimata, ſivè animata, ſivè Angelica.

De inanimatis, & animatis poſt verba relata ſubdit: *Videmus in corporibus, quod forma ſubſtantialis ignis nullam operationem habet, niſi mediantibus qualitatibus activis, & paſſivis, quæ ſunt quaſi virtute, & potentia ipſius: ſimiliter dico, quod ab anima, cum ſit ſubſtantia, nulla operatio eggreditur, niſi mediante potentia.*

De ſubſtantia Angelica docet 1. p. quæſt. 54. artic. 3. *Quod nec in Angelo, nec in aliqua creatura virtus, vel potentia operativa eſt idem quod ſua ſubſtantia.* Idem docet pluribus alijs ſuæ doctrinæ locis.

23 Mens Div. Thom. in hoc puncto adeò expreſſa eſt, vt

per doctus Ieſuita in ſua phyſica ingenue fateatur mentem Divi Thomæ clariorem eſſe, quã quæ interpretationẽ patiatur, & ſubdit, ſe in hac re, pace, & venia tanti Doctoris, ſentire oppoſitũ cum Magno Parente Auguſt. cũ Iſidoro, & Bernard. ſed mirandũ valde eſt, quod D. Thom in pũcto oppenabili, & philoſophico, receſſerit ab Aug. & Partibus, cũ nunquam Div. Thom. contra Patres, ſed Patrum compendium ab omnibus reputatus, & indicatus ſit; ſed quia Patres de potentijs animæ loquuntur, eorum mentis conformitatem cum Div. Tho. mente in libris de Anima demonſtrabimus.

24 Probatur 2. ratione: eſſe operativum in actu primo proximo eſt verum eſſe phyſicum, & reale præſtitum tanquam à forma à virtute, ſeu potentia immediatè operativa; ſed forma ſubſtantialis nequit præſtare eſſe operativum in actu primo proximo: ergo forma ſubſtãtialis non eſt virtus, vel potentia immediatè operativa. Maior videtur evidens, & minor prob. eſſe opperativũ in actu primo proximo eſt verum eſſe phyſicum, conſequutum, & ſupponens aliud eſſe phyſicum prius: ergo forma ſubſtantialis nequit pręſtare eſſe operativum: conſeq. conſtat: quia tota eſſentia formæ ſubſtantialis, vt diſtinctæ à formis accidentalibus conſiſtit in dare eſſe primum, quod eſt idem ac ſubſtantiale.

Antecedens vero probat: 1. loquendo non ſolum metaphyſicè, ſed etiam realiter, & phyſicè hæc cauſalis eſt vera: quia aliquid in ſe abſolutè, & ſimpliciter eſt, proximè operativum, & productivum alterius eſt; ſed aliquit eſt in ſe abſolutè, & ſimpliciter à primo eſſe, quod eſt eſſe ſubſtantiale: ergo eſſe proximè operativũ, ſeu productivum alterius eſt eſſe conſequutum, ſecũdarium, quod eſt accidentale.

25 2. Eſſe proximè operativum, eſt verum eſſe phyſicum, & reale; ſed non eſt eſſe phyſicum primum: ergo eſt diſtinctum à primo eſſe, & ad illud phyſicè conſequutum. Probat. min. eſſe phyſicum primum eſt quo res conſtituitur in ſe, & ad ſe, cum præciſione ab omni ordine ad aliud extra ſe; ſed eſſe proximè opperativum non cõſtituit rem in ſe, & ad ſe, & cum præciſione ab omni ordine; ſed potius eſt de illius ratione, & eſſentia rem conſtituere ad aliud ordinatam, nempè ad operationem: ergo eſſe proximè operativum non eſt eſſe phyſicum primum. Maior eſt diffinitio eſſe ſubſtantialis, & min. etiã eſt quidditas principij proximi operativi.

Confirm. ratio noſtra: Eſſe proxime operativum in actu primo, eſt effectus formalis, phyſicus, & realis: ergo præſtitus à forma phyſica; ſed non à forma ſubſtantiali: ergo à

forma aliqua accidentali. Minor ſubſumpta prob. effectus formalis phyſicus adæquatus formæ ſubſtantialis eſt dare ſpeciem compoſito, & illud conſtituere in ſe, & ad ſe; ſed per eſſe proximè operativum in actu primo, compoſitum nec accipit ſpeciem, nec conſtituitur in ſe, ad ſe, ſed potius conſtituitur dicens ordinem ad aliud, nempè ad operationem: ergo.

27 Si dicas quod effectus formalis, phyſicus, primarius formæ ſubſtantialis eſt ille aſignatus in confirmatione: cum quo ſtat quod etiam præſtet eſſe proximè operativum, tanquam effectum ſecundarium.

Contra eſt 1. ergo eſſe proximè operativum eſt verum eſſe phyſicum, ſupponens aliud eſſe prius, primario præſtitū à forma ſubſtantiali: ergo eſſe proximè operativum, nec ſecundario poteſt præſtari à forma ſubſtantiali: hęc ſecunda conſeq. probatur: Eſſe verum, & reale phyſicum, non primum, eſt eſſe accidentale; ſed eſſe accidentale, nec ſecundario præſtari poteſt à forma ſubſtātiali, aliàs omnes formæ accidētales ſuperfluerent, de quarum ratione eſt dare verum eſſe phyſicum, ſed ſecundarium: ergo.

28 2. Omne verum eſſe phyſicum non primum, ſeu primarium nō eſt verū eſſe ſubſtantiale; ſed ſi eſſe proximè operativum non eſt effectus primarius formæ ſubſtantialis, non eſt primum eſſe, ſeu primarium: ergo non eſt eſſe ſubſtantiale. Maior conſtat, nam a primo eſſe ſeu primario, res habet eſſe ſimpliciter; ab eſſe vero ſecundario, ſolum habet eſſe ſecundumquid, & eſſe ſimpliciter eſt ſubſtantiale, eſſe vero ſecundūquid eſt accidētale. Min. vero prob. Effectus adæquatus primarius formæ ſubſtantialis eſt dare primum eſſe ſimpliciter: ergo ſi eſſe proximè operativum nō eſt effectus primarius formæ ſubſtantialis, non eſt primum eſſe ſimpliciter.

28 Denique: omnis effectus formalis, poſsitivus phyſicus (& nō præciſsè denominativus) indiſtinctus à forma illum præſtante, eſt effectus formalis primarius illius formæ, quia quod effectus formalis formæ ſit ipſa, vt communicata, ſolū verificatur de effectu primario phyſico, & poſitivo; ſed eſſe proximè operativū eſt effectus formalis phyſicus poſsitivus: ergo ſi eſt indiſtinctus realiter à forma ſubſtantiali, erit illius effectus formalis, non ſecundarius, ſed primarius; ſed hoc eſt falſum, vt ſupra probavimus in confirm. nec hoc admittit ſolutio: ergo.

30 Probat. 3. concluſ. ratione, quæ eſt maior explicatio præcedētis. Operatio in creatis diſtinguitur realiter ab earum exiſtentia: ergo eſſe operati-

vũ in actu primo proximo diſtinguitur realiter ab eſſe ſubſtantiali. Prob. conſeq. primo; Eſſe ſubſtantiale reſpicit exiſtentiam, tanquam actum vltimo illud perficientem, & actuantem in linea ſubſtantiæ: Eſſe proxime operativum in actu primo, reſpicit operationem, tanquam actum ſecundum; vltimo illud perficientem in linea accidentis: ergo eſſe proxime operativum diſtinguitur ab eſſe ſubſtantiali, ſicut ſubſtantia, & accidens, & conſequenter realiter: Prob. conſequent. vltima perfectio in aliqua linea eſſentialiter petit aliquod perfectibile eſſe in eadem linea, quia quod in linea vltimæ perfectionis non eſt, nec vltimo perfectibile in illa linea eſt, cum prius ſit eſſe, quam perfici, & conſequenter prius eſt eſſe in aliqua linea, quam vltimo perfici in illa linea; ſed vltimo perfectibile per operationem, quæ eſt accidens, eſt actus primus proximè operativus; ſicut eſſe vltimo perfectibile per exiſtentiam, eſt eſſe ſubſtantiale: ergo eſſe proximè operativum eſt in linea accidentis, & conſequenter realiter diſtinctum ab eſſe ſubſtantiali.

32 2. Actus primus phyſicus nullo modo phyſicè reducibilis ad actum ſecundum per vltimum actum ſubſtantialem, non poteſt phyſicè identificari cum actu primo ſubſtantiali; ſed eſſe proximè operativum eſt actus primus phyſicus, nullo modo phyſicè reducibilis ad actum ſecundum per exiſtentiam formæ ſubſtantialis: ergo actus primus operativus, nequit identificari cum forma quæ eſt actus primus ſubſtantialis. Minor videtur certa: *Tum* in ſubſtantia exiſtente, & nullo modo operante, *Tùm* quia operatio eſt actus ſecundus adæquatus potentiæ, & actus primi operativi. Prob. mai. Repugnans videtur, quod duo actus primi phyſicè identicentur, & quod vnus phyſicè ſit in actu ſecundo, & vltimo, manente alio omnino in potentia, & actu primo.

Explicatur: implicat, quod ex duobus realiter, & phyſicè identificatis, vnum phyſicè, & realiter mutetur; manente alio realiter, & phyſicè immutato: ſed actus primus phyſicè mutatur per ſui reductionem ad actum ſecundum: ergo ſi actus primus ſubſtantialis, & proximè operativus phyſicè identificarentur pro caſu formæ recipientis exiſtentiam, & nullo modo operantis; mutaretur phyſicè forma, vt actus primus ſubſtantialis, immutata manens, vt actus primus operativus: quod videtur implicare.

32 Si dicas 1. Quod actus primus ſubſtantialis, & proximè operativus comparantur ad exiſtentiam, & operationem, vel tanquam ad actus inadæquatos, vel

vel ad exiſtentiam primario, & ſecundario ad operationē, quia prius eſt eſſe quam operari, & non incovenit, immo defacto contingit, quod idemmet actus primus hoc modo reſpiciens plures actus, mutetur per ſui reductionem ad vnum actum, manens immotus; & in actu primo reſpectivè ad alium actum.

Et quidem omnes probationes inſtatur in actu primo proxime operativo, qui apud nos eſt accidens qui idem manens reducitur ad actum ſuæ exiſtentiæ, per ſui receptionem in ſubſtantia: & ſimul manet in actu primo immotus, dum actu non operatur vt pluries contingit.

33 Contra 1. exiſtentia, & operatio ſunt actus, quorum quilibet eſt adæquatus, & quilibet primarius: ergo ruit ſolutio: Prima pars antecedētis probatur: *Tum* quia ex actibus pertinentibus, vel conſtituentibus diverſum genus, & lineam adæquate diuerſam, nequit conſtitui actus adæquatus, ſed quilibet eſt adæquatus in ſuo genere, & linea: ſed exiſtentia ſubſtantialis, & operatio pertinent ad diverſa genera, nempè ſubſtantiæ, & accidentis, & conſtituunt lineas adæquate diverſas, vt ſunt linea eſſendi, & operandi: ergo.

Tum quia plus diſtant inter ſe linea eſſendi, & operandi, quam linea intelligendi, & volendi; & linea videndi, & audiendi; ſed intellectio, & volitio, viſio, & auditio non comparātur, vt actus inadæquati, ſed quilibet vt adæquatus reſpicitur à ſua potentia, & actu primo: ergo multo melius exiſtentia ſubſtantialis, & operatio.

Tum quia illi actus comparantur, vt inadæquati reſpectu alicuius potentiæ, & actus primi, qui cōveniunt in eodem modo, & ratione formali immutādi potentiam, & actum primum: ſed exiſtentia ſubſtantialis, & operatio differunt pluſquam genere in modo immutandi actus primos, ſeu potētias illius correſpōdentes: ergo. Maior patet: Nam omnes formæ ſubſtantiales ſublunares ſūt actus inadequati materiæ, quia conveniūt in eodem modo, & ratione illam immutādi: ſimiliter omnes ſpecies intelligibiles conveniunt in eodem modo immutandi intellectū poſſibilem: idem de omnibus intellectionibus reſpectu intellectus, & de omnibus volitionibus reſpectu volūtatis Min. vero probatur: Nam exiſtētia actuat eſſentiā, & formā ſubſtantialē, præbendo illi eſſe ſimpliciter, & abſolutum; operatio, vtpote accidens præbet ſolum eſſe ſecundūquid, ſupponitur exiſtentiam ſui principij, & illum immutat, per ſui egreſsū: qui modi actuandi, vt patet ſunt pluſquam primo diverſi.

34 Secunda pars illius antecedentis. Nempè quod eſſe, & operari ſint actus quilibet prima-

marius prob. *Tum*, quia licèt operatio ſit actus, quaſi entitativè ſequutus ad actum eſſendi; non tamen ſequitur ad illum ſpecificativè; hoc eſt in ratione ſpecificātis, & conſtituentis diſtinctā potentiam, & actum primum non ſequitur nec pēdet ab actu eſſendi; vt infra videvimus, probātes potentiam proximè operativam adæquate primario ſpecificari ab operatione: ergo exiſtentia, & operatio non ſe habent, vt actus primarius, & ſecundarius; prob. conſeq. quamvis velle ſit actus ſecundus entitative ſequutus ad intelligere, quia tamen non ſequitur ad illud ſpecificativè; hoc eſt non ſequitur, nec pendet ab intelligere in ratione ſpecificantis voluntatem, quam primario, & per ſe ſpecificat; intelligere, & velle non ſe habent, vt actus primarius, & ſecundarius: ergo pariter.

Tum quia actus ſecundarius alicuius potentiæ, & actus primi, attingitur à potentia, & actu primo ratione actus primarij: ſed operatio non attingitur à potentia operativa ratione exiſtentiæ ſubſtantialis, ſed ratione ſui: ergo.

Tum denique: quia actus primarius, & ſecundarius attinguntur, & inſpiciuntur à potentia, & actu primo ſub eadem ratione formali; ſed eſſe, & operari non poſſunt inſpici nec attingi à ſubſtātia ſub eadem ratione formali; cum ſubſtātia reſpiciat eſſe, ſeu exiſtentiam in genere cauſæ materialis; operationem vero in genere cauſæ efficientis: ergo.

35 2. Contra eandem ſolutionem inſurgo: & ſimul roboratur ratio: exiſtētia, & operatio ſunt actus, quorum quilibet per ſe intenditur à natura, & illi affert ſpecialem perfectionem cōſtituentem diverſam lineam perfectam: ergo quilibet illorum eſt actus primarius, & adæquatus in ſua linea: ergo quilibet eſſentialiter petit ſuum actū primum, per ſe ordinatum, & ſpecificatum ab illo: ergo operatio, quæ eſt accidēs, eſſentialiter petit actum primū per ſe ordinatum, & ſpecificatū ab illa: ergo petit actum primū, qui ſit entitativè accidens ac ſubinde realiter diſtinctum à forma ſubſtantiali. Prima cōſeq. conſtat ex antecedēti; quia actus per ſe intentus à natura afferens ſpecialem perfectionē, & lineam perfectionis, nequit non eſſe primarius. 2. Conſeq. nō minus cōſtat; quia actus primarius adæquatus afferens novam lineam perfectionis, nequit non ſpecificare potentiam ſpecialiter deſtinatā ad illum: ex quo conſtat 3. conſequentia; ac deniqne. 4. Conſeq. patet: quia potentia ordinata per ſe, & à natura deſtinata, ſpecificataque ab accidenti, nequit non eſſe accidens, quia ſubſtantia, nec per ſe ordinatur: nec à natura deſtinatur propter accidens, ſed potiusècontra; nec ab accidenti ſpecificatur.

Difficultas tantum poteſt eſſe in antecedenti quod ſic prob. ſpecialiter de operatione, in qua eſt dubium: operatio, vel eſt ſpiritualis, & immanens, vel tranſiẽs corporalis, & productiva alterius ſubſtantiæ: hoc ſecundũ affert magnam perfectionẽ vniverſo, nempè conſervationem partium eius per continuas generationes: primum vero dicere maximam perfectionem, & cõſtituere lineam ſpecialm perſectam, in qua datur aliquid excedens imperfectione omnia creata, de linea eſſendi, eſt probabiliſsimum, ſcilicèt operatio beatifica: ergo operatio incommuni eſt per ſe intenta à natura, afferẽs illi ſpecialem perfectionẽ, & conſtituens lineam dicentẽ perfectionem, & diſtinctam à linea eſſendi.

36 Ex his roborantur probationes ad quas data eſt ſolutio, & ſolvitur inſtantia ibi allata: implicat quod vna, & eadẽ entitas ſit phyſicè reducta ad ſuũ actum ſecũdum, & vltimum ſimpliciter talem: & quod maneat impotentia, & actu primo ſimpliciter: quod phyſicè mutetur per ſuum actum ſimpliciter talẽ, & quod immutata phyſicè maneat per carentiam ſui actus adęquati ſimpliciter talis; ſed ſi actus primus ſubſtantialis, & proximè operativus phyſicè identificarentur; pro caſu quo forma ſubſtantialis reciperet exiſtentiam, & nullo modo operaretur; hæc implicatio ſequeretur: ergo Prob. min. tunc caſus, talis forma phyſicè mutaretur per ſui reductionem ad actum ſecũdum adæquatum, & ſimpliciter talem ſuæ exiſtentiæ: maneret ſimul in potentia, & actu primo ſimpliciter tali, qualis eſt proximè operativus: & phyſicè immutata per carentiam ſui actus ſecundi, adæquati ſimpliciter talis, qui eſt operatio.

37 Per quod patet diſparitas ad actum primum, ſeu potentiam reſpicientem plures actus, vel inadæquatos, vel vnum primario, & alium ſecũdario, quia per quemlibet illorum reducitur ſimpliciter de actu primo ad actum ſecundum, & per talem reductionem phyſicè mutatur; quia cum omnes actus eiuſdem potentiæ conveniant in eadem ratione, & modo illam immutandi; talis ratio, & modus in quolibet actu, ſivè inadæquato, ſivè ſecundario invenitur; vnde reſpectu aliorum actuum, quos non elicit, non manet ſimpliciter, & formaliter in actu primo, ſed ſolum virtualiter, vel ſecundumquid, quia ratio formalis illum reducens ad actum ſecundum, & conſtituens in actu ſecundo operationis in quolibet actu invenitur, quaſi intenſivè, & formaliter: vt patet in materia prima, qualibet forma actuetur, manet ſimpliciter & quaſi inintenſivè in actu; quamvis poſſit ac-

actuari per alias formas: oppoſitum huius cõtingit in noſtro caſu oppoſita de cauſa; vt probatũ manet. Ad inſtantiam actus primi proximi accidẽtalis dicemus §. ſequenti.

38 Si 2. dicas ad noſtram rationem, vt dicant recentiores Societatis, in illa ſupponi falſum; nempe ſubſtantiã, vel formam ſubſtantialem, eſſe actum primum per ſe ordinatũ, & ſpecificatum ab exiſtentia; quia exiſtentia identificatur cum forma ſubſtantiali, ac ſub inde hæc non eſt actus primus ordinatus ad exiſtentiã; ſed vnicè eſt actus primus ordinatus ad operationem.

Contra: ſi exiſtentia realiter diſtinguatur à forma ſubſtãtiali; & hæc ad illam cõparetur, vt actus primus; noſtra ratio erit efficax; ſed exiſtentiam à forma ſubſtantiali diſtingui, & hanc ad illam, vt actum primum, comparari noſtro videri convicimus lib. 1. ergo.

39 Denique probat. concluſ. nulla ſubſtantia ſpecificari poteſt ab aliquo accidenti; ſed omnis virtus, vel potentia immediate operativa, ſpecifficatur ab operatio ne, quæ eſt accidens: ergo nulla ſubſtantia eſt immediate operativa: conſeq. evidẽter infertur: veritatem præmiſſarum examinare reſervamus ad lib. de Anim. vbi ex profeſſo explicabimus, qualiter potentiæ per actus, & actus per obiecta ſpecificentur: vbi alijs rationibus, quas nunc omitimus, roborabitur præſens concluſ. dum diſtinctionem potentiarum ab anima defendamus.

§. II.

Aliquibus obiectionibus fit ſatis.

40 Obijcies 1. ſpecialiter cõtra rationem provativam cõcluſionis: datur principium proximum operandi idẽtificatum cũ principio proximo eſſendi: ergo ex eo, quod ſubſtãtia ſit actus primus per ſe ordinatus ad eſſe, nõ infertur, quod nõ identificet actum primum per ſe ordinatum ad operationem. Antec. prob. 1. calor (& idem de qualibet virtute accidentali proximè operativa iuxta concluſionẽ) eſt principium proximũ operandi idẽtificatum principio proximo exiſtentiæ ſibi correſpondentis: ergo:

41 2. In ſubſtantia principium radicale operandi identificatur cum principio eſſendi: ergo etiam in illa poſſunt identificari principiũ eſſendi, & principium proximum operandi prob. conſeq. conſequens ideo eſſet falſum, vel quia eſſe proximũ operativum, nõ eſt primum eſſe, vel quia eſt eſſe per ſe ordinatum ad operationem, quæ eſt accidens; vel quia pertinet ad lineã operatiuam, quæ eſt linea adæquate diſtincta à linea eſſendi ſubſtãtialiter; ſed totum hoc inſtatur in principio radicali operãdi: *Tùm*, quia prius eſt ſubſtantiam eſſe ad

ſe,

ſe, & in ſe, quam eſſe radicem operationis: *Tùm*, quia eſſe radicaliter operativũ, definitur per ordinẽ ad operationem: *Tùm*, denique; quia radix alicuius perfectionis nequit non eſſe in linea, in qua eſt perfectio: ergo radix operandi eſt in linea operativa.

42 3. Eſſe principium eſſendi identificatur in ſubſtantia cum principio proximo paſsivo actus accidentalis: ergo etiam poterit identificari cum principio proximo activo operationis: ant. eſt certum; nam ſubſtantia, immediatè, & ratione ſui, eſt potentia, & principium paſsivum receptivum quantitatis, quæ eſt actus, & forma accidentalis, & conſeq. prob. à paritate rationis.

43 Reſp. neg. antec. ad illius 1. prob. conceſ. antec. nego conſeq. ratio diſcriminis eſt: quod cũ eſſe accidẽtis ſit in eſſe; nõ conſtituit illud in aliquo eſſe in ſe, & ad ſe abſolutè, & ſimpliciter tali, ſed ſolũ in eſſe ſecũdũ quid ſub ordinatũ fini, ad quod accidẽs deſtinatur à natura; quia exiſtentia proportionatur eſſentiæ: vnde ſi accidens eſt operativum, eſſe illius, vel illius in eſſe non per ſe intẽditur à natura, ſed tantum materialiter, & quaſi per accidens, & vt ſubordinatũ conceptui operativi, qui cõceptus eſt per ſe intẽtus à natura in accidentibus operativis: propter quod eſſe, & operari in accidẽtibus nõ ſunt actus adæquate diſtincti, nec pertinẽtes ad diverſas lineas: ac ſubinde, nec petunt à principio diſtincto procedere: cuius oppoſitum cõtingit in eſſe ſubſtantiali, & operatione, vt vidimus, & per hoc patet ad inſtantiam allatam ad ſecundam rationem concluſionis.

44 Ad 2. prob. conceſſo antecedenti nego conſequentiã ad huius prob. cõceſſa mai. neg. min. ad primã prob. dico, quod conceptus radicis, ſivè accidẽtiũ, ſivè operationum in ſubſtãtia nullo modo opponitur cum eo, quod de illius cõceptu ſit primum eſſe: quin potius, idem eſt formaliter eſſe aliquid primũ, ac eſſe illorum radicẽ, nam primũ in vno quoq; genere eſt radix cęterorũ: principium vero proximè operativum, ex ſuo conceptu, non dicit primum eſſe rei, vt ſupra probavimus, & idcirco nec eſſe ſubſtantiale.

Per quod patet ad 2. eſſe radicale principium operationis, dicit operationẽ ſolum remotè, & virtualiter, non formaliter, & proximè, proindeque nec ſpecificatur ab operatione; quia ſpecificativũ debet eſſe aliquid formale, & non præciſſe virtuale: nec diffinitur per ordinẽ ad illã; quia ordo ſolum radicalis, remotus, & virtualis, ſicut nõ eſt ordo intrinſecus formalis, nec eſt conſtitutivus; quia conſtitutivũ debet eſſe quid formale, & non remotum. *Patet etiam* ad vltimã, inſtatur; quia ſubſtantia eſt radix omnium accidentium, & non

eſt in linea accidētali; quia radix alicujus lineæ, nō petit eſſe in linea, quam radicat, ſed potius oppoſitum.

45 Ad 3. prob. primi antec. conceſſo etiam antecedenti, neg. conſeq. ſolum principium paſsivum actus ſimpliciter talis per ſe ordinatur ad illum, ſicut materia per ſe ordinatur ad formam ſubſtantialem, vt illius ſpecificativum; vnde ſicut forma accidētalis ſolum dat eſſe ſecundum quid, & ſupponit ſpeciem, & eſſe ſimpliciter in ſuo principio paſsivo; ita hoc principium ſolum ſecūdumquid, & per accidens, ordinatur ad illum, & id circo quamvis immediatè ordinetur, nihil probat contra nos.

46 Obijcies 2. Vnumquoque, eodem modo ſe habet ad operari; quo ſe habet ad eſſe, quia operari ſequitur ad eſſe, ſed forma ſubſtantialis, eſt principium immediatum eſſendi: ergo & operandi.

47 Conf. 1. Sicut de ratione actus, eſt agere; ita de ratione potentiæ, eſt patri, & recipere; ſed de ratione primæ potentiæ, qualis eſt materia prima, eſt pati, & recipere immediatè: ergo de ratione primi actus, qualis eſt forma ſubſtantialis, eſt agere immediate.

48 Confirm. 2. Formæ ſubſtantiali convenit eſſe per ſe: ſed ſi nō eſt immediatè operativa, illi non cōvenit agere per ſe: ergo. Prob. min. ſub ſumpta: ſolum illi conveniret agere per accidens; cum ſolum poſſet agere per virtutem, quæ eſt accidens: ergo.

49 Diſtinguo mai. eodem modo, quod rationem primi principij, cōcedo mai. quoad ratiōnē principij immediati, nego mai. ſicut enim ſubſtantia eſt primum principium, & radix ſuarum operationum; ita eſt primū principium, & radix ſui eſſe: huius autem, non ſolum primū ſed etiā proximum principium eſt; quia eſt quid ſubſtantiale, ad quod per ſe ordinari poteſt: operationis vero nequit eſſe principium immediatum; quia eſt accidens.

50 Ad 1. Conf. reſp. quod ſi ly *ſicut* denotet paritatem quoad aliquid vera eſt mai. non vero ſi intendat paritatē, quoad omnia: parificantur in eo, quod ſicut nihil poteſt pati niſi in quantum eſt in pōtētia; ita nec agere, niſi in quantum eſt in actu differunt tamen in pluribus: ſufficit quod differant in ordine quē dicunt, prima potentia ad ſuum actum, & primus actus ad operationem: illa ordinatur per ſe ad ſuū actum, vel ad proprium ſpecificativum, à quo accipit eſſe ſimpliciter: forma vero ſubſtantialis ordinatur ad operationem, non per ſe, vt ab illa accipiat ſpeciem, aut eſſe ſimpliciter; ſed vt per illam ſolum accidentaliter perficiatur.

Ad

51 Ad 2. conf. Reſp. diſting. min. ſub ſumptam: ly *per accidens* ſignificante id quod in virtute cauſativæ eſt entitativum, conced. min. id quod in tali virtute eſt formale, nego min. recolatur diviſio cauſæ in cauſam *per ſe*, & *per accidens* ſupra aſsignata: nõ eſt illa diviſio in cauſam operãtem per virtutem entitativè accidentalem, vel ſubſtantialem; ſed in cauſam operantem per virtutem propriã ſuæ naturæ, vel formæ; ita vt effectus ſit per ſe intentus á cauſa, quod totum ſalvatur, etiam ſi virtus ſit entitativè accidens.

52 3. Obijcies: eſſe immediatum principium eſſendi, & operandi, identificatur in ſubſtantia Angeli: ergo. Prob. antec. Subſtantia Angeli per modũm ſpeciei impreſſæ activè immediatè operatur ſui intellectionem: ergo.

53 Difficultas huius argumenti, plena eſt opinionibus, quas examinare non vocat in præſenti: ruit argumentum inprimis, ſi omnibus ſpeciebus impreſsis negemus concurſum effectivum in intellectionẽ, vt probabiliter aliqui ex noſtris tenẽt, admittentes præciſſe concurſum formalem, ſicut in obiecto, cuius vices gerunt.

Ruit etiam; ſi cum alijs etiam ex noſtris, concedatur cõcurſus effectivus ſpeciebus, quæ ſunt accidentia; negetur tamen talis concurſus ſpeciebus, quæ ſunt ſubſtantia propter incapacitatem, vt iſta ſubordinetur intellectui in aliqua ſui operatione. Sed quia ſententia, quã in præſenti defenſamus, vtpote Divi Thomæ, & omnium eius diſcipulorũm, non debet fieri dependẽs ab eo cuius oppoſitum eſt valde probabile inter Thomiſtas: admiſſo concurſu effectivo in omni ſpecie impreſſa, ſivè accidentali, ſivè ſubſtantiali.

54 Reſpondent aliqui cum Ferre: nullum eſſe inconveniens, quod ſubſtantia, prout ſpectat ad genus intelligibile, immediate concurrat, & ſpecificetur ab operatione intellectiva: eſſet tamen inconveniens, quod intra lineam entis eſſet immediatum principium eſſendi, & operandi, quia in eodem genere entis haberet duos actus adæquatos, & ſpecificativos: vnde admiſſo in ſubſtantia Angeli cõcurſu immediato in intellectionem, tantum ſequitur, quod in genere entis adæquatè ſpecificetur ab eſſe, & in genere intelligibili ſpecificetur ab intellectione, quod nullum eſt inconveniens.

55 Quæ ſolutio valde difficilis eſt, quia illa admiſſa, pene omnia noſtra fundamẽta corruunt: 1. Quia ſubſtantia intra genus intelligibile, vel manet ſubſtantia, vel non? Si ſecundum: non ſubſtantia, ſed aliud à ſubſtantia, erit immediatè operativum intellectionis. Si primum: ergo non inconvenit, quod genuſ-

ipſam, & nō per accidens ſuperadditum ordinetur per ſe ad aliquid extrinſecum, & quod ſpecificétur ab aliquo accidenti.

52. Per te, ſubſtantia translata ad lineam intelligibilem non ammittit conceptum ſubſtātiæ, quamvis in illa linea habeat ſpecificativum adæquatum, quod ſit accidens: ergo ſubſtantia, manēs ſubſtantia, poterit transferri ad lineam operativam; quamvis in hac línea, habeat pro ſpecificativo adæquato operationē, quæ eſt accidens.

Confirm. non inconvenit in ſubſtantia identificari principia proxima ſpecificata ab actibus adæquatis, pertinentibus ad lineas adæquatè diſtinctas; quamvis vnus actus ſit ſubſtantialis, & alius accidētalis: ſed eſſe, & operari vt vidimus, ſunt actus adæquati pertinentes ad lineas adæquatè diſtinctas: ergo principia proxima ab illis ſpecificata poterunt identificari in ſubſtantia: & in ſumma nullum fundamentum noſtræ ſententiæ aſsignari poteſt, quod manifeſte non inſtetur, tenendo prędictam ſolutionem, nec aliqua diſparitas, poteſt reddi, niſi quod vna linea eſt intellectiva, & alia operativa.

55 Quare probabilius alij reſpondent: quod concurſus effectivus immediatus per modum potentiæ elicientis petit ab operatione ſpecificari; non vero concurſus immediatus effectivus per modum determinantis, & coadiuvantis; qualis eſt concurſus obiectivus ſpeciei: quod hoc ſecundo modo concurrit, ſicut non petit eſſe eiuſdem rationis cum actu in eſſe entis, ſed cum obiecto; cuius ſimilitúdinem generit, & ſpeciem; ita nec petit ab actu ſpecificari, ſed ab obiecto, & ſicut obiectum non ſubordinatur actui, ſed potius actū ſibi ſubordinat, vt illius ſpecifficativum, & menſura, ita ſpecies.

57 Vltima ſolutio, & quæ magis arridet: diſtinguit de ſpecie, quæ eſt accidens, & de illa quæ eſt ſubſtantia: & quamvis vtrique concedat concurſum effectivum, & diverſimode tamē: nam ſpeciei accidētali concedit concurſum immediatum, cum prout accidens, poſsit potentiæ elicienti ſubordinari: at vero ſpecies, quæ eſt ſubſtantia, ſicut in ratione formæ intellectivæ, influit mediate, hoc eſt medio intellectu, ita in ratione obiecti ſpeciei, & formęintelligibilis influit effectivè, mediante eodem intellectu: & ratio eſt, quia intellectus dimanat à ſubſtantia Angeli nō ſolū, vt eſt intellectiva, ſed vt eſt intelligibilis, ratione ſui, & ſine ſpecie ſuperaddita: & ſic ſicut intellectus eſt virtus ſubſtantiæ Angeli, vt intellectivæ; ita etiam eſt virtus, qua ipſa vt intelligibilis influit effectivè.

Addere opportet, quod duo munera ſunt de conceptu ſpeciei intelligibilis: proprium, &

principalius munus eſt vnire, & præſentare obiectum potentiæ, & hoc munus præſtat ſubſtantia Angeli per ſe ipſam,& non medio intellectu;aliud eſt influere effective in cognitionem,& hoc præſtat medio intellectu, qui profluit à ſubſtantia Angeli cum duplici quaſi vi, cum vi elicitiva,prout dimanat à ſubſtantia, vt intellectiva, & cum vi determinativa,ſeu determinata, prout ab illa dimanat,vt intelligibilis:quæ contra vtramque ſolutionem poſſunt obijci, reſervamus ad librum de Anima, vbi ex profeſſo de ſpeciebus intelligibilibus,agemus.

§. III.

Reliqua argumenta ſolvuntur.

58 OBijcies 4. principaliter: effectus ſubſtantialis fit à cauſa efficienti creata media operatione accidentali;ſed non media operatione immediate adæquate procedente ab accidenti:ergo procedēte immediate adæquate, vel inadæquatè ſaltim à ſubſtantia,ac ſubinde hæc erit immediate operativa alterius ſubſtātię.Prob.min. 1.principium *quo* adęquatum immediate operativū effectus ſubſtantialis,debet eſſe nobilius, vel æque nobile cum effectu ſubſtantiali,cum debeat illum continere non per modum materię & ſubiecti;ſed per modū actus, & formæ,;ſed nullum accidens eſt nobilius,imò nec ę quæ nobile cū effectu ſubſtantiali: ergo.

2.Nulla entitas per eam ſolam virtutem,quam ſecum identificat;poteſt adæquare,& immediate producere effectum nobiliorem ſe;ſed ſubſtantia quævis eſt nobilior quovis accidente ſaltim naturali:ergo ,nullum accidens per nullam virtutem, quæ ſit eius entitas poteſt adæquatè immediatè producere ſubſtantiam.

59 Reſpond.conceſſa mai. nego min.ad 1.prob. nego mai. & huius inſerta probatio,in qua eſt difficultas,diſtinguitur;debet continere effectum ſubſtantialem per modum actus,& formę quæ ſit præciſſe virtus alterius actus,& formæ principaliter operātis,conced.per modum actus, & formæ,& quæ ſit ipſa forma principaliter operans,nego:nullum principium *quo* immediate operativum effectus ſubſtantialis,continet illum vt actus,& forma principaliter operans, quia forma principaliter operans eſt ſubſtantialis,& hæc nequit eſſe principium *quo* immediate operativum,ſed tantum continet effectum ſubſtantialem, vt virtus inſtrumentaria formę ſubſtantialis principaliter operātis cōtinentia enim effectus, quantumvis nobilis in virtute præciſſe inſtrumentarie alterius formæ principaliter operantis,non inſert talem virtutem eſſe nobiliorē,vel æque nobilē cum effectu, inſerta

tamen formam, cui deſervit illa virtus inſtrumentaria, ut principaliter operetur, eſſe nobiliorem vel æque nobilem.

60 Ad 2. diſting. mai. per eã ſolam virtutem, quam ſecum identificat, ut propriam, & ad operandum ſibi, concedo mai. quam ſecum identificat, ut virtutem alterius, cuius eſt propria, & ad operandum alteri, cui ſubordinatur ut principali operanti nego mai. Sicut enim inſtrumenta producunt effectus nobiliores ipſis, quia operantur per virtutem non propriam, ſed alterius, nec ſibi operantur, ſed alteri, cui ſubordinantur, ut agenti principali, ita principia proxime operativa poſſunt attingere effectus nobiliores ipſis; quia virtus per quam operantur, quamvis identificata cum illis non eſt illorum propria, ſed ſubſtantiæ, cuius ſunt principia, nec ſibi operantur, ſed ſubſtantiæ cui ſubordinantur: non ut inſtrumentum proprium, ſed ut virtus inſtrumentaria.

61 Contra quam ſolutionem quæ D. Thom. eſt pluribus in locis, plura difficilia poſſunt opponi. 1. repugnat, quod virtus identificata cum accidenti non ſit ipſius propria; quia nihil proprius, quam id quod cum re ipſa identificatur: ergo ſi repugnat, quod accidens per propriam virtutem poſſit producere ſubſtantiam, repugnabit; quod virtus immediate productiva ſubſtantiæ ſit entitative accidens.

62 2. Eſſe virtutem ſubſtantiæ in calore; vel eſt aliquid ſuperadditum entitati caloris, & derivatum à ſubſtantia, vel non: ſi hoc, ecundum, ſicut calor quo ad entitatem nequit eſſe principium adæquatum effectus ſubſtantialis nobilioris ipſo, ita nec ut virtus ſubſtantiæ. Si primum, vel illud ſuperadditum, & derivatũ a ſubſtãtia, eſt aliquid ſubſtantiale, vel accidentale? Si ſubſtãtiale; illud erit immediate operativum; ſi accidentale, idem dicemus de illo, ac de calore, cui ſuperadditur.

63 3. Quod accidens ſit virtus ſubſtantiæ, non præſtat illi adæquatam præcontinentiam alterius ſubſtantiæ: ergo nec illi præſtat eſſe principium quo immediatum alterius ſubſtantiæ: cõſeq. conſtat, & antec. prob. quod non præſtat accidenti eſſe ad minus æquè perfectum cum effectu ſubſtantiali, nullo modo illi præſtat adæquatam præcontinẽtiam effectus ſubſtantialis, quia quod ſub omni modo eſt imperfectius alio, quomodo poterit aliquo modo perfectionẽ alterius conſtituere, & talem perfectionem alteri præſtare, ſed eſſe virtutem ſubſtantiæ non præſtat accidenti eſſe ſaltim æque nobile cum ſubſtantia: ergo.

Confirm. Subſtantia producẽda, quantam perfectionẽ habet, participat à virtute adæquata immediate illius productiva, quomo-

modo illam participare poterit à virtute omnimodo imperfectiori ipſa ſubſtantia? ergo ſi accidens non aſcendit ad perfectionem ſubſtantiæ per eſſe virtutem ſubſtantiæ, nec poterit eſſe virtus adęquata illius productiva

64 4. Quod accidens ſit virtus ſubſtantiæ, nihil plus dicit, quam eſſe deciſſum; & dimanàs à ſubſtantia, vt operetur; ſed hoc non ſufficit ad proportionandū accidēs in ratione principij adęquatè productivi ſubſtantiæ: ergo. Prob. min. quod ſit deciſſum, & dimanans à ſubſtantia non immutat intrinſecè eam virtutē & perfectionem, quam accidens actu habet in ſe, vt diſtinctum à ſubſtantia; ſed virtus, & perfectio, quam accidens habet actu in ſe, vt diſtinctum à ſubſtantia, conſiderata ſecundum ſe eſt improportionata ad producendam adæquatè ſubſtantiam, vt communiter docent Thomiſtæ: ergo. Prob. mai. Perfectio, & virtus identificata cum calore, eadem prorſus eſt, ſive decidatur, & dimanet ab igne, ſive producatur à Deo ſine emanatione, ſicut entitas caloris eadem eſt, ſive emanet ab igne, ſive citra emanationem producatur à Deo: ergo.

65 Denique: virtus inſtrumentaria, iuxta D. Thom nihil aliud eſt, quam motio tranſiens, & effluxus vialis derivatus à cauſa principali; ſed accidentia propria formæ ſubſtantialis ſunt in ea, non vt motiones, & effluxus vialis, ſed vt formæ permanentes, & ſtabiles: ergo male à nobis talia accidentia vocantur virtutes inſtrumentariæ ſubſtantiæ.

66 Nec hæc adeo ſunt difficilia, vt à vera, & Thomiſtica ſententia dimovere poſsint. Ad 1. reſpond. diſting. anteced. non ſit ipſius propria, vt *quod*, & proprietate identitatis, concedo antecedens: vt *quo*, & proprietate virtutis, nego anteced. *Inſtatur* hoc manifeſte in omnibus his, quæ ſunt inſtituta à natura, non tam vt in ſe ſint, quam vt alteri deſerviant, & ſubordinentur, vt ſpecies intelligibiles, ſigna; & alia huiuſmodi, quæ identificāt munera ad quæ ſunt deſtinata à natura, quin tale munus ſibi deſerviat; ſed alteri.

67 Ad 2. aliqui ex noſtris reſpondent; calori ſecundum ſe ſuperaddi, ex eo quod eſt virtus ſubſtantiæ, aliquem modum ſapientem naturam ſubſtantiæ, à qua dimanat, quo nobilius evadit, quam eſſet ex ratione ſui generis, vel ſpeciei; ſicut calor naturalis hominis nobilior eſt, quam calor aſini, plantæ, vel ignis, & etiam quam calor, qui produceretur ſine ſubiecto: & hoc modo ſuperaddito valet attingere effectus ſimiles principio radicali, à quo dimanat.

Et cum inquiritur, an hic modus ſit accidens, vel ſubſtantia? *Reſpondent* eſſe accidens entitative; eſſe tamen virtualiter, & cauſaliter ſubſtantiam, cuius

eſt inſtrumenta'is motio, & elevatio: ſolutio eſt valde probabilis; ſed quia difficultas, quæ vitari intenditur cum illa ſuperadditione modi, manet in ipſo modo ſuperaddito: ideo.

68 Melius cum alijs reſpond. quod in hoc differt virtus inſtrumentaria (quæ ſolet vocari inſtrumentum *quo*) ab inſtrumento *quod*, quod eſt proprie tale, quod iſtud indiget motione, vel qualitate aliqua ſuperaddita illud elevante ad attingendum effectum ſuperiorem ſe; inſtrumentũ verò *quo* eſt ipſamet virtus, motio, & qualitas; qua ſubſtantia agit. Vnde ſicut malleus indiget motione artificis, per modũ virtutis elevantis malleũ: ipſa vero motio, & virtus elevans, alia motione elevante non eget ad productionem effectus principalis agentis, ita accidens cum ſit virtus ſubſtantiæ, nõ eget alia virtute, præter ſe ipſum ad producendam inſtrumentariè ſubſtantiam.

69 Ad 3. neg antec. ad probationem diſting. mai. nullo modo præſtat illi adæquatam præcontinentiam per modum radicis principalis omnis perfectionis effectus ſubſtantialis, conced. mai. per modum inſtrumentariæ virtutis ſubordinatæ radici principalis omnis perfectionis effectus ſubſtantialis, nego mai. & ad interrogationem per modum probationis ibi inſertã. Reſpond. cum D. Thoma 3. p. quæſt. 77. artic. 3. ad 3. *Accidentia poſſunt agere ad formam ſubſtantialem inſtrumentaliter; per quem modum aliquid poteſt agere vltra ſuam ſpeciem non quaſi virtute propria; ſed virtuté principalis agentis.*

Per quod patet ad confirm. habes enim reſponſionem ad interrogationem in illa contentam, ſicut tota perfectio effectus inſtrumentaliter producti participatur à virtute principalis agẽtis inſtrumentum elevante: quãvis virtus elevans ſit omnimodo imperfectior effectu producto, ita in præſenti, quia perfectio effectus non debet metiri cum forma, qua proxime quaſi inſtrumentariè attingitur: ſed cum forma, quæ eſt prima radix à qua procedit, cum hac petit effectus aſsimilari non cum proxima virtute.

70 Ad 4. admiſſã mai. nego min. ad huius prob. diſting. min. ſi ly *ſecundum ſe* dicat præciſsionem, etiam à radice à qua dimanat, concedo mai. Si dicat præciſsionem ſolum ab aliquo ei ſuperaddito, ſubſtantiali, vel modali, nego min. calor ex radice à qua dimanat habet diſtinctam perfectionem, quam haberet ſecundum ſuum genus, & ſpeciem, ſi abſolute produceretur, non vt proprietas, vel virtus alicuius ſubſtantiæ: quãvis eſſe proprietatem, vel virtutem nihil ſit modale, vel entitativum ſuperadditum entitati caloris, prout dimanatis, quia calor, vt calor, ſolũ

ha-

habet pro effectu exſicare, & alium calorem producere; at vero vt dimanans à ſubſtantia, iuxta qualitatem ſubſtantiæ eſt illius virtus, ad producendos effectus diverſæ perfectionis, in viventibus enim nutrit, auget, & carnẽ producit, & nõ producit ignẽ; in igne vero ignem producit, & nõ carnem, & ſic de alijs.

Quid fieret, ſi calor immediate produceretur à Deo ſine concurſu dimanativo alicuius ſubſtantiæ: an produceret effectum ſubſtantialem? Dico, quod in illa hypotheſi ſuppleret Deus cõcurſum radicalem ſubſtantiæ (ſi eſt ſuplebilis; quia in principijs proximis vitalibus eſt difficilius, quod à Deo ſupleri poſsit cõcurſus ſubſtantiæ) vnde ſi calor productus à Deo eſſet eiuſdem rationis cũ calore ignis, poſſet medio illo producere ignem: ſicut illum poſſet producere ſe ſolo ſine igne, & calore.

71 Ad vltimam diſting. mai. Virtus inſtrumentaria, elevativa inſtrumenti *quod* proprie talis, conc. mai. Virtus inſtrumẽtaria, quæ eſt inſtrumentum *quo*, & improprie tale nego mai.

72 Sed adhuc non quieſcũt adverſarij, & inquirunt: cur accidens ex eo præciſe, quod coniunctum ſit ſubſtantiæ, nullo alio ab ea recepto, tantum valeat, vt non modo aliud accidens ſibi ſimile producat; ſed etiam ſubſtantiam excedentem?

Reſponderi poſſet ſolutione, frequenter ab Scoto vſurpata in alijs materijs; quia ſcilicet hęc eſt vtriuſque natura: cum igitur ex natura ſua accidens ſit entis ens; natura ſua adiungitur ſubſtãtiæ, vt proxima illius vis activa; & id circo debet poſſe inſtrumẽtaliter proxime, quidquid ſubſtantia principaliter remote, & natura quidquid deſtinat ad aliquod munus; debet aptum efficere ad illud exequendum.

73 Præter quamquod cum omne agens producat ſibi ſimile, oportet ex ipſo effectu cognoſcere naturam principij; quia debent conformari, cum hoc diſcrimine; quod id vltimum debet eſſe in effectu, quod eſt primũ in cauſa, ſeu principio; quia in effectibus naturalibus; proceditur ab imperfecto ad perfectũ: ſicut enim dum ignis producitur, non ſtatim producitur forma ignis, qui eſt perfectiſsimus effectus, ſed præit calor, vt diſpoſitio, ita in igne producente, licet ſubſtantia ſit principalis cauſa; non tamen immediate agit, ſed mediat calor, vt illius proxima virtus: vnde ſicut ex parte effectus, calor productus concurrit paſsive, vt immediatior effectus ad principaliorem, qui eſt ſubſtantia producta ignis, ita calor producens concurrit active, vt immediatior virtus ſub principali, & radicali virtute.

Ac denique ſicut calor effectus paſsive concurrit ad effectum ſe nobiliorem, non ex ali-

quo ei ſuperaddito, ſed ex naturali colligatione cũ effectu principali, qui eſt forma ignis: ita calor efficiens concurrit activè ad effectum ſe nobiliorem, non per aliquid ei ſuperadditum; ſed ex naturali colligatione, quam habet cum forma ignis agentis, vt virtus illius proxima: quæ doctrina etiam congruit experientiæ, qua videmus, nec ignẽ produci, niſi calore præcedente; nec producere, niſi per calorem ab ipſa forma dimanantem.

Videmus etiam accidentia ſeparata à proprijs ſubſtantijs per hoc præciſsè, quod ab illa ſint decisſa, operari effectus ſubſtantiales: dicere quod cũ deeſt ſubſtantia; prædicta accidentia ſolũ ſunt diſpoſitiones, ad quarum exigẽtiam Deus introducit formam ſubſtantialem, eſt dicere, quod D. Tho. n. in ſimili, vocat ridiculũ: in opuſ. de motu cordis, ait enim: *Ridiculum eſt ad cauſas extrinſecas primas recurrere, quando adeſt principium intrinſecum.*

74 Obijcies 5. accidentia, quæ ſunt ſubſtantiæ proprietates, immediate effective profluũt ab illa: ergo ſubſtantia ſaltim erit immediate operativa illorũ. Diſtinguo anteced. profluunt immediate; dimanative, cõcedo antec. immediate operative, neg. antec. quid ſit dimanatio, & qualiter à cauſalitate effectiva, & operativa differat; dicemus articulo ſequenti.

75 Denique obijcies: ſi ſubſtantia non eſt immediate operativa, omnis prorſus activitas à ſubſtantijs creatis relegatur; ſed hoc eſt abſurdum: ergo. Prob. mai. non ſtat vera activitas, ſine vera actione egrediente à ſubſtantia; ſed ſi ſubſtantia non eſt immediate operativa, nulla vera actio ab ea egreditur: ergo. Prob. min: nulla datur vera actio egrediens à ſubſtantia, in aliam ſubſtantiam; nec actio egrediens ab illa in accidẽs, medio quo producit ſubſtantiam, vt immediate diximus, & poſta dicemus, quod dimanatio non eſt actio ſubſtantiæ, quæ eſt principium dimanationis: ergo.

76 Si dicas: quod omnis actio vera egreditur à ſubſtantia non immediate, ſed tantum mediate: Cõtra eſt 1. agere mediate vere, & proprie effectum, B. eſt agere immediate, vere, & proprie id, quod immediate vere, & proprie agit effectum, B. ſic meus Avus eſt vere cauſa mediata mei; quia eſt vere cauſa immediata Patris mei vere, & immediate me cauſantis: ergo ſi ſubſtantia non eſt vere immediate activa accidentiũ, quæ vere immediate cauſant ſubſtantiam, vel alium effectum, nec ſubſtantiæ, nec alterius effectus erit cauſa vera mediata.

77 2. Nam cum virtus accidentalis actu agit, vt ſubſtantia, actu influit in virtutem accidentalem, vel non: ſi hoc ſecundum: ergo actio virtutis non eſt actio ſubſtantiæ; cum hæc eo-

dem modo ſe habeat, ſivè virtus actu agat, ſivè virtus ſit in ocio, nihil agens: Si primum, vel influit actu dimanative, vel operative: ſi dimanative: ergo quoties virtus accidētalis de novo operatur, de novo dimanat à ſubſtantia, quod eſt abſurdum: ſi operative: ergo ſubſtantia immediatè operatur, ſaltim in accidens, quod eſt illius virtus.

78 Ad argumentum bene ibi dictum eſt: ſubſtantia agit vere, & proprie radicaliter, & mediate; & quando inquiritur de hoc radicali influxu, & activitate quid ſit? Dicimus, quod entitative, & in re eſt indiſtinctus ab actuali influxu, qui procedit mediante virtute accidentali: differt tamen ſecundum modum dependentiæ, quatenus procedit à virtute dependente, & radicata in ipſa ſubſtātia, & hoc modo operatio ab vtroque dependet: ſicut ſolet dici de concurſu ſimultaneo primæ cauſæ, qui etiam apud adverſarios, eſt entitative indiſtinctus ab ipſa actione cauſæ ſecundę, vt dependente à prima, quia actio alicuius, vt dependētis ab alio, tāquam à radice ſui, eſt actio etiam ipſius radicis.

79 Ad 1. quod in contra opponitur dico: quod diviſio cauſæ in immediatam, & mediatam non eſt illa, quam aſsignat replica: ſed quam nos aſsignavimus ſupra; agere enim mediate, non eſt, quod id, quod immediate agit, ſit operativum ab alio; ſed quod id, quod immediate agit actu depēdeat ab alio: Pater actu non dependet à Avo, vt producat filium: virtus vero accidētalis actu dependet à ſubſtantia, vt à ſubiecto ſubſtentate, & cōſervante, vt operetur; vel ab alio vicem ſubſtantiæ gerente, quod eſt aliquid ſubſtantiæ, vt in ſemine.

80 Ad vltimam dicimus, quod dum virtus accidentalis actu agit, etiam ſubſtantia actu influit, influxu radicali, & entitative indiſtincto ab influxu proximo actuali ipſius virtutis, actione indiviſibiliter procedente ab vtraque, tanquam à principio vnico conflato ex virtute radicali, & proxima: ad quod non requiritur, quod virtus actu dimanet à ſubſtantia; ſed quod ab ipſa dimanaverit cum vigore ad omnes operationes; vnde omnes, quæ de novo fiunt, ſubſtantiæ attribuūtur, vt agēti principali; ſicut omnes effectus vis inſtrumētariæ, motivæ, vel impulſus diu durantis, attribuuntur proijciēti, quanvis dum exijt effectus de novo, de novo non exeat impulſus à proijciente.

Alia ſunt argumenta contra hanc cōcluſionem, quę commodius proponemus, & ſolvemus in lib. de Anima, agentes de diſtinctione potētiarum ab anima.

ARTIC. III.

Quid ſit dimanatio, & cauſalitas effectiva?

81 Vidimus virtutem, qua

efficiens cauſa conſtituitur in actu primo radicaliter, & proxime contentiva, & effectiva ſuorum effectuum: videamus iam, perquid conſtituatur in actu ſecundo faciens à ſe dependere omnes effectus ſibi correſpondẽtes. Non ſolum aliæ ſubſtantiæ, ſed etiam ipſa accidentia poſſunt dici aliquo modo effectus ſubſtantiæ; actualis concurſus ſubſtantiæ in accidentia propria, dicitur dimanatio, actualis vero concurſus in alios effectus, dicitur cauſalitas: de vtraque inquirimus: quid ſit?

§. I.

De dimanatione.

82 Accidentia propria, vel proprietates dicuntur ea, quæ naturaliter debentur eſſentijs rerum, vt perfectæ ſint & vt conſequi poſſint perfectionẽ, cuius ſunt capaces, iuxta conditionem propriæ naturæ: licet enim forma ſubſtantialis det ſubſtantialem, & primariam perfectionem cum limitata ſit; ſe ipſa non ſufficit ad omnia munera exercenda, quæ ad operandum, & ad ſe conſervandum indiget, vt vndequaque perfecta ſit, iuxta conditionem ſuæ naturæ; proindeque, indiget formis à ſe diſtinctis ad talia munera; quæ cum non dẽt primum *eſſe*, debent eſſe accidẽtales, & cum primum *eſſe* rerũ exigat perfectionem, quæ ſibi eſt debita, & ab ipſo non præſtita; ſit vt formæ accidentales, hoc modo perficientes ſint debitæ, connexæ cum forma præſtante primum eſſe, & has vocamus accidentia propria, ſeu proprietates.

85 Prima Concluſio: *Proprietates non profluunt ab eſſentia per veram actionem eſſentiæ in ipſas: vera actio ad illas terminata eſt actio generantis, vel creantis eſſentiam, primario terminata ad eſſentiam, ſecundario vero, & ex conſequenti ad proprietates*: Prima pars conſtat; Tum ex artic. præcedenti: vbi eggreſſum immediatum veræ actionis, vel operationis a ſubſtantia negavimus: ſed vera actio ſubſtantię in proprietates, immediate eggrederetur ab ipſa: alias eggrederetur medijs alijs proprietatibus, vel accidentibus, de quibus maneret eadem quæſtio: ergo.

Tum quia vera actio ſubſtantiæ in proprietates eſſet eductiva illarum, ex potentialitate ipſius ſubſtantiæ; ſed hoc eſt falſum: ergo. Mai. patet. Tum quia actio creativa à ſubſtantia creata non eſt: Tum quia proprietates fiunt dependenter à ſubſtantia, tanquam ſubiecto in quo ſunt, & fiũt. Min. vero prob. quia alias idem, ſecũdum idẽ, eſſet in potentia, & in actu, cum idem, ſecundum idem, ideſt ſubſtantia nullo ſuperaddito, ſed per ſe ipſam, eſſet in actu ad effectionẽ, & in potentia ad eductionẽ proprietatum: nec eſt idem de concur-

curſu dimanativo ſubſtantię in proprietates, qui apud nos effectivus eſt, exigens ſubſtantiam in actu: non inquam eſt idem; quia ad dimanationem ſubſtantia non eſt in actu per actionem à ſe elicitam, ſed à generante, qua actione ſubſtantia conſtituta in actu, attinguntur proprietates; vnde ſubſtantia per aliud eſt in actu, & per ſe in potentia.

84 Secunda pars concluſionis prob. *Tum* quia, qui dat *eſſe*, dat conſequentia *ad eſſe*; ſed ad primum *eſſe*, quod eſt ſubſtantia, neceſſario conſequuntur ea, ſine quibus tale *eſſe*, nec oqerari, nec conſervari poteſt, qualia ſunt accidentia propia: ergo per eam actionem, qua ſubſtantia ponitur in primo ſuo *eſſe*, ponitur ex conſequenti in *eſſe* conſequuto.

Tùm: quia agens perfectum, in linea in qua eſt agẽs, intendit perducere effectum vſque ad vltimam perfectionem, debitam effectui in illa linea: ergo intendit producere illum, cum omni perfectione debita illi in ſua linea; ſed nullum agens naturale, intendit in effectu, quod ſua actione nequit producere in illo: ergo ſi proprietátes ſunt perfectiones debitę ſubſtantię; per eam actionẽ, qua ſubſtantia a generante producitur, ex conſequenti producuntur proprietates.

85 Secunda concluſio: *Dimanatio, prout reſpicit eſſentiam pro principio nihil aliud eſt, quam connexio ipſius cum proprietatibus, exigens vt actio, qua ipſa producitur ſit ſecundario, & ex conſequenti productiva proprietatũ.* Prob. Dimanatio, quæ vt diximus, nihil eſt entitativè præter actionem generantis eſſentiam; debet aliquo modo, reſpicere eſſentiam pro ſui principio, ſicut, & ipſę proprietates, ſed nec proprietates, nec illarum dimanatio, reſpiciunt eſſentiam, pro *principio* vere activo, vel operativo: ergo reſpiciunt illam, pro principio, in quantum connexio eſſentiæ cũ proprietatibus, exigit, quod productio eſſentię per illam tranſeat ad eſſe productionem proprietatum.

86 Ex his inferes, dependentiam proprietatum ab eſſentia conſiſtentem in dimanatione ab illa, eſſe dependentiam phyſicam de genere efficientis, licet non proprie: vltima pars cõſtat, quia dependentia propria de genere efficientis dicit influxum, per veram actionem, vel operationem; ſed proprietates hoc modo non pendent ab eſſentia, vt vidimus: ergo. Prima pars etiam prob. id quod eſt ratiò, cur vera actio efficientis tranſeat ad vere producendum aliquem terminum; & eſt in cauſa, cur effective producat illum; pertinet ſaltim reductive ad genus efficientis; ſed eſſentia propter connexionem cum proprietatibus eſt, ratio, cur actio producentis ipſam trãſeat ad producendas proprietates, & ſe habet per modum deferentis illam, quaſi cooperando de-

Ad 2. dicimus: quod ibi non eſt nova actio ſimpliciter, ſed tantū nova explicatio prioris, vel primę actionis, vſque ad perfectionem termini ſecūdarij; nā virtus, & vis generantis virtualiter perſeverat in ſuo termino primario, & hęc poteſt explicari ablato impedimento, vt extendatur ad terminum ſecundarium: ſed de his plura, & alia dicemus agentes de motu gravium, & levium.

§. II.

Quænam ſit cauſalitas efficientis cauſæ.

91 CONcluſio eſt: *Actio, eſt cauſalitas cauſæ efficientis*: concluſio in recta communis inter Auctores, ſolā inventa differentia in modo loquendi. Prob. 1. ex Divo Thoma lect. 1. de Cauſis dicente: *Influere, & producere exprimit cauſalitatem cauſæ efficientis*. *Producere* dicit ipſam productionem in cōcreto ſicut *agere* ipſam actionem; ſolū cum differentia, quod agere, explicat actionem per modū exercicij, & in concreto *actio* vero ſignificat illam per modum formæ, & in abſtracto: ſed parū refert quantum ad præſens, quod cauſalitas effectiva explicetur per modum formæ, dicendo, quod eſt *actio*, vel explicetur per modū exercitij, dicendo, quod eſt *agere*; quia in re eadem eſt actio, quoad munus cauſalitatis ſignificetur vno, vel altero modo.

Prob. 2. ratione; quia actio eſt, qua efficiens exijt de actu primo ad actum ſecundum; qua exercetur eius virtus cauſativa, qua actu influit in effectum; & media qua effectus ab efficiente profluit, & dimanat; ſed non in alio cauſalitas effectiva conſiſtit: ergo actio eſt cauſalitas cauſæ efficientis.

92 Obijcies: idem nequit eſſe cauſalitas, & effectus, quia cauſalitas ſe tenet ex parte cauſę, vt illius exercitium, effectus ſe tenet ex parte termini, & pendet à cauſa, media cauſalitate; ſed actio eſt effectus cauſæ efficientis, cum ſit verum ens, & ſi accidentale, vere dependens ab influxu, & virtute efficientis: ergo.

Confirm. ad minus actio tranſiens ſe tenet ex parte paſsi, & committatur motū; ſed efficiētis cauſalitas ſe tenet ex parte agentis: ergo ad minus actio trāſiens non eſt cauſalitas.

93 Diſtinguo: idem nequit eſſe cauſalitas, & effectus *quod* ſtrictè talis, concedo mai. & effectus tātum *quo* communiter, & late, nego mai. Actio hoc ſecundo modo, non primo eſt effectus; nam licèt dependeat à virtute cauſæ efficientis, non pendet ab influxu illius, cum ſit ipſe influxus; nec eſt id in quod influit, ſed id quo actu influit in effectus ſuos; vnde ad ſummum poteſt dici effecta, vt *quo*, non vt *quod*.

Ad confirm. ſi actio tranſiens, inchoative, vel formaliter, conſtituatur in agente; facile apparet, qualiter ſit eius cauſalitas; ſi vero adęquate ſubiectetur in paſo; erit illius cauſalitas formaliter prout dicit *ab*, hoc eſt, prout eſt ab illo, & ab illo dimanat, vt illius exercitíum, & actus ſecundus; non vero conſiderata materialiter, vt dicit aliquid fluens cum motu; hęc duplex conſideratio eſt de conceptu actionis iuxta illius diffinitionem traditam à D. Thoma infra in 3. phyſic. lect. 5. *Actio eſt actus ab agente in aliud.*

ARTIC. IV.
Quid ſit cauſa inſtrumentalis?

94 DIviſionem cauſæ in principalem, & inſtrumentalem, diximus ſupra, eſſe ita propriam cauſæ efficientis, vt in nullo alio genere cauſę proprie inveneri poſsit; & id circo, pro completa notitia cauſę efficientis, aliquid de inſtrumentis, eſt in præſenti diſſerendum.

§. I.
Propria ratio cauſæ inſtrumentalis explicatur.

95 CVm cauſa inſtrumentalis dicatur reſpectu principalis, cui miniſtrat, & ſubſervit, iuxta varias acceptationes, & diverſos titulos, propter quos cauſæ habent principalitatem in cauſando, per carentiam eorundem titulorum, habebunt aliæ rationem inſtrumenti aliquo modo reſpectu illarum: primo poteſt dici cauſa principalis, quia in cauſando à nullo dependet; & ſic ſolum Deus cauſa principalis dici poteſt, & aliç omnes reſpectu illius inſtrumentales.

Secundo: principale dicitur totum, & minus principale, eius membra; propter quod iſta dicuntur hominis inſtrumenta: Tertiò cauſa habet principalitatem, quia dat vltimam perfectionem effectui, & per oppoſitum, cauſa tantum diſpoſitiva, poteſt dici inſtrumentalis. Denique, cauſa habet principalitatem, ratione formæ, & propriæ virtutis qua agit, cauſat, & continet effectum, propter quod id quod non habet virtutem propriam, qua cauſet, ſed concurrit ad affectum per virtutem alienam, dicitur inſtrumentalis cauſa.

96 Ex his acceptionibus cauſæ inſtrumentalis per correſpondentiam ad principalem: ſolum vltima eſt proprior, & ſtrictior. Sed vt radicitus proprijſima ratio cauſæ inſtrumentalis, innoteſcat: Advertes, quod tripliciter poteſt dici aliqua virtus propria alicuius cauſę: Primo per ſubſtentationem, ſecundo per ſubordinationem, tertio per dimanationem; dicitur virtus propria per ſubſtentationem, quando licèt ſubiectum, in quo recidet virtus non ſit proprium ipſius

virtutis: ipſa ratio recepta, eſt propria permanēs, & principaliter continens effectum, ſic lux in luna, calor in aqua, & in ferro candenti.

Dicitur etiam virtus propria per ſubordinationem, quando virtus propria permanēs, & principaliter continens effectum, nō oritur tanquam proprietas ex cauſa cū illa operāte, operatur tamē cauſa cū illa, illā ſubordinando ſibi, & alteri virtuti, & principio ex ſuis viſceribus cōnaturaliter orto: ſic virtutes ſupernaturales, ut lumen gloriæ charitas, & huiuſmodi ſunt propriæ creaturarum proprietate quaſi ad vsū, quatenus ſubordinantur ipſis illarumque intellectui, & voluntati, vt illis quaſi vtantur ad operandum ſupernaturaliter.

Denique dicitur virtus propria per dimanationem: quando virtus propria permanēs, & principaliter continens effectum oritur, & dimanat tāquam proprietas ex forma conſtituente causā, ſic calor eſt virtus ignis, lux ſolis, & potentiæ animæ.

97 Sicut enim agens per virtutem aliquo ex prędictis modis aliquo, & vero modo agit per virtutem propriam, ita aliquo, & vero modo poteſt dici cauſa principalis: ex quo infertur quod quando virtus, aut vis qua cauſa aliqua agit, nec dimanat ab illa, ut proprietas, nec ſubordinatur in agendo vlteriori potentiæ, vel virtuti, quæ ſit cauſæ proprietas, nec ſubſtentat virtutem principalem, ut hæc operetur; ſed tantum eſt vis quædam realiter incomplete participata per modum motionis virtuoſæ à virtute propria permanente, & principali alterius cauſæ conſtituit cauſam inſtrumentalem. his prænotatis.

98 *Concluſio ſit*: cauſa inſtrumētalis, primo, & per ſe differt à cauſa principali, per hoc quod illa agit per virtutē propriam, vel propriæ formæ; inſtrumētalis vero agit per virtutem alienam, vel per motum, quo movetur à principali agente: prob. differentia in cauſis per id quod primo, & per ſe, ſe habet ad causādum, eſt per quam primo, & per ſe differunt inter ſe; ſed differentia à nobis aſsignata datur per id, quod primo, & per ſe, ſe habet ad causādū principaliter, & inſtrumētaliter: ergo: Prob. min. ſicut virtus propria, & forma qua agens conſtituitur in actu, ſe habet ad agendū principaliter: ita ſe habet motus, quo inſtrumentum movetur à principali agente ad agendum inſtrumentaliter; ſed virtus propria, & forma qua agens cōſtituitur in actu primo, & per ſe ſe habet ad agendum principaliter: ergo motus à principali agēte primo, & per ſe ſe habet in inſtrumēto ad agendū inſtrumētaliter mai. eſt D. Thom. quæſt. 27. de Veritate art.4. dicentis: *Sicut ſe habet forma completa ad per ſe agendū ita ſe habet motus, quo movetur à prin*ci-

cipali agente ad inſtrumentum. Et min, eſt evidens.

Confirm. cauſa efficiens in actu primo coincidit cum forma; quia ratione illius in ſua virtute cõtinet effectum: ergo cum cauſa habet formam, qua effectum continet, ipſi effectus principaliter tribuitur; ſed cauſa inſtrumentalis dicitur per excluſionem principalis virtutis, & per aliquid quo tranſeunter deferat virtutem cauſæ principalis: ergo primo differt à cauſa principali, & conſtituitur in ratione inſtrumenti per tranſeuntem virtutem, quæ eſt virtuoſa motio principalis agentis.

99 Ex iſta differentia primaria, & per ſe; quia ut diximus ſumitur ex ipſa forma, & actualitate, qua cauſa influit active; oriuntur aliæ, quod effectus non aſsimilatur inſtrumento, ſed principali agenti; & quod agit ultra ſuã ſpeciem: in cauſa vero principali; effectus debet aſsimilari formaliter, vel eminẽter formę per quam agit, nec excedere poteſt ſpeciem formæ, vel propriæ virtutis, qua principaliter agit.

Ex his etiam manet explicata ratio conſtitutiva, & propria cauſæ inſtrumentalis conſiſtens in duobus; nempe quod inſtrumentum in quantum tale operetur ut pure motum ab alio, ita quod tota ratio operandi ſit motionem toti ratio inſtrumenti conſiſtat in operando miniſterialiter, vt deſerviens, & ſubiectum alteri, & conſequenter tota ratio ſit ab illo moveri: ex quo ſequitur alia ratio propriiſsima inſtrumenti: nempe quod actus, ſeu effectus procedens ab inſtrumento, ipſi non aſsimiletur, ſed principali agenti cui deſervit: ſicut ſerra non producit ſerram, ſed Cathedram ſimilem ideæ artificis; & ſic de alijs amplius propria ratio inſtrumenti explicabitur, ſolvendo aliqua, quæ contradicta opponi poſſunt.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

100 Obijcies 1. aliquæ cauſæ creatæ ſunt principales, ſed nulla cauſa creata agit, niſi vt mota à prima & increata cauſa: ergo cauſam agere, ut motam ab alia cauſa, nequit conſtituere cauſam inſtrumentalem, & illam diſtinguere à principali.

101 Diſting. min. nulla cauſa creata agit, niſi vt mota ad effectum proprium, & ab ipſa per ſe intentum, concedo min. ad effectum alienum, & præciſſe intentum à cauſa movente, nego min. quod cauſa creata principalis operetur vt mota à Deo: non tollit, quod effectum reſpiciat, vt proprium, & ab ipſa per ſe intentum, quod in inſtrumento non invenitur.

Vel ſecundo ly *vt mota* dicente totam, & præciſam ratio-

tionem agendi, neg. min. dicēte conditionem ad agendum, vel rationem concauſæ actu operātis, conced. min. eſſe motam cauſam ſecundam ad agendum nō dicit totam rationem agendi: cū tota ratio agendi in illa ſit propria virtus: dicit tamen conditionem ſine qua virtus propria nequit exire de indifferētia, vel potentialitate ad determinationē, & actualitatem requiſitam ad actum agendi, ut infra videvimus; in inſtrumentis vero motio eſt tota, & formalis ratio agēdi.

102 2. Obiicies: calor ignis ad generandum ignem eſt inſtrumentum: ſicut calor naturalis, vel potentia nutritiva ad producendam carnem & tamen in his nulla motio antecedens excogitari poteſt: ergo. Conf. ſemen dicitur inſtrumentum generantis; ſed hoc poſtquam eſt deciſum nullam novam motionem à generante recipit: ergo inſtrumentum non conſtituitur per motionem vialem receptam in ipſo, prævia ad actionem ipſius.

103 Reſp. ex ſupra dictis: calorem non eſſe vere inſtrumentum, de quo in præſenti; ſed potius eſt ipſa virtus conſtituens cauſam principalem operantem, dicitur virtus inſtrumētaria, quatenus non ſibi, ſed formæ cuius eſt virtus operatur, & aſſimilat effectum, & cum ſit ipſa virtus principalis cauſæ; non indiget ſpeciali motione, ſed hoc ipſo, quod ab illa procedit, dicitur moveri ab illa, & durat motio, quamdiu durat virtus, quia virtus ipſa eſt ipſa motio cauſæ principalis.

Per quod patet ad confirm. cuius ſolutio conſtat ex D. Tho. quæſt. 3. de Potent. artic. 11. ad 5. dicente: *Quod ſemen tandiu intelligitur moveri ab anima generantis quandiu remanet ibi virtus impreſſa ab anima licet corporaliter ſit diviſum*, & non eſt novum, quod motio agentis principalis, non ſtatim ceſſet; vt explicat ibidem D. Thom. dicens: *Sicut ſagitta tandiu movetur à projiciente, quandiu manet vis impulſus projicientis*: Exemplum hoc tenet ſolū quoad aliquid, non quoad omnia; quia ſemē potius dicitur virtus inſtrumētaria, quam inſtrumentū, & ſic eius virtus, quæ eſt eius quaſi motio, non eſt tranſiens, ſed permanens; vt D. Thom. docet q. vnica de anima art. 11. ad 2. dicens: *Quod virtus quæ eſt in ſemine à Patre, eſt virtus permanens ab intrinſeco; non fluens ab extrinſeco, ſicut virtus moventis, quæ eſt in projecto*. Quare virtus ſeminis debet numerari inter virtutes inſtrumentarias, non conſtituentes inſtrumentum proprie.

104 Denique obiicies: ſequitur ex noſtra doctrina, noſtrum intellectum, & voluntatem in ordine ad actus ſupernaturales viſionis Dei, & illius dilectionis, ſe habere vt proprie inſtrumentaria, conſequens quantivis ... mi-

mittat Suar z à nullo Thomiſtarũ admitti poteſt: ergo. Prob. ſequela: nam virtus, qua intellectus, & voluntas elevatur ad prædictos actus, non eſt propria, nec propriæ formæ, ſed aliena. Deinde prædicta virtus, iuxta Thomiſtas, eſt tota ratio agendi prędictos actus: ergo nihil deeſt, vt ſint vere inſtrumenta, ſi vera ſunt, quæ diximus.

105 Reſp. ex his, quæ ſupra prænotavimus. Neg. ſequelam ad illius prob. dicimus, quod de ratione inſtrumenti non ſolum eſt, quod operetur aliquid vltra virtutẽ propriã proprietate sũpta ab eo quod virtus naturaliter dimanet à propria forma, ſed vlterius requiritur, quod operetur vltra virtutem, quæ ſibi facta ſit propria, ex participatione alterius: ita vt talis virtus non ſit ſubiecta proprio motui, & vſui, ſed alterius cui deſervit, & miniſtrat: ſi cauſa aliqua ita participat virtutem ab alio, quod poſsit vti ea, ſe movere cum ipſa, vel ita operari cum illa, ac ſi eſſet ex propriis naturæ orta: parũ refert ad conſtituendam illã cauſã principalem, quod excedat proportionem nativæ virtutis, dummodo operatio non excedat proportionem virtutis ſibi apropiatę, & ſubiectæ proprio vſui.

Et ratio eſt, quia cauſa cum virtute hoc modo ſibi appropriata illã ſibi ſubiicit, & illa vtitur ac ſi ex propria forma eſſet orta; & ſubinde operando cum illa, ſibi, & non alteri deſervit, & miniſtrat: quod quidẽ inſtrumento proprie tali, convenire nequit de cuius eſſentiali ratione eſt, quod reſpiciat aliud cui vt principali deſerviat, & cui aſsimiletur effectus, & à quo moveatur.

106 Per quod patet ad illã probat. intellectus enim, & voluntas per illam virtutem à Deo participatã ſe movent & aſsimilant ſibi actus vitales ſupernaturales in quantum tali virtute, ſibi ſupernaturaliter vivunt, & nõ alteri miniſtrant, & deſerviunt.

107 Dices, quod elevat aliud ad operandum vtitur re elevata: ergo res elevata ſe habet vt inſtrumentum elevantis: ergo virtus ſupernaturalis elevans intellectum, & voluntatem vtitur ipſis, & non ècontra, & conſequenter ſe habent, vt inſtrumenta.

Reſp. quod virtus illa elevans non vtitur virtute activa intellectus, & voluntatis, vt præciſſe mota, ſed vt movente ſe etiam in vſu talis virtutis elevatæ: nec talis virtus elevat, vt effectus aſsimiletur alteri agenti diſtincto ab elevato cui miniſtret, ſed vt agens elevatũ, vt tale aſsimilet ſibi effectũ, & in ſe vivat per illũ.

§. III.

Diviſiones cauſæ inſtrumentales.

108 PRimo diuiditur inſtrumentum, in *phyſicum, & morale*. Phyſicum eſt

quod

qnod à cauſa principali accipit Phyſicam vim ad agendum; vt ſerra ab artifice: morale eſt, quod à cauſa principali ſolum morali ter movetur, vt mandato, pacto, vel præcibus; ſic ſervus dicitur inſtrumentum domini iubentis: & etiam ſcripturæ ſolent dici, inſtrumēta moralia ex hominū inſtitutione, vt talia ſignificent, vel ad talia obligent.

109 Secundo dividitur inſtrumentum, in inſtrumentum *quod*, & inſtrumentum *quo*: inſtrumētum *quod* eſt quod agit, & elevatur à principali agente: inſtrumentum *quo* adhuc eſt duplex: aliud eſt quo fit inſtrumētum aptum elevari: aliud eſt virtus qua actu elevatur, & in ratione inſtrumenti formaliter conſtituitur: exemplum eſt in ſerra; inſtrumentum, vt *quod* eſt ferrum, & cum aptatur ſub forma ſerre, eſt iam inſtrumentum, vt *quo* aptitudine, & cum actu movetur ad ſecandum, eſt inſtrumentum formaliter, & conſtitutive.

Rurſus inſtrumentum, vt *quo*, vt eſt virtus totalis agēdi, adhuc eſt duplex, alia proprie dicta, & conſtitutiva inſtrumenti proprie talis, quæ nomine *motionis* ſolet vocari, quia eſt tranſiēs, & fluens; alia improprie dicta, quæ proprie non cōſtituit inſtrumentum, ſed potius cauſam principalem proxime, & immediate operantem quæ virtus eſt permanens, & ſolet vocari virtus inſtrumentaria, vt calor ignis, ſemē deciſſum ab animali, & potentiæ animæ.

110 Tertiò dividitur in *Artificiale*, vt malleus, & callamus; & *naturale* vt lingua, manus, & alia membra, & *ſupernaturale*, quod elevatur ad opera, & effectus ſupernaturales, vt ſacramenta, humanitas Chriſti, & alia.

111 Denique dividitur in *coniunctum*, & *ſeparatum*, quę diviſio varie explicatur: alij explicant dicendo: coniūctum eſſe manum, v.g. & Baculum eſſe inſtrumentum ſeparatum, & in ſupernaturalibus reſpectu gratiæ, humanitas Chriſti dicitur inſtrumentum coniunctum divinitatis, & Sacramenta inſtrumentum ſeparatum: alij explicant dicēdo, quod inſtrumentum ſeparatum eſt, quod diſtat loco, vel tempore; coniunctum vero, quod eſt contingũum cum cauſa principali: vt ſagita, & globus igneus ſunt inſtrumentum ſeparatum: Arcus vero, vel ſclopus coniunctū: ſed extrictior eſt prima explicatio; iſtæ ſunt communiores diviſiones inſtrumenti. An omnia mēbra ſtricte participent rationem inſtrumenti? Non vacat in præſenti diſputare.

ARTIC. V.

Vtrùm omnis operatio, & effectus cauſæ ſecundæ dependeat ab actuali concurſu immediato cauſæ primæ?

112 Idem eſt ac inquire-

 re:

re;an Deus ſimultanee concurrat cum cauſis creatis,ita vt omnis operatio creaturæ,& illius effectus ab immediata cooperatione Dei dependeat? Omnes enim Theologi, & Philoſophi contra Durandũ,& alios Durando Antiquiores;vno ore affirmãt requiri concurſum Dei immediate influẽtem in omnem creatam operationem cuiuſcumque agentis, ſivè liberi, ſivè naturalis, à quorum cœtu ſolus his temporibus ab eſſe voluit Ludo vicus Dola Capucinus, qui probare tentat, concurſum. cauſæ primæ cum ſecunda ſolum eſſe remotum,& mediatum.

§. I.

Vnica Concluſio.

113 A*D exiſtentiam cuiuſcumque operationis,& effectus cauſæ efficientis creatæ neceſſarius eſt concurſus Dei immediate cooperantis*: concluſio ita eſt certa, vt oppoſita à Theologis graviſsimis notetur cenſuris. Prob. 1. Canonicis authoritatibus. Iſai. cap. 15. *Omnia opera noſtra operatus eſt in nobis Domine.* Ioannis cap. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Ad Philipp. cap. 2. *Deus eſt enim qui operatur in nobis, & velle,& perficere pro bona volũtate.* Extant, & alij plures ſcripturæ textus, qui negato concurſu Dei immediato, ſenſum nullum poſſunt habere verum.

114 Sed dicunt fieri ſatis his, & ſimilibus authoritatibus per concurſum Dei præciſſe mediatum, eo namque acciones noſtrę Deo tribuuntur, quia nobis contulit virtutem ſine qua eas efficere non poſſumus: ſicut motus gravium,& levium dicuntur eſſe à generante, eo præciſſe, quia illorum formæ cum virtutibus activs à generante proceſſerunt.

115 Contra eſt 1. authoritas PP. qui hos textus explicant de concurſu Dei immediato:& Auguſt. lib. 5. de Geneſi ad litteram cap. 20. expoſitionẽ firmat cum Apoſtolo relato in actibus Apoſt. cap. 17. *Quamvis non longe ſit ab vnoquoque noſtrum, in ipſo enim vivimus,& movemur, & ſumus.* Quibus probat indiſtantiam Dei à nobis, ex eo quod ipſe eſt cauſa vitæ noſtræ,& noſtrarum operationum, quæ probatio nulla eſt, ſi Deus non eſt immediata cauſa illarum.

Præterea: eandem à Deo nos habere depẽdentiam in operari, quam habemus in eſſe, docet Apoſtol. ſed dependentia in eſſe eſt immediata; ergo, & in operari. Minor cõſtat tum ex illo Sapientiæ cap. 11. *Quomodo autem poſſet aliquid permanere niſi tu voluiſſes, aut quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur?* Ergo dependentia creaturarum à Deo in ſuo eſſe eſt immediata, alias nullã poſſet anihilare, niſi pluribus alijs anihilatis. *Tũ* quia in ſuo eſſe operatio,& actus immediate pẽdent

à

à Deo, ſicut cætera omnia quæ habent eſſe.

116 Contra 2. eo modo, quo in Scriptura Sacra opera gratiæ attribnuntur Deo authori gratiæ, & filio eius mediatori noſtro Ieſu-Chriſto: opera naturæ attribuuntur Deo authori naturæ; ſed negare in ordine ſupernuturali nos indigere coöperante adiutorio gratiæ Dei, dignum eſt cenſura: ergo. Maior cõſtat, qnia in pluribus teſtimonijs relatis indifferenter eſt ſermo de vtriſque, ih quibuſdam ſolum de operibus naturæ, & in alijs de operibus gratiæ. Minor vero prob. Nam Apoſt. loquens de cõcurſu noſtro ad opera ſalutaria 2. ad Corinth. cap. 3. ait: *Nos eſſe cooperatores Dei*, ſivè gratiæ. Et 1. ad Corinth. cap. 13. *Plus omnibus laboravi, non ego ſed gratia Dei mecum.* Quæ loqutiones niſi violẽter exponantur, de concurſu Dei immediate cooperantis procedunt: ergo non videtur poſſe negari ſine cenſura concurſus Dei nobiſcum immediate cooperantis.

117 Ratione prob. Concluſ. Nullus datur effectus cauſæ ſecundæ, qui non dependeat immediate à Deo in fieri, & in conſervari, ergo nulla datur operatio, vel cauſalitas cauſę ſecundę, quæ non ſit immediate à cauſa prima. Antec. concedit Durandus, & evidens apparet, alioquin à Deo tollitur ratio primæ, & vniverſaliſsimæ cauſæ, à qua ſi vnus effectus ſubſtrahitur, omnes ſubſtrahi poſſent, quia omnium eſt quoad hoc par ratio. Conſeq. probat. *Tum* quia fieri effectus eſt eius cauſatio: ergo depẽdentia effectus in fieri, eſt depẽdentia effectus in actione, & cauſalitate cauſæ: ergo ſi omnis effectus immediate pẽdet à Deo in fieri, actio, & cauſalitas cauſæ creatæ, qua fit, immediate à Deo dependet.

Tum quia effectus egreditur à cauſa media actione: ergo dependentia effectus eſt depẽdẽtia actionis, ac ſubinde ſi omnes effectus cauſæ efficientis ſecũdæ ſunt immediate à cauſa prima, multo melius à cauſa prima dependẽt immediate actiones, quibus fiunt.

Confirm. ratio: omne ens participatũ immediate cauſatur à Deo; participatum enim cauſatur immediate ab eo cuius eſt participium, & id quod eſt tale per participationẽ, ab eo quod eſt per eſſentiã tale: vt dicitur in 2. metaph. text. 4. ſed operatio quęlibet creata eſt ens participatũ, vel per participationem tale: ergo immediate cauſatur à Deo, qui eſt ens tale per eſſentiam.

118 Si dicas, quod de ratione entis creati, & per participationem talis, ſolum eſt eſſe ens ab alio, quod abſtrahit ab eſſe ab alio mediate, vel immediate; quare ſi creaturæ ſe ſe invicẽ producerẽt abſque influxu Dei immediato, ſalvaretur in illis conceptus creaturæ, cum eſſent defecti-

 bi-

biles, non à ſe, ſed ab alio.

Contra 1. eſt D. Thom. 3. contrag. cap. 7. dicens: *Idem effectus ab inferiori agente, & à Deo producitur ab vtroque immediate, licèt alio, & alio modo.* Vnde quoad mētē D. Thom. omnis effectus creatus, quantumvis immediate dependens ab agente creato, non ſubterfugit immediatam dependentiam ab agente increato.

2. Nam aliquod ens eſſe ab alio, & immediate non eſſe ab eo à quo omnia habent eſſe, implicat contradictionē: ergo etiā implicat, quod aliquod ens ſit à Deo, abſtrahendo ab eo, quod ab illo ſit mediate, vel immediate. Antecedens infra conſtabit probando Deum, nec pro libito poſſe ceſſare ab immediato cōcurſu in omnes actiones, & effectus creaturarum.

§. I.

Argumenta ſolvuntur.

119 OBijcies 1. quod fit à Deo medijs cauſis ſecundis, nō fit à Deo immediate, vt ex terminis patet; ſed omnis operatio, & effectus cauſæ ſecundæ fit à Deo media illa: ergo. *Et confirm.* Nam plures ſunt operationes cauſarum ſecundarum, quæ à Deo fieri non poſſunt, niſi medijs illis, vt operationes liberæ, & vitales: ergo ad iſtas Deus tantum concurrit mediate.

120 Inſto argumentum in ipſis effectibus cauſarum ſecūdarū, qui fiunt à Deo medijs cauſis ſecundis, quin concedant adverſarij prædictos effectus quoad eſſe, & conſervari, immediate à Deo nō depēdere. Vnde diſting. mai. ly *medijs* excludente ſolum efficientiam Dei ſe ſolo neg. mai. excludente cooperationem Dei immediate operantis, conc. mai. & diſting. min. eodē modo, operari Deum media cauſa ſecunda duplicem ſenſum poteſt facere, vel denotādo Deū ſe ſolo nō efficere effectus cauſarum ſecūdarum, & in hoc ſenſu cōmuniter accipitur illa locutio, in qua potius adſtruitur cooperatio immediata Dei, vel denotando Deum tantum effectus cauſarum ſecundarum efficere, in quantum efficit ipſas cauſas, vt tales, & in hoc ſenſu communiter reijcitur, & negatur minor argumenti.

Ad conf. reſp. quod operationes liberæ, & vitales, licèt à Deo nō fiant, nec poſsint fieri immediate elicitive, fiūt ab illo immediate effective, Deus per noſtram volitionē liberam, nec denominatur vivens, nec volens, quia illius non eſt principium eliciens, quia tamē ipſa volitio eſt verū ens reale participatum, fit à Deo immediate effective, & ab illo immediate cauſatur.

121 2. Obijcies: Deus nequit ſimul cōcurrere cū creatura, nec eadē, nec diverſa actione: nō eadē, quia vna, & eadē actio nequit procedere à duobus agētibus perfectis; Deus enim, & creatura principaliter operās, ſūt duo agētia perfecta;

ᴄta: non diverſa actione: *Tum* quia actio creaturæ diverſa ab actione Dei eſſet ſine actione Dei ad illam, quod eſt contra concluſionem. *Tum* quia diverſa actio diverſum terminum, & effectum expoſcit, quod de concurſu Dei ſimultaneo nequit concedit.

Confirm. Si Deus cooperaretur omni cauſæ ſecundæ cooperanti, etiam cauſa ſecūda cooperaretur Deo operanti; ſed creatura nequit cooperari Deo operanti iuxta D. Athanaſ. in ſerm. Concilij Niceni dicentem: *Aut quomodo creatura creatori cooperetur intiment nobis*: quod videtur negando dixiſſe.

122 Reſpond. quod licèt ſit inconveniēs, quod vna, & eadem actio proveniat à duobus agentibus eiuſdem ordinis, nihil tamen prohibet, quod eadē actio procedat à primo, & ſecundo agente: ſolutio eſt D. Thom. qui idem argumētum ſibi obijcit 1. p. quæſt. 105. art. 5. Qualiter vna, & eadem actio poſsit eſſe à Deo, & à creatura? Dicemus forte infra explicantes diſtinctionem concurſus prævij, & ſimultanei tam inter ſe, quam ab actione creaturæ.

Ad confirm. reſpond. quod cooperari alteri ſtat dupliciter, vno modo quia operaretur ad eundē effectum, ſed per aliam virtutē, ſicut miniſter Domino, & inſtrumentum artifici à quo movetur: alio modo partialiter operantes dicuntur vnum alteri cooperari, ſicut plures trahentes navē primo modo creatura poteſt dici cooperari Deo, quantū ad effectus, qui fiunt mediante creatura: ſecundo modo creatura creatori non cooperatur, ita exponit Div. Thom. illud Athanaſ. opuſc. 1. cap. 33. & ſuper 1. ad Corin. 3. lect. 3. ad illa verba Apoſt. *Dei adiutores ſumus.*

123 Ex quibus colliges 1. contra Recentiores aſſerētes creaturā cooperari Deo partialiter cum illa operanti: ſuum dictum menti Div. Thomæ adverſari. Colliges 2. quantū diſtēt Recentiores à mente Div. Thomæ aſſerentes, cooperari Deum creaturæ; ſed adhoc, Deū determinandū eſſe ab ipſa creatura, ad quod non facile negabūt aliquam quaſi ſubiectionem, vel ſubordinationem Dei ad illam: cū D. Thom. è contra aſſerat, Deū cooperari creaturæ, ſubijciendo illam ſibi, ſicut Dominus ſervū, & artifex inſtrumentum; ſed de his infra.

124 Obijcies 3: nulla apparēt manifeſta contradictio, in eo quod Deus creaturæ conferat, vel quod per ſe ipſam operetur, vel dependenter ſolum ab alijs cauſis creatis, vel ſolum cū dependentia à Deo in eſſe, & cōſervari: ergo congruit divinæ bonitati, quòd Deus defacto talem poteſtatem creaturis contulerit. Antecedens prob. *Tum* quia non facile aſsignatur contradictio.

Tum quia hoc non tollit conceptum creaturæ, nec in creatura exigit infinitam virtutem.

Confirm. nam ex oppoſito ſequeretur, ad quemlibet effectum creatum requiri infinitam virtutem; vel ſi ſufficit finita, non repugnabit creatura, quæ ſine cooperatione Dei operetur: cur enim effectus exigens ſolum virtutem finitam à cauſa finitæ virtutis nequibit produci adæquatæ.

125 Reſp. implicare contradictionem, quod Deus non ſit immediate in omnibus rebus; cum autem iuxta Divum Thomam. 1. p. quæſt. 8. art. 1. Deus ſit in rebus per ſuam operationem, implicat quod operatio Dei immediate res omnes nō attingat: *Preterquamquod* immediata cooperatio Dei naſcitur, vt vidimus ex eo, quod eſt prima cauſa, ſupremus Dominus, & ens per eſſentiam; creatura autem ens participatum pendens à Deo immediate in operari, ſicut in eſſe, & conſervari; cum autem Deus negare ſe ipſum non poſsit, conſequenter, nec abdicare à ſe prædictas perfectiones.

Ad confirm. reſpond. quod non inconvenit, quod effectus limitatæ perfectionis, imò, & modiciſsimæ, exigat virtutem infinitam in cauſa prima: eſſet tamen inconveniens, quod infinitam virtutem exigeret in cauſa ſecunda; exigentiam namque infinitæ virtutis in cauſa prima habet quilibet effectus ex eo potius, quod creatus, & limitatus eſt, ratione cuius eſſentialiter habet ſubijci, ſubordinari, & pendere immediate ab ente increato, infinito, & tali per eſſentiam.

126 Denique obijcies. Deus nequit immediate concurrere ad operationem pravam creaturæ: ſed operatio prava habet etiam rationem entis participati: ergo. Difficultas huius argumenti excedit captum phyſicorum incipientium inſtrui in principijs philoſophicis, ad quorum vtilitatem labor præſens dirigitur: ſufficiat pro nunc breviter illos inſtruere in hoc puncto.

Dicendo: quod in actione peccaminoſa, ſunt duo, entitas, ſcilicèt, & malitia (quidquid malitia ſit) actio enim prava, in quātum eſt quædam entitas, bona eſt; & voluntatem reſpicit, vt cauſam vere efficientem, at vero in quantum mala eſt, non habet cauſam efficiētem, ſed deficientem; vt docuit Div. Auguſt. lib. 12. de Civitate Dei cap. 7. & 8. ex quo infertur, Deum cum voluntate concurrere ad id, quod entitatis eſt in actione prava, ad quod ſicut voluntas concurrit, vt efficiens, Deus etiam concurrit vt illi cooperans: ad malitiam vero, nec voluntas concurrit, vt efficiens, nec Deus valet illi cooperari.

ARTIC. VI.

Vtrùm Deus cauſas ſecundas non liberas, ad agendum phyſicè præmoveat?

127 EſT inquirere, an detur concurſus Dei prævius, qui ſit influxus in cauſas naturales, quaſi prius eo motæ agant? An ſolum detur ſimultaneus, influens immediate cum cauſis in earum naturales actiones, & effectus? & quia hæc difficultas magna eſt, tàm reſpectu cauſæ naturalis, vel neceſſariæ, quam reſpectu cauſæ liberæ: illam diſſecamus, vt aptius diſputetur, agendo in pręſenti de cauſis non liberis, & de cauſis liberis art. ſequenti

128 Nomine concurſus prævij, intelligimus influxum phyſicum Dei prævie moventem, applicantem, & determinātem cauſam naturalem, vel liberam ad operandum, facientemque ipſam cauſam in actu ſecundo operari, connexumque eſſentialiter cum ipſa operatione creaturæ. Hunc concurſum reijcit fere vniverſa ſchola Societatis tāquam inutilem in cauſis naturalibus, ſeu neceſſarijs; & tanquam non bene conciliabilem cum libertate in cauſis liberis.

E contra vero vniverſa Thomiſtica ſchola prædictum concurſum prævium, ita neceſſarium eſſe exiſtimat, vt ſine illo nulla poſsit eſſe operatio cauſæ creatæ naturalis, aut liberæ; & ita conciliabilem cum libertate, vt potius libertatem operationum ędificet, cauſet, & firmet.

129 Sed quia Authores Societatis (præciſſe moderni) pro ſe ſtare Divum Thomam ſuadere connantur; opportet quam totius diſcipulos, qui nomine Thomiſtarum gloriātur, aliqualiter inſtruere in mente D. Thomæ, & quam longe ab illa diſcedat ſchola Societatis, vt credant, non ſolum in nomine, ſed in re adſcribi inter diſcibulos D. Thomæ, qui concurſum prævium eſſe neceſſarium, defenderint: hoc enim aptius fiet artic. ſequenti; vbi breviter mentē Divi Thomæ monſtrabimus nunc vero vna vel altera ratione præciſsè philoſophica concurſum prævium, ad exiſtentiam cuiuslibet operationis cauſæ naturalis eſſe neceſarium, probemus.

§. I.

Ratio pro concurſu prævio.

130 COncurſus Dei reducens cauſam naturalem de potentia ad actum pręuiæ ad elicientiam ſuæ operationis, eſt concurſus Dei phyſicus prævius, ſed nulla cauſa naturalis poteſt operari, niſi præviè ad elicientiam ſuæ operaiionis ſit à Deo reducta de potentia ad actu: ergo omnis operatio cauſæ naturalis exigit cōcurſū Dei phyſicè prævium. Maior videtur nō

poſſe negari, quia ſi prædictus cõcurſus prævie ad clicientiam operationis, cauſam reducit de potentia ad actum, prævie illam mutat, & movet.

Minor in qua ſtat difficultas, prob. 1. omnis cauſa naturalis eſt in potentia ad operandũ: ſed nequit operari, niſi prævie ad operationem ſit à Deo conſtituta in actu: ergo nequit operari, niſi à Deo prævie reducta de potentia ad actum. Prob. min. nequit operari, niſi prævie ad elicientiam operationis ſit conſtituta in actu; ſed non conſtituta in actu à ſe, & per ſe: nec ab alia cauſa creata: ergo à Deo. Maior videtur certa, quia à cauſa prout in potentia nequit exire actus; quia vnumquodque agit, in quãtum eſt in actu, ſicut patitur in quantum eſt in potentia: & quia agere eſt dare eſſe actui, & nihil dat per id, quod præciſſe habet recipere: cauſa enim per ſuam potentialitatem non habet dare, ſed recipere.

Minor vero de alia cauſa creata eſt certa: quia etiam illa, vtpote creata, eſt in potentia ad omne ſuum exercitium, indigẽs alio à ſe diſtincto, vt conſtituatur in actu. Quod vero cauſa naturalis à ſe, & per ſe non conſtituatur in actu prævie ad ſuam operationem: Prob. id per quod aliquid conſtituitur in actu, debet eſſe in actu; ſed omnis cauſa prævie ad elicientiam ſuæ operationis per ſe eſt in potentia; ergo pro illo priori, per ſe, & à ſe nequit conſtitui in actu: alias idem per id, quod eſt in potentia, eſſet in actu, quod implicat.

2. Prob. illa min. nulla cauſa naturalis poteſt operari, niſi prævie ad elicientiam ſuæ operationis Deus ab illa auferat indeterminationem quam habet: ſed indeterminatio cauſæ, cum conſiſtat in illius potentialitate, ſolum aufertur per reductionem illius de potentia ad actum: ergo. Prob. mai. Omnis cauſa naturalis, quamtumvis completa in virtute operativa aliquam indeterminationẽ habet, ſaltim quoad hanc, vel illam operationem in ſingulari: ſed nequit operari, niſi prævie ad ſuam operationem à Deo determinetur: ergò. Prob. min. nequit operari, niſi prævie determinata; ſed non à ſe, nec ab alia cauſa creata: ergo à Deo. Minor quoad vtramque partem, conſtat ex ſupra dictis de potentialitate: quia cauſa prout indeterminata ad hanc, vel illã operationem in ſingulari, eſt in potẽtia ad hanc, vel illam operationem, & cauſa per ſe ipſam in potentia, nec à ſe, nec per aliã cauſam creatam poteſt reduci ad actum, ſed à Deo, vt dictum eſt, & conſequenter ſolum à Deo poterit prævie determinari.

Maior vero nempè, quod cauſa indeterminata nequeat operari, niſi prævie determinata, prob. nequit operari niſi operatione determinata; ſed operatio de-

determinata nequit procedere à principio indeterminato in quã-tum tali: ergo debet procedere à principio prævie ad illam de terminato. Prob. min. Operatio determinata nequit procedere à principio in quo, vt talis eſt, non continetur; ſed in principio indeterminato in quantum tali, operatio determinata, vt talis eſt non continetur: ergo. Prob. min. operatio determinata vt talis, nihil aliud eſt, quem hæc operatio præ alia, ſed hæc operatio præ alia nequit contineri in principio indeterminato in quantũ tali, principiũ namque indeterminatum in quantnm tale indifferenter, ſivè æqualiter comparatur ad hanc, & illam operationem, & conſequenter operatio determinata, vt talis, non continetur in cauſa indeterminata in quantum tali.

131 Sed quia indeterminatio cauſæ quoad exiſtentiam præviæ determinationis Dei, fortius vrget in cauſis liberis; idcirco hanc probationem artic. ſequenti ſaptius proſequemur. Pronnnc ad noſtram rationem, reſpondent adverſarij; quod licèt omnis cauſa creata, ſit in potentia formali ad agẽdum, eſt tamẽ in actu virtuali, hoc eſt, præhabet virtualiter actũ ad quẽ eſt in potentia formali, & quamvis ea parte, qua eſt in potentia formali nõ poſsit per ſe ipſam reduci ad actũ: qua vero parte eſt in actu virtuali, & poteſt agere, & per ſe ipſam reduci ad actũ formalem.

132 Contra 1. implicat, quod aliquid ſit in potentia formali ad aliquem actum, & in actu virtuali reſpectu eiuſdem: ergo. Prob. antec. quod eſt in potentia formali ad aliquem actũ, comparatur ad illũ, vt quid potentiale, & per eum perfectibile: ſed hoc ipſo, nequit eſſe in actu vIrtuali reſpectu eiuſdem: ergo. Prob. min. Quod eſt in actu virtuali reſpectu actus formalis præhabet ipſum actũ modo perfectiori, vel æque perfecto; ſed hoc ipſo nequit comparari ad ipſum actũ formalem, vt quid potẽtiale, & per eũ perfectibile: quare Sol non eſt perfectibilis per calorem quia calorẽ continet eminenter, neque ignis per calorem, quem producit in ligno, eſt perfectibilis; qnia in ſe præhabet calorem æque perfectũ: ergo quod comparatur ad actum, vt potentiale, & per ipſum perfectibile, non eſt in actu virtuali reſpectu eiuſdem.

133 2, Quod eſt in potentia formali ad aliquam perfectionẽ indiget illa; ſed quod eſt in actu virtuali reſpectu alicuius perfectionis illa non indiget: ergo idẽ nequit eſſe in potentia formali, & in actu virtuali reſpectu eiuſdem prob. min. quod præhabet eminenter, vel formaliter aliquã perfectionẽ, non indiget illa; ſed quod eſt in actu virtuali reſpectu alicuius perfectionis præhabet illam

lam formaliter, vel eminenter; quia non ſtat habere virtualiter calorem, niſi præhabendo illum formaliter, vel eminenter; ideſt per modum cauſæ vnivocæ, vel æquivocę: ergo quod eſt in actu virtuali reſpectu alicuius perfectionis illa nō indiget: quare Deus non indiget perfectionibus quas creaturis communicat; quia illas pręhabet eminenter: nec ignis indiget calore, quem producit in ligno; quia in ſe formaliter calorem præhabet.

134 3. Idem non poteſt agere in ſe ipſum: ergo idem nō poteſt eſſe in potētia formali, & in actu virtuali reſpectu eiuſdem actus. Antec. conſtat: *Tum* ex cōmuni phyſicorum ſententia, qui cum Philoſopho 7. Phyſ. cor. inter conditiones ad agēdum requiſitas, numerant diſtinctionē inter agens & patiens: *Tum* quia ſi iuxta Philoſophos, nihil poteſt agere in ſibi perfectè ſimile, multo minus poterit agere in ſe ipſum: *Tū* denique, exinde ſequeretur quod vivens poſſet ſe movere, ſecundum ſe totum ita, vt ſe toto moveret, & ſe toto movetur, conſequēs eſt abſurdum; alias ſuperfluerent tot organa, & potentiæ, quę vnice deſerviunt, ut vna pars moveat aliam, vt ſic totum vivens ſe moveat.

Conſequentia vero prob. tota ratio ob quā idem non poſſet agere in ſe ipſum, eſt quia vnū quodque agit in quantum eſt in actu, & patitur in quantum eſt in potentia; & idem reſpectu eiuſdem, nequit eſſe in actu, & in potētia; ſed ſi idem reſpectu ejuſdē, poteſt eſſe in potētia formali, & in actu virtuali, prædicta ratio nihil probat: ergo, vel idē reſpectu eiuſdem actus nequit eſſe in potentia formali, & in actu virtuali, vel idē poterit agere in ſe ipſum prob. min. dum dicitur: *Idem reſpectu eiuſdem nequit eſſe in actu, & in potentia* (quod eſt principiū ad probandū nihil agere in ſe ipſum) vel fit ſermo de actu, & potētia formali, vel de actu virtuali, & potentia formali: ſi hoc ſecundū, illud princidium eſt falſum iuxta ſolutionem adverſariorum, vt patet: ac ſubinde ex illo principio nequit inferri, quod idē non poſſit agere in ſe ipſū: ſi dicatur primu, licet aſſumat principium verum, ſuperfluit ad intentū; quia ſuficit vt aliquid agat in ſe ipſum, eſſe in potentia formali, & in actu virtuali; ac ſubinde ſi idem reſpectu eiuſdē poteſt eſſe in potentia formali, & in actu virtuali, nulla ratione probatur idē nō poſſe agere in ſe ipſū.

135 Secunda ratio pro concluſ, quæ ſimul impugnat præcedentem ſolutionem. Cauſa ita complete continens ſuum actū, hoc eſt, conſtituta in actu virtuali ita cōpleto, vt ad illius elicientiā nihil deſideret illā præviè cōplēs actuās, & determinās eſt cauſa, quæ nullo modo poteſt eſſe in potētia formali ad ſuum actum; ſed cauſam creatam nullo

mo-

modo eſſe in potẽtia formali ad ſuum actum, non concedent adverſarij: ergo. Prob. mai. cauſa ita completè continẽs ſuum actum, ut nullo indigeat illam complete, actuante, & præviæ determinẽte, eſt cauſa, quæ ita habet operationẽ à ſe, quod non dependet ab alio dante illi, quod operetur: ergo eſt cauſa, quæ ita habet eſſe à ſe, quod nõ dependeat ab alio in eſſe, cũ ex indepẽdentia in operatione rectè inferatur indepẽdẽtia in eſſe: tunc ſic, ſed quod eſt independẽs in ſuo eſſe, nequit eſſe in potẽtia formali, vt patet, ergo.

136 Nec dicas 1. cauſã indepẽdentem ab alio, illam præviè ad operationẽ complẽte, actuante, & determinante; non eſſe cauſam omninò indepẽdentẽ à Deo in operando, ac proinde nec in eſſendo, cum virtutem qua actũ continet, & operatur habeat dependenter à Deo, quod ſufficit, vt depẽdeat à Deo in operando.

Nec dicas 2. ſalvari dependentiam cauſarum à Deo in operãdo per concurſum ipſius ſimultaneum; ac ſubinde, ad ſalvandã dependentiam cauſarum à Deo in operando, & in eſſendo; nihil obſtat independentia ab ipſo præviè complente, actuante, & determinante cauſam ad operandum.

137 Contra 1. ſolutionem obſtat 1. cauſa non dependens immediatè à Deo, in hoc quod eſt actualiter operari, eſt cauſa non dependens à Deo in operando: ſed dependere à Deo dante virtutem operativam, non ſufficit, vt cauſa dependeat immediate à Deo in hoc quod eſt actualiter operari: ergo nec ſufficit vt dependeat à Deo in operando: min. conſtat, quia ſicut habere virtutem operativam nõ eſt actualiter operari; ita dependere immediate à Deo in virtute operativa, non eſt dependere immediate à Deo in actualiter operari: mai. vero prob. quod immediate nõ depẽdet à Deo in aliqua formalitate poſitiva, abſolute à Deo nõ depẽdet; quia ſicut res quæ eſt ab alio, nõ poteſt ſecũ identificare formalitatem quę eſt à ſe; ita res quæ abſolute dependet à Deo, non poteſt ſecum idẽtificare formalitatem independentem immediate à Deo.

138 Obſtat 2. ſi cauſa à ſe independẽter à Deo dante immediate virtutẽ operativam haberet talem virtutem; cauſa vt operativa non depẽderet à Deo: ergo ſi cauſa à ſe independenter à Deo dante immediate actualiter perari, actualiter operetur; cauſa vt actualiter operans nõ depẽderet à Deo; conſequẽtia patet à paritate.

139 Contra 2. ſolutionẽ obſtat 1. Deus concurrens ſimul cum creatura ad actus vitales (ad quos ſine illa non poteſt concurrere) non depẽdet à creatura in operando: ergo creatura ſimul concurrens cum Deo ad proprios actus, quãvis ſine Deo

ad illos nequeat concurrere, non dependet à Deo in operando, ac proinde ex præciſo capite concurſus ſimultanei, nō colligitur dependentia creaturæ à Deo in operando. Prob. conſeq. Ideò primum eſt verum(quamvis Deus ad actus vitales non poſsit concurrere ſine creatura) quia concurſus creaturæ nullam prioritatem cauſalitatis habet reſpectu divini concurſus: ſed licèt creatura ad ſuos actus nequeat concurrere ſine Deo ſimul concurrente, concurſus Dei ſimultaneus nullam prioritatem cauſalitatis habet reſpectu concurſus creaturæ: ergo.

Obſtat 2. concurſus ſimultaneus, vel eſt ſolum in effectum creaturæ, vel eſt etiam in ipſam actionem; ſi primum ſolum ſalvabit dependentiã effectus à Deo, non vero dependentiam creaturæ in operando, vel in operatione; quia ſine concurſu ad illam non ſalvatur huius dependentia, ſi dicatur ſecundum, non erit concurſus ſimultaneus; quia concurſus in actionem non eſt ſimul, ſed prior illa, cum ſit cauſa, vel cauſalitas, per quam actio creaturæ dependet à Deò.

140 Nec dicas ad hæc: actionem creaturæ dependere à Deo, non vt *quod*, ſed vt *quo* hoc eſt, non per modum effectus, ſed per modum cauſalitatis, qua conſtituitur Deus operans ad extra, & cum nihil ſit prius ſuo conſtitutivo: Deus qui conſtituitur actu operans, & cauſans per ipſam actionem creaturæ, vt cauſans, & operans nō eſt prior actione creaturæ, ac ſubinde ſalvatur dependentia actionis creaturæ à Deo, ſine eo quod Dei concurſus ſit prior illa.

Contra eſt: Actio creaturæ tam vt *quod*, quam vt *quo* eſt res à Deo producta, & illius effectus: ergo ſupponit Deum prius natura illam producentem, & cauſantem, ac per conſequens nec conſtituit Deum actu illam producentem, nec eſt ipſa cauſalitas, & productio Dei. Antecedēs conſtat quia actio creaturæ eſt res incipiens eſſe, & trãſmutata de non eſſe ad eſſe: cum autem non poſsit incipere, nec tranſmutari à ſe ipſa; incipit à Deo, vt illius effectus, & res ab ipſo producta.

Prima conſeq. prob. *Tum* quia agens tranſmutans rem de non eſſe ad eſſe, ſupponitur in quantum tale pro priori naturæ ad eſſe rei, nec poteſt conſtitui dans eſſe rei per ipſam rem cui dat eſſe. *Tum* quia cauſalitas Dei eſt illius activitas in actu ſecundò; res autem à Deo producta nequit eſſe activitas, qua Deus illam producit: ergo actio creaturæ à Deo producta, ſupponit pro priori naturę Deum illam cauſantem, & producentem.

§. II.
Solvuntur obiectiones.

141 OBijcies 1. Cauſæ neceſſariç v.g. ignis, & Sol pro eis circũſtantijs in quibus dantur cętera ex parte naturæ ad operandum, ita determinatæ ſunt à ſe ipſis, & ita exigunt operationem; vt pro eis circunſtantijs, Deus vt Author naturæ teneatur cum ipſis concurrere ap operandum: ergo per hoc præciſſe, & quolibet alio prævio concurſu Dei ſecluſo, cauſæ neceſſariæ elicient operationem.

confirmat. Deus habet paratam ſuam omnipotentiam ad concurrendum cum cauſis, iuxta exigentiam illarum; ſed cauſæ neceſſariæ ex ſe determinatæ ſunt ad operandum: ergo concurſus Dei non eſt illas prædeterminans, ſed tantum concommitans.

142 Pro ſolutione huius, & aliarum obiectionum, nota D. Thom. eam ſibi obieciſſe, quęſt. 3. de Potent. art. 7. argumento 8. ſic: *Poſita cauſa ex neceſsitate naturæ agente ſequitur eius actio, eo quod natura eſt determinata ad vnum: ſi ergo calor ignis agit ex neceſsitate naturæ: ergo poſito calore ſequitur calefactio, nec requiritur aliqua virtus ſuperior agẽs in ipſo.* Ecce argumẽt.

Vide ſolutionem. Ad 8. *dicendum, quod neceſsitas naturæ per quam calor agit, cõſtituitur ex ordine omnium cauſarum præcedentium: vnde non excluditur virtus cauſæ primæ*: & quod virtus cauſæ primæ, prævie operetur ad operationẽ naturæ, explicat ad 9. diſcens: *Voluntas Dei, qua eſt origo omnis naturalis motus, præcedit operationem naturæ*: Voluntas Dei non eſt origo naturalis motus, nec præcedit operationem naturæ, præciſſe vt manet in ipſo Deo, ſed prout ſe explicat ad extra medio aliquo ex ipſo derivato, quod nihil aliud eſſe poteſt, niſi phyſica præmotio

Quare, ſicut cauſam eſſe naturalem, & non contingentẽ, neceſſariam, & nõ liberam, principaliter ortũ habet ex efficacia divinæ voluntatis, vt dicemus artic. ſequenti; ita cauſam neceſſariam in actu ſecundo præmoveri prẹmotione ipſis proportionata, ortum habet ex eius efficaci decreto, & huius executione præcedente operationem naturæ: quia omnis neceſsitas, & determinatio cauſæ ſecundæ originatur à divina voluntate, quæ eſt origo omnis motus naturalis.

In forma diſting. antec. ita vt Deus, vt Author naturæ teneatur cum ipſis concurrere, concurſu ipſas cauſas ſibi ſubordinante in ipſo exercitio operandi actualiter; concedo antec. cõcurſu alterius generis nego anteced. conſtat ex ſecunda ratione nullam cauſam Deo ſubordinari, in hoc quod eſt actualiter operari; nec per hoc quod virtus illarum operativa ſit à Deo, nec præciſſe per concurſum ſimultaneũ; nec per vtrumque ſimul, ſine cõcurſu prævio.

Ad

Ad conſ. eodem modo reſp. Deum habere paratam omnipotentiam ad concurrendum cum cauſis, iuxta exigentiam illarum; cum autem cauſæ quamvis naturales, exigant ſubordinari omnipotentiæ in exercitio operandi, quod abſque cõcurſu prævio nequit eſſe; fit, vt præparatio omnipotentiæ ad concurrẽdum ſine concurſu prævio nulla ſit.

143 Obijcies 2. cauſa in actu ſecũdo determinata, & mota, non indiget vlterius determinari, & moveri; ſed plures dantur cauſæ in actu ſecundo determinatæ, & motæ præciſſo quovis concurſu prævio cauſæ primæ: ergo Prob. min. ſemel poſi:a vi magna impellẽte aliquod corpus, & ſtante efficaci imperio, ablatis impedimentis, præciſſo, vel ſecluſo quocumque alio; corpus proiectũ nequit non moveri, & actus efficaciter imperatus nequit non eſſe: ergo.

Si dicas, quod cauſa imprimens impulſum, & efficaciter imperans indigẽt prævia motione ad impellendum, & imperandum, & hoc ſufficit vt motus violentus corporis, & actus imperatus ſubordinentur cauſæ primæ prævie moventi.

Contra: ergo iam datur aliquis motus, & actio creata ſolum mediate pendens à concurſu prævio cauſæ primæ; ac ſubinde corruunt præcipua fundamenta noſtræ ſententiæ.

144 Melius reſpondetur ex dictis, quod nullus eſt actus, vel motus cauſæ creatæ, qui immediate non pẽdeat à concurſu Dei ſubordinante ipſas cauſas, quantũvis determinatas in exercitio ſuæ operationis, quod vt vidimus, ſine cõcurſu Dei prævio nequit percipi, quia ad omnẽ ſuũ actum, & motum quantumvis determinata ſit cauſa, eſt in potentia formali indigens reduci ad actum à primo actu.

ARTIC. VII.

An detur concurſus Dei cauſas liberas prædeterminans?

145 CAuſam liberam, iuxta D. Thom. vocamus illam, quæ habet facultatem voluntatis, & rationis ſe habentem ad vtrumlibet: vnde de cõceptu cauſæ liberę, eſt dominium poteſtas, & expeditio cum indifferentia ad agendum, & non agendum.

Cauſæ liberæ indiffentia poteſt eſſe duplex: alia indifferentia ſuſpenſionis, alia poteſtatis; indifferentia ſuſpenſionis tunc eſt in cauſa libera, quando manet, quaſi in æquilibrio, & ad nullum exercitiũ ſuæ poteſtatis determinata; cum enim determinatio illius ad vnum prę alio fiat per actũ; fit vt dum manet ſine determinatione manet ſine vllo actu, ac ſubinde manet in potẽtia; & cum actus ſit perfectio, dum cauſa libera manet ſic ſuſ-

pen-

pēſa, manet imperfecta: propter quod, indifferentia ſuſpenſionis dicitur potentialitatis, & imperfectionis in cauſa, quę actuatur, & perficitur per determinationem, & actum.

Indifferentia poteſtatis conſiſtit in illius virtute continente extrema oppoſita, & potente ad quodlibet illorum pro ſuo dominio, nempe amare, & non amare, vel amare, & odio habere: cauſam hoc modo indifferentē, conſtituunt omnia ea, quę ſivè ex parte Dei ſivè ex parte naturę requiruntur, vt ſit plene ſufficiens, & expedite potens in actu primo ad agere, & non agere.

146 Prędictę indifferentię differunt in pluribus. 1. quod cum indifferentia ſuſpēſionis ſit potentialis, & imperfecta; ſolum invenitur in cauſa libera creata; indifferētia vero poteſtatis, cum ſit continentia, & activitas ad plura extrema fundatur in actualitate, & perfectione, & ſic poteſt, & defacto reperitur in Deo.

Differūt 2. in eo quod determinatio ad vnum non deſtruit, nec opponitur cum indifferentia poteſtatis; deſtruit tamen, & opponitur cum indifferentia ſuſpēſionis: primum conſtat, quia nulla virtus activa, vel poteſtas deſtruitur per poſitionem termini, ad quem eſt potens, nec per ſuum exercitium; vnde poſita determinatione ad vnum manet poteſtas ad oppoſitum.

Secundum autem conſtat, quia æquilibrium, & ſuſpenſio per carentiam ſui deficiunt: ſicut indeterminatio per determinationem: & potentialitas per actum; ſed determinatio ad vnū cum fiat per actum, eſt carentia ęquilibrij, ſuſpēſionis, indeterminationis, & potentialitatis: ergo determinatio ad vnum deſtruit indifferentiam ſuſpenſionis.

Differunt 3. in eo quod indifferentia dominij, & poteſtatis, conſtituit libertatem cauſæ; non vero indifferentia ſuſpenſionis: conſtat *Tum* quia datur cauſa perfectiſsime libera, qualis eſt Deus, ſine indifferentia ſuſpenſionis, cum pręciſſa indifferentia poteſtatis: *Tum* quia vera libertas eſt; quę non deſtruitur per determinationem ad vnum; ſed vt videmus, indifferentia poteſtatis non deſtruitur per determinationem, bene tamen indifferentia ſuſpēſionis: ergo.

147 Ex quibus inferes 1. determinationem ad vnum, ſi relinquat in cauſa poteſtatē ad oppoſitum, eſſe proprium exercitium libertatis, & cōſtituit libertatem in actu ſecundo, quamvis deſtruat indeterminationē, & ſuſpenſionem cauſę: & ratio eſt, quia non eſt idem indifferentia, ac indeterminatio, & ſuſpenſio, hęc per determinationem deſtruitur, illa perficitur: vel clarius, determinatio poteſtatis ad vnū, pugnans cum poteſtate ad oppoſitum cauſam neceſſariam

conſtituit,& cauſam, vt liberam deſtruit: at vero determinatio poteſtatis ad vnũ ſimul cum poteſtate ad oppoſitum indeterminationem,& ſuſpenſionem deſtruit;& cauſam vt liberã perficit.

Ex quo inferes 2. omnem determinationẽ ad vnum relinquentem in cauſa libera veram, & expeditam poteſtatẽ ad oppoſitum,ſivè determinatio ſità Deo ſivè à cauſa libera creata,nõ deſtruere,ſed perficere potius libertatem cauſæ: vnde ſi Deus cauſas liberas prædeterminans ad vnum in ſenſu compoſito dictæ prędeterminationis,relinquat in illis veram poteſtatem,& expeditam ad oppoſitum; prædeterminatio Dei non deſtruet, ſed potius perficiet libertatem cauſarum; ſicut non deſtruitur, ſed potius perficitur per determinationem ad vnum ab illis provenientem: vt ſupra vidimus.

148 Hæc pauca de libertate(quia alia quam plurima ad Theologos, & Metaphyſicos ſpectãt)prælibavimus,vt præſens difficultas,alias difficilima,recẽtibus philoſophis non ita difficilis appareat.Negat ſchola Societatis concursũ Dei prædeterminantẽcauſas liberas tãquã inimicum, & deſtructivũ libertatis illarum:at vero vniverſaThomiſtica ſchola cũ ſuo Ang. Magiſt. concurſum Dei prædeterminantem amplectitur, vt neceſſarium ſimpliciter ad ſalvandam libertatẽ cauſarum in ſuis actibus:hunc prædeterminantem concurſum; & nos amplectimur Duce Angel. Magiſt.

§. II.

Mens D. Thomæ aperitur.

149 PRimi ſcientiæ mediæ defenſores palam ſe à D. Thom.recedere in hoc puncto vltro fatebantur, nunc iam recentiores Doct.Sanct.pro ſe ſtare clamãt,& in ſuum patrocinium advocare connantur;videamus, qui ex his magis ad veritatem accedant.

Pro concurſu prædeterminante ſtat D. Thom.primo q. 3.de Potẽt.artc.7.vbi explicans modos,quibus Deus operatur in natura,& voluntate,dicit operari:*Primo quia dedit rebus naturalibus virtutes per quas agere poſſunt;ſecundo in quãtum conſervat virtutem naturalem in eſſe : Tertio in quantum movet eam ad agendum , in quo non intelligitur collatio , aut conſervatio virtutis activæ, ſed applicatio virtutis ad actionem.*

His vervis expreſſe. haberi 1.cõcurſum prævium Thomiſticum hoc diſcurſu ſuadetur : id quo Deus aplicat virtutem cauſę ad actionem,non tamen confert nec conſervat virtutem activam eſt concurſus prçvius.Thomiſticus,vt eſt evidẽs; ſed totum hoc expreſſe habetur in verbis rctalis D. Thomæ: ergo.

Habent ſecundoThomiſtę: concurſum iſtum Dei,non ſe tenere ex parte actus primi, nec

com-

complere virtutem, aut poteſtatem quoad ſufficientiam; ſed eſſe puram applicationem ſe tenentem præciſſe ex parte actus ſecundi: quod legenti verba relata evidenter conſtabit: habent denique Thomiſtæ veram intelligentiam Divi Thomæ, ſæpè numero repetentis; Deum movere cauſas, tum naturales, tum liberas ad agendum, motione applicativa virtutis activæ ad agendũ, non collativa, nec conſervativa virtutis.

150. Verbis ſupra relatis conſonant, quaſi per identitatem, verba Divi Thomæ ex 3. contrag. cap. 70. numero 3. & cap. 67. per totum: videatur ibi, vbi fere in terminis, habetur hęc ratio textualis, quidquid applicat virtutem activam ad agendum, eſt cauſa illius actionis; ſed Deus eſt qui primo, & principaliter applicat omnes virtutes activas, ſivè naturales, ſivè liberas ad agendũ: ergo Deus eſt cauſa prima omnis actionis, ſivè naturalis, ſivè liberæ Mai. prob. S. Doct. exemplo artificis applicãtis virtutem cauſæ naturalis ad agendum, ex quo dicitur cauſa talis actionis.

Minorem vero probat ex eo, quod Deus eſt primum movens omninò immobile: & quod Div. Thom. loquatur de applicatione phyſicè coniungente virtutem cauſæ creatæ cum ſua operatione contextus ipſe, & exemplum artificis demõſtrant: quod quidem, & nihil aliud dicunt Thomiſtæ defendentes phyſicam prædeterminationem, cũ aſſerunt eſſe cõcurſum, quo Deus cauſas omnes naturales, & liberas phyſicè applicat, & cum ſuis operationibus coniungit.

151 Vlterius ſtat D. Thom. pro concurſu Thomiſtico incorpor. artic. 3. quæſt. ſupra citatæ de Potentia, dicens: *Quod virtus inferior non coniungitur effectui, niſi per virtutem ſuperioris, vt dicitur in libro de Cauſis, quod virtus primæ cauſæ prius agit in cauſatum, & vehementius*: Ex quibus verbis formatur hic diſcurſus; cauſa ſuperior, & prima coniungens cum ſuo effectu cauſam inferiorem, & ſecundam determinat illam ad agendũ; quia idem eſt cauſa coniuncta cum ſuo effectu, ac determinata ad agendum; ſed iuxta D. Thomam, cauſa ſuperior, & prima hoc facit cum cauſa inferiori, & ſecunda ergo.

Si dicant, debere intelligi de coniunctione non phyſica, ſed morali cauſæ inferioris cum ſuo effectu: in contra eſt. *Tum* quod Div. Thom. loquitur de virtute phyſica vtriuſque cauſæ ſuperioris, ſcilicèt, & inferioris: *Tum* quia aſſumit Div. Thom. ex libro de Cauſis hanc propoſitionem: *Virtus primæ cauſæ prius agit in cauſatum, & vehementius*, quæ violenter detorquetur ad influxum moralem. *Tum* denique, quia illa de-

 ci-

ctrina adducitur vniverſaliter pro omni cauſa, tam libera, quam naturali, & Deus cauſam naturalē, non moraliter, ſed phyſicè cum ſuo effectu coniungit.

152 Sed quia adverſarij ad partes Divi Thomæ ſe recipiunt fruſtra tentantes; cum Div. Thom. vbique ſibi conſtans eandem vbique reperit doctrinam. Videatur 1.p.quæſt.105 artic.5.incorpor.& ad 3. vbi dicit: *Quod Deus non ſolum dat formas rebus, ſed etiam conſervat eas in eſſe, & applicat eas ad agendum, & eſt finis omnium actionum.* Vbi repetit doctrinam ſupra relatā, & primo loco à nobis ponderatam.

Videatur etiam 1. 2. quæſt. 109. per totam, videatur alijs fere innumeris locis, & manifeſte conſtabit, quam ſine fundamento Doctor quidam Societatis in Phyſica exclamat: *Tempus & charta me deficerent ſi omnia vellem expendere teſtimonia, quibus Div.Thom.pro nobis ſtat*: Sed quid in re tam clara detinemur? Maxime cum rationes omnes pro concurſu prævio, & prædeterminante ſuperius adductæ, & in præſenti adducendæ ex Sanct.Doct. ſint deſumendæ.

153 Sed prius ex locis ſupra adductis, bræviter hæc ratio quaſi textualis formatur: cōcurſus, quo Deus applicat cauſam liberā ad agendum, prævius eſt non pure concomitans; determinatus eſt, non indifferens; ſedDeus concurrit cum cauſa libera ad agendum, per hoc quod illam applicat ad agendum: ergo vel negandus eſt concurſus Dei cum cauſa libera, vel concedendus eſt concurſusDei determinatus, non indifferens, prævius, ſeu prædeterminās, & non pure ſimultaneus; min. eſt doctrina D. Thomæ tam multis repetita locis. Mai. ex ipſis terminis apparere videtur: nā prior eſt applicatio activa, qua ſuperius agens applicat virtutem inferioris, quā quod virtus inferioris, reddatur paſsivè aplicata ad agendum. *Rurſus*: applicatio activa non importat concurſum Dei indifferentē: alioquin ipſa applicatio alia applicatione indigeret: ergo.

§. II.

Rationes pro concurſu prædeterminante.

154 PRima ſit: quod eſt indifferens ad utrumlibet per carentiam phyſicę determinationis ad vnum, in actum exire non poteſt, niſi ab alio phyſicè determinetur, quia ab indifferenti, vt indifferens eſt, non eſt actio, iuxta, commune Philoſophorum axioma: ſed cauſa libera creata de ſe eſt indifferēs ad vtrumlibet per carentiam phyſicæ determinationis ad vnum, cōſiderata prout in actu primo: ergo in actum exire non poteſt, niſi ab alio phyſicè determinetur: ſed nō poteſt ab alio phyſicè deter-

terminari, niſi à Deo: ergo cauſa libera de ſe in actu primo indifferens ad utrumlibet, in actum exire non poteſt, niſi à Deo phyſicè prædeterminetur.

155 Reſpondent communiter, quod illud quod eſt indifferens indifferentia incompletionis, indiget ab alio determinari; ſi vero ſolum ſit indifferens indifferentia poteſtatis, nó indiget ab alio determinari effectivè, ſed ad ſummum formaliter; hoc eſt, ab actu elicito à voluntate, qui eſt illius determinatio formalis.

156 Sed vt conſtet dictam reſponſionem, in ſenſu Recentiorum, eſſe contrariam veritati, & Divi Thomæ: prius obſerva quod duplex in voluntate poteſt reperiri incompletio: altera per carentiam alicuius complentis, & expedientis voluntatem in actu primo, vt ſi careret notitia obiecti: altera per carentiam alicuius requiſiti præciſſe ad actum ſecũdum; qualiter à Thomiſtis ponitur prædeterminatio: prima incompletio, eſt carentia veræ poteſtatis, & actum reddit antecedenter impoſsibilem: ſecunda vero ita eſt propria cuiuſcumque agẽtis creati ratione ſuę potentialitatis, & indeterminationis, quod ex illa tantum probatur, non eſſe agens primum, nec illius actum reddit antecedenter impoſsibilem, ſed præciſſe conſequẽter, ſeu in ſenſu diviſo, vt infra videbimus: incompletio adducta in ſolutione, ſi eſſet in hoc ſecundo ſenſu non eſſet ſoluere noſtram rationem, ſed potius illam firmare: Reſtat quod intelligatur de incompletione in primo ſenſu.

157 Et ſic contra ſolutionem inſurgo primo: illud axioma *ab indifferenti, vt tali non eſt actio* (loquendo de agente creato) vel exponitur de indifferẽtia per carentiam complementi actus primi, vel præciſſe per carentiam complementi requiſiti ad actum ſecundum: ſi hoc ſecundum: ergo agens creatum in actu primo completum, & indifferẽs, nequit exire in actũ, niſi ab alio compleatur, complemento ſe tenente præciſſe ex parte actus ſecundi, quod aliud eſſe nequit, niſi præterminatio Thomiſtica.

Si dicatur primum: ergo idem erit dicere: *Ab indifferenti vt tali non eſt actio.* ac dicere: *Ab impotente vt tali non eſt actio.* Cum indifferentia per carẽtiam complementi actus primi ad agendum ſit impotentia antecedens ad agendum: ſed ſtultum quid videtur, quod axioma illud valde receptum ab omnibus Philoſophis, & congruenter ab omnibus expoſitum, æquivaleat propoſitioni, quæ non latet quendam, quamtũvis ſtultum, nempé, quod ab impotenti, vt tali nec actio, nec effectus eſt: ergo.

158 Contra 2. ſtat expreſſe Div. Thom. 2. Phyſic. lect. 8. qui exponens illud principiũ, aſſerit verum tenere in cauſis in dif-

differentibus indifferentia poteſtatis,& in actu primo completis: quod conſtat: *Tum* quia ponit exẽplum in potentia loco motiva, & in indifferentia, quam habet Sortes ad ſeſsionem: ex quo arguitur; potentia loco motiva,& potentia,ad ſedendum pro priori ad determinationem voluntatis, eſt proximè completa in actu primo ad motum, & ſeſſionem;& tamen iuxta D. Tho. ibidem, eget determinari à voluntate,vt determinatum habeat exercitium:ergo.

Tum quia Div. Thom.explicationis prædicti principij rationem tradidit ex eo quod: *Id quod eſt ad vtrumlibet, eſt ſicut ens in potentia: potentia autem non eſt principium agendi, ſed ſolum actus.* Sic Div. Thom. loco citato: ſed eſſè in potentia ad actum veriſsime convenit potentiæ completæ ad actum; dummodo ſit indifferens ad actum,& omiſsionem,indifferentia ſubiectiva, & per exercitia libertatis realiter perfectibilis, qualis eſt indifferẽtia potẽtiæ liberæ:ergo ab indifferenti creato, etiam ſi ſit completum ex parte actus primi,non eſt actio,niſi ab alio ad ſuam actionem determinetur.

150 Dicere cum adverſarijs, quod indifferens ſic completum ſolum indiget determinari ab alio non effectivè ſed ſolum formaliter, aut ipſa actione à potentia indifferenti elicita.

Contra eſt: Nam dicere hoc, vel eſt negare illud principium, vel eſt petere principium, quod conſtat nam Philoſophi,& D.Thom. prærequirunt in cauſa de ſe indifferenti determinationem ab alio,vt illa actionem determinatam, ſeu formalẽ ipſam determinationẽ eliciat; alias requirerent, quod vt cauſa de ſe indifferens habeat, vel eliciat actionem,iam ſupponeretur habens eandẽ actionẽ: vel quod actio determinata exijt à principio indifferẽti,vt tali,quod eſt negare principium illud.

Explicatur: dum adverſarij negant, potentiam ſubiectivè indifferentem, & in potentia ad vtrumque extremum, debere ab alio effectivè determinari; vel negant requiri determinationem, vt potentia prout ſic indifferens,exeat in actum potius,quam in omiſsionem: & ſi hoc ita eſt, etiam eſt illud principium adæquate negare; cum fateantur actionem, quæ eſt determinatio formalis exire à principio indifferenti, vt tali, quod quidem eſſe falſum, indicavimus ſupra numero 130. in fine; vel eſt aſſerere, requiri in potentia determinationem formalem præſtitam ab actu ab illa elicito,& hoc eſt aperte petere principium, quia cum iſta formalis determinatio ab actu indiſtincta,non poſsit eſſe ab indifferenti,vt indifferens eſt: quærimus vnde illã habet potentia de ſe ſubiectivè indifferens? Et cauſam

ſam illius effectivā non aſsignat ſolutio, niſi forte adæquate negādo principium.

160 Secunda ratio: concurſus Dei dans cauſæ liberæ creatæ hoc quod eſt, ſe ipſā determinare phyſicè, eſt concurſus Dei cauſam liberam creatam phyſicè prædeterminans: ſed neceſſariò datur concurſus Dei dans cauſæ liberæ hoc quod eſt ſe ipſam determinare phyſicè: ergo. Minor cōſtat: quia hoc quod eſt, cauſam liberam creatam ſe ipſam determinare phyſicè, eſt aliquid reale phyſicum creatum de novo incipiens in rerum natura, & conſequenter exigens influxum Dei immediatū. Prob. mai. Concurſus dans creaturæ hoc quod eſt ſe ipſam determinare, eſt concurſus à quo habet creatura ſe ipſam determinare: ergo creaturam ſe ipſam determinare, ab alio diſtincto ab ipſa habet: ergo creatura non eſt primum ſe ipſam determinans: ergo datur concurſus Dei cauſam liberam prædeterminans.

161 Si dicas: hoc quod eſt creaturam ſe ipſam determinare, habet à Deo, vel illius cōcurſu non determinativè, ſed pure effectivè; & adhuc pure effectivè illud habet à Deo nō prævie, ſed ſimul concurrente, ac ſubinde ex tali dependentia creaturæ à Deo, nec habetur concurſus prævius, nec prædeterminans.

Vel aliter: ſi argumentum intendit, quod creaturam ſe ipſam determinare, habet ab alio determinativè, vel illam determinante, intendit chymæram, quia chymæra eſt aliquid ſe ipſum determinare, & depēdere ab alio ipſum determinãte; ſi autē intendat, quod ipſa determinatio creaturæ ſit à Deo, concedūt, quod ſit à Deo pure effectivè, non vero determinativè.

162 Contra hanc ſolutionem in primis implicat Deū adhuc pure effectivè concurrere ad determinationem cauſæ liberæ, & quod illius concurſus non ſit prævius ad illā; vt ſupra probavimus à num. 139. ergo ſolutio quoad hoc falſa eſt.

Rurſus: Creaturam ſe ipſam determinare vt ſecundū determinās, & pendere à Deo, vt primo determinante, non eſſe chymæram, ſed potius neceſſarium, & ratio facta videtur cōvincere; & infra amplius conſtabit: ſicut eſſe cauſam operantem virtute propria, vt cauſam principalem ſecundam, & pendere in operando à virtute cauſæ primæ, non eſt chymæra, ſed potius neceſſarium.

163 Falſitas vero ſolutionis quoad concurſum pure effectiuum, & non determinatiuum, prob. Deum pure effective, & non determinative concurrere ad determinationē creaturæ, vel ad hoc quod eſt cauſam liberam ſe determinare, eſt Deū concurrere, non ſe determinantem, nec determinantē cauſam

ſam liberam, ſed vt determinatū à cauſa libera creata: ſed Deū effectivè concurrere ad determinationem, qua Deus pure determinatur, vt ad illam effectivè concurrat, videtur implicatoriū: ergo. Maior videtur certa, & conceſſa ab Authoribus ſolutionis.

Minor vero prob. pro ſigno quo concipimus cauſam liberam determinare activè Deū, vel concipimus Deum ſimul, & pro eodem ſigno efficere determinationem cauſæ liberę, qua Deus determinatur, vel concipis pro illo ſigno Deum mere paſsivè, vel quaſi paſsivè ſe habere, quaſi recipientem determinationem à cauſa libera creata: ſed vtrumque videtur implicatorium: ergo.

Quoad primam partem prob. min. Deum efficere determinationem creaturæ ſimul, & pro eodem ſigno, pro quo creatura intelligitur determinans Deum, eſt Deum non pure effectivè, ſed etiam determinativè concurrere ad determinationem cauſæ liberæ: ergo Deum concurrere pure effectivè ad determinationē creaturæ, & concurrere pro eodem ſigno, quo creatura activè determinat Deum, eſt implicatorium. Prob. antec. Si Deus illo modo concurreret, concurreret ſe ipſum determinando, & determinādo voluntatē creatam. ergo concurreret non pure effectivè, ſed etiam determinativè; quod concurreret ſe ipſum determinādo; conſtat, quia ille ſe ipſum determinat, qui ſui determinationem activè facit, & Deus tunc effectivè faceret ſui determinationē; cum efficeret determinationem cauſæ liberæ, quæ ipſius Dei eſt activa determinatio, quod etiam concurreret determinando voluntatem creatam, etiam conſtat, quia ſimul, & pro eodem ſigno concurrit Deus ad determinationē voluntatis, & voluntas creata ad Dei determinationem, nec eſt maior ratio, quare voluntas Deum determinet, quam vt Deus determinet voluntatem, cum ſimul, & pro eodem ſigno concurrant activè ad vnam, & indiviſibilem determinationē: ergo ſi Deus illo modo concurreret, concurreret non pure effectivè; ſed etiam determinativè.

Provemus iam ſecundam partem min. pro ſigno pro quo Deus concipitur ſe habere paſsive, vel quaſi paſive ad determinationem, qua voluntas creata, quaſi activè determinat Deum; implicatorium videtur, quod intelligatur Deus effectivè faciens determinationem ipſam voluntatis creatæ: quia ſe habere paſsive ad determinationem, & illam prout ſic effectivè cauſare, implicatoria ſunt: ergo ſi pro ſigno pro quo voluntas creata concipitur active ſe habens ad ſui, & Dei determinationem; intelligitur Deus, quaſi paſive ſe habens ad illam; determinatio vo-

luntatis creatæ(formaliter ſumpta) qua ſe,& Deum determinat, nequit effectivè à Deo procedere(dixi determinationē formaliter ſumptā,quidquid ſit an poſſit à Deo effici ſub ratione actus, vel ſub alijs rationibus, de quibus ratio noſtra non procedit) ergo vel Deus effective non concurrit ad determinationem cauſæ liberæ, vel debet concurrere effectivè ſimul, & determinativè.

164 Dupliciter poteſt occurri noſtræ impugnationi, primo admitendo(vt admittere videtur Rivaden.) in ipſa determinatione prout à Deo, & prout à cauſa libera mutuā prioritatē,& dependentiam.

Secundo admittendo non eſſe inconveniens in eo, quod actus cauſæ liberæ ſub præciſſa cōſideratione, & munere determinationis,non ſit à Deo ſed à creatura; dum modo ſit à Deo ſub alijs rationibus,quæ ſufficiunt,vt à Deo ſit abſolutè.

165 Contra 1. obſtat: *Tum* quia mutua prioritas exoſa eſt fere omnibus Doctoribus Societatis, vt ex illis teſtatur Herrera: *Tùm* quia iam non ſalvatur Deum pure effectivè, & non determinativè concurrere;cū concurreret, vt mutuo determinans, & determinatus. *Tùm* quia deberet Deus eſſe(adminus)quaſi voluntati ſubiectus, vt eum poſsit voluntas determinare; ſicut vt Deus determinet voluntatē,hęc debet eſſe Deo ſubiecta. *Tū* quia hæc mutua prioritas,& dependētia eſſet in eodē infimo genere cauſæ, quæ à nullo admittitur.

Secunda ſolutio periculoſa videtur; nec ab aliquo Doctore Societatis exhibetur, quem ego viderim: & ratio eſt,quia determinatio ad agendum eſt initium operis, quod neceſſariò Deo tribuendum eſt: alias cauſa libera creata incoharet opus bonum, ſubſequeretur Deus;quod eſt falſum.

Aliæ ſunt,quam plurimæ rationes,quibus Thomiſtæ probant neceſsitatem concurſus Dei prædeterminantis ad exiſtentiam actus cauſæ liberæ crçatæ,ſufficiāt pro Philoſophis ſupra aductæ: quia præcipue nituntur principijs Philoſophicis.

§. III.

Argumentis ab Authoritate D. Thomæ fit ſatis.

166 Primo ſic; iuxta Div. Thom. operatio libera creata ponitur pro ſola, & vnica determinatione cauſæ liberæ creatę: ergo iuxta ipſum ad operationē liberam concurſus prædeterminās neceſſarius non eſt: conſeq. eſt evidēs:& antec.eſt D.Thom. in 2. diſt.39.q.1.art.1. incorpore: *Ipſa enim potentia voluntatis,quātū in ſe eſt,indifferens eſt ad plura,ſed quod determinate exeat in hunc actum; vel in illum non eſt ab alia determinante, ſed ab ipſa voluntate.*

167 Secundo ſic: ſi Deus prædeterminaret voluntatem ad omnem ſuam operationem, non ſolum illam determinaret, vt ſuam felicitatem ſub ratione ſummi boni appeteret naturaliter, ſed etiam quoties vult hoc, vel illud bonum in particulari, prædeterminaretur à Deo ad illud determinate volendum: ſed oppoſitum huius docet Div. Thom. in 2. diſtin. 25. quæſt. 1. artic. 2. dicens: *Voluntas libera manet, in hoc ſolo determinationem habens, quod felicitatem naturaliter appetit, & non determinate in hoc, vel illo.*

168 Tertio ſic: (ſpecialiter contra reſolutionem art. præced.) ſi Deus prædeterminaret voluntatem, & alias cauſas; illas etiã prædeterminaret ad hoc, vel illud ſpecie, volẽdum, vel efficiẽdum: neque illæ determinarent Deum ad ſpeciem ſui actus: ſed hoc eſt contra D. Thom. q. 1. de Potent. art. 4. ad 3. dicentẽ: *Quod licèt cauſa prima maxime influat in effectum, tamen eius influentia per cauſam primam determinatur, & ſpecificatur.*

169 Quarto ſic: ſi Deus prædeterminaret cauſas liberas, dominium libertatis, vi cuius Deus dicitur: *Reliquiſſe hominem in manu conſilij ſui* non excluderet, quod prævie ad determinationẽ liberam illarum, eſſent prædeterminatæ, & quaſi obligatæ ad alteram partem contradictionis: ſed contrarium docet D. Thom. q. 3. de Potent. art. 7. ad 13. dicẽs, Deũ reliquiſſe hominem in manu conſilij ſui: *Quia voluntati hominis dedit dominium ſui actus, vt non eſſet obligata ad alteram partem contradictionis, quod quidem dominium naturæ non dedit, cum per ſuam formam determinata ſit ad vnum.*

170 Hæc Divi Thomę teſtimonia, quæ pro ſua ſententia adducit Recentior Sotietatis in Phyſica, ſi introſpiciantur, tam longe à ſua doctrina recedunt, quod illis potius, quantum ad aliquid, Thomiſtica doctrina firmatur, & explicatur, poſſentque omnia, vno verbo dilui, ex eodẽ Sanct. Doct. 1. p. quæſt. 105. art. 4. ad 2. dicente. *Quod moveri ex ſe non repugnat ei, quod movetur ab alio*, & idem repetit ad 3. & in eadem 1. p. quæſt. 83. art. 1. ad 3. ait. *Deus eſt prima cauſa movens, & naturales cauſas, & voluntarias, & ſicut naturalibus cauſis movendo eas non aufert, quin actus earum ſint naturales, ita movendo cauſas voluntarias non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit: operatur enim in vnoquoque ſecundum eius proprietatem.*

Ex his habes. D. Thom. non contra nos, ſed potius pro nobis eſſe, ſemper, & quãdo aſſerit voluntatem ſe determinare, ſe movere: cum vt vidimus hoc ipſum, quod eſt ſe movere, ſe determinare habeat à Deo movẽte, & determinãte, in quo nulla eſt contradictio, ſed potius neceſſaria connexio inter liberum ſecundum, & primum.

171 Ad 1. D.Thom. teſtimonium reſp. D.Thom. vt patet ex contextu, tantum excludere in illis verbis determinationē ab alio dante formam determinatā ad vnum; ſicut res naturales, quia ſunt per ſuam formam ad vnum determinatæ, determinatio ad ſuos actus provenit eis ab eo, qui talem naturam dedit ipſis, perquam ad ſuos actus ſunt determinatæ: cæterum non negat D.Th. voluntatem determinari ab alio ſupponente indifferentiam ad hunc, vel illum actum, & dante applicationē ad hunc determinate.

172 Ad 2. Reſpond. quod ibi nec in apparentia eſt contra nos quia ibi ſolum docet, quod voluntas manet libera in omnibus, quæ cadunt ſub electione, & ſolu determinata, hoc eſt neceſſitata ad apetendum naturaliter ſuam facilitatem: determinatione voluntatis liberæ ad actum ſecundum, nihil contra nos nec inſinuat.

173 Ad 3. dicimus: quod D.Thom. ibi ſolum aſſerit, quod nullus poteſt negare; nēpe, quod influxus Dei cum cauſis ſecundis ad iſtarum effectus attemperatur naturæ cauſæ ſecundæ cui aſsimilatur effectus, quoad ſpeciem: ex quo non infertur, quod cauſa ſecunda ad actualem productionē ſui effectus, non indigeat influxu Dei movēte, & determinante illā iuxta ſuam naturam ad effectum neceſſariū, ſi ſit neceſſaria; & ad actum liberum, ſi ſit libera.

174 Ad 4. ſimiliter nihil contra nos habet D.Thom. nec plus intendit in illo loco, vt ex cōtextu articuli cōſtat, niſi quod Deus operatur in volūtate creata, dando ei dominium ſui actus; & libertatē; qua caret ſicut, & dominio natura, quę per ſuā formā eſt determinata, & neceſſitata ad vnum: determinatio, qua Deus voluntatem determinat, nō obligat illam ad vnum, obligatione neceſsitāte, & auferente dominium; ſicut obligatio, quam habet natura per ſuam formam ad vnum determinatam.

§. IV.

Argumenta ex læſione libertatis ſolvuntur.

175 Obijcies 1. prædeterminatio ad amorē v.g. tollēs quod voluntas ſit expedita & potēs ponere carētiā amoris, eſt prædeterminatio tollens, quod voluntas ſit libera ad amorē; ſed prædeterminatio ad amorem (& idē dic de quolibet actu libero volūtatis) tollit quod voluntas ſit expedita, & potēs ponere carentiam amoris: ergo tollit libertatem ad amorem; mai. conſtat ex his quæ in initio art. notavimus: & prob. min. tollit quod voluntas poſſit ponere carentiam amoris coniunctam cū prædeterminatione ad amorem: tollit etiam, quod poſsit carentiam

tiam ponere diviſam à prędeterminatione ad amorē: ergo tollit abſolute,quod voluntas ſit potēs ponere carentiam amoris, conſeq. conſtat,nam amoris carētia non eſt ponibilis, niſi vno, vel altero ex illis modis.

Antecedens quoad primam partem eſt evidens, quoad ſecūdam prob. voluntas prædeterminata ad amorem non habet in ſua poteſtate,quod illa prędeterminatio non exiſtat;ergo nec habet in ipſa poteſtate carentiam amoris ab illa prædeterminatione dividere, quia ponere carentiā amoris diviſam eſt carentiam ponere,& prędeterminationem ad amorem non exiſtere:antecedēs eſt certum:quia prædeterminatio omnis exiſtit,vel non exiſtit vnice pro voluntate Dei.

176 Confirm. 1. qui habet impedimentum eſſentialiter pugnans cum B. & non habet in ſua poteſtate, quod deficiat tale impedimentum; non habet in ſua poteſtate facere, quod exiſtat B. diviſum, & ſeparatum ab eo impedimento:ergo volūtas prædeterminata ad amorem prædeterminatione pugnante cū carentia amoris; & aliunde non habens in ſua poteſtate, quod ea prædeterminatio non exiſtat, non poteſt ponere carentiā amoris diviſam à prędeterminatione ad amorem.

177 Confirmatur ſecundo, qui vinctus eſt ferreis catenis impedientibus curſum, nec habet in ſua poteſtate catenas, aut à ſe abijcere,aut ab alio tolli, non habet in ſua poteſtate ponere curſum coniunctum cum catenis, vt patet, nec diviſum, & ſeparatum à catenis: quo modo enim poterit ponere curſum diviſum à catenis,qui in ſua poteſtate non habet, catenas à ſe abijcere,aut ab alio tolli, quod neceſſarium eſt ad eam diviſionem; ergo qui vinctus eſt prædeterminatione ad amorem pugnante cum amoris carentia, & non habet in ſua poteſtate, quod ea prædeterminatio non exiſtat; nec habebit poteſtatem ad carentiam amoris diviſam à prædeterminatione ad amorem.

178 Pro ſolutione huius argumenti,vel potius pro ſolutione omnium,quæ ex lęſione libertatis. Thomiſticā prędeterminationē impugnat (quia vnicum tantum revera argumētum proponunt, ſub hac, vel illa, & infinitis formis) relictis plurimis, quę gravitas materiæ expoſcebat, ſed Tyronum Phyſicorum inſtructio non expoſcit. Ad verte 1. quod omnis actus liber voluntatis creatæ à duplici cauſa ponitur,& pendet,& duplicis agentis dominio eſt immediate ſubiectus, nēpè ſupremo Dei dominio,& dominio volūtatis creatę,quare illius omiſsio, carētia, vel deſtructio, ab vtroque agente, & ex vtriuſque dominio immediato poni debet.

Cum

Cum hac tamen differentia, quod à Deo poni, & pendere debet, vt à cauſa prima ſibi voluntatē creatam in exercitio ipſo omittēdi ſubordinante. & neutiquam voluntati creatæ ſubordinato, vel ſubiecto, à volūtate vero, & illius dominio pendet tanquam à cauſa ſubiecta immediatè ſupremo dominio Dei.

179 Ex quo fit 1. quod ſicut in poſitione actus, divinus concurſus phyſicus pręcedit actus exiſtentiam, ita & in exercitio omittendi debet omiſsionē pręcedere id, quod Deus ſibi exercitium omiſsivum ſubordinat; ſicut autem Deus media prædeterminatione ſubijcit ſibi actum, & illius eſicientiam, ita per negationem prędeterminationis, ſibi ſuborninat omiſsionem actus, quia ſcilicèt, non vult applicare volūtatem ad agēdum, ac ſubinde ad liberam carentiam actus, præcedit ex parte Dei carentia libera prædeterminationis, eo prorſus modo, quo prędeterminatio præcedit actum: & ſicut voluntas non ponet actum, niſi prædeterminatione pręeunte, ita nec omittit libere, carentia prędeterminationis non pręcedēte: quod videtur neceſſarium, ne Deus ſubijciatur, vel ſubordinetur voluntati creatę, atque vt voluntas creata Deo ſit plene ſubiecta.

180 Fit 2. quod ſicut non requiritur in voluntate, vt poſsit libere ponere actum, poteſtas ad exiſtentiam prędeterminationis, (illa enim poteſtas ſubordinaret, vel quaſi ſubijceret Deum ipſi voluntati in concurrendo cum illa) ita nec in volūtate requiritur poteſtas ad non eſſe prędeterminationis (quia per illā voluntas haberet Deū ſibi in non concurrēdo ſubordinatum) vt ſubſiſtat in voluntate poteſtas ad carentiam liberā actus, libertate nō ſuprema, & prima, ſed ſecūda, & primæ libertati ſubiecta.

181 Ex quo 3. fit, quod vt voluntas poſsit carentiā actus dividere à prædeterminatione, vt cauſa ſecunda, & cauſæ primæ in ipſo dividendi exercitio ſubordinata, non eſt neceſſarium, quod poſsit impedire, vel abijcere prędeterminationē ad actū; ſufficit enim, quod Deo per ipſam carentiā prędeterminationis ſubordinata poſsit ponere carentiam actus: tunc enim carentiam dividit à prędeterminatione, non vt cauſa prima carentię liberę, ſed vt cauſa ſecunda ſeparans modo ſuo à prędeterminatione divina, quod ſuę ſubiacet poteſtati.

182 Adverte 2. quod impedimenta actus, vel illius carentię alia ſunt intrinſeca, alia extrinſeca, alia quę ſe tenent ex parte actus primi, & deſtruūt poteſtatem ad vtrumlibet: alia ſe tenent ex parte actus ſecundi, quę ſolum removēt actum, aut illius carentiam, poteſtatem vero non lędunt; igitur intrinſeca dicun-

cuntur illa, quæ ab aliquo principio intrinſeco proveniunt, vt iudicium proponens obiectum ſine indifferentia, debilitas mēbrorum ad motū ex egritudine cauſata: extrinſeca impedimenta illa dicuntur, quæ proveniunt ab extrinſeco, vt ſiquis ligatur vinculis inſolubilibus.

Impedimenta ex parte actus primi, & quæ deſtruunt poteſtatem ad vtrumlibet, dicuntur illa, quæ vel ab intrinſeco naturæ, vel ab extrinſeco ita ligant poteſtatē, vt nullum exercitium relinquant arbitrio, illam taliter determinando, vt agat, & non agat per modum naturæ ad vnū determinatæ: ſic accidit volūtati præventæ iudicio determinato, & reſpectu deambulationis homini catenato.

Impedimenta vero actus ſecundi, vel illius carentiæ ſunt illa, quæ ſupponūt totā poteſtatē ad vtrumlibet, & illam iuxta ipſius poteſtatis modum, ad aliquod ſuæ libertatis exercitiū determinant; licèt hæc potiori titulo deberēt appellari expedimenta libertatis, quia illam à potētialitatis, & ſuſpenſionis vinculo expediūt, & reducūt ad vltimā ſuī perfectionem; tametſi in quantum voluntatē determinant ad vnum exercitium, eius opoſitum reddant impoſsibile tantum conſequenter.

183 Ex his ad argumentū (& ad plurima alia quæ poſſunt obijci) conſtat ſolutio: negando min. ad huius prob. neg. antecedꝰ quoad ſecūdam partem, ad illius prob. conceſſo antec. diſting. cōſequens, vt cauſa ſecunda cauſæ primæ in ipſo dividēdi exercitio ſubordinata nego conſequent. vt cauſa omninò independēs in ipſo dividendi exercitio conc. cōſeq. ſolutio conſtat ex ſupra dictis.

184 Ad 1. confirm. diſting. antec. ſi impedimentū pugnans cum B. ſe teneat præciſſe ex parte actus ſecundi, & potius ſit expediens ad exercitium poteſtatis neg. antec. ſi tale impedimentum ſe teneat ex parte actus primi, & poteſtatis. Conced. antec. Prædeterminatio ad amorē expedit ad illum, & quamvis impediat illius carētiam, non impedit poteſtatē ad illam, nec ad illam dividendam à prædeterminatione in ſenſu immediate dicto.

185 Ad 2. confirm. neg. conſeq. & paritatem: vincula à quibus ſe ſe non valet aliquis expedire, ſunt impedimentum actus primi, & poteſtatis liberæ ad deambulandum; quia hæc, vt libera, requirit pro conſtitutivo, quod potentia loco motiva, & membra, quibus debet exerceri motus, ſint ſubiecta dominio voluntatis, quod dominium vincula impediunt, & conſequēter per ſe primo, & directe impediūt poteſtatē, indirectè vero, & ex cōſequēti exercitiū libertatis, præ determinatio autem nullū principium conſtitutivum liberę poteſt-

teſtatis extrahit à dominio volū-tatis; ſed præſupponendo omnia illa, Deo fortiter ſubijcit voluntatem, & ſuaviter facit, vt voluntas ſe, & omnia comprincipia iuxta ſuum modum, ad actum determinet.

186 Obijcies 2. qui caret prædeterminatione eſſentialiter prærequiſita ad amorem, & non habet in ſua poteſtate, facere, quod exiſtat nullam habet verā poteſtatē ad amandū; ſed hoc ipſo, prædeterminatio tolit libertatem ad amandum: ergo. Min. eſt evidens, quia ſi carentia prędeterminationis eſt carētia veræ poteſtatis ad amandum; prædeterminatio conſtituet poteſtatē, & cum ex alia parte ſit connexa cum vno extremo, deficiet poteſtas ad oppoſitum; & conſequenter libertas.

Mai. vero prob. qui non habet prærequiſitum eſſentiale ad amorē, neque habet in ſua poteſtate facere, quod exiſtat, non habet in ſua poteſtate ponere amorem, vt eſſentialiter eſt: eſt enim amor eſſentialiter coniunctus cū prærequiſito eſſentiali ad ipſum; ſed qui non habet in ſua poteſtate ponere amorem, vt eſſentialiter eſt, nullam habet verā poteſtatem ad amandum: ergo.

187 Reſp. neg. mai: non habet in ſua poteſtate ponere amorē, vt eſſentialiter eſt; ſecundum omnia prędicata illius cōſtitutiva, & quæ importat in recto. Nego mai. vt eſſentialiter eſt, ſecundum omnia prædicata quę eſſentialiter importat, tā in recto, & conſtitutivè, quam de connotato, & in obliquo, conc. mai. & diſting. min. eodē modo, & neg. conſeq. Prædeterminatio non eſt prædicatum eſſentiale cōſtitutivum amoris, licèt illam eſſentialiter connotet amor exiſtens, & ratio eſt clara; quia prædeterminatio eſt cauſalitas activa Dei efficiens amorem; cauſalitas autē efficientis, nec eſt, nec poteſt eſſe prædicatum ſui effectus conſtitutivum; ac ſubinde, vt voluntas ſit potens ad amorem, vt eſſentialiter eſt, quātum ad omnia illius prædicata cōſtitutiva non requiritur, quod ſit potens adquirere prædeterminationē, quæ eſt cōcurſus Dei, ne ita nos liberos defendamus, vt Deum velimus in concurrēdo habere nobis ſubordinatum.

Contra hanc, & præcedentem ſolutionē, penè infinita opponunt recentiores, quæ ſi per otium meditentur; ad difficultatē præcedentiū obiectionum ſolum adunt novam formam ſylogiſticam, & ex doctrina à nobis tradita, non erit difficile omnia illa ſolvere; ſufficiant dicta pro aliquali, vel levi inſinuatione principiorum Thomiſticæ ſcholæ, in controverſia apud ſupremos Theologos, difficili.

QVÆST. XII.

De Cauſa finali.

1 QVæ de fine, vt eſt phyſica cauſa, ſciri debẽt, in prę ſenti quęſtione breviter comprehendemus; & illum qui pleniorẽ notitiam finis deſiderat ad morales Philoſophos, & Theologos remitimus, qui cũ D.Tho. 1.2.quæſt. 1. latè de fine diſputãt: tota cauſæ finalis notitia prout ad philoſophos ſpectat, reducitur (ſicut vidimus in alijs cauſis) ad rationẽ formalẽ cauſandi, ad illius cauſalitatem, & ad effectus.

ARTIC. I.
Quænam ſit ratio formalis finalizandi?

2 QVęrimus rationẽ formalem cõſtitutivam cauſæ finalis in actu primo proxime cauſativæ effectus ſibi correſpondentis, ita vt ab illa immediatè profluat eius cauſalitas, quæ finalizatio vocatur.

§. I.
Aliqua prælibantur.

3 IVxta communem acceptionẽ Theologorum, & Philoſophorum, finis eſt id *cuius gratia aliquid fit*; vel ex Philoſoph. & D.Thom. cauſæ finalis habetur talis diffinitio: *finis eſt cuius gratia aliquid fit*, ſicut ſanitas eſt cauſa ambulandi: ſed pro notitia cauſæ finalis, & huius quod in titulo quærimus.

4 Nota 1. quod finis, alius dicitur *cuius gratia*; alius dicitur, *cui*: finis *cuius gratia* eſt bonum, quod intenditur, & cuius adipiſcendi gratia vovetur operans: finis *cui*, eſt ſubiectum cui volumus illud bonum; vt ſanitas eſt cuius gratia ſumitur potio amara, & homo eſt cui volumus ſanitatem.

Rurſus finis, alius eſt obiectivus, alius formalis; *vel aliter* alius eſt finis *qui*, alius finis *quo*; finis *qui*, ſeu obiectivus eſt ipſa res, in qua ratio boni invenitur, vt Deus reſpectu Beatorum: finis *quo* ſeu formalis eſt vſus, ſeu adeptio talis boni, vt viſio Dei.

Deinde; alius eſt finis cauſa; alius finis effectus; primus eſt cuius cauſa cætera fiunt; ſecũdus eſt terminus agentis, qui ſolet vocari finis propter quem; vt cum dicitur, quod providentia Regis, eſt propter ſecuritatem ruſtici; vnde finis cauſa, nobilior eſt, quã finis effectus.

Finis *cauſa*, vel *cuius gratia*, vltra dividitur in vltimum, & non vltimum, ſeu inter medium: vltimus, cui omnia ſubordinãtur & ipſe ad alium non ordinatur; non vltimus, ad quem aliqua ordinantur, ipſe tamen alteri ſubordinatur. *Deinde*: alius dicitur finis primarius, alius ſecundarius; ille eſt, qui primo, & directè intenditur; iſte, qui intenditur conſequẽter, & ratione alterius.

Solet etiam finis dividi in fi-

finem operis, & finem operātis; in naturalem, & ſupernaturalem; finis operis eſt, qui debetur operi ſecundum ſe: finis operantis, qui eſt præfixus ex intentione operantis: naturalis eſt, qui vires naturales non excedit; ſupernaturalis vero, qui ſolo divinæ gratiæ adiutorio adquiri valet: ſufficiant hæc pro acceptionibus finis: circa quas.

5 Nota 2. quod prædictæ diviſiones nō tam ſunt in diverſas ſpecies finis, quam in rationes inadæquatas, quibus integratur, & cōpletur integra ratio finis, & quia ſolū finis cuius gratia dicitur, & eſt finis cauſa, & cō diſtinguitur à reliquis cauſis: de fine *cuius gratia* erit nobis ſermo in præſenti.

6 Nota 3. quod vt finis ſit finalis cauſa, neceſſariò debet habere rationem boni, & appetibilis; quia ſub ratione mali non poteſt finaliçare, ſicut nec appeti à voluntate, quod licèt aliqui negaverint: in præſenti potius eſt ſupponendum, quam probandū probant hoc Theologi cum D. Thom. 1. 2. quæſt. 8. art. 1..

Pro nunc ſufficiat Philoſophum hac ratione inſtruere; nam qui vult malum? vel vult id quod ex omni parte eſt malum? Et hoc non eſt ens, nec appetibile; vel id quod eſt malū morale; & bonū naturale, & delectabile; & vt ſic appetitur? Et hoc iam eſt appetere malum, vt bonum; vel id quod apprehendimus malum eſſe alteri, ſed mihi conveniens, & delectabile? Et hoc eſt velle mallum, nō ſub ratione mali, ſed ſub ratione boni proprij deſtructivi contrarij: ex quo infertur nullam dari co mbinationem, in qua voluntas ad malum ſub ratione mali, feratur.

7 Denique nota, quod vt finis ſit cauſa, non ſolum debet habere bonitatem, ſed illa bonitas debet eſſe cognita, vel apprehenſa, qua proprie eſt cauſa reſpectu appetitus, qui eſt ad bonum, non quomodocumque, ſed vt cognitum: *Quia nihil volitum quin præcognitum*. Et iuxta Auguſt. hom. 10. de Trinit. cap. 1. voluntas nequit ferri in incognitum.

Loquimur etiam in præſenti de cognitione practica: nam cognitio pure ſpeculativa finis, & boni non ſufficit ad movendam voluntatem, in cuius motione, vt infra videbimus, cauſalitas finis conſiſtit: hinc ortum habet difficultas præſentis artic. an ratio formalis conſtitutiva finis in ratione cauſæ in actu primo cauſativæ ſit ipſius bonitas? An potius cognitio, vel apprehenſio ſuæ bonitatis?

8 Prima ſententia tenet, apprehenſionem, ſeu cognitionem practicam bonitatis, eſſe per modum actus primi, rationem formalem finalizandi: pro qua referuntur Avicena, B. Albert. Capreolus, Medina, Soncinas, & alij: cui adhærent, licèt

cum

cum aliqua modificatione, Vazquez, & Bañez.

Secunda, & communior ſentētia tenet, quod cognitio ſolū eſt conditio requiſita, per modum applicationis, aut exiſtentiæ bonitatis, vt ipſa tanquam ratio formalis finalizet: hanc tenent Caiet. Ferrar. Soto, Mag. S. Thoma. PP. Carmel. Lerma. Goud. Pyn. & alij ex noſtris: quibus adhærent communiter Authores Societatis.

§. II.
Vnica Concluſio.

9 R*Atio formalis conſtitutiva cauſæ finalis in actu primo ad finalizandum nō eſt apprehenſio, ſed bonitas, quæ apprehenditur, & per apprehenſionem applicatur.* Prob. 1. ex D. Thom. cuius Intelligentia habetur hoc diſcurſu. Quod eſt ratio formalis, vt finis appetatur, eſt ratio formalis conſtitutiva illius in ratione cauſæ finalis: ſed bonitas eſt ratio formalis, vt finis appetatur: ergo bonitas eſt ratio formalis cōſtitutiva illius in ratione cauſę finalis: diſcurſus eſt legitimus, & videtur convincere concluſionē eſſe de mente Divi Thomæ, ſi de illius mente eſſe præmiſſas convincamus.

Min. eſſe de mente Divi Thomæ conſtat 1. part. quæſt. 80 artic. 1. ad 2. vbi ait: *Quod appetitur aliquid, vt eſt conveniens, aut bonum.* Et etiam 1. p. quæſt. 5. artic. 1. ait: *Ratio boni in hoc conſiſtit, quod aliquid ſit appetibile.* Vnde philoſoph. in 1. Ethic. dicit: *Quod bonum eſt, quod omnia appetunt:* ergo iuxta Divum. Thomam, bonitas eſt ratio formalis, vt finis appetatur.

Quod etiam maior primi diſcurſus ſit de mente Divi Thomæ: probat. ex quæſt. 22. de Veritate artic. 2. vbi ait: *Quod ſicut influere cauſæ efficientis eſt agere; ita influere cauſæ finalis eſt appeti, & deſiderari:* Influere finis eſt appeti: ergo ratio formalis influendi (quod idem eſt ac ratio formalis cauſæ) erit ratio formalis, vt finis appetatur: ac ſubinde bonitas, quæ iuxta Div. Thom. eſt ratio formalis vt finis appetatur, erit iuxta ipſum, ratio formalis vt finis influat per modum cauſæ finalis.

10 Rurſus ſupradictus diſcurſus videtur expreſſus Divi Thomæ 2. 2. quæſt. 26. artic. 2. ad 1. vbi ait: *Dupliciter aliquid eſt cauſa dilectionis: vno modo ſicut id quod eſt ratio diligendi, hoc modo bonum eſt cauſa diligendi, quia vnunquodque diligitur in quantum habet rationem boni: alio modo quia eſt via quædam ad adquirendam dilectionem, & hoc modo viſio eſt cauſa dilectionis: non quidem ita quod ea ratione ſit aliquid diligibile, quia eſt viſibile, ſed quia per viſionem perducimus ad dilectionem.*

In quibus verbis habetur *in primis*, quod illud quod eſt cauſa, vt finis diligatur, eſt ratio cōſti-

ſtitutiva finis in ratione cauſæ, ſed ratio boni eſt cauſa, vt finis diligatur: ergo. Habetur ſecundo, quod viſio, ſeu apprehenſio ſolum eſt conditio per modum viæ, vt finis diligatur, taliter, quod finis non eſt diligibilis; quia viſibilis eſt, ſeu cognoſcibilis: ergo ratio cauſandi in fine non eſt ratio viſibilis, ſeu apprehenſi, ſed ratio boni: ſunt alia, quam plurima D. Thomæ teſtimonia, quæ paſsim ab Authoribus afferuntur, & ponderantur.

11 Ratione prob. 2. concluſio: Ratio formalis motiva efficientis ad agendum, eſt ratio formalis cauſandi, & finaliſzandi in fine; ſed non apprehenſio, ſed bonitas finis, quæ apprehēditur, eſt ratio formalis motiva efficientis ad agendum: ergo non apprehenſio, ſed bonitas finis quæ apprehenditur, eſt illius ratio formalis cauſandi, & finalizandi Maior conſtat: *Tum* ex D. Thom. quæſt. 5, de Potentia art. 1. dicente: *Finis non eſt cauſa, niſi quatenus movet efficientem ad agendum.* *Tum* quia ex eodem opuſc. 31. finis eſt cauſa cauſarum, quia eſt cauſa cauſalitatis in omnibus cauſis, movendo efficientem, quæ eſt prima cauſa in executione.

Minor vero prob. 1. Ratio formalis motiva efficiētis ad agendum eſt ratio formalis, propterquam efficiens operatur; ſed ratio formalis propterquam efficiens operatur, non eſt apprehēſio finis, ſed illius bonitas, quæ aprehenditur: ergo. Maior conſtat, nam idem eſt formale motivum operantis, ac id propter, quod agens operatur. Min. prob. *Tum* quia ratio formalis, propterquam agens operatur, eſt quæ redditur pro ratione ſuæ operationis; ſed agens interrogatus propter quid operatur? Nec reddit pro ratione apprehenſionē finis, ſed potius huius bonitatē, & convenientiam: ergo. Tum quia ratio formalis propterquā efficiens operatur, eſt illa, quę propter ſe quæritur ab agēte media ſua operatione; ſed bonitas finis, & non illius apprehenſio, eſt quæ propter ſe quæritur media operatione agentis: ergo.

2. Prob. illa min. ratio formalis motiva efficientis ad agendum eſt ratio formalis motiva voluntatis illius ad agendum; quia à voluntate efficientis (ſcilicet rationalis) incipit omnis motus in executione, cum voluntas ſit primum movens quoad exercitium, & ſic motio finis debet eſſe in voluntate, ut intentionaliter mota à fine moveat cæteras potentias executivas efficientis: ſed ratio formalis movendi volūtatem non eſt apprehenſio bonitatis finis, ſed potius bonitas finis, quæ apprehenditur: ergo. Prob. min. Voluntas eſt ſolum mobilis ab eo, quod eſt intra propriam ipſius lineam, vt adæquate diſtinctam à linea intellectiva; ſed ſolum bonitas, &

non apprehenſio illius eſt in linea voluntatis, vt a ſequente diſtincta à linea intellectiva: ergo ratio formalis motiva voluntatis non eſt bonitatis apprehēſio, ſed ipſa bonitas, quæ apprehenditur. Mai. videtur certa, nam iuxta Philoſophum, & Div. Thom. paſsiva; & mobilia diſtinguntur ſecundum diſtinctionem activorum, & motivorum, quia oportet motivum eſſe proportionatum mobili, & activum paſsivo, & omnis potentia paſsiva propriam rationem habet, ex ordine ad ſuum activum: ergo ſi linea intellectiva, & volitiva adęquate diſtinguntur: & voluntas intra propriam lineam eſt paſsivè movilis à fine, finis debet illā movere per aliquid, quod ſit in linea volitiva, vt adæquate diſtincta à linea intellectiva, quod quidem non poteſt eſſe apprehenſio, ſed bonitas.

12 Per quod præocupantur ſolutiones, quæ noſtræ rationi ſolent adhiberi, quarum prima eſt, quod bonitas, eſt ratio formalis *quæ* motiva, ſeu cauſativa in fine; ratio vero formalis *ſub qua* eſt ratio apprehenſi.

Contra quam ſtat ratio facta, quia ratio formalis *ſub qua* motiva voluntatis, eſt id quod formalius ſe habet ad illam movendam; ſed quod formalius ſe habet ad movendam voluntatem, nequit non eſſe in linea voluntatis ſecundum id in quo talis linea differt à linea intellectiva, quod quidem apprehenſio eſſe non poteſt, vtpote pertinens ad lineam intellectivam: ergo bonitas finis non ſolum eſt ratio *quæ* motiva voluntatis, ſed potiori titulo eſt ratio formalis *ſub qua*.

13 Secunda ſolutio eſt, ratione noſtra ſolum probari, bonitatē eſſe principium radicale, & quaſi præcipuum, cui principaliter tribuitur voluntatis motio (ſicut actio principaliter tribuitur ſubſtantiæ:) non tamē probari, bonitatem eſſe rationem formalem proximam cauſandi finaliter vel finalizandi.

Contra eſt: Nam ratio formalis *ſub qua* proxime motiva voluntatis neceſſario debet eſſe in eadem linea, in qua eſt voluntatis quaſi activa motio (ſicut diximus de ratione formali proxime operativa efficientis, quod debet eſſe in eadem linea, in qua eſt actio, quæ eſt cauſalitas:) ſed volūtatis quaſi activa motio (quę eſt finis cauſalitas) debet eſſe in linea volitiva, vt adæquate diſtincta à linea intellectiva, quia debet eſſe in eadem linea, in qua eſt movile, quæ eſt voluntas, vt ſupra dicebamus ex Philoſoph. & Div. Thom. ergo.

14 Denique prob. Concluſ. Ratio formalis finalizandi eſt, quæ movet appetitum agentis, quam agens intendit, cuius gratia agit, & qua adepta quieſcit; ſed omnia hæc nec conveniunt apprehenſioni, nec bonitati finis, reduplicative vt apprehen-

henſæ; ſed præciſſe bonitati finis, quæ apprehenditur: ergo hęc eſt ratio formalis finalizandi. Maior conſtat, quia non poſſunt aſſignari alia munera finis propria, in ratione cauſæ. Prob. min. Non apprehenſio divitiarum, ſed illarum bonitas, & convenientia excitat appetitum Avari, nec intendit illarum apprehenſionem; ſed potius bonitatem, quam in divitijs apprehendit, nec gratia apprehenſionis divitiarum laborat, ſed gratia bonitatis, & convenientiæ, quam in illis apprehendit: nec denique quieſcit in illis reduplicative, vt apprehenſis, ſed vt realiter poſſeſsis: ergo.

15 Ex his inferes 1. Apprehenſionem eſſe conditionem intrinſecam neceſſariam à Deo inſupplebilem, vt finis ſit finalis cauſa: conſtat hoc. *Tum* ex argumentis, quæ contra concluſionem proponemus, quæ ſine dubio hoc probant, & convincunt: *Tum* quia nihil habet rationem cauſæ, niſi habeat eſſe, ſeu exiſtentiam proportionatam ad cauſandum; ſed eſſe, ſeu exiſtentia proportionata ad cauſandũ per motionem intentionalem (qualiter finis tantum cauſat) eſt eſſe, ſeu exiſtere intentionaliter, hoc eſt in apprehenſione; ſicut exiſtentia proportionata ad cauſandum per motum phyſicum, & realem, eſt exiſtere phyſicè, & in re, vt videre eſt in cauſa efficiente: ergo.

Ex quo colligitur, apprehenſionem eſſe conditionem, nõ pure extrinſecam à Deo ſupplebilem; ſicut ſe habet applicatio cauſæ efficientis ad agendum, ſed intrinſecam à Deo inſupplebilem, ſicut exiſtentia cauſæ efficientis.

16 Inferes 2. quod cum iuxta D. Tho. 1. 2. quæſt. 1. finis, & bonum ſint obiectum voluntatis, opportet in bonitate finis diſtinguere, & rationem obiecti, & motionem illi, prout eſt obiectum, correſpondentem, & rationem cauſæ, & motionem, quæ illi vt cauſalitas correſpondet: bonitas finis ſub munere præciſſe obiecti ſpecificãtis, tùm potentiam, tùm actum voluntatis, motio illi correſpondens non conſtituit finẽ in ratione cauſę finalis, ſed potius in ratione cauſæ formalis extrinſecæ dantis in hoc genere ſpeciem potentiæ, & actibus eius, quod quidem commune eſt omni obiecto cuiuſvis potentiæ.

At vero bonitas, prout conſtituit ſpeciale genus cauſæ finalis, dicit rationem motivi voluntatis, non præciſſe, vt id à quo accipit ſpeciem, ſed vt à quõ excitatur; & provocatur, vt potentias executivas in executione moveat ad operandum gratia talis bonitatis, vel ad illam conſequendam, quæ ratio non eſt communis omni obiecto potentiarum, ſed ſpecialis in fine, & illius bonitate.

§. III.
Argumenta ſolvuntur.

17 Obijcies 1. ex D. Thom. 1. p. quæſt. 80. artic. 2. ad 1. quod differentiæ apprehenſi ſunt differentiæ appetibilis; & quod potentiæ appetitivæ differunt per differentiam apprehenſorum, vt per propria obiecta. Et 1. 2. quæſt. 11. art. 2. ad 1. quod diverſitas apprehenſionis pertinet quodammodo ad diverſitatē obiecti. Et in eadem parte q. 27. artic. 2. quod cognitio eſt cauſa amoris, ea ratione, qua & bonum: & q. 30. art. 3. ad 2. quod ad diverſitatem appetitus activi pertinet diverſitas apprehenſionis.

18 Hæc, & alia teſtimonia D. Thomæ, iuxta ea, quę expreſſe docet in alijs locis, exponenda ſunt, & vltra ea, quæ in favorem concluſionis, adduximus: videatur quæſt. 22. de Veritate artic. 4. ad 1. quod voluntas ab appetitu ſenſibili non diſtinguitur directe, per hoc, quod eſt ſequi hāc vel illam apprehenſionē, ſed quaſi ex conſequenti. Et q. 25. de Veritate art. 1. ad 6. quod diverſitas apprehenſionum per accidēs ſe haberet, niſi diverſitati apprehenſionis diverſitas apprehenſorum coniugeretur: idem habet alijs in locis.

19 Quare ad 1. reſpond. explicando vnum teſtimonium cum alio; differentiæ apprehenſi ſunt differentiæ appetibilis directe, & tanquam ratio formalis differendi, nego: ex conſequenti, & tanquam conditio intrinſeca, concedo. Similiter exponenda eſt alia propoſitio; potentiæ appetivæ differunt per differentiam apprehenſorum, vt per propria obiecta, ſecundum quod apprehenſum dicit de bonitate, concedo: Secundum quod dicit de apprehenſione, ſub diſtinguo: directè, & tanquam per rationem formalem nego: Tanquam per conditionem intrinſecam, & neceſſariam, concedo: Expoſitio cōſtat ex locis adductis ex q. de Veritate.

Ex quo patet ad 2. diverſitas apprehenſionis pertinet quodammodo ad diverſitatē obiecti; hoc eſt conſequenti, vel tanquam conditio, vel tanquam cauſa (vt indicat illa particula *quodā modo*) non vero directe, & tanquam ratio formalis.

Ad 3. explicamus: Cognitio eſt cauſa amoris, ea ratione, qua & bonum: ly *ea ratione* dicente rationem formalem cauſandi amorem, neg. Dicente neceſsitatem utriuſque ad cauſandum amorem, concedo. Colligitur hoc ex verbis, quæ in mediate ſubdit: *Ea ratione, qua & bonum, quod non poteſt amari, niſi vt cognitum.* Vbi explicatur neceſsitas vtriuſque ad cauſandum amorem, bonum, vt ratio formalis, cognitio vt conditio, ſine qua non. Ad vltimum

mum patet expoſitio ſicut ad primum.

20 2. Obijcies, & poteſt eſſe replica: diverſitas apprehenſorum diverſificat eſſentialiter appetitum rationis, & ſenſitivum ſe habente apprehenſione, vt ratione formali diverſificandi: ergo apprehēſio etiam ſe habet, vt ratio formalis finalizandi: Prob. antec. 1. appetitus rationalis eſt immaterialis; appetitus ſenſitivus, eſt materialis: ergo eſſentialiter petunt ſpecificari ab apprehenſio immateriali, & materiali; ſed quod bonum apprehēſum ſit immateriale, habet ab apprehenſione, tanquam à ratione formali: ergo.

2. Ad bonum rationis, ſeu immateriale, quod ſpecificat appetitum rationalem, apprehēſio non ſe habet præciſſe, vt conditio: ergo ſe habet, vt ratio formalis. Prob. antec. Conditio ſupponit rem conſtitutam; ſed apprehenſio non ſupponit bonum rationis in eſſe talis conſtitutum; cum multoties voluntas feratur in bonum, quod in ſe, & entitativè eſt materiale, & ſolū per intellectum immaterializatur, & proportionatur voluntati, quæ eſſentialiter eſt immaterialis: ergo.

3. Sicut ad formam naturalem ſequitur appetitus naturalis, ita appetitus elicitus ſequitur formam apprehenſam: ex quo principio demonſtrat D. Thomas, in omni habente intellectum neceſſario eſſe voluntatem, quæ eſt appetitus rationalis; ſed forma naturalis non ſe habet præciſſe, vt conditio ad ſpecificandum appetitum, ſeu inclinationem naturalem: ergo forma, vel apprehēſio non ſe habet, vt tantum conditio ad ſpecificandum appetitum rationalem, Prob. min. Nam à poſteriori, ex actuali inclinatione, vel appetitu, cognoſcimus quidditatem formarum, ſicut ex proprijs actibus cognoſcimus potentias.

Denique voluntas Angeli, & hominis ſpecie differunt in ratione appetitus; ſed non à bono ſub præciſſa ratione boni, & cōvenientis, quia poteſt eſſe idem reſpectu vtriuſque: ergo differunt eſſentialiter ex diverſa propoſitione, vel apprehenſione talis boni.

21 Reſpond. negando ant. ad 1. diſt. conſeq. immaterialitate ſumpta formaliter pro ſtatu, quē habet appetibile in intellectu, neg. conſeq. Sumpta radicaliter, vel prout fundat apprehēſionē magis vniverſalem, cōcedo conſeq. Ratio formalis diſtinguēs appetitū rationalem à ſenſibili ex parte obiecti, eſt ratio boni in vniverſali quæ ratio eſt magis immaterialis, quā ratio limitata boni ſenſibilis, quæ ſpecificat appetitū ſenſibilē, quia cum materia ſit principiū limitationis, ratio boni magis limitata eſt magis materialis, & ratio boni, quæ minus habet de limitatione, eſt ma-

gis immaterialis,ac ſubinde ratio boni incommuni, vtpote minus limitata,& magis immaterialis,quā ratio boni ſenſibilis ſpecificat appetitū vniverſalem, & immaterialē,qui eſt voluntas.

Hæc immaterialitas, conſiſtens in ratione boni,non limitatata, ſed vniverſali,dicitur à nobis immaterialitas radicalis, ſivè fundamentalis;quatenus radicat, & fundat immaterialitatem formalem vniverſalem conſiſtentem in ſtatu intentionali, quem bonum habet in apprehenſione magis vniverſali: hæc autem immaterialitas formalis ſolum ſe habet,vt cōditio ex parte ſubiecti, vt bonum in vniverſali ratione immaterialitatis radicalis, quam habet ſpecificet appetitum immaterialitatem,& vniverſalē,qui eſt voluntas,& illam diſtinguat ab appetitu ſenſitivo, magis limitato,& materiali.

Per quod diſting. illam min. ſubſumptam, quod bonum apprehenſum ſit immateriale habet ab apprehenſione, immaterialitate formali ſumpta pro eſſe intentionali, quod habet in intellectu,conced.min. immaterialitate radicali,nego min. Eſſe intentionale, quo bonum coſtituitur immateriale formaliter,ſolum ſe habet,vt conditio,vt bonum incommuni ſpecificet voluntatem,& vt bonitas finis finalizet;ſicut eſſe phyſicum,ſeu exiſtentia reſpectu efficientis, ſe habet vt conditio, vt efficiat.

22 Ad 2. Reſpond.quod bonum materiale poteſt attingi, & ab appetitu ſenſitivo, qui eſt materialis,& à voluntate,quæ eſt ſpiritualis, ſed ſub diverſa ratione formali ſpecificativa vtriuſque, ſub ratione ſcilicet boni vniverſalis, & ſub ratione talis boni ſcilicèt ſenſibilis,ex quibus prima eſt magis immaterialis, quam ſecunda (radicaliter loquendo) quæ immaterialitas radicalis non præſtatur bono materiali ab apprehenſione intellectus;ſed ab eo, quod eſt bonum quoddam particulare contentū ſub bono,vt ſic,quod eſt ſpecificativum voluntatis; ratione cuius fundat apprehenſionem formaliter immaterialem, quę non conſtituit bonum materiale in ratione ſpecificantis,& finalizātis voluntatem; ſed præciſſe ſub ſtatu,& exiſtētia requiſita,vt bonum materiale ſpecificet,& finalizet appetitum ſpiritualem, qui eſt voluntas.

23 Ad 3.reſpond.quod idem eſt ſequi inclinationem,vel appetitum,ad formam apprehēſam,vel intelligibilem ; ac ſequi ad ipſum obiectū,vt intelligibiliter determinat intellectum, quare appetitus,qui ſequitur ad intellectum ſic informatum, non debet eſſe ad ipſam qualitatē, quæ eſt ſpecies intētionalis; ſed ad ipſum obiectum repræſentatū prout repræſentatur conveniens, ita vt cum illud non habet, tendat in ipſum, & cū habet illud, quieſ

eat in ipſo, quod quidem ſolum convenit obiecto, non ſpeciei, vel apprehenſioni.

24 Ad vltimam reſpond. quod voluntas Angeli, & hominis diſtinguntur ſpecifice, quamvis verſentur circa idem obiectum materiale; nō ratione diverſæ apprehēſionis, tanquam ratione formali; ſed quia idem bonum attingitur à voluntate Angeli ſub ratione convenientis, & boni magis vniverſalis, quā attingitur ab homine, quia ſicut ad naturam perfectiorē ſequitur perfectior inclinatio, ita ad perfectiorem inclinationem, ſequitur perfectior ratio convenientiæ, & boni, à qua ſpecificetur, & tanquam conditio, & ex conſequenti etiam requiritur, perfectior apprehenſio, & vniverſalior.

25 Obijcies 3. cum finis ſit realis cauſa, debet eſſe cauſa, per id quod in illo eſt reale; ſed multoties in fine, ſolum ratio apprehenſi, eſt realis, non vero ratio boni, vt cū volūtas habet pro fine aliquid, quod in re, vel eſt malum, vel eſt impoſsibile, apprehenditur tamen, vt bonum, & poſsibile: ergo.

Confirm. ſine reali apprehenſione, finis movere non poteſt; bene tamē ſine reali bonitate: ergo maior connexio eſt inter apprehenſionem, & appetitum, quam inter appetitū, & bonitatem realem: ſed repugnat, quod ſit maior connexio inter potentiam, & id quod ſolum ſe habet, vt conditio; quam inter potentiam, & id quod ſe habet, vt ratio formalis ſpecificandi, & movendi ergo.

26 Reſpond. neg. min: aliud eſt, quod res quæ eſt finis, vere ſit in re, vel ſit realis, aliud vero, quod ratio boni, cōſtituens illū in ratione finis cauſæ ſit realis, aut in re: primum multoties non reperitur, vt probat argumentum: ſecundum vero numquam deficit, quia licèt id cui applicatur ratio boni, vel non ſit in re, vel ſit impoſsibile, ratio boni falſo illi applicata realis eſt, licèt falſo applicata rei, quæ vt finis proponitur. Vnde Divus Thomas 1.2. quæſt. 1. art. 7. aſſerit: quod omnes quærunt, & appetunt verum bonum; falſitas vero, & deceptio ex parte apprehēſionis ſe tenet faciens, quod voluntas, quęrat bonitatem veram, qua vnicę movetur, vbi non eſt.

Per quod patet ad confirm: negando antec. quoad ſecundam partem, quia finis nequit movere, ſine reali bonitate, licèt poſſit movere ſine re, cui realis bonitas ſit vere applicata: vnde appetitus non eſt magis connexus cum apprehenſione, quam cum bonitate reali finis.

27 Obijcies 4. finis vt eſt cauſa eſt prior; ſed ſolum in apprehēſione eſt prior: ergo ſolum in apprehenſione eſt cauſa, ac per cōſequens, apprehenſio erit ratio formalis cauſandi.

Negatur vltima, conſequentia: Nam ſicut apprehenſio non eſt ratio formalis, à qua depēdet effectus, & cauſalitas finis, ita nec eſt ratio formalis conſtituens finem cum prioritate requiſita ad rationē cauſæ; ſed ſolum eſt conditio, vel exiſtentia rationis formalis cauſandi, cui proprie cōvenit prioritas. Prioritas namque requiſita ad cauſandum (vt dicemus quæſt. ſequet.) conſiſtit in illa ratione, à qua per ſe dependet effectus; non vero in exiſtentia cauſæ: vnde in materia licèt requiratur exiſtentia, vt cauſet, & ſit prior ſuo effectu; ratio conſtituens illam priorem non eſt exiſtentia, ſed ratio potentiæ receptivæ, à qua per ſe dependet effectus, ita in fine.

28 Si dicas: ergo idem erit ſe ipſo realiter prius, & poſterius, cauſa, & effectus. Conſeq. eſt falſum: aliàs idem ad ſe ipſum referretur, relatione reali tranſcendentali, quæ in cauſa reali reſpectu ſui effectus reperitur: ergo prima conſeq. prob. Nam eadem bonitas finis eſt, qua conſtituitur in ratione cauſæ, & quæ eſt vltimus effectus, dum conſequitur in re.

Reſpond. quod bonitas finis prout in re conſecuta, proprie non eſt effectus cauſæ finalis, ſed efficientis: propter quod vere dicitur, quod id quod eſt primum in intentione, eſt vltimum in executione: executio enim non pertinet ad genus finalis cauſæ, ſed efficientis.

Præterquamquod non videtur inconveniens, quod finis prout præciſſe habet eſſe intentionale, ſit cauſa ſui ipſius, prout habet eſſe phyſicum, & reale, ſicut obiectum intelligibile, prout in re, cauſat ſe ipſum, prout in ſpecie impreſſa, quando ſpecies intelligibilis, cauſatur ab ipſo obiecto.

29 Denique objicies: Voluntas vt libera, dependet ab intellectu quoad ſpecificationē; ſed dependet ab intellectu per apprehenſionem proponentem: ergo dependet ab apprehenſione, vt ſpecificativa ſuorum actuum.

Diſtinguo min. ita, vt ipſa propoſitio apprehenſiva ſpecificet actum voluntatis, nego min: ita vt ſit conditio, deferens, & dans eſſe bonitati tali, vel tali formaliter ſpecificanti concedo minor.

ARTIC. II.

Quid ſit finalizatio?

30 QVærimus cauſalitatem finis, quam eſſe maxime occultam, manifeſtat ſatis diverſitas ſententiarum, quę fere ad numerum reduci non poſſunt.

§. I.

Aliquorum ſententiæ reijciuntur.

OMnes ſentētias referre, & refellere, nec poſſumus, ne

nec debemus aliqui aſſerunt cauſalitatem finis eſſe aliquid mediũ inter finem, & eius effectum reſultans à fine(ſicut actio eſt medium inter finem, & effectum) præviumque ad actũ voluntatis.

Diſplicet hæc ſententia: nam hoc medium, cum ſit aliquid reale creatũ debet habere aliquã cauſam efficientem: ergo vel voluntatem, vel finẽ, vel aliquid aliud: non voluntatem; quia vt aiunt, præcedit omnem actum voluntatis, & voluntas non eſt efficiẽs, niſi medijs ſuis actibus: nõ finem: *Tum* quia multoties finis non eſt activus; tum quia finis, vt talis non influit efficiẽter, & activè, vt conſtat ex Philoſoph. 2. de generat. textu 55. *Id cuius gratia nõ eſt activũ*. Nõ denique aliud à fine, & voluntate diſtinctũ; niſi forſam ſit intellectus: & ſi hoc dicatur, cum omne, quod efficit intellectus, ſit intellectio, vel verbũ nihil horũ eſſe cauſalitatem finis, luce meridiana eſt clarius.

31 Alij exiſtimant cauſalitatem finis conſiſtere in quodam conflato ex cauſalitate phyſica, & morali: phyſica quatenus dependentia finalizati à fine eſt realis; moralis autem, quatenus depẽdet, ſaltem tamquam à conditione ab exiſtentia obiectiva, & intentionali.

Hoc etiam diſplicet: nam hæc dependentia finalizati à fine, quæ realis eſt, dependens tanquã à cõditione ab exiſtentia intentionali; cum debeat eſſe dependentia exercita, & actualis finalizati à fine, vt ſit finis cauſalitas: inquirimus, quid eſt? In quo conſiſtat? Vel cum quo identificetur? Ergo cum nihil horũ explicet hæc ſententia, cauſalitatem finis in explicatam relinquit.

32 Alij dicunt; cauſalitatem finis eſſe intentionalẽ per modum obiectivæ excitationis, motionis, & inclinationis voluntatis ad actum; ac ſubinde, omnem actum illius præcedentem; quæ motio, & excitatio voluntatis à fine nihil reale etiam intentionale imprimit voluntati; ſed ſolum per quandam ſimpathiam cum ipſa illam ſic movet, & excitat.

Nec placet hæc ſententia quam plures ex noſtris amplectuntur. Primo ſtat D. Thom. q. 22. de Veritat. art. 2. dicens: *Sicut influere cauſæ efficientis, eſt agere: ita & influere cauſæ finalis, eſt appeti, & deſiderari*. Influere cauſæ finalis eſt eius cauſalitas, vt patet; ſed finẽ appeti, & deſiderari, quod eſt eius influere, ſine actu voluntatis appetentis, vel deſiderantis nequit intelligi: ergo cauſalitas finis non conſiſtit in excitatione, vel motione omnem actum voluntatis præveniente.

33 Nec dicas 1. quód ibi D. Thom. influere finis, non accipit formaliſsimè pro ipſa cauſalitate finis, vt à ſuo effectu diſtinguitur; ſed pro cauſalitate finis terminativè, id eſt, pro ſuo termino, vel effectu.

Con-

Contra eſt: iuxta D.Thom. appeti, & deſiderari eſt influere, vel cauſalitas cauſæ finalis; ſicut agere eſt influere, & cauſalitas cauſæ efficientis; ſed agere formaliſsimè eſt cauſalitas cauſæ efficientis: ergo appeti etiam eſt cauſalitas finis formaliſsimè.

34 Si dicas 2. Quod cum D.Thom. afferit, quod influere finis eſt appeti, & deſiderari loquitur, non de actu elicito volūtatis, quo ab illa appetitur, & deſideratur; ſed de inclinatione qua per ſimphathiam, & quodā quaſi appetitu innato, finis appetitur, & deſideratur.

Hæc ſolutio; quæ ſuo Authori melior viſa eſt, quam prior; nobis difficilior videtur: Primo, nam appetitus innatus eſt ab authore naturæ rebus inditus, & conſequens naturam rei: ergo non dependet in voluntate à bonitate finis propoſiti, ſed datur antecedenter, non vt effectus, nec vt cauſalitas finis, ſed vt aliquid ad eſſentiam voluntatis conſequtum.

Contra 2. nequit intelligi appeti, & deſiderari in actu ſecundo ex parte finis, quin intelligatur voluntas appetens, & deſiderans in actu ſecundo; ſed voluntas appetens, & deſiderans in actu ſecūdo nequit intelligi ſine aliquo actu ab ipſa elicito: ergo.

Confirmatur: hæc inclinatio per ſimpathiam, vel appetitus quaſi innatus voluntatis, à quo habet finis appeti, & deſiderari: vel convenit voluntati in actu primo, vel translatæ ad actum ſecundum: ſi hoc ſecundum, cum voluntas non transferatur ad actum ſecundum ſine actu elicito; in fine non erit appeti, & deſiderari ſine actu elicito volūtatis; ſi dicatur primum: ergo in nullo vero ſenſu, *appeti, & deſiderari* poteſt dici de fine: prob. cōſeq. in nullo vero ſenſu, poteſt dici de fine *appeti, & deſiderari*, niſi ab aliquo; ſed non ab aliquo manēte in actu primo, quia eſſe aliquid ab alio dicit exercitiū eius à quo eſt, vt ex terminis patet: ergo in nullo vero ſenſu poteſt exponi D.Thom. iuxta hanc ſententiam.

35 Quæ impugnatur 2. cauſalitas finis eſt vera, & realis cauſalitas, quamvis ſit tantum metaphorica motio, & actio; ſed ſi conſiſteret in aliquo præcedente omnem actum voluntatis, nihil reale adhuc intentionale imprimente in voluntate, cauſalitas finis non eſſet vera, & realis cauſalitas: ergo. Mai. eſt certa, alioquin finis non eſſet vera, & realis cauſa, cuius oppoſitum infra conſtabit, nec negant authores illius ſententiæ.

Min. vero prob. cauſalitas vera, & realis eſt aliquid verum, & reale de novo incipiens, & exiſtens, dum finis actu finaliter cauſat: ſed in ſententia horum Authorum nihil verum, & reale de novo inciperet, & exiſteret, dum finis actu finaliter cauſat: ergo

go in iſto modo dicendi cauſalitas finis non eſſet vera, & realis cauſalitas: maior conſtat; nam cũ cauſæ creatæ non ſint ſemper in actu ſecundo cauſantes, earum cauſalitas debet de novo incipere, dum actu cauſant: min. vero prob. nihil verum, & reale adhuc intentionale de novo incipit, & exiſtit ex parte finis diſtinctum realiter ab ipſo prout in actu primo (vt contrarij admittunt) nec etiam nihil verum, & reale ad huc intentionale de novo incipit, & exiſtit ex parte voluntatis, diſtinctum realiter ab ipſa, prout in actu primo; cum concedant, quod per talem excitationem, & motionem manet voluntas in actu primo & præviè ad omnem ſuum actum, & quod per illam nihil intentionale voluntati imprimitur; cum non ſit motio efficientis imprimens in paſſo aliquid realiter ab ipſo diſtinctum) ergo finis cauſalitas non eſſet aliquid verum, & reale de novo incipiens, & exiſtens, dum finis actu finaliter cauſat.

36 Nec eſt idem de cauſalitatibus materiæ, & formæ, quæ cũ ipſiſmet cauſis identificãtur. nã cauſalitas materiæ, ex parte connotati, dicit aliquid verum, & reale de novo incipiens, & exiſtens, diſtinctum realiter ab ipſa: nempè, & actionem agentis, & ipſam formã de novo in ipſa receptam: (& idem dicendum proportionabiliter de cauſalitate formę) cauſalitas vero finis, nec in recto, nec de connotato aliquid verum, & reale importat; cum nec cõnotet novitatem aliquam realem ex parte voluntatis, nec actionem alicuius agentis, cum omnem illius actionem præcedat: ergo vel cauſalitas finis nõ eſt vera, & realis; vel non debet conſiſtere in motione præcedẽte omnem actum voluntatis nihil intentionale in illa imprimente.

§. II.

Sententia noſtra proponitur; & probatur.

37 NOſtra concluſio eſt: *Finis cauſalitas conſiſtit, & idẽtificatur cũ amore, & deſiderio ſui, ac ſubinde finem actu finalizare eſt per ſui amorem, & deſiderium ad agendum movere.* Concluſio vtroque modo explicata eſt expreſſa Div. Thomæ quæſt. 22. de Veritate, ſupra citata: *Quod ſicut influere cauſæ efficientis, eſt agere: ita influere cauſæ finalis eſt appeti, & deſiderari.* Quibus verbis non aſsignatur congrua explicatio, niſi in ſenſu noſtrę concluſionis.

Et 1. contrag. cap. 75. *Quod cauſalitas finis in hoc conſiſtit, quod propter ipſum alia deſiderantur:* & quæſt. 5. de Potentia artic. 1. *Quod finis non eſt cauſa, niſi quatenus movet efficientem ad agendum: vnde vbi non eſt actio, non eſt cauſalitas finis:* ergo finẽ actu cauſare, & finalizare, eſt per ſui deſide-

rium, efficientem ad agendum movere.

38 Ratione prob. finis per id actu finalizat, & cauſat per quod primo, & formaliter exercetur ratio formalis finalizandi; ſed hæc primo, & formaliter exercetur, per ſui amorē, & deſiderium: ergo. Maior eſt evidens; quia omnis cauſæ vera cauſalitas eſt id, per quod primo, formaliter exercetur, & conſtituitur in actu ſecundo ratio formalis, qua cauſa conſtituitur in actu primo cauſativa.

Min. vero prob. 1. ratio formalis proxima finalizandi, vt ſupra vidimus, conſiſtit in ratione boni appetibilis propter ſe, propoſita per intellectũ voluntati; ſed primum reale, & formale exercitiũ rationis boni appetibilis propter ſe, vt propoſitæ per intellectũ voluntati; conſiſtit in hoc, quod vt ſic propoſita à volũtate appetatur propter ſe: ergo. Minor prob. exercitium reale formale, & primũ imaginabile rationis appetibilis propter ſe, dicentis actũ primũ appetibilitatis, non eſt niſi per hoc, quod eſt primò realiter, & formaliter appeti propter ſe.

2. Secluſo, & propriori ad omnem actum elicitum à voluntate, nō eſt aſignabile aliquod reale exercitiũ, neque ex parte finis, nec ex parte voluntatis; quo ratio boni appetibilis propter ſe in exercitio primo realiter, & formaliter appetatur; ſed exercitiũ formale, & primũ rationis appetibilis propter ſe, eſt propter ſe formaliter appeti: ergo. Mai. cōſtat, ex vltima impugnatione vltimæ ſētētiæ relatæ §. antecedēti.

3. Exercitium primum reale, & formale alicuius cauſæ eſt id ratione cuius, primo realiter, & formaliter, effectus cauſæ fiunt in exercitio dependentes à cauſa; ſed ſeclnſo, vel propriori ad omnē actum voluntatis, nullus effectus finis fit in exercitio realiter dependens à fine, ergo. Mai. eſt ex terminis nota: & prob. min. nullus eſt aſsignabilis effectus finis, qui ab aliquo agente nō fiat gratia finis; ſed ſecluſo, vel propriori ad omnē actum volũtatis, nihil ab aliquo agente fit; quia voluntas eſt primũ movēs quoad exercitiũ cauſam efficiētē: ergo nihil fit gratia finis: ſed propriori, pro quo non intelligitur aliquid finis gratia finis, non intelligitur aliquid fieri in exercitio depēdēs realiter à fine; quia quod nō eſt realiter, à nulla cauſa realiter in exercitio depēdens eſt: ergo quod pro aliquo priori nō intelligitur fieri, non intelligitur pro illo priori ab aliqua cauſa realiter in exercitio depēdere. & conſequenter ſecluſo, vel propriori ad omnem actum voluntatis, non intelligitur cauſalitas realis finis.

39 2. Prob. concluſio. Ratio formalis finalizandi eſt ratio boni attractivi volũtatis ad ſe, media propoſitione intellectus et

go exerciti, & actus ſecundus talis rationis formalis eſt actualis attractio voluntatis ad ſe;ſed nō eſt perceptibilis actualis attractio voluntatis ad bonum ſine aliquo actu voluntatis circa ipſum bonum:ergo prob. min.ſubſumpt. nequit percipi bonum actualiter attrahere voluntatem ad ſe,quin voluntas actualiter feratur in bonum; ſed voluntatem actualiter ferri in bonum eſt actualiter amare bonum iuxta illud Auguſt. amor meus pōdus meum,illuc feror quocumque feror:ergo.Mai. eſt certa;quia dum volūtas manet quaſi immobilis,nec actualiter attrahitur, nec fertur cū à ſe ipſa non extrahatur.

§. III.

Solvuntur obiectiones.

40 OBijcies 1.amor finis eſt effectus finis:ergo nequit eſſe illius cauſalitas:ant. videtur certum,& cōſeq.probat. 1.effectus realis realis cauſæ debet diſtingui realiter à ſua cauſa non ſolū in actu primo,ſed etiā in actu ſecundo cauſante;ſed cōſtituitur in actu ſecundo cauſans per cauſalitatem: ergo effectus cauſæ debet diſtingui realiter à cauſalitate:prob.mai.effectus dependet realiter à cauſa, non ſolum in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo cauſante; ſed nihil poteſt á ſe ipſo dependere: ergo effectus realis cauſæ, diſtinguitur realiter à cauſa in actu ſecundo cauſante.

2. Ratio influens in effectum,non eſt effectus;ſed cauſalitas eſt ratio influens in effectū; ergo non eſt effectus: prob.min. cauſalitas dat eſſe effectui: ergo eſt ratio influens in illum:tū ſic; ſed nihil ſibi ipſi dat eſſe: ergo.

3.Prior eſt cauſalitas,quam effectus;ſed idem nō eſt prius ſe ipſo;ergo idē nō poteſt eſſe cauſalitas,& effectus; *Denique*: nam cauſalitas vera, & realis debet mediare inter cauſam, & effectū; ſed quæ identificantur cum effectu non mediant inter cauſam,& effectum:ergo:

41 Reſp.admittendo anteced.de quo 1.2.q.1.vbi diſputatur, an primus amor finis ſit vere propter finem,in quo eſſe effectū finis conſiſtit: nego cōſeq. ad 1.prob.diſtinguo mai.Effectus debet diſtingui realiter à cauſa in actu ſecundo cauſante,ſpecificative cōced.mai.reduplicato actu ſecundo cauſandi:nego mai.non eſt inconveniens,quod eadē entitas,ſit cauſalitas, & effectus:vt in actionibus ſēſuū externorū,quæ in ſententia D.Th. nullum terminum diſtinctum ab ipſis producunt.

Ad maioris prob. quatenus contra hoc poteſt obſtare: dicimus, quod effectus proprie loquēdo nō depēdet à cauſalitate;hæc enim potius eſt ipſa depēdentia effectus;quam id à quo effectus dependet,vel eſt id ratione cuius,effectus in exercitio de

non apprehenſio illius eſt in linea voluntatis, vt adæquate diſtincta à linea intellectiva: ergo ratio formalis motiva voluntatis non eſt bonitatis apprehēſio, ſed ipſa bonitas, quæ apprehenditur. Mai. videtur certa, nam iuxta Philoſophum, & Div. Thom. paſsiva; & mobilia diſtinguntur ſecundum diſtinctionem activorum, & motivorum, quia oportet motivum eſſe proportionatum mobili, & activum paſsivo, & omnis potentia paſsiva propriam rationem habet, ex ordine ad ſuum activum: ergo ſi linea intellectiva, & volitiva adęquate diſtinguntur: & voluntas intra propriam lineam eſt paſsivè movilis à fine, finis debet illā movere per aliquid, quod ſit in linea volitiva, vt adæquate diſtincta à linea intellectiva, quod quidem non poteſt eſſe apprehenſio, ſed bonitas.

12 Per quod præocupantur ſolutiones, quæ noſtræ rationi ſolent adhiberi, quarum prima eſt, quod bonitas, eſt ratio formalis *quæ* motiva, ſeu cauſativa in fine; ratio vero formalis *ſub qua* eſt ratio apprehenſi.

Contra quam ſtat ratio facta, quia ratio formalis *ſub qua* motiva voluntatis, eſt id quod formalius ſe habet ad illam movendam; ſed quod formalius ſe habet ad movendam voluntatem, nequit non eſſe in linea voluntatis ſecundum id in quo talis linea differt à linea intellectiva, quod quidem apprehenſio eſſe non poteſt, vtpote pertinens ad lineam intellectivam: ergo bonitas finis non ſolum eſt ratio *quæ* motiva voluntatis, ſed potiori titulo eſt ratio formalis *ſub qua*.

13 Secunda ſolutio eſt, ratione noſtra ſolum probari, bonitatē eſſe principium radicale, & quaſi præcipuum, cui principaliter tribuitur voluntatis motio (ſicut actio principaliter tribuitur ſubſtantiæ:) non tamē probari, bonitatem eſſe rationem formalem proximam cauſandi finaliter vel finalizandi.

Contra eſt: Nam ratio formalis *ſub qua* proxime motiva voluntatis neceſſario debet eſſe in eadem linea, in qua eſt voluntatis quaſi activa motio (ſicut diximus de ratione formali proxime operativa efficientis, quod debet eſſe in eadem linea, in qua eſt actio, quæ eſt cauſalitas:) ſed volūtatis quaſi activa motio (quę eſt finis cauſalitas) debet eſſe in linea volitiva, vt adæquate diſtincta à linea intellectiva, quia debet eſſe in eadem linea, in qua eſt movile, quæ eſt voluntas, vt ſupra dicebamus ex Philoſoph. & Div. Thom. ergo.

14 Denique prob. Concluſ. Ratio formalis finalizandi eſt, quæ movet appetitum agentis, quam agens intendit, cuius gratia agit, & qua adepta quieſcit; ſed omnia hæc nec conveniunt apprehenſioni, nec bonitati finis, reduplicative vt apprehen-

henſæ; ſed præciſſe bonitati finis, quæ apprehenditur: ergo hęc eſt ratio formalis finalizandi. Maior conſtat, quia non poſſunt aſſignari alia munera finis propria, in ratione cauſæ. Prob. min. Non apprehenſio divitiarum, ſed illarum bonitas, & convenientia excitat appetitum Avari, nec intendit illarum apprehenſionem; ſed potius bonitatem, quam in divitijs apprehendit, nec gratia apprenſionis divitiarum laborat, ſed gratia bonitatis, & convenientiæ, quam in illis apprehendit: nec denique quieſcit in illis reduplicative, vt apprehenſis, ſed vt realiter poſſeſsis: ergo.

15 Ex his inferes 1. Apprehenſionem eſſe conditionem intrinſecam neceſſariam à Deo inſupplebilem, vt finis ſit finalis cauſa: conſtat hoc. *Tum* ex argumentis, quæ contra concluſionem proponemus, quæ ſine dubio hoc probant, & convincunt: *Tum* quia nihil habet rationem cauſæ, niſi habeat eſſe, ſeu exiſtentiam proportionatam ad cauſandum; ſed eſſe, ſeu exiſtentia proportionata ad cauſandũ per motionem intentionalem (qualiter finis tantum cauſat) eſt eſſe, ſeu exiſtere intentionaliter, hoc eſt in apprehenſione; ſicut exiſtentia proportionata ad cauſandum per motum phyſicum, & realem, eſt exiſtere phyſicè, & in re, vt videre eſt in cauſa efficiente: ergo.

Ex quo colligitur, apprehenſionem eſſe conditionem, nõ pure extrinſecam à Deo ſupplebilem; ſicut ſe habet applicatio cauſæ efficientis ad agendum, ſed intrinſecam à Deo inſupplebilem, ſicut exiſtentia cauſæ efficientis.

16 Inferes 2. quod cum iuxta D. Tho. 1. 2. quæſt. 1. fini s, & bonum ſint obiectum voluntatis, opportet in bonitate finis diſtinguere, & rationem obiecti, & motionem illi, prout eſt obiectum, correſpondentem, & rationem cauſæ, & motionem, quæ illi vt cauſalitas correſpondet: bonitas finis ſub munere pręciſſe obiecti ſpecificãtis, tũm potentiam, tũm actum voluntatis, motio illi correſpondens non conſtituit finẽ in ratione cauſę finalis, ſed potius in ratione cauſæ formalis extrinſecæ dantis in hoc genere ſpeciem potentiæ, & actibus eius, quod quidem commune eſt omni obiecto cuiuſvis potentiæ.

At vero bonitas, prout conſtituit ſpeciale genus cauſæ finalis, dicit rationem motivi voluntatis, non præciſſe, vt id à quo accipit ſpeciem, ſed vt à quõ excitatur; & provocatur, vt potentias executivas in executione moveat ad operandum gratia talis bonitatis, vel ad illam conſequendam, quæ ratio non eſt communis omni obiecto potentiarum, ſed ſpecialis in fine, & illius bonitate.

§. III.
Argumenta ſolvuntur.

17 Obijcies 1. ex D. Thom. 1. p. quæſt. 80. artic. 2. ad 1. quod differentiæ apprehenſi ſunt differentiæ appetibilis; & quod potentiæ appetitivæ differunt per differentiam apprehenſorum, vt per propria obiecta. Et 1. 2. quæſt. 11. art. 2. ad 1. quod diverſitas apprehenſionis pertinet quodammodo ad diverſitatē obiecti. Et in eadem parte q. 27. artic. 2. quod cognitio eſt cauſa amoris, ea ratione, qua & bonum: & q. 30. art. 3. ad 2. quod ad diverſitatem appetitus activi pertinet diverſitas apprehenſionis.

18 Hæc, & alia teſtimonia D. Thomæ, iuxta ea, quę expreſſe docet in alijs locis, exponenda ſunt, & vltra ea, quæ in favorem concluſionis, adduximus: videatur quæſt. 22. de Veritate artic. 4. ad 1. quod voluntas ab appetitu ſenſibili non diſtinguitur directe, per hoc, quod eſt ſequi hāc vel illam apprehenſionē, ſed quaſi ex conſequenti. Et q. 25. de Veritate art. 1. ad 6. quod diverſitas apprehenſionum per accidēs ſe haberet, niſi diverſitati apprehenſionis diverſitas apprehenſorum coniugeretur: idem habet alijs in locis.

19 Quare ad 1. reſpond. explicando vnum teſtimonium cum alio; differentiæ apprehenſi ſunt differentiæ appetibilis directe, & tanquam ratio formalis differendi, nego: ex conſequenti, & tanquam conditio intrinſeca, concedo. Similiter exponenda eſt alia propoſitio; potentiæ appetivæ differunt per differentiam apprehenſorum, vt per propria obiecta, ſecundum quod apprehenſum dicit de bonitate, concedo: Secundum quod dicit de apprehenſione, ſub diſtinguo: directè, & tanquam per rationem formalem nego: Tanquam per conditionem intrinſecam, & neceſſariam, concedo: Expoſitio cōſtat ex locis adductis ex q. de Veritate.

Ex quo patet ad 2. diverſitas apprehenſionis pertinet quodammodo ad diverſitatē obiecti; hoc eſt conſequenti, vel tanquam conditio, vel tanquam cauſa (vt indicat illa particula *quodā modo*) non vero directe, & tanquam ratio formalis.

Ad 3. explicamus: Cognitio eſt cauſa amoris, ea ratione, qua & bonum: ly *ea ratione* dicente rationem formalem cauſandi amorem, neg. Dicente neceſsitatem vtriuſque ad cauſandum amorem, concedo. Colligitur hoc ex verbis, quæ immediate ſubdit: *Ea ratione, qua & bonum, quod non poteſt amari, niſi vt cognitum.* Vbi explicatur neceſsitas vtriuſque ad cauſandum amorem, bonum, vt ratio formalis, cognitio vt conditio, ſine qua non. Ad vltimum

mum patet expoſitio ſicut ad primum.

20 2. Obijcies, & poteſt eſſe replica: diverſitas apprehenſorum diverſificat eſſentialiter appetitum rationis, & ſenſitivum ſe habente apprehenſione, vt ratione formali diverſificandi: ergo apprehẽſio etiam ſe habet, vt ratio formalis finalizandi: Prob. antec. 1. appetitus rationalis eſt immaterialis; appetitus ſenſitivus, eſt materialis: ergo eſſentialiter petunt ſpecificari ab apprehenſio immateriali, & materiali; ſed quod bonum apprehẽſum ſit immateriale, habet ab apprehenſione, tanquam à ratione formali: ergo.

2. Ad bonum rationis, ſeu immateriale, quod ſpecificat appetitum rationalem, apprehẽſio non ſe habet præciſſe, vt conditio: ergo ſe habet, vt ratio formalis. Prob. antec. Conditio ſupponit rem conſtitutam; ſed apprehenſio non ſupponit bonum rationis in eſſe talis conſtitutum; cum multoties voluntas feratur in bonum, quod in ſe, & entitatiuè eſt materiale, & ſolũ per intellectum immaterializatur, & proportionatur voluntati, quæ eſſentialiter eſt immaterialis: ergo.

3. Sicut ad formam naturalem ſequitur appetitus naturalis, ita appetitus elicitus ſequitur formam apprehenſam: ex quo principio demonſtrat D. Thomas, in omni habente intellectum neceſſario eſſe voluntatem, quæ eſt appetitus rationalis; ſed forma naturalis non ſe habet præciſſe, vt conditio ad ſpecificandum appetitum, ſeu inclinationem naturalem: ergo forma, vel apprehẽſio non ſe habet, vt tantum conditio ad ſpecificandum appetitum rationalem, Prob. min. Nam à poſteriori, ex actuali inclinatione, vel appetitu, cognoſcimus quidditatem formarum, ſicut ex proprijs actibus cognoſcimus potentias.

Denique voluntas Angeli, & hominis ſpecie differunt in ratione appetitus; ſed non à bono ſub præciſſa ratione boni, & cõvenientis, quia poteſt eſſe idem reſpectu vtriuſque: ergo differunt eſſentialiter ex diverſa propoſitione, vel apprehenſione talis boni.

21 Reſpond. negando ant. ad 1. diſt. conſeq. immaterialitate ſumpta formaliter pro ſtatu, quẽ habet appetibile in intellectu, neg. conſeq. Sumpta radicaliter, vel prout fundat apprehẽſionẽ magis vniverſalem, cõcedo conſeq. Ratio formalis diſtinguẽs appetitũ rationalem à ſenſibili ex parte obiecti, eſt ratio boni in vniverſali quæ ratio eſt magis immaterialis, quã ratio limitata boni ſenſibilis, quæ ſpecificat appetitũ ſenſibilẽ, quia cum materia ſit principiũ limitationis, ratio boni magis limitata eſt magis materialis, & ratio boni, quæ minus habet de limitatione, eſt magis

cat in ipſo, quod quidem ſolum convenit obiecto, non ſpeciei, vel apprehenſioni.

24 Ad vltimam reſpond. quod voluntas Angeli, & hominis diſtinguntur ſpecifice, quamvis verſentur circa idem obiectum materiale; nō ratione diverſæ apprehēſionis, tanquam ratione formali; ſed quia idem bonum attingitur à voluntate Angeli ſub ratione convenientis, & boni magis vniverſalis, quā attingitur ab homine, quia ſicut ad naturam perfectiorē ſequitur perfectior inclinatio, ita ad perfectiorem inclinationem, ſequitur perfectior ratio convenientiæ, & boni, à qua ſpecificetur, & tanquam conditio, & ex conſequenti etiam requiritur, perfectior apprehenſio, & vniverſalior.

25 Obijcies 3. cum finis ſit realis cauſa, debet eſſe cauſa, per id quod in illo eſt reale; ſed multoties in fine, ſolum ratio apprehenſi, eſt realis, non vero ratio boni, vt cū volūtas habet pro fine aliquid, quod in re, vel eſt malum, vel eſt impoſsibile, apprehenditur tamen, vt bonum, & poſsibile: ergo.

Confirm. ſine reali apprehenſione, finis movere non poteſt: bene tamē ſine reali bonitate: ergo maior connexio eſt inter apprehenſionem, & appetitum, quam inter appetitū, & bonitatem realem: ſed repugnat, quod ſit maior connexio inter potentiam, & id quod ſolum ſe habet, vt conditio; quam inter potentiam, & id quod ſe habet, vt ratio formalis ſpecificandi, & movendi ergo.

26 Reſpond. neg. min. aliud eſt, quod res quæ eſt finis, vere ſit in re, vel ſit realis, aliud vero, quod ratio boni, cōſtituens illū in ratione finis cauſæ ſit realis, aut in re: primum multoties non reperitur, vt probat argumentum: ſecundum vero numquam deficit, quia licèt id cui applicatur ratio boni, vel non ſit in re, vel ſit impoſsibile, ratio boni falſo illi applicata realis eſt, licèt falſo applicata rei, quæ vt finis proponitur. Vnde Divus Thomas 1.2. quæſt. 1. art. 7. aſſerit: quod omnes quærunt, & appetunt verum bonum; falſitas vero, & deceptio ex parte apprehēſionis ſe tenet faciens, quod voluntas, quęrat bonitatem veram, qua vnicę movetur, vbi non eſt.

Per quod patet ad confirm. negando antec. quoad ſecundam partem, quia finis nequit movere, ſine reali bonitate, licèt poſſit movere ſine re, cui realis bonitas ſit vere applicata: vnde appetitus non eſt magis connexus cum apprehenſione, quam cum bonitate reali finis.

27 Obijcies 4. finis vt eſt cauſa eſt prior; ſed ſolum in apprehēſione eſt prior: ergo ſolum in apprehenſione eſt cauſa, ac per cōſequens, apprehenſio erit ratio formalis cauſandi.

Negatur vltima, conſequentia: Nam ſicut apprehenſio non eſt ratio formalis, à qua depēdet effectus, & cauſalitas finis, ita nec eſt ratio formalis conſtituens finem cum prioritate requiſita ad rationē cauſæ; ſed ſolum eſt conditio, vel exiſtentia rationis formalis cauſandi, cui proprie cōvenit prioritas. Prioritas namque requiſita ad cauſandum (vt dicemus quæſt. ſequet.) conſiſtit in illa ratione, à qua per ſe dependet effectus; non vero in exiſtentia cauſæ: vnde in materia licèt requiratur exiſtentia, vt cauſet, & ſit prior ſuo effectu; ratio conſtituens illam priorem non eſt exiſtentia, ſed ratio potentiæ receptivæ, à qua per ſe dependet effectus, ita in fine.

28 Si dicas: ergo idem erit ſe ipſo realiter prius, & poſterius, cauſa, & effectus. Conſeq. eſt falſum: aliàs idem ad ſe ipſum referretur, relatione reali tranſcendentali, quæ in cauſa reali reſpectu ſui effectus reperitur: ergo: prima conſeq. prob. Nam eadem bonitas finis eſt, qua conſtituitur in ratione cauſæ, & quæ eſt vltimus effectus, dum conſequitur in re.

Reſpond. quod bonitas finis prout in re conſecuta, proprie non eſt effectus cauſæ finalis, ſed efficientis: propter quod vere dicitur, quod id quod eſt primum in intentione, eſt vltimum in executione: executio enim non pertinet ad genus finalis cauſæ, ſed efficientis.

Præterquamquod non videtur inconveniens, quod finis prout præciſſe habet eſſe intentionale, ſit cauſa ſui ipſius, prout habet eſſe phyſicum, & reale, ſicut obiectum intelligibile, prout in re, cauſat ſe ipſum, prout in ſpecie impreſſa, quando ſpecies intelligibilis, cauſatur ab ipſo obiecto.

29 Denique objicies: Voluntas vt libera, dependet ab intellectu quoad ſpecificationē; ſed dependet ab intellectu per apprehenſionem proponentem: ergo dependet ab apprehenſione, vt ſpecificativa ſuorum actuum.

Diſtinguo min. ita, vt ipſa propoſitio apprehenſiva ſpecificet actum voluntatis, nego min: ita vt ſit conditio, deſerens, & dans eſſe bonitati tali, vel tali formaliter ſpecificanti concedo minor.

ARTIC. II.

Quid ſit finalizatio?

30 QVærimus cauſalitatem finis, quam eſſe maxime occultam, manifeſtat ſatis diverſitas ſententiarum, quę fere ad numerum reduci non poſſunt.

§. I.

Aliquorum ſententiæ reijciuntur.

OMnes ſentētias referre, & refellere, nec poſſumus, ne

nec debemus aliqui aſſerunt cauſalitatem finis eſſe aliquid mediũ inter finem, & eius effectum reſultans à fine(ſicut actio eſt medium inter finem, & effectum) præviumque ad actũ voluntatis.

Diſplicet hæc ſententia: nam hoc medium, cum ſit aliquid reale creatũ debet habere aliquã cauſam efficientem: ergo vel voluntatem, vel finẽ, vel aliquid aliud: non voluntatem; quia vt aiunt, præcedit omnem actum voluntatis, & voluntas non eſt efficiẽs, niſi medijs ſuis actibus: nõ finem: *Tum* quia multoties finis non eſt activus; tum quia finis, vt talis non influit efficiẽter, & activè, vt conſtat ex Philoſoph. 2. de generat. textu 55. *Id cuius gratia nõ eſt activũ*. Nõ denique aliud à fine, & voluntate diſtinctũ; niſi forſam ſit intellectus: & ſi hoc dicatur, cum omne, quod efficit intellectus, ſit intellectio, vel verbũ nihil horũ eſſe cauſalitatem finis, luce meridiana eſt clarius.

31 Alij exiſtimant cauſalitatem finis conſiſtere in quodam conflato ex cauſalitate phyſica, & morali: phyſica quatenus dependentia finalizati à fine eſt realis; moralis autem, quatenus depẽdet, ſaltem tamquam à conditione ab exiſtentia obiectiva, & intentionali.

Hoc etiam diſplicet: nam hæc dependentia finalizati à fine, quæ realis eſt, dependens tanquã à cõditione ab exiſtentia intentionali; cum debeat eſſe dependentia exercita, & actualis finalizati à fine, vt ſit finis cauſalitas: inquirimus, quid eſt? In quo conſiſtat? Vel cum quo identificetur? Ergo cum nihil horũ explicet hæc ſententia, cauſalitatem finis in explicatam relinquit.

32 Alij dicunt; cauſalitatem finis eſſe intentionalẽ per modum obiectivæ excitationis, motionis, & inclinationis voluntatis ad actum; ac ſubinde, omnem actum illius præcedentem; quæ motio, & excitatio voluntatis à fine nihil reale etiam intentionale imprimit voluntati; ſed ſolum per quandam ſimpathiam cum ipſa illam ſic movet, & excitat.

Nec placet hæc ſententia quam plures ex noſtris amplectuntur. Primo ſtat D. Thom. q. 22. de Veritat. art. 2. dicens: *Sicut influere cauſæ efficientis, eſt agere: ita & influere cauſæ finalis, eſt appeti, & deſiderari*. Influere cauſæ finalis eſt eius cauſalitas, vt patet; ſed finẽ appeti, & deſiderari, quod eſt eius influere, ſine actu voluntatis appetentis, vel deſiderantis nequit intelligi: ergo cauſalitas finis non conſiſtit in excitatione, vel motione omnem actum voluntatis præveniente.

33 Nec dicas 1. quód ibi D. Thom. influere finis, non accipit formaliſsimè pro ipſa cauſalitate finis, vt à ſuo effectu diſtinguitur; ſed pro cauſalitate finis terminativè, id eſt, pro ſuo termino, vel effectu.

Con-

Contra eſt: iuxta D. Thom. appeti, & deſiderari eſt influere, vel cauſalitas cauſæ finalis; ſicut agere eſt influere, & cauſalitas cauſæ efficientis; ſed agere formaliſsimè eſt cauſalitas cauſæ efficientis: ergo appeti etiam eſt cauſalitas finis formaliſsimè.

34 Si dicas 2. Quod cum D. Thom. afferit, quod influere finis eſt appeti, & deſiderari loquitur, non de actu elicito volũtatis, quo ab illa appetitur, & deſideratur; ſed de inclinatione qua per ſimphathiam, & quodã quaſi appetitu innato, finis appetitur, & deſideratur.

Hæc ſolutio; quæ ſuo Authori melior viſa eſt, quam prior; nobis difficilior videtur: Primo, nam appetitus innatus eſt ab authore naturæ rebus inditus, & conſequens naturam rei: ergo non dependet in voluntate à bonitate finis propoſiti, ſed datur antecedenter, non vt effectus, nec vt cauſalitas finis, ſed vt aliquid ad eſſentiam voluntatis conſequtum.

Contra 2. nequit intelligi appeti, & deſiderari in actu ſecundo ex parte finis, quin intelligatur voluntas appetens, & deſiderans in actu ſecundo; ſed voluntas appetens, & deſiderans in actu ſecũdo nequit intelligi ſine aliquo actu ab ipſa elicito: ergo.

Confirmatur: hæc inclinatio per ſimpathiam, vel appetitus quaſi innatus voluntatis, à quo habet finis appeti, & deſiderari: vel convenit voluntati in actu primo, vel translatæ ad actum ſecundum: ſi hoc ſecundum, cum voluntas non transferatur ad actum ſecundum ſine actu elicito; in fine non erit appeti, & deſiderari ſine actu elicito volũtatis; ſi dicatur primum: ergo in nullo vero ſenſu, *appeti, & deſiderari* poteſt dici de fine: prob. cõſeq. in nullo vero ſenſu, poteſt dici de fine *appeti, & deſiderari*, niſi ab aliquo; ſed non ab aliquo manẽte in actu primo, quia eſſe aliquid ab alio dicit exercitiũ eius à quo eſt, vt ex terminis patet: ergo in nullo vero ſenſu poteſt exponi D. Thom. iuxta hanc ſententiam.

35 Quæ impugnatur 2. cauſalitas finis eſt vera, & realis cauſalitas, quamvis ſit tantum metaphorica motio, & actio; ſed ſi conſiſteret in aliquo præcedente omnem actum voluntatis, nihil reale adhuc intentionale imprimente in voluntate, cauſalitas finis non eſſet vera, & realis cauſalitas: ergo. Mai. eſt certa, alioquin finis non eſſet vera, & realis cauſa, cuius oppoſitum infra conſtabit, nec negant authores illius ſententiæ.

Min. vero prob. cauſalitas vera, & realis eſt aliquid verum, & reale de novo incipiens, & exiſtens, dum finis actu finaliter cauſat: ſed in ſententia horum Authorum nihil verum, & reale de novo inciperet, & exiſteret, dum finis actu finaliter cauſat: ergo

go in iſto modo dicendi cauſalitas finis non eſſet vera, & realis cauſalitas:maior conſtat;nam cũ cauſæ creatæ non ſint ſemper in actu ſecundo cauſantes, earum cauſalitas debet de novo incipere,dum actu cauſant: min. vero prob.nihil,verum,& reale adhuc intentionale de novo incipit, & exiſtit ex parte finis diſtinctum realiter ab ipſo prout in actu primo (vt contrarij admittunt) nec etiam nihil verum, & reale ad huc intentionale de novo incipit, & exiſtit ex parte voluntatis, diſtinctum realiter ab ipſa, prout in actu primo; cum concedant, quod per talem excitationem, & motionem manet voluntas in actu primo & præviè ad omnem ſuum actum, & quod per illam nihil intentionale voluntati imprimitur; cum non ſit motio efficientis imprimens in paſſo aliquid realiter ab ipſo diſtinctum) ergo finis cauſalitas non eſſet aliquid verum, & reale de novo incipiens, & exiſtens, dum finis actu finaliter cauſat.

36 Nec eſt idem de cauſalitatibus materiæ, & formæ, quæ cũ ipſiſmet cauſis identificãtur:nã cauſalitas materiæ, ex parte connotati,dicit aliquid verum,& reale de novo incipiens, & exiſtens, diſtinctum realiter ab ipſa: nempè, & actionem agentis,& ipſam formã de novo in ipſa receptam: (& idem dicendum proportionabiliter de cauſalitate formę)cauſalitas vero finis,nec in recto,nec de connotato aliquid verum, & reale importat;cum nec cõnotet novitatem aliquam realem ex parte voluntatis, nec actionem alicuius agentis,cum omnem illius actionem præcedat:ergo vel cauſalitas finis nõ eſt vera, & realis; vel non debet conſiſtere in motione præcedẽte omnem actum voluntatis nihil intentionale in illa imprimente.

§. II.

Sententia noſtra proponitur; & probatur.

37 Noſtra concluſio eſt: *Finis cauſalitas conſiſtit,& identificatur cũ amore, & deſiderio ſui, ac ſubinde finem actu finalizare eſt per ſui amorem, & deſiderium ad agendum movere.* Concluſio vtroque modo explicata eſt expreſſa Div. Thomæ quæſt. 22.de Veritate,ſupra citata: *Quod ſicut influere cauſæ efficientis, eſt agere: ita influere cauſæ finalis eſt appeti, & deſiderari.* Quibus verbis non aſsignatur congrua explicatio,niſi in ſenſu noſtrę concluſionis.

Et 1.contra g.cap. 75. *Quod cauſalitas finis in hoc conſiſtit, quod propter ipſum alia deſiderantur:* & quæſt.5 de Potentia artic.1. *Quod finis non eſt cauſa, niſi quatenus movet efficientem ad agendum: vnde vbi non eſt actio, non eſt cauſalitas finis:* ergo finẽ actu cauſare, & finalizare, eſt per ſui deſide-

rium, efficientem ad agendum movere.

33 Ratione prob. finis per id actu finalizat, & cauſat per quod primo, & formaliter exercetur ratio formalis finalizandi; ſed hæc primo, & formaliter exercetur, per ſui amorẽ, & deſiderium: ergo. Maior eſt evidens; quia omnis cauſæ vera cauſalitas eſt id, per quod primo, formaliter exercetur, & conſtituitur in actu ſecundo ratio formalis, qua cauſa conſtituitur in actu primo cauſativa.

Min. vero prob. 1. ratio formalis proxima finalizandi, vt ſupra vidimus, conſiſtit in ratione boni appetibilis propter ſe, propoſita per intellectũ voluntati; ſed primum reale, & formale exercitiũ rationis boni appetibilis propter ſe, vt propoſitæ per intellectũ voluntati; conſiſtit in hoc, quod vt ſic propoſita à volũtate appetatur propter ſe: ergo. Minor prob. exercitium reale formale, & primũ imaginabile rationis appetibilis propter ſe, dicentis actũ primũ appetibilitatis, non eſt niſi per hoc, quod eſt primò realiter, & formaliter appeti propter ſe.

2. Secluſo, & propriori ad omnem actum elicitum à voluntate, nõ eſt aſignabile aliquod reale exercitiũ, neque ex parte finis, nec ex parte voluntatis; quo ratio boni appetibilis propter ſe in exercitio primo realiter, & formaliter appetatur; ſed exercitiũ formale, & primũ rationis appetibilis propter ſe, eſt propter ſe formaliter appeti: ergo. Mai. cõſtat, ex vltima impugnatione vltimæ ſẽtẽtiæ relatæ §. antecedẽti.

3. Exercitium primum reale, & formale alicuius cauſæ eſt id ratione cuius, primo realiter, & formaliter, effectus cauſæ fiunt in exercitio dependentes à cauſa; ſed ſeclnſo, vel propriori ad omnẽ actum voluntatis, nullus effectus finis fit in exercitio realiter dependens à fine, ergo. Mai. eſt ex terminis nota: & prob. min. nullus eſt aſsignabilis effectus finis, qui ab aliquo agente nõ fiat gratia finis; ſed ſecluſo, vel propriori ad omnẽ actum volũtatis, nihil ab aliquo agente fit; quia voluntas eſt primũ movẽs quoad exercitiũ cauſam efficiẽtẽ: ergo nihil fit gratia finis: ſed propriori, pro quo non intelligitur aliquid finis gratia finis, non intelligitur aliquid fieri in exercitio depẽdẽs realiter à fine; quia quod nõ eſt realiter, à nulla cauſa realiter in exercitio depẽdens eſt: ergo quod pro aliquo priori nõ intelligitur fieri, non intelligitur pro illo priori ab aliqua cauſa realiter in exercitio depẽdere. & conſequenter ſecluſo, vel propriori ad omnem actnm voluntatis, non intelligitur cauſalitas realis finis.

39 2. Prob. concluſio. Ratio formalis finalizandi eſt ratio boni attractivi volũtatis ad ſe, media propoſitione intellectus er-

go

go exerciti, & actus ſecundus talis rationis formalis eſt actualis attractio voluntatis ad ſe;ſed nō eſt perceptibilis actualis attractio voluntatis ad bonum ſine aliquo actu voluntatis circa ipſum bonum:ergo prob. min.ſubſumpt. nequit percipi bonum actualiter attrahere voluntatem ad ſe,quin voluntas actualiter feratur in bonum; ſed voluntatem actualiter ferri in bonum eſt actualiter amare bonum iuxta illud Auguſt. amor meus pōdus méum,illuc feror quocumque feror:ergo.Mai. eſt certa;quia dum volūtas manet quaſi immobilis,nec actualiter attrahitur, nec fertur cū à ſe ipſa non extrahatur.

§. III.

Solvuntur obiectiones.

40 OBijcies 1.amor finis eſt effectus finis:ergo nequit eſſe illius cauſalitas:ant. videtur certum,& cōſeq.probat. 1.effectus realis realis cauſæ debet diſtingui realiter à ſua cauſa non ſolū in actu primo,ſed etiā in actu ſecundo cauſante;ſed cōſtituitur in actu ſecundo cauſans per cauſalitatem: ergo effectus cauſæ debet diſtingui realiter à cauſalitate:prob.mai.effectus dependet realiter à cauſa, non ſolum in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo cauſante; ſed nihil poteſt à ſe ipſo dependere: ergo effectus realis cauſæ, diſtinguitur realiter à cauſa in actu ſecundo cauſante.

2. Ratio influens in effectum,non eſt effectus;ſed cauſalitas eſt ratio influens in effectū; ergo non eſt effectus: prob.min. cauſalitas dat eſſe effectui: ergo eſt ratio influens in illum:tū ſic; ſed nihil ſibi ipſi dat eſſe: ergo.

3.Prior eſt cauſalitas,quam effectus;ſed idem nō eſt prius ſe ipſo;ergo idē nō poteſt eſſe cauſalitas,& effectus; *Denique*: nam cauſalitas vera, & realis debet mediare inter cauſam, & effectū; ſed quæ identificantur cum effectu non mediant inter cauſam,& effectum:ergo:

41 Reſp.admittendo anteced.de quo 1.2.q.1.vbi diſputatur, an primus amor finis ſit vere propter finem,in quo eſſe effectū finis conſiſtit: nego cōſeq. ad 1.prob.diſtinguo mai.Effectus debet diſtingui realiter à cauſa in actu ſecundo cauſante,ſpecificative cōced.mai.reduplicato actu ſecundo cauſandi:nego mai.non eſt inconveniens,quod eadē entitas,ſit cauſalitas, & effectus:vt in actionibus sēsuū externorū,quæ in ſententia D.Th. nullum terminum diſtinctum ab ipſis producunt.

Ad maioris prob. quatenus contra hoc poteſt obſtare: dicimus, quod effectus proprie loquēdo nō depēdet à cauſalitate;hæc enim potius eſt ipſa depēdentia effectus;quam id à quo effectus dependet,vel eſt id ratione cuius,effectus in exercitio de-

pendet à ſua cauſa; non vero id àquo effectus proprie depēdet: ſicut factum eſſe effectus dependet à ſuo fieri; & aliquando fieri, & factum eſſe identificantur, vt in exemplo aducto.

In forma diſting. min. nihil à ſe ipſo dependet, tamquam à cauſa, vel virtute cauſativa: cōcedo min. tamquam à cauſalitate, & fieri ſui ipſius; ſubdiſting. ſub eadem ratione, & formalitate concedo, ſub diverſa nego. Amor enim finis prout eſt activè à voluntate, eſt effectus finis: prout eſt tractio voluntatis ad finem, & pondus, quo ipſa fertur in finem eſt huius cauſalitas.

42 Ad 2. prob. dicimus, quod cauſalitas non eſt ratio influens; ſed potius ipſa influxus, aut influere ipſius cauſæ: vnde cauſalitas non dat eſſe effectui, ſed eſt ipſum dare eſſe effectui: quare conceſſa min. ſubſumpta, neg. conſeq.

43 Ad 3. diſting. min. Idē ſecundum eandem rationē, & formalitatem, concedo min. Secundum diverſam rationē, & formalitatem, nego min. Videatur, quæ ſupra diximus de actione prout eſt cauſalitas efficientis, in qua conceptus *ab* eſt prior conceptu *in*, qui conceptus ſunt in eadem entitate actionis.

Ad vltimam diſt. min. mediatione realis entitatis, neg. min. mediatione cōceptus, vel formalitatis, concedo min. in actione conceptus *ab* mediat inter cauſam efficientem, & conceptum *in* vel paſsionis, & tales conceptus identificatur.

44 2. Obijcies, & eſt replica contradicta: cauſalitas finis debet præcedere efficientiā omnis actus voluntatis: ergo nequit conſiſtere in actu elicito à volūtate: prob. ant. 1. Ideo voluntas elicit actum erga finem, quia eſt mota, & excitata à fine: ergo prius eſt finē exercere ſuam cauſalitatem erga voluntatem, quam quod hæc actū aliquem eliciat.

2. actus voluntatis nequit intelligi cū fundamento in re ex parte finis, quin pro aliquo priori intelligatur accipiens eſſe à volūtate, vt à cauſa effectiva; ſed pro priori adhoc, vt actus volūtatis intelligatur accipiens eſſe à volūtate, intelligitur, & eſt cauſalitas cauſæ finalis: ergo. Prob. min. Ipſa prima elicientia actus volūtatis, eſt gratia finis facta, & effectus finis: ergo pro priori ad ipſam primam eliciētiam debet intelligi, & eſſe finis cauſalitas; cū cauſalitas debeat eſſe pro priori ad effectum.

Conf. nullus conceptus datur in actu voluntatis, prior conceptu *ab*; ſed, cauſalitas finis præcedit actum voluntatis ſub conceptu *ab*: ergo nullus conceptus datur in actu voluntatis, qui ſit finis cauſalitas: patet conſeq. quia nullus conceptus poteſt eſſe, & idētificari cum actu prior primo cōceptu, qui in actu intelligitur. Minor vero probatur: actus vo-

luntatis ſub conceptu *ab*, eſt effec tus finis. ergo cauſalitas finis præcedit actum voluntatis ſub conceptu *ab*.

45 Ad argumentum, diſtinguo ant. cauſalitas finis debet præcedere elicientiam omnis actus voluntatis, prout illa elicientia eſt exercitium voluntatis activè ſe moventis conced. ant. prout illa elicientia eſt exercitium illius vt paſsivè mobilis metaphoricè, nego antec: Sicut in voluntate debet diſtingui, & conceptus potẽtiæ activæ vitalis ſe moventis, & conceptus potentiæ quaſi paſsivè mobilis metaphoricè à bono, & fine: ita illi debet correſpondere, & exercitium illius, vt activè ſe moventis; & hoc eſt elicientia amoris, vt eſt actio: & exercitiũ illius, vt eſt paſsivè mobilis metaphoricè; & hæc eſt motio metaphorica finis; quam percipere nõ poſſumus, vt ſupra probavimus, niſi conſiſtat in aliquo reali diſtincto à fine, & volũtate; quod nihil aliud poteſt eſſe, niſi ipſe amor, ſub conceptu attractionis, vel tractionis voluntatis ad finẽ, ad quam voluntas conſideratur, quaſi paſsive tracta, & mota.

Quare hæc duplex formalitas in actu amoris reperta, reperitur in elicientia illius, prout eſt exercitium voluntatis in illa duplici conſideratione iam dicta: vnde prout illa elicientia eſt metaphorica motio, & tractio, eſt cauſalitas finis metaphoricè moventis, & trahentis, & voluntas, vt mobilis quaſi paſsivè exercetur: at vero prout eadem met elicientia amoris eſt activa explicatio virtutis activæ voluntatis, eſt effectus finis; quia volũtatem activè ſe explicare amando, gratia finis eſt: vnde in eadẽ elicientia amoris, ſicut, & in ipſo amore, formalitas motionis trahẽtis præcedit aliquo modo formalitatem exercitij activi: ſicut in voluntate, formalitas paſſivæ mobilis aliquo modo præcedit formalitatẽ activè ſe movẽtis.

Per quæ apparet ſolutio ad 1. & 2. prob. illius antec. Ad confirmationem diſtinguo mai. Nullus datur conceptus prior conceptu *ab* in actu voluntatis, prout reſpicit voluntatem, ut activè ſe moventem præciſe, concedo mai. Prout ſimul illam reſpicit ut paſsivè mobilẽ metaphoricè, neg. mai. in actu voluntatis, & eſt conceptus *ab*, & conceptus *in*: primus præcedit ſecundum, & ad utrumque comparatur voluntas, vt ſe movens: vltra iſtũ eſt, & alius conceptus, nempè tractionis, & motionis, & hic præcedit omnes; quia hic cõceptus eſt ipſa actualis dependentia à fine, qui eſt prima inter omnes cauſas.

46 Obijc. 3. Actus voluntatis, in quo dicimus cauſalitatẽ finis cõſiſtere, eſt cauſalitas voluntatis, vt eſt cauſa efficiens: ergo nequit eſſe cauſalitas finalis cauſæ; quia cauſæ diverſi generis, eiuſdẽ generis cauſalitatẽ nõ poſſunt habere:

Reſ.

gis immaterialis, ac ſubinde ratio boni incommuni, vtpote minus limitata, & magis immaterialis, quā ratio boni ſenſibilis ſpecificat appetitū vniverſalem, & immaterialē, qui eſt voluntas.

Hæc immaterialitas, conſiſtens in ratione boni, non limitatata, ſed vniverſali, dicitur à nobis immaterialitas radicalis, ſivè fundamentalis; quatenus radicat, & fundat immaterialitatem formalem vniverſalem conſiſtentem in ſtatu intentionali, quem bonum habet in apprehenſione magis vniverſali: hæc autem immaterialitas formalis ſolum ſe habet, vt cōditio ex parte ſubiecti, vt bonum in vniverſali ratione immaterialitatis radicalis, quam habet ſpecificet appetitum immaterialitatem, & vniverſalē, qui eſt voluntas, & illam diſtinguat ab appetitu ſenſitivo, magis limitato, & materiali.

Per quod diſting. illam min. ſubſumptam, quod bonum apprehenſum ſit immateriale habet ab apprehenſione, immaterialitate formali ſumpta pro eſſe intentionali, quod habet in intellectu, conced. min. immaterialitate radicali, nego min. Eſſe intentionale, quo bonum conſtituitur immateriale formaliter, ſolum ſe habet, vt conditio, vt bonum incommuni ſpecificet voluntatem, & vt bonitas finis finalizet; ſicut eſſe phyſicum, ſeu exiſtentia reſpectu efficientis, ſe habet vt conditio, vt efficiat.

22 Ad 2. Reſpond. quod bonum materiale poteſt attingi, & ab appetitu ſenſitivo, qui eſt materialis, & à voluntate, quæ eſt ſpiritualis, ſed ſub diverſa ratione formali ſpecificativa vtriuſque, ſub ratione ſcilicet boni vniverſalis, & ſub ratione talis boni ſcilicèt ſenſibilis, ex quibus prima eſt magis immaterialis, quam ſecunda (radicaliter loquendo) quæ immaterialitas radicalis non præſtatur bono materiali ab apprehenſione intellectus; ſed ab eo, quod eſt bonum quoddam particulare contentū ſub bono, vt ſic, quod eſt ſpecificativum voluntatis; ratione cuius fundat apprehenſionem formaliter immaterialem, quę non conſtituit bonum materiale in ratione ſpecificantis, & finalizātis voluntatem; ſed præciſſe ſub ſtatu, & exiſtētia requiſita, vt bonum materiale ſpecificet, & finalizet appetitum ſpiritualem, qui eſt voluntas.

23 Ad 3. reſpond. quod idem eſt ſequi inclinationem, vel appetitum, ad formam apprehēſam, vel intelligibilem; ac ſequi ad ipſum obiectū, vt intelligibiliter determinat intellectum, quare appetitus, qui ſequitur ad intellectum ſic informatum, non debet eſſe ad ipſam qualitatē, quæ eſt ſpecies intētionalis; ſed ad ipſum obiectum repræſentatū prout repræſentatur conveniens, ita vt cum illud non habet, tendat in ipſum, & cū habet illud, quieſ-

eat in ipſo, quod quidem ſolum convenit obiecto, non ſpeciei, vel apprehenſioni.

24 Ad vltimam reſpond. quod voluntas Angeli, & hominis diſtinguntur ſpecifice, quamvis verſentur circa idem obiectum materiale; nō ratione diverſæ apprehēſionis, tanquam ratione formali; ſed quia idem bonum attingitur à voluntate Angeli ſub ratione convenientis, & boni magis vniverſalis, quā attingitur ab homine, quia ſicut ad naturam perfectiorē ſequitur perfectior inclinatio, ita ad perfectiorem inclinationem ſequitur perfectior ratio convenientiæ, & boni, à qua ſpecificetur, & tanquam conditio, & ex conſequenti etiam requiritur, perfectior apprehenſio, & vniverſalior.

25 Obijcies 3. cum finis ſit realis cauſa, debet eſſe cauſa, per id quod in illo eſt reale; ſed multoties in fine, ſolum ratio apprehenſi, eſt realis, non vero ratio boni, vt cū volūtas habet pro fine aliquid, quod in re, vel eſt malum, vel eſt impoſsibile, apprehenditur tamen, vt bonum, & poſsibile: ergo.

Confirm. ſine reali apprehenſione, finis movere non poteſt: bene tamē ſine reali bonitate: ergo maior connexio eſt inter apprehenſionem, & appetitum, quam inter appetitū, & bonitatem realem: ſed repugnat, quod ſit maior connexio inter potentiam, & id quod ſolum ſe habet, vt conditio; quam inter potentiam, & id quod ſe habet, vt ratio formalis ſpecificandi, & movendi ergo.

26 Reſpond. neg. min. aliud eſt, quod res quæ eſt finis, vere ſit in re, vel ſit realis, aliud vero, quod ratio boni, cōſtituens illū in ratione finis cauſæ ſit realis, aut in re: primum multoties non reperitur, vt probat argumentum: ſecundum vero numquam deficit, quia licèt id cui applicatur ratio boni, vel non ſit in re, vel ſit impoſsibile, ratio boni falſo illi applicata realis eſt, licèt falſo applicata rei, quæ vt finis proponitur. Vnde Divus Thomas 1.2. quæſt. 1. art. 7. aſſerit: quod omnes quærunt, & appetunt verum bonum; falſitas vero, & deceptio ex parte apprehēſionis ſe tenet faciens, quod voluntas, quęrat bonitatem veram, qua vnicę movetur, vbi non eſt.

Per quod patet ad confirm. negando antec. quoad ſecundam partem, quia finis nequit movere, ſine reali bonitate, licèt poſſit movere ſine re, cui realis bonitas ſit vere applicata: vnde appetitus non eſt magis connexus cum apprehenſione, quam cum bonitate reali finis.

27 Obijcies 4. finis vt eſt cauſa eſt prior; ſed ſolum in apprehē ſione eſt prior: ergo ſolum in apprehenſione eſt cauſa, ac per cōſequens, apprehenſio erit ratio formalis cauſandi.

Negatur vltima, conſequentia: Nam ſicut apprehenſio non eſt ratio formalis, à qua depēdet effectus, & cauſalitas finis, ita nec eſt ratio formalis conſtituens finem cum prioritate requiſita ad rationē cauſæ; ſed ſolum eſt conditio, vel exiſtentia rationis formalis cauſandi, cui proprie cōvenit prioritas. Prioritas namque requiſita ad cauſandum (vt dicemus quæſt. ſequet.) conſiſtit in illa ratione, à qua per ſe dependet effectus; non vero in exiſtentia cauſæ: vnde in materia licèt requiratur exiſtentia, vt cauſet, & ſit prior ſuo effectu; ratio conſtituens illam priorem non eſt exiſtentia, ſed ratio potentiæ receptivæ, à qua per ſe dependet effectus, ita in fine.

28 Si dicas: ergo idem erit ſe ipſo realiter prius, & poſterius, cauſa, & effectus. Conſeq. eſt falſum: aliàs idem ad ſe ipſum referretur, relatione reali tranſcendentali, quæ in cauſa reali reſpectu ſui effectus reperitur: ergo prima conſeq. prob. Nam eadem bonitas finis eſt, qua conſtituitur in ratione cauſæ, & quæ eſt vltimus effectus, dum conſequitur in re.

Reſpond. quod bonitas finis prout in re conſecuta, proprie non eſt effectus cauſæ finalis, ſed efficientis: propter quod vere dicitur, quod id quod eſt primum in intentione, eſt vltimum in executione: executio enim non pertinet ad genus finalis cauſæ, ſed efficientis.

Præterquamquod non videtur inconveniens, quod finis prout præciſſe habet eſſe intentionale, ſit cauſa ſui ipſius, prout habet eſſe phyſicum, & reale, ſicut obiectum intelligibile, prout in re, cauſat ſe ipſum, prout in ſpecie impreſſa, quando ſpecies intelligibilis, cauſatur ab ipſo obiecto.

29 Denique obijcies: Voluntas vt libera, dependet ab intellectu quoad ſpecificationē; ſed dependet ab intellectu per apprehenſionem proponentem: ergo dependet ab apprehenſione, vt ſpecificativa ſuorum actuum.

Diſtinguo min. ita, vt ipſa propoſitio apprehenſiva ſpecificet actum voluntatis, nego min: ita vt ſit conditio, deferens, & dans eſſe bonitati tali, vel tali formaliter ſpecificanti concedo minor.

ARTIC. II.

Quid ſit finalizatio?

30 QVærimus cauſalitatem finis, quam eſſe maxime occultam, manifeſtat ſatis diverſitas ſententiarum, quę fere ad numerum reduci non poſſunt.

§. I.

Aliquorum ſententiæ reijciuntur.

OMnes ſentētias referre, & refellere, nec poſſumus, ne

nec debemus aliqui aſſerunt cauſalitatem finis eſſe aliquid mediū inter finem, & eius effectum reſultans à fine(ſicut actio eſt medium inter finem, & effectum) præviumque ad actū voluntatis.

Diſplicet hæc ſententia: nam hoc medium, cum ſit aliquid reale creatū debet habere aliquā cauſam efficientem: ergo vel voluntatem, vel finē, vel aliquid aliud: non voluntatem; quia vt aiunt, præcedit omnem actum voluntatis, & voluntas non eſt efficiēs, niſi medijs ſuis actibus: nō finem: *Tum* quia multoties finis non eſt activus; tum quia finis, vt talis non influit efficiēter, & activè, vt conſtat ex Philoſoph. 2. de generat. textu 55. *Id cuius gratia nō eſt activū*. Nō denique aliud à fine, & voluntate diſtinctū; niſi forſan ſit intellectus: & ſi hoc dicatur, cum omne, quod efficit intellectus, ſit intellectio, vel verbū nihil horū eſſe cauſalitatem finis, luce meridiana eſt clarius.

31 Alij exiſtimant cauſalitatem finis conſiſtere in quodam conflato ex cauſalitate phyſica, & morali: phyſica quatenus dependentia finalizati à fine eſt realis; moralis autem, quatenus depēdet, ſaltem tamquam à conditione ab exiſtentia obiectiva, & intentionali.

Hoc etiam diſplicet: nam hæc dependentia finalizati à fine, quæ realis eſt, dependens tanquā à cōditione ab exiſtentia intentionali; cum debeat eſſe dependentia exercita, & actualis finalizati à fine, vt ſit finis cauſalitas: inquirimus, quid eſt? In quo conſiſtat? Vel cum quo identificetur? Ergo cum nihil horū explicet hæc ſententia, cauſalitatem finis in explicatam relinquit.

32 Alij dicunt; cauſalitatem finis eſſe intentionalē per modum obiectivæ excitationis, motionis, & inclinationis voluntatis ad actum; ac ſubinde, omnem actum illius præcedentem; quæ motio, & excitatio voluntatis à fine nihil reale etiam intentionale imprimit voluntati; ſed ſolum per quandam ſimpathiam cum ipſa illam ſic mover, & excitat.

Nec placet hæc ſententia quam plures ex noſtris amplectuntur. Primo ſtat D. Thom. q. 22. de Veritat. art. 2. dicens: *Sicut influere cauſæ efficientis, eſt agere: ita & influere cauſæ finalis, eſt appeti, & deſiderari*. Influere cauſæ finalis eſt eius cauſalitas, vt patet; ſed finē appeti, & deſiderari, quod eſt eius influere, ſine actu voluntatis apperentis, vel deſiderantis nequit intelligi: ergo cauſalitas finis non conſiſtit in excitatione, vel motione omnem actum voluntatis præveniente.

33 Nec dicas 1. quód ibi D. Thom. influere finis, non accipit formaliſsimè pro ipſa cauſalitate finis, vt à ſuo effectu diſtinguitur; ſed pro cauſalitate finis terminativè, id eſt, pro ſuo termino, vel effectu.

Con-

rium, efficientem ad agendum movere.

33 Ratione prob. finis per id actu finalizat, & cauſat per quod primo, & formaliter exercetur ratio formalis finalizandi; ſed hæc primo, & formaliter exercetur, per ſui amorē, & deſiderium: ergo. Maior eſt evidens; quia omnis cauſæ vera cauſalitas eſt id, per quod primo, formaliter exercetur, & conſtituitur in actu ſecundo ratio formalis, qua cauſa conſtituitur in actu primo cauſativa.

Min. vero prob. 1. ratio formalis proxima finalizandi, vt ſupra vidimus, conſiſtit in ratione boni appetibilis propter ſe, propoſita per intellectū voluntati; ſed primum reale, & formale exercitiū rationis boni appetibilis propter ſe, vt propoſitæ per intellectū voluntati; conſiſtit in hoc, quod vt ſic propoſita à volūtate appetatur propter ſe: ergo. Minor prob. exercitium reale formale, & primū imaginabile rationis appetibilis propter ſe, dicentis actū primū appetibilitatis, non eſt niſi per hoc, quód eſt primò realiter, & formaliter appeti propter ſe.

2. Secluſo, & propriori ad omnem actum elicitum à voluntate, nō eſt aſignabile aliquod reale exercitiū, neque ex parte finis, nec ex parte voluntatis; quo ratio boni appetibilis propter ſe in exercitio primo realiter, & formaliter appetatur; ſed exercitiū formale, & primū rationis appetibilis propter ſe, eſt propter ſe formaliter appeti: ergo. Mai. cōſtat, ex vltima impugnatione vltimæ ſētētiæ relatæ §. antecedēti.

3. Exercitium primum reale, & formale alicuius cauſæ eſt id ratione cuius, primo realiter, & formaliter, effectus cauſæ fiunt in exercitio dependentes à cauſa; ſed ſeclnſo, vel propriori ad omnē actum voluntatis, nullus effectus finis fit in exercitio realiter dependens à fine, ergo. Mai. eſt ex terminis nota: & prob. min. nullus eſt aſsignabilis effectus finis, qui ab aliquo agente nō fiat gratia finis; ſed ſecluſo, vel propriori ad omnē actum volūtatis, nihil ab aliquo agente fit; quia voluntas eſt primū movēs quoad exercitiū cauſam efficiētē: ergo nihil fit gratia finis: ſed propriori, pro quo non intelligitur aliquid finis gratia finis, non intelligitur aliquid fieri in exercitio depēdēs realiter à fine; quia quod nō eſt realiter, à nulla cauſa realiter in exercitio depēdens eſt: ergo quod pro aliquo priori nō intelligitur fieri, non intelligitur pro illo priori ab aliqua cauſa realiter in exercitio depēdere. & conſequenter ſecluſo, vel propriori ad omnem actnm voluntatis, non intelligitur cauſalitas realis finis.

39 2. Prob. concluſio. Ratio formalis finalizandi eſt ratio boni attractivi volūtatis ad ſe, media propoſitione intellectus ex

go exerciti, & actus ſecundus talis rationis formalis eſt actualis attractio voluntatis ad ſe; ſed nõ eſt perceptibilis actualis attractio voluntatis ad bonum ſine aliquo actu voluntatis circa ipſum bonum: ergo prob. min. ſubſumpt. nequit percipi bonum actualiter attrahere voluntatem ad ſe, quin voluntas actualiter feratur in bonum; ſed voluntatem actualiter ferri in bonum eſt actualiter amare bonum iuxta illud Auguſt. amor meus põdus meum, illuc feror quocumque feror: ergo. Mai. eſt certa; quia dum volũtas manet quaſi immobilis, nec actualiter attrahitur, nec fertur cũ à ſe ipſa non extrahatur.

§. III.

Solvuntur obiectiones.

40 O Bijcies 1. amor finis eſt effectus finis: ergo nequit eſſe illius cauſalitas: ant. videtur certum, & cõſeq. probat. 1. effectus realis realis cauſæ debet diſtingui realiter à ſua cauſa non ſolũ in actu primo, ſed etiã in actu ſecundo cauſante; ſed cõſtituitur in actu ſecundo cauſans per cauſalitatem: ergo effectus cauſæ debet diſtingui realiter à cauſalitate: prob. mai. effectus dependet realiter à cauſa, non ſolum in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo cauſante; ſed nihil poteſt à ſe ipſo dependere: ergo effectus realis cauſæ, diſtinguitur realiter à cauſa in actu ſecundo cauſante.

2. Ratio influens in effectum, non eſt effectus; ſed cauſalitas eſt ratio influens in effectũ; ergo non eſt effectus: prob. min. cauſalitas dat eſſe effectui: ergo eſt ratio influens in illum: tũ ſic; ſed nihil ſibi ipſi dat eſſe: ergo.

3. Prior eſt cauſalitas, quam effectus; ſed idem nõ eſt prius ſe ipſo; ergo idẽ nõ poteſt eſſe cauſalitas, & effectus: *Denique*: nam cauſalitas vera, & realis debet mediare inter cauſam, & effectũ; ſed quæ identificantur cum effectu non mediant inter cauſam, & effectum: ergo:

41 Reſp. admittendo anteced. de quo 1.2.q.1. vbi diſputatur, an primus amor finis ſit vere propter finem, in quo eſſe effectũ finis conſiſtit: nego cõſeq. ad 1. prob. diſtinguo mai. Effectus debet diſtingui realiter à cauſa in actu ſecundo cauſante, ſpecificative cõced. mai. reduplicato actu ſecundo cauſandi: nego mai. non eſt inconveniens, quod eadẽ entitas, ſit cauſalitas, & effectus: vt in actionibus sẽsuũ externorũ, quæ in ſententia D. Th. nullum terminum diſtinctum ab ipſis producunt.

Ad maioris prob. quatenus contra hoc poteſt obſtare: dicimus, quod effectus proprie loquẽdo nõ depẽdet à cauſalitate; hæc enim potius eſt ipſa depẽdentia effectus; quam id à quo effectus dependet, vel eſt id ratione cuius, effectus in exercitio de

pendet à ſua cauſa; non vero id à quo effectus proprie depēdet: ſicut factum eſſe effectus dependet à ſuo fieri; & aliquando fieri, & factum eſſe identificantur, vt in exemplo aducto.

Informa diſting. min. nihil à ſe ipſo dependet, tamquam à cauſa, vel virtute cauſativa: cōcedo min. tamquam à cauſalitate, & fieri ſui ipſius; ſubdiſting. ſub eadem ratione, & formalitate concedo, ſub diverſa nego. Amor enim finis prout eſt activè à voluntate, eſt effectus finis: prout eſt tractio voluntatis ad finem, & pondus, quo ipſa fertur in finem eſt huius cauſalitas.

42 Ad 2. prob. dicimus, quod cauſalitas non eſt ratio influens; ſed potius ipſa influxus, aut influere ipſius cauſæ: vnde cauſalitas non dat eſſe effectui, ſed eſt ipſum dare eſſe effectui: quare conceſſa min. ſubſumpta, neg. conſeq.

43 Ad 3. diſting. min. Idē ſecundum eandem rationē, & formalitatem, concedo min. Secundum diverſam rationē, & formalitatem, nego min. Videātur, quæ ſupra diximus de actione prout eſt cauſalitas efficientis, in qua conceptus *ab* eſt prior conceptu *in*, qui conceptus ſunt in eadem entitate actionis.

Ad vltimam diſt. min. mediatione realis entitatis, neg. min. mediatione cōceptus, vel formalitatis, concedo min. in actione conceptus *ab* mediat inter cauſam efficientem, & conceptum *in* vel paſsionis, & tales conceptus identificatur.

44 2. Obijcies, & eſt replica contradicta: cauſalitas finis debet præcedere efficientiā omnis actus voluntatis: ergo nequit conſiſtere in actu elicito à volūtate: prob. ant. 1. Ideo voluntas elicit actum erga finem, quia eſt mota, & excitata à fine: ergo prius eſt finē exercere ſuam cauſalitatem erga voluntatem, quam quod hæc actū aliquem eliciat.

2. actus voluntatis nequit intelligi cū fundamento in re ex parte finis, quin pro aliquo priori intelligatur accipiens eſſe à volūtate, vt à cauſa effectiva; ſed pro priori adhoc, vt actus volūtatis intelligatur accipiens eſſe à volūtate, intelligitur, & eſt cauſalitas cauſę finalis: ergo. Prob. min. Ipſa prima elicientia actus volūtatis, eſt gratia finis facta, & effectus finis: ergo pro priori ad ipſam primam eliciētiam debet intelligi, & eſſe finis cauſalitas; cū cauſalitas debeat eſſe pro priori ad effectum.

Conf. nullus conceptus datur in actu voluntatis, prior conceptu *ab*; ſed cauſalitas finis præcedit actum voluntatis ſub conceptu *ab*: ergo nullus conceptus datur in actu voluntatis, qui ſit finis cauſalitas: patet conſeq. quia nullus conceptus poteſt eſſe, & idētificari cum actu prior primo cōceptu, qui in actu intelligitur. Minor vero probatur: actus vo-

lun-

luntatis ſub conceptu *ab*, eſt effec tus finis: ergo cauſalitas finis præcedit actum voluntatis ſub conceptu *ab*.

45 Ad argumentum, diſtinguo ant. cauſalitas finis debet præcedere elicientiam omnis actus voluntatis, prout illa elicientia eſt exercitium voluntatis activè ſe moventis conced. ant. prout illa elicientia eſt exercitium illius vt paſsivè mobilis metaphoricè, nego antec: Sicut in voluntate debet diſtingui, & conceptus potētiæ activæ vitalis ſe moventis, & conceptus potentiæ quaſi paſsivè mobilis metaphoricè à bono, & fine: ita illi debet correſpondere, & exercitium illius, vt activè ſe moventis; & hoc eſt elicientia amoris, vt eſt actio: & exercitiū illius, vt eſt paſsivè mobilis metaphoricè; & hæc eſt motio metaphorica finis; quam percipere nō poſſumus, vt ſupra probavimus, niſi conſiſtat in aliquo reali diſtincto à fine, & volūtate; quod nihil aliud poteſt eſſe, niſi ipſe amor, ſub conceptu attractionis, vel tractionis voluntatis ad finē, ad quam voluntas conſideratur, quaſi paſsive tracta, & mota.

Quare hæc duplex formalitas in actu amoris reperta, reperitur in elicientia illius, prout eſt exercitium voluntatis in illa duplici conſideratione iam dicta: vnde prout illa elicientia eſt metaphorica motio, & tractio, eſt cauſalitas finis metaphoricè moventis, & trahentis, & voluntas, vt mobilis quaſi paſsivè exercetur: at vero prout eadem met elicientia amoris eſt activa explicatio virtutis activæ voluntatis, eſt effectus finis; quia volūtatem activè ſe explicare amando, gratia finis eſt: vnde in eadē elicientia amoris, ſicut, & in ipſo amore, formalitas motionis trahētis præcedit aliquo modo formalitatem exercitij activi: ſicut in voluntate, formalitas paſſivæ mobilis aliquo modo præcedit formalitatē activè ſe movētis.

Per quæ apparet ſolutio ad 1. & 2. prob. illius antec. Ad confirmationem diſtinguo mai. Nullus datur conceptus prior conceptu *ab* in actu voluntatis, prout reſpicit voluntatem, ut activè ſe moventem præciſe, concedo mai. Prout ſimul illam reſpicit ut paſsivè mobilē metaphoricè, neg. mai. in actu voluntatis, & eſt conceptus *ab*, & conceptus *in*: primus præcedit ſecundum, & ad utrumque comparatur voluntas, vt ſe movens: vltra iſtū eſt, & alius conceptus, nempè tractionis, & motionis, & hic præcedit omnes; quia hic cōceptus eſt ipſa actualis dependentia à fine, qui eſt prima inter omnes cauſas.

46 Obijc. 3. Actus voluntatis, in quo dicimus cauſalitatē finis cōſiſtere, eſt cauſalitas volūtatis, vt eſt cauſa efficiens: ergo nequit eſſe cauſalitas finalis cauſæ; quia cauſæ diverſi generis, eiuſdē generis cauſalitatē nō poſſunt habere.

non apprehenſio illius eſt in linea voluntatis, vt a ſequ ute diſtincta à linea intellectiva: ergo ratio formalis motiva voluntatis non eſt bonitatis apprehēſio, ſed ipſa bonitas, quæ apprehenditur. Mai. videtur certa, nam iuxta Philoſophum, & Div. Thom. paſsiva; & mobilia diſtinguntur ſecundum diſtinctionem activorum, & motivorum, quia oportet motivum eſſe proportionatum mobili, & activum paſsivo, & omnis potentia paſsiva propriam rationem habet, ex ordine ad ſuum activum: ergo ſi linea intel lectiva, & volitiva adęquate diſt inguntur: & voluntas intra propriam lineam eſt paſsivè movilis à fine, finis debet illā movere per aliquid, quod ſit in linea vol itiva, vt adæquate diſtincta à linea intellectiva, quod quidem non poteſt eſſe apprehenſio, ſed bonitas.

12 Per quod præocupantur ſolutiones, quæ noſtræ rationi ſolent adhiberi, quarum prima eſt, quod bonitas, eſt ratio formalis *quæ* motiva, ſeu cauſativa in fine; ratio vero formalis *ſub qua* eſt ratio apprehenſi.

Contra quam ſtat ratio facta, quia ratio formalis *ſub qua* motiva voluntatis, eſt id quod formalius ſe habet ad illam movendam; ſed quod formalius ſe habet ad movendam voluntatem, nequit non eſſe in linea voluntatis ſecundum id in quo talis linea differt à linea intellectiva, quod quidem apprehenſio eſſe non poteſt, vtpote pertinens ad lineam intellectivam: ergo bonitas finis non ſolum eſt ratio *quæ* motiva voluntatis, ſed potiori titulo eſt ratio formalis *ſub qua*.

13 Secunda ſolutio eſt, ratione noſtra ſolum probari, bonitatē eſſe principium radicale, & quaſi præcipuum, cui principaliter tribuitur voluntatis motio (ſicut actio principaliter tribuitur ſubſtantiæ:) non tamē probari, bonitatem eſſe rationem formalem proximam cauſandi finaliter vel finalizandi.

Contra eſt: Nam ratio formalis *ſub qua* proxime motiva voluntatis neceſſario debet eſſe in eadem linea, in qua eſt volūntatis quaſi activa motio (ſicut diximus de ratione formali proxime operativa efficientis, quod debet eſſe in eadem linea, in qua eſt actio, quæ eſt cauſalitas:) ſed volūtatis quaſi activa motio (quę eſt finis cauſalitas) debet eſſe in linea volitiva, vt adæquate diſtincta à linea intellectiva, quia debet eſſe in eadem linea, in qua eſt movile, quæ eſt voluntas, vt ſupra dicebamus ex Philoſoph. & Div. Thom. ergo.

14 Denique prob. Concluſ. Ratio formalis finalizandi eſt, quæ movet appetitum agentis, quam agens intendit, cuius gratia agit, & qua adepta quieſcit; ſed omnia hæc nec conveniunt apprehenſioni, nec bonitati finis, reduplicative vt apprehen-

henſæ; ſed præciſſe bonitati finis, quæ apprehenditur: ergo hęc eſt ratio formalis finalizandi. Maior conſtat, quia non poſſunt aſſignari alia munera finis propria, in ratione cauſæ. Prob. min. Non apprehenſio divitiarum, ſed illarum bonitas, & convenientia excitat appetitum Avari, nec intendit illarum apprehenſionem; ſed potius bonitatem, quam in divitijs apprehendit, nec gratia apprenſionis divitiarum laborat, ſed gratia bonitatis, & convenientiæ, quam in illis apprehendit: nec denique quieſcit in illis reduplicative, vt apprehenſis, ſed vt realiter poſſeſsis: ergo.

15 Ex his inferes 1. Apprehenſionem eſſe conditionem intrinſecam neceſſariam à Deo inſupplebilem, vt finis ſit finalis cauſa: conſtat hoc. *Tum* ex argumentis, quæ contra concluſionem proponemus, quæ ſine dubio hoc probant, & convincunt: *Tum* quia nihil habet rationem cauſæ, niſi habeat eſſe, ſeu exiſtentiam proportionatam ad cauſandum; ſed eſſe, ſeu exiſtentia proportionata ad cauſandũ per motionem intentionalem (qualiter finis tantum cauſat) eſt eſſe, ſeu exiſtere intentionaliter, hoc eſt in apprehenſione; ſicut exiſtentia proportionata ad cauſandum per motum phyſicum, & realem, eſt exiſtere phyſicè, & in re, vt videre eſt in cauſa efficiente: ergo.

Ex quo colligitur, apprehenſionem eſſe conditionem, nõ pure extrinſecam à Deo ſupplebilem, ſicut ſe habet applicatio cauſæ efficientis ad agendum, ſed intrinſecam à Deo inſupplebilem, ſicut exiſtentia cauſæ efficientis.

16 Inferes 2. quod cum iuxta D. Tho. 1. 2. quæſt. 1. finis, & bonum ſint obiectum voluntatis, opportet in bonitate finis diſtinguere, & rationem obiecti, & motionem illi, prout eſt obiectum, correſpondentem, & rationem cauſæ, & motionem, quæ illi vt cauſalitas correſpondet: bonitas finis ſub munere pręciſſe obiecti ſpecificãtis, tùm potentiam, tùm actum voluntatis, motio illi correſpondens non conſtituit finẽ in ratione cauſę finalis, ſed potius in ratione cauſæ formalis extrinſecæ dantis in hoc genere ſpeciem potentiæ, & actibus eius, quod quidem commune eſt omni obiecto cuiuſvis potentiæ.

At vero bonitas, prout conſtituit ſpeciale genus cauſæ finalis, dicit rationem motivi voluntatis, non præciſſe, vt id à quo accipit ſpeciem, ſed vt à quõ excitatur; & provocatur, vt potentias executivas in executione moveat ad operandum gratia talis bonitatis, vel ad illam conſequendam, quæ ratio non eſt communis omni obiecto potentiarum, ſed ſpecialis in fine, & illius bonitate.

§. III.
Argumenta ſolvuntur.

17 Obijcies 1. ex D. Thom. 1. p. quæſt. 80. artic. 2. ad 1. quod differentiæ apprehenſi ſunt differentiæ appetibilis; & quod potentiæ appetitivæ differunt per differentiam apprehenſorum, vt per propria obiecta. Et 1. 2. quæſt. 11. art. 2. ad 1. quod diverſitas apprehenſionis pertinet quodammodo ad diverſitatẽ obiecti. Et in eadem parte q. 27. artic. 2. quod cognitio eſt cauſa amoris, ea ratione, qua & bonum: & q. 30. art. 3. ad 2. quod ad diverſitatem appetitus activi pertinet diverſitas apprehenſionis.

18 Hæc, & alia teſtimonia D. Thomæ, iuxta ea, quę expreſſe docet in alijs locis, exponenda ſunt, & vltra ea, quæ in favorem concluſionis, adduximus: videatur quæſt. 22. de Veritate artic. 4. ad 1. quod voluntas ab appetitu ſenſibili non diſtinguitur directe, per hoc, quod eſt ſequi hãc vel illam apprehenſionẽ, ſed quaſi ex conſequenti. Et q. 25. de Veritate art. 1. ad 6. quod diverſitas apprehenſionum per accidẽs ſe haberet, niſi diverſitati apprehenſionis diverſitas apprehenſorum coniugeretur: idem habet alijs in locis.

19 Quare ad 1. reſpond. explicando vnum teſtimonium cum alio; differentiæ apprehenſi ſunt differentiæ appetibilis directe, & tanquam ratio formalis differendi, nego: ex conſequenti, & tanquam conditio intrinſeca, concedo. Similiter exponenda eſt alia propoſitio; potentiæ appetivæ differunt per differentiam apprehenſorum, vt per propria obiecta, ſecundum quod apprehenſum dicit de bonitate, concedo: Secundum quod dicit de apprehenſione, ſub diſtinguo: directè, & tanquam per rationem formalem nego: Tanquam per conditionem intrinſecam, & neceſſariam, concedo: Expoſitio cõſtat ex locis adductis ex q. de Veritate.

Ex quo patet ad 2. diverſitas apprehenſionis pertinet quodammodo ad diverſitatẽ obiecti; hoc eſt conſequenti, vel tanquam conditio, vel tanquam cauſa (vt indicat illa particula *quodã modo*) non vero directe, & tanquam ratio formalis.

Ad 3. explicamus: Cognitio eſt cauſa amoris, ea ratione, qua & bonum: ly *ea ratione* dicente rationem formalem cauſandi amorem, neg. Dicente neceſsitatem utriuſque ad cauſandum amorem, concedo. Colligitur hoc ex verbis, quæ in mediate ſubdit: *Ea ratione, qua & bonum, quod non poteſt amari, niſi vt cognitum.* Vbi explicatur neceſsitas vtriuſque ad cauſandum amorem, bonum, vt ratio formalis, cognitio vt conditio, ſine qua non. Ad vltimum

mum patet expoſitio ſicut ad primum.

10 2. Obijcies, & poteſt eſſe replica: diverſitas apprehenſorum diverſificat eſſentialiter appetitum rationis, & ſenſitivum ſe habente apprehenſione, vt ratione formali diverſificandi: ergo apprehēſio etiam ſe habet, vt ratio formalis finalizandi: Prob. antec. 1. appetitus rationalis eſt immaterialis; appetitus ſenſitivus, eſt materialis: ergo eſſentialiter petunt ſpecificari ab apprehenſio immateriali, & materiali; ſed quod bonum apprehēſum ſit immateriale, habet ab apprehenſione, tanquam à ratione formali: ergo.

2. Ad bonum rationis, ſeu immateriale, quod ſpecificat appetitum rationalem, apprehēſio non ſe habet præciſſe, vt conditio: ergo ſe habet, vt ratio formalis. Prob. antec. Conditio ſupponit rem conſtitutam; ſed apprehenſio non ſupponit bonum rationis in eſſe talis conſtitutum; cum multoties voluntas feratur in bonum, quod in ſe, & entitati vè eſt materiale, & ſolū per intellectum immaterializatur, & proportionatur voluntati, quæ eſſentialiter eſt immaterialis: ergo.

3. Sicut ad formam naturalem ſequitur appetitus naturalis, ita appetitus elicitus ſequitur formam apprehenſam: ex quo principio demonſtrat D. Thomas, in omni habente intellectum neceſſario eſſe voluntatem, quæ eſt appetitus rationalis; ſed forma naturalis non ſe habet præciſſe, vt conditio ad ſpecificandum appetitum, ſeu inclinationem naturalem: ergo forma, vel apprehēſio non ſe habet, vt tantum conditio ad ſpecificandum appetitum rationalem, Prob. min. Nam à poſteriori, ex actuali inclinatione, vel appetitu, cognoſcimus quidditatem formarum, ſicut ex proprijs actibus cognoſcimus potentias.

Denique voluntas Angeli, & hominis ſpecie differunt in ratione appetitus; ſed non à bono ſub præciſſa ratione boni, & cōvenientis, quia poteſt eſſe idem reſpectu vtriuſque: ergo differunt eſſentialiter ex diverſa propoſitione, vel apprehenſione talis boni.

21 Reſpond. negando ant. ad 1. diſt. conſeq. immaterialitate ſumpta formaliter pro ſtatu, quē habet appetibile in intellectu, neg. conſeq. Sumpta radicaliter, vel prout fundat apprehēſionē magis vniverſalem, cōcedo conſeq. Ratio formalis diſtinguēs appetitū rationalem à ſenſibili ex parte obiecti, eſt ratio boni in vniverſali quæ ratio eſt magis immaterialis, quā ratio limitata boni ſenſibilis, quæ ſpecificat appetitū ſenſibilē, quia cum materia ſit principiū limitationis, ratio boni magis limitata eſt magis materialis, & ratio boni, quæ minus habet de limitatione, eſt ma-

cat in ipſo, quod quidem ſolum convenit obiecto, non ſpeciei, vel apprehenſioni.

24 Ad vltimam reſpond. quod voluntas Angeli, & hominis diſtinguntur ſpecifice, quamvis verſentur circa idem obiectum materiale; nō ratione diverſæ apprehēſionis, tanquam ratione formali; ſed quia idem bonum attingitur à voluntate Angeli ſub ratione convenientis, & boni magis vniverſalis, quā attingitur ab homine, quia ſicut ad naturam perfectiorē ſequitur perfectior inclinatio, ita ad perfectiorem inclinationem ſequitur perfectior ratio convenientiæ, & boni, à qua ſpecificetur, & tanquam conditio, & ex conſequenti etiam requiritur, perfectior apprehenſio, & vniverſalior.

25 Obijcies 3. cum finis ſit realis cauſa, debet eſſe cauſa, per id quod in illo eſt reale; ſed multoties in fine, ſolum ratio apprehenſi, eſt realis, non vero ratio boni, vt cū volūtas habet pro fine aliquid, quod in re, vel eſt malum, vel eſt impoſsibile, apprehenditur tamen, vt bonum, & poſsibile: ergo.

Confirm. ſine reali apprehenſione, finis movere non poteſt; bene tamē ſine reali bonitate: ergo maior connexio eſt inter apprehenſionem, & appetitum, quam inter appetitū, & bonitatem realem: ſed repugnat, quod ſit maior connexio inter potentiam, & id quod ſolum ſe habet, vt conditio; quam inter potentiam, & id quod ſe habet, vt ratio formalis ſpecificandi, & movendi ergo.

26 Reſpond. neg. min. aliud eſt, quod res quæ eſt finis, vere ſit in re, vel ſit realis, aliud vero, quod ratio boni, cōſtituens illū in ratione finis cauſæ ſit realis, aut in re: primum multoties non reperitur, vt probat argumentum: ſecundum vero numquam deficit, quia licèt id cui applicatur ratio boni, vel non ſit in re, vel ſit impoſsibile, ratio boni falſo illi applicata realis eſt, licèt falſo applicata rei, quæ vt finis proponitur. Vnde Divus Thomas 1. 2. quæſt. 1. art. 7. aſſerit: quod omnes quærunt, & appetunt verum bonum; falſitas vero, & deceptio ex parte apprehēſionis ſe tenet faciens, quod voluntas, quęrat bonitatem veram, qua vnicę movetur, vbi non eſt.

Per quod patet ad confirm. negando antec. quoad ſecundam partem, quia finis nequit movere, ſine reali bonitate, licèt poſſit movere ſine re, cui realis bonitas ſit vere applicata: vnde appetitus non eſt magis connexus cum apprehenſione, quam cum bonitate reali finis.

27 Obijcies 4. finis vt eſt cauſa eſt prior; ſed ſolum in apprehēſione eſt prior: ergo ſolum in apprehenſione eſt cauſa, ac per cōſequens, apprehenſio erit ratio formalis cauſandi.

Negatur vltima, conſequentia: Nam ſicut apprehenſio non eſt ratio formalis, á qua depēdet effectus, & cauſalitas finis, ita nec eſt ratio formalis conſtituens finem cum prioritate requiſita ad rationē cauſæ; ſed ſolum eſt conditio, vel exiſtentia rationis formalis cauſandi, cui proprie cōvenit prioritas. Prioritas namque requiſita ad cauſandum (vt dicemus quæſt. ſequet.) conſiſtit in illa ratione, à qua per ſe dependet effectus; non vero in exiſtentia cauſæ: vnde in materia licèt requiratur exiſtentia, vt cauſet, & ſit prior ſuo effectu; ratio conſtituens illam priorem non eſt exiſtentia, ſed ratio potentiæ receptivæ, à qua per ſe dependet effectus, ita in fine.

28 Si dicas: ergo idem erit ſe ipſo realiter prius, & poſterius, cauſa, & effectus. Conſeq. eſt falſum: aliàs idem ad ſe ipſum referretur, relatione reali tranſcendentali, quæ in cauſa reali reſpectu ſui effectus reperitur: ergo: prima conſeq. prob. Nam eadem bonitas finis eſt, qua conſtituitur in ratione cauſæ, & quæ eſt vltimus effectus, dum conſequitur in re.

Reſpond. quod bonitas finis prout in re conſecuta, proprie non eſt effectus cauſæ finalis, ſed efficientis: propter quod vere dicitur, quod id quod eſt primum in intentione, eſt vltimum in executione: executio enim non pertinet ad genus finalis cauſæ, ſed efficientis.

Præterquamquod non videtur inconveniens, quod finis prout præciſſe habet eſſe intentionale, ſit cauſa ſui ipſius, prout habet eſſe phyſicum, & reale, ſicut obiectum intelligibile, prout in re, cauſat ſe ipſum, prout in ſpecie impreſſa, quando ſpecies intelligibilis, cauſatur ab ipſo obiecto.

29 Denique objicies: Voluntas vt libera, dependet ab intellectu quoad ſpecificationē; ſed dependet ab intellectu per apprehenſionem proponentem: ergo dependet ab apprehenſione, vt ſpecificativa ſuorum actuum.

Diſtinguo min. ita, vt ipſa propoſitio apprehenſiva ſpecificet actum voluntatis, nego min: ita vt ſit conditio, deferens, & dans eſſe bonitati tali, vel tali formaliter ſpecificanti concedo minor.

ARTIC. II.

Quid ſit finalizatio?

30 QVærimus cauſalitatem finis, quam eſſe maxime occultam, manifeſtat ſatis diverſitas ſententiarum, quę fere ad numerum reduci non poſſunt.

§. I.

Aliquorum ſententiæ reijciuntur.

OMnes ſentētias referre, & refellere, nec poſſumus, ne

nec debemus aliqui aſſerunt cauſalitatem finis eſſe aliquid mediũ inter finem, & eius effectum reſultans à fine(ſicut actio eſt medium inter finem, & effectum) prævium que ad actũ voluntatis.

Diſplicet hæc ſententia: nam hoc medium, cum ſit aliquid reale creatũ debet habere aliquã cauſam efficientem: ergo vel voluntatem, vel finẽ, vel aliquid aliud: non voluntatem; quia vt aiunt, præcedit omnem actum voluntatis, & voluntas non eſt efficiẽs, niſi medijs ſuis actibus: nõ finem: *Tum* quia multoties finis non eſt activus; tum quia finis, vt talis non influit efficiẽter, & activè, vt conſtat ex Philoſoph. 2. de generat. textu 55. *Id cuius gratia nõ eſt activũ*. Nõ denique aliud à fine, & voluntate diſtinctũ; niſi forſam ſit intellectus: & ſi hoc dicatur, cum omne, quod efficit intellectus, ſit intellectio, vel verbũ nihil horũ eſſe cauſalitatem finis, luce meridiana eſt clarius.

31 Alij exiſtimant cauſalitatem finis conſiſtere in quodam conflato ex cauſalitate phyſica, & morali: phyſica quatenus dependentia finalizati à fine eſt realis; moralis autem, quatenus dependet, ſaltem tamquam à conditione ab exiſtentia obiectiva, & intentionali.

Hoc etiam diſplicet: nam hæc dependentia finalizati à fine, quæ realis eſt, dependens tanquã à cõditione ab exiſtentia intentionali; cum debeat eſſe dependentia exercita, & actualis finalizati à fine, vt ſit finis cauſalitas: inquirimus, quid eſt? In quo conſiſtat? Vel cum quo identificetur? Ergo cum nihil horũ explicet hæc ſententia, cauſalitatem finis in explicatam relinquit.

32 Alij dicunt; cauſalitatem finis eſſe intentionalẽ per modum obiectivæ excitationis; motionis, & inclinationis voluntatis ad actum; ac ſubinde, omnem actum illius præcedentem; quæ motio, & excitatio voluntatis à fine nihil reale etiam intentionale imprimit voluntati; ſed ſolum per quandam ſimpathiam cum ipſa illam ſic movet, & excitat.

Nec placet hæc ſententia quam plures ex noſtris amplectuntur. Primo ſtat D. Thom. q. 22. de Veritat. art. 2. dicens: *Sicut influere cauſæ efficientis, eſt agere: ita & influere cauſæ finalis, eſt appeti, & deſiderari*. Influere cauſæ finalis eſt eius cauſalitas, vt patet; ſed finẽ appeti, & deſiderari, quod eſt eius influere, ſine actu voluntatis appetentis, vel deſiderantis nequit intelligi: ergo cauſalitas finis non conſiſtit in excitatione, vel motione omnem actum voluntatis præveniente.

33 Nec dicas 1. quód ibi D. Thom. influere finis, non accipit formaliſsimè pro ipſa cauſalitate finis, vt à ſuo effectu diſtinguitur; ſed pro cauſalitate finis terminativè, id eſt, pro ſuo termino, vel effectu.

Con-

Contra eſt: iuxta D.Thom. appeti, & deſiderari eſt influere, vel cauſalitas cauſæ finalis; ſicut agere eſt influere, & cauſalitas cauſæ efficientis; ſed agere formaliſsime eſt cauſalitas cauſæ efficientis: ergo appeti etiam eſt cauſalitas finis formaliſsimè.

34 Si dicas 2. Quod cum D.Thom. aſſerit, quod influere finis eſt appeti, & deſiderari loquitur, non de actu elicito volũtatis, quo ab illa appetitur, & deſideratur; ſed de inclinatione qua per ſimphathiam, & quodã quaſi appetitu innato, finis appetitur, & deſideratur.

Hæc ſolutio; quæ ſuo Authori melior viſa eſt, quam prior; nobis difficilior videtur: Primo, nam appetitus innatus eſt ab authore naturæ rebus inditus, & conſequens naturam rei: ergo non dependet in voluntate à bonitate finis propoſiti, ſed datur antecedenter, non vt effectus, nec vt cauſalitas finis, ſed vt aliquid ad eſſentiam voluntatis conſequtum.

Contra 2. nequit intelligi appeti, & deſiderari in actu ſecundo ex parte finis, quin intelligatur voluntas appetens, & deſiderans in actu ſecundo; ſed voluntas appetens, & deſiderans in actu ſecũdo nequit intelligi ſine aliquo actu ab ipſa elicito: ergo.

Confirmatur: hæc inclinatio per ſimpathiam, vel appetitus quaſi innatus voluntatis, à quo habet finis appeti, & deſiderari: vel convenit voluntati in actu primo, vel translatæ ad actum ſecundum. ſi hoc ſecundum, cum voluntas non transferatur ad actum ſecundum ſine actu elicito; in fine non erit appeti, & deſiderari ſine actu elicito volũtatis; ſi dicatur primum: ergo in nullo vero ſenſu, *appeti, & deſiderari* poteſt dici de fine: prob. cõſeq. in nullo vero ſenſu, poteſt dici de fine *appeti, & deſiderari*, niſi ab aliquo; ſed non ab aliquo manẽte in actu primo, quia eſſe aliquid ab alio dicit exercitiũ eius à quo eſt, vt ex terminis patet: ergo in nullo vero ſenſu poteſt exponi D.Thom. iuxta hanc ſententiam.

35 Quæ impugnatur 2. cauſalitas finis eſt vera, & realis cauſalitas, quamvis ſit tantum metaphorica motio, & actio; ſed ſi conſiſteret in aliquo præcedente omnem actum voluntatis, nihil reale adhuc intentionale imprimente in voluntate, cauſalitas finis non eſſet vera, & realis cauſalitas: ergo. Mai. eſt certa, alioquin finis non eſſet vera, & realis cauſa, cuius oppoſitum infra conſtabit, nec negant authores illius ſententiæ.

Min. vero prob. cauſalitas vera, & realis eſt aliquid verum, & reale de novo incipiens, & exiſtens, dum finis actu finaliter cauſat: ſed in ſententia horum Authorum nihil verum, & reale de novo inciperet, & exiſteret, dum finis actu finaliter cauſat: ergo

go in iſto modo dicendi cauſalitas finis non eſſet vera, & realis cauſalitas: maior conſtat; nam cũ cauſæ creatæ non ſint ſemper in actu ſecundo cauſantes, earum cauſalitas debet de novo incipere, dum actu cauſant: min. vero prob. nihil verum, & reale adhuc intentionale de novo incipit, & exiſtit ex parte finis diſtinctum realiter ab ipſo prout in actu primo (vt contrarij admittunt) nec etiam nihil verum, & reale ad huc intentionale de novo incipit, & exiſtit ex parte voluntatis, diſtinctum realiter ab ipſa, prout in actu primo; cum concedant, quod per talem excitationem, & motionem manet voluntas in actu primo & prævie ad omnem ſuum actum, & quod per illam nihil intentionale voluntati imprimitur; cum non ſit motio efficientis imprimens in paſſo aliquid realiter ab ipſo diſtinctum) ergo finis cauſalitas non eſſet aliquid verum, & reale de novo incipiens, & exiſtens, dum finis actu finaliter cauſat.

36 Nec eſt idem de cauſalitatibus materiæ, & formæ, quæ cũ ipſiſmet cauſis identificãtur. nã cauſalitas materiæ, ex parte connotati, dicit aliquid verum, & reale de novo incipiens, & exiſtens, diſtinctum realiter ab ipſa: nempè, & actionem agentis, & ipſam formã de novo in ipſa receptam: (& idem dicendum proportionabiliter de cauſalitate formę) cauſalitas vero finis, nec in recto, nec de connotato aliquid verum, & reale importat; cum nec cõnotet novitatem aliquam realem ex parte voluntatis, nec actionem alicuius agentis, cum omnem illius actionem præcedat; ergo vel cauſalitas finis nõ eſt vera, & realis; vel non debet conſiſtere in motione præcedẽte omnem actum voluntatis nihil intentionale in illa imprimente.

§. II.

Sententia noſtra proponitur; & probatur.

37 Noſtra concluſio eſt: *Finis cauſalitas conſiſtit, & idẽtificatur cũ amore, & deſiderio ſui, ac ſubinde finem actu finalizare eſt per ſui amorem, & deſiderium ad agendum movere.* Concluſio vtroque modo explicata eſt expreſſa Div. Thomæ quæſt. 22. de Veritate, ſupra citata: *Quod ſicut influere cauſæ efficientis, eſt agere: ita influere cauſæ finalis eſt appeti, & deſiderari.* Quibus verbis non aſsignatur congrua explicatio, niſi in ſenſu noſtrę concluſionis.

Et 1. contrag. cap. 75. *Quod cauſalitas finis in hoc conſiſtit, quod propter ipſum alia deſiderantur:* & quæſt. 5. de Potentia artic. 1. *Quod finis non eſt cauſa, niſi quatenus movet efficientem ad agendum: vnde vbi non eſt actio, non eſt cauſalitas finis:* ergo finẽ actu cauſare, & finalizare, eſt per ſui deſide-

rium, efficientem ad agendum movere.

33 Ratione prob. finis per id actu finalizat, & cauſat per quod primo, & formaliter exercetur ratio formalis finalizandi; ſed hæc primo, & formaliter exercetur, per ſui amorē, & deſiderium: ergo. Maior eſt evidens; quia omnis cauſæ vera cauſalitas eſt id, per quod primo, formaliter exercetur, & conſtituitur in actu ſecundo ratio formalis, qua cauſa conſtituitur in actu primo cauſativa.

Min. vero prob. 1. ratio formalis proxima finalizandi, vt ſupra vidimus, conſiſtit in ratione boni appetibilis propter ſe, propoſita per intellectũ voluntati; ſed primum reale, & formale exercitiũ rationis boni appetibilis propter ſe, vt propoſitæ per intellectũ voluntati; conſiſtit in hoc, quod vt ſic propoſita à volũtate appetatur propter ſe: ergo. Minor prob. exercitium reale formale, & primũ imaginabile rationis appetibilis propter ſe, dicentis actũ primũ appetibilitatis, non eſt niſi per hoc, quód eſt primò realiter, & formaliter appeti propter ſe.

2. Secluſo, & propriori ad omnem actum elicitum à voluntate, nõ eſt aſignabile aliquod reale exercitiũ, neque ex parte finis, nec ex parte voluntatis; quo ratio boni appetibilis propter ſe in exercitio primo realiter, & formaliter appetatur; ſed exercitiũ formale, & primũ rationis appetibilis propter ſe, eſt propter ſe formaliter appeti: ergo. Mai. cõſtat, ex vltima impugnatione vltimæ ſẽtẽtiæ relatæ §. antecedẽti.

3. Exercitium primum reale, & formale alicuius cauſæ eſt id ratione cuius, primo realiter, & formaliter, effectus cauſæ fiunt in exercitio dependentes à cauſa; ſed ſeclnſo, vel propriori ad omnẽ actum voluntatis, nullus effectus finis fit in exercitio realiter dependens à fine, ergo. Mai. eſt ex terminis nota: & prob. min. nullus eſt aſsignabilis effectus finis, qui ab aliquo agente nõ fiat gratia finis; ſed ſecluſo, vel propriori ad omnẽ actum volũtatis, nihil ab aliquo agente fit; quia voluntas eſt primũ movẽs quoad exercitiũ cauſam efficiẽtẽ: ergo nihil fit gratia finis: ſed propriori, pro quo non intelligitur aliquid finis gratia finis, non intelligitur aliquid fieri in exercitio depẽdẽs realiter à fine; quia quod nõ eſt realiter, à nulla cauſa realiter in exercitio depẽdens eſt: ergo quod pro aliquo priori nõ intelligitur fieri, non intelligitur pro illo priori ab aliqua cauſa realiter in exercitio depẽdere. & conſequenter ſecluſo, vel propriori ad omnem actnm voluntatis, non intelligitur cauſalitas realis finis.

39 2. Prob. concluſio. Ratio formalis finalizandi eſt ratio boni attractivi volũtatis ad ſe, media propoſitione intellectus ergo

go exerciti, & actus ſecundus talis rationis formalis eſt actualis attractio voluntatis ad ſe; ſed nõ eſt perceptibilis actualis attractio voluntatis ad bonum ſine aliquo actu voluntatis circa ipſum bonum: ergo prob. min. ſubſumpt. nequit percipi bonum actualiter attrahere voluntatem ad ſe, quin voluntas actualiter feratur in bonum; ſed voluntatem actualiter ferri in bonum eſt actualiter amare bonum iuxta illud Auguſt. amor meus põdus méum, illuc feror quocumque feror: ergo. Mai. eſt certa; quia dum volũtas manet quaſi immobilis, nec actualiter attrahitur, nec fertur cũ à ſe ipſa non extrahatur.

§. III.

Solvuntur obiectiones.

40 Obijcies 1. amor finis eſt effectus finis: ergo nequit eſſe illius cauſalitas: ant. videtur certum, & cõſeq. probat. 1. effectus realis realis cauſæ debet diſtingui realiter à ſua cauſa non ſolũ in actu primo, ſed etiã in actu ſecundo cauſante; ſed cõſtituitur in actu ſecundo cauſans per cauſalitatem: ergo effectus cauſæ debet diſtingui realiter à cauſalitate: prob. mai. effectus dependet realiter à cauſa, non ſolum in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo cauſante; ſed nihil poteſt à ſe ipſo dependere: ergo effectus realis cauſæ, diſtinguitur realiter à cauſa in actu ſecundo cauſante.

2. Ratio influens in effectum, non eſt effectus; ſed cauſalitas eſt ratio influens in effectũ; ergo non eſt effectus: prob. min. cauſalitas dat eſſe effectui: ergo eſt ratio influens in illum: tũ ſic; ſed nihil ſibi ipſi dat eſſe: ergo.

3. Prior eſt cauſalitas, quam effectus; ſed idem nõ eſt prius ſe ipſo; ergo idẽ nõ poteſt eſſe cauſalitas, & effectus: *Denique*: nam cauſalitas vera, & realis debet mediare inter cauſam, & effectũ; ſed quæ identificantur cum effectu non mediant inter cauſam, & effectum: ergo:

41 Reſp. admittendo anteced. de quo 1.2. q. 1. vbi diſputatur, an primus amor finis ſit vere propter finem, in quo eſſe effectũ finis conſiſtit: nego cõſeq. ad 1. prob. diſtinguo mai. Effectus debet diſtingui realiter à cauſa in actu ſecundo cauſante, ſpecificative cõced. mai. reduplicato actu ſecundo cauſandi: nego mai. non eſt inconveniens, quod eadẽ entitas, ſit cauſalitas, & effectus: vt in actionibus sẽsuũ externorũ, quæ in ſententia D. Th. nullum terminum diſtinctum ab ipſis producunt.

Ad maioris prob. quatenus contra hoc poteſt obſtare: dicimus, quod effectus proprie loquẽdo nõ depẽdet à cauſalitate; hæc enim potius eſt ipſa depẽdentia effectus; quam id à quo effectus dependet, vel eſt id ratione cuius, effectus in exercitio de-

pendet à ſua cauſa; non vero id à quo effectus proprie depēdet: ſicut factum eſſe effectus dependet à ſuo fieri; & aliquando fieri, & factum eſſe identificantur, vt in exemplo aducto.

Informa diſting. min. nihil à ſe ipſo dependet, tamquam à cauſa, vel virtute cauſativa: cōcedo min. tamquam à cauſalitate, & fieri ſui ipſius; ſubdiſting. ſub eadem ratione, & formalitate concedo, ſub diverſa nego. Amor enim finis prout eſt activè à voluntate, eſt effectus finis: prout eſt tractio voluntatis ad finem, & pondus, quo ipſa fertur in finem eſt huius cauſalitas.

42 Ad 2. prob. dicimus, quod cauſalitas non eſt ratio influens; ſed potius ipſa influxus, aut influere ipſius cauſæ: vnde cauſalitas non dat eſſe effectui, ſed eſt ipſum dare eſſe effectui: quare conceſſa min. ſubſumpta, neg. conſeq.

43 Ad 3. diſting. min. Idē ſecundum eandem rationē, & formalitatem, concedo min. Secundum diverſam rationē, & formalitatem, nego min. Videātur, quæ ſupra diximus de actione prout eſt cauſalitas efficientis, in qua conceptus *ab* eſt prior conceptu *in*, qui conceptus ſunt in eadem entitate actionis.

Ad vltimam diſt. min. mediatione realis entitatis, neg. min. mediatione cōceptus, vel formalitatis, concedo min. in actione conceptus *ab* mediat inter cauſam efficientem, & conceptum *in* vel paſſionis, & talęs conceptus identificatur.

44 2. Obijcies, & eſt replica contradicta: cauſalitas finis debet præcedere efficientiā omnis actus voluntatis: ergo nequit conſiſtere in actu elicito à volūtate: prob. ant. 1. Ideo voluntas elicit actum erga finem, quia eſt mota, & excitata à fine: ergo prius eſt finē exercere ſuam cauſalitatem erga voluntatem, quam quod hæc actū aliquem eliciat.

2. actus voluntatis nequit intelligi cū fundamento in re ex parte finis, quin pro aliquo priori intelligatur accipiens eſſe à volūtate, vt à cauſa effectiva; ſed pro priori adhoc, vt actus volūtatis intelligatur accipiens eſſe à volūtate, intelligitur, & eſt cauſalitas cauſę finalis: ergo. Prob. min. Ipſa prima elicientia actus volūtatis, eſt gratia finis facta, & effectus finis: ergo pro priori ad ipſam primam elicientiam debet intelligi, & eſſe finis cauſalitas; cū cauſalitas debeat eſſe pro priori ad effectum.

Conf. nullus conceptus datur in actu voluntatis, prior conceptu *ab*; ſed cauſalitas finis præcedit actum voluntatis ſub conceptu *ab*: ergo nullus conceptus datur in actu voluntatis, qui ſit finis cauſalitas: patet conſeq. quia nullus conceptus poteſt eſſe, & idētificari cum actu prior primo cōceptu, qui in actu intelligitur. Minor vero probatur: actus vo-

lun-

luntatis ſub conceptu *ab*, eſt effectus finis: ergo cauſalitas finis præcedit actum voluntatis ſub conceptu *ab*.

45 Ad argumentum, diſtinguo ant. cauſalitas finis debet præcedere elicientiam omnis actus voluntatis, prout illa elicientia eſt exercitium voluntatis activè ſe moventis conced. ant. prout illa elicientia eſt exercitium illius vt paſsivè mobilis metaphoricè, nego antec: Sicut in voluntate debet diſtingui, & conceptus potētiæ activæ vitalis ſe moventis, & conceptus potentiæ quaſi paſsivè mobilis metaphoricè à bono, & fine: ita illi debet correſpondere, & exercitium illius, vt activè ſe moventis; & hoc eſt elicientia amoris, vt eſt actio: & exercitiū illius, vt eſt paſsivè mobilis metaphoricè; & hæc eſt motio metaphorica finis; quam percipere nō poſſumus, vt ſupra probavimus, niſi conſiſtat in aliquo reali diſtincto à fine, & volūtate; quod nihil aliud poteſt eſſe, niſi ipſe amor, ſub conceptu attractionis, vel tractionis voluntatis ad finē, ad quam voluntas conſideratur, quaſi paſsive tracta, & mota.

Quare hæc duplex formalitas in actu amoris reperta, reperitur in elicientia illius, prout eſt exercitium voluntatis in illa duplici conſideratione iam dicta: vnde prout illa elicientia eſt metaphorica motio, & tractio, eſt cauſalitas finis metaphoricè moventis, & trahentis, & voluntas, vt mobilis quaſi paſsivè exercetur: at vero prout eademmet elicientia amoris eſt activa explicatio virtutis activæ voluntatis, eſt effectus finis; quia volūtatem activè ſe explicare amando, gratia finis eſt: vnde in eadē elicientia amoris, ſicut, & in ipſo amore, formalitas motionis trahētis præcedit aliquo modo formalitatem exercitij activi: ſicut in voluntate, formalitas paſſivæ mobilis aliquo modo præcedit formalitatē activè ſe movētis.

Per quæ apparet ſolutio ad 1. & 2. prob. illius antec. Ad confirmationem diſtinguo mai. Nullus datur conceptus prior conceptu *ab* in actu voluntatis, prout reſpicit voluntatem, ut activè ſe moventem præciſe, concedo mai. Prout ſimul illam reſpicit ut paſsivè mobilē metaphoricè, neg. mai. in actu voluntatis, & eſt conceptus *ab*, & conceptus *in*: primus præcedit ſecundum, & ad utrumque comparatur voluntas, vt ſe movens: vltra iſtū eſt, & alius conceptus, nempè tractionis, & motionis, & hic præcedit omnes; quia hic cōceptus eſt ipſa actualis dependentia à fine, qui eſt prima inter omnes cauſas.

46 Obijc. 3. Actus voluntatis, in quo dicimus cauſalitatē finis cōſiſtere, eſt cauſalitas volūtatis, vt eſt cauſa efficiens: ergo nequit eſſe cauſalitas finalis cauſæ; quia cauſæ diverſi generis, eiuſdē generis cauſalitatē nō poſsūt habere.

Reſ.

Reſp. eſt cauſalitas voluntatis, ut cauſa efficiens eſt, & ſe movens, conced. antec. ut mobilis à fine, neg. ant. actus volũtatis, prout hoc ſecundo modo illam reſpicit, non eſt cauſalitas volũtatis, ſed potius ipſius finis: & non inconvenit, quod idẽ actus ſecũdum diverſam rationem, ſit cauſalitas duplicis cauſæ diverſi generis: ſicut, & quod idẽtice ſit cauſa, & effectus.

47 Denique obijcies: cauſalitas debet eſſe cauſæ intrinſeca, cum illam denominet intrinſece cauſantem, & non poſsit intrinſece denominari à forma, quę intrinſecè non eſt in illa, ſed actus voluntatis intrinſecè non eſt à fine, nec in fine; ſed in voluntate receptus, & ad finem: ergo.

Diſting. maiorem in cauſis intrinſecis, conced. maiorem; in extrinſecis ſubdiſting. in illis, quæ intrinſecè mutantur per ſui cauſalitatem, concedo mai. quę cauſant, ut immobiles: nego. In ſententia, quod actio tranſiens nullo modo recipitur in agente; cauſalitas agentis non eſt ipſi intrinſeca, nec per illam intrinſecè mutatur: in fine autem hoc clarius videtur: *Tum* quia iuxta Philoſop. 3. de Anima: appetitus eſt movens motum; appetibile vero ſeu finis eſt movens immobile, hoc eſt ſine ſui intrinſeca mutatione movet voluntatem; in quo ſit eſt eius cauſalitas: *Tum* quia finis, non cauſat per modum principij activi ab intrinſeco emittẽtis effectum; ſed per modum termini extrinſeci.

48 Ex dictis infertur 1. cauſam finalẽ eſſe veram, & realem cauſam; quia habet verã, & realẽ virtutem, & exiſtentiam realem, prout ly *reale* diſtinguitur contra ens rationis: non vero prout diſtinguitur à ly *intentionale*. Et idem de illius cauſalitate, quæ eſt realis eodẽ ſenſu, & vera cauſalitas licèt metaphorica motio, & actió: vt ſupra dictum eſt.

49 Infertur 2. Effectus cauſæ finalis eſſe omne id, quod ab agente fit gratia finis, & propter finem: quid autem ſit agere propter finem? Et quæ agẽtia agant propter finem? Pertinet ad tractatum de ultimo fine. 1. 2 quæſt.

QVÆST. XIII.

De Comparationum cauſarum.

1 COmparationem cauſarũ cũ effectibus ſuis, & inter ſe ad hũc locum reſervavimus; quia cõparatio melius fit, ſuppoſita notitia extremorum in particulari; iam poſtquã notitiam cauſarum in particulari dedimus; comparatio illarum cũ effectibus erit quoad conſortium multiplicis cauſæ ad eundem effectum, & comparatio illarum inter ſe, quoad prioritatem, & dependentiam.

AR-

ARTIC. I.

Vtrùm idem effectus poſsit ſimul procedere à duplici cauſa totali adæquate cauſante?

2 Ponimus *cauſas totales*, illas ſcilicet quarum quælibet habet totam, & ſufficiētem virtutem, quaſi in actu primo: addimus *adequate cauſantes*, hoc eſt, facientes effectum pendere adæquate in actu ſecundo à qualibet illarum adæquate influente ad differentiam cauſarū, quæ ſimul concurrunt, quælibet in actu primo, vt ſufficiens ad totum effectvm; non tamen totaliter, & adęquate influens in actu ſecundo, ſed partialiter, admittēdo conſortium alterius cauſę partialiter concurrentis.

3 Loquimur etiam, de concurſu multiplicis cauſę *eiuſdem generis, & ordinis*: dicuntur cauſę eiuſdem generis, quę intra idem genus cauſę, nempè *efficiētis*, vel *materialis, &c.* cauſant; dicuntur eiuſdem ordinis, quę in cauſando non ſubordinantur, vt duo ignes.

4 Sermo etiam erit de eodem effectu identitate numerica, & tali, vt nulla ſit formalitas, modus, vel ratio in illo realiter effecta ab vna cauſa, quę ab alia realiter non efficiatur; quia in hoc conſiſtit eſſe aliquam cauſam adęquate cauſantem aliquem effectum.

5 Certum eſt 1. Plures cauſas diverſi generis in eundē effectum influere: imo omnes effectus naturales dependere à cōcurſu cauſę finalis, efficientis, formalis, & materialis. Certum eſt 2. Cauſas ſubordinatas, vel diverſi ordinis, ad eundē effectū poſſe concurrere: vt cauſa prima, & ſecunda; Cœlum, & elementa ad generationem rerum.

Certum eſt 3. plures cauſas eiuſdē generis, & ordinis de ſe ſufficientes, & totales quaſi in actu primo, poſſe partialiter, & in adęquate in eundem effectū influere. Devolvitur ergo difficultas ad cauſas totales eiuſdem generis, & ordinis adęquate cauſantes, in actu ſecūdo eundem numero effectum.

6 Communior ſententia tenet hoc eſſe impoſsibile ex natura rei; & ad minus rationes, quibus probemus, hoc repugnare de potentia abſoluta Dei, cōvincent naturaliter non poſſe contingere. De potentia Dei abſoluta non repugnare concurſum duplicis cauſę totalis eiuſdē generis, & ordinis, ſimul, & adęquate cauſantis eundem numero effectum; communiter tenent Authores Societatis, cum Suarez, Rubio: quibus adhęret ex noſtris, Prado referens pro ſe Caiet. Capreol. de quibus liquido non conſtat pro hac ſtare ſententia.

Per oppoſitum, Thomiſtę (exceptis relatis) communiter tenent, repugnare eundem ef-

effectum depēdere à duplici cau ſa totali, ſimul adæquate concurrente: quibus adhærent, Vazquez, Cabero, & alij. De mente Divi Thomæ, quoad potentiam Dei abſolutam, non conſtat clare, quamvis huic ſentētiæ magis favere videatur.

§. I.
Vnica Concluſio.

7 Repugnat eundem numero effectum procedere à duplici cauſa totali eiuſdē generis, & ordinis ſimul adæquate cauſante. Prob. 1. (& ſermo ſit de cauſa efficiente.) Cauſa efficiēs adæquate cauſans eſt, quæ facit effectum ab ipſa adæquate dependere; ſed repugnat duplex cauſa efficiens, eiuſdem ordinis, faciens à ſe dependere adæquate eundem numero effectum: ergo repugnat duplex cauſa efficiens totalis, adæquate cauſans eundem numero effectum: Maior conſtat: quia cauſare effectum, eſt facere effectum à cauſa dependere, & conſequenter adęquate cauſare effectum, erit facere effectum adæquate à cauſa dependere.

Min. prob. quælibet illarum faceret, & non faceret effectum illum ab ipſa adæquate dependere; ſed hoc repugnat: ergo repugnat duplex cauſa faciens à ſe dependere adæquate eundem numero effectum. Prob. mai. in primis quælibet illarum faceret, effectum illum ab ipſa adæquatē dependere; cum quælibet illarū eſſet adæquate cauſans: deinde nulla illarum faceret effectum ab ipſa adęquate dependere: ergo. Hoc ſecundum prob: nulla illarum faceret effectum illum adæquate non dependere ab alia cau ſa diſtincta ab ipſa: ergo nulla illarum faceret effectum illum adæquate dependere ab ipſa.

Hæc vltima conſequentia prob. cauſa non faciens, quod effectus non dependeat ab alia cauſa ſui generis, & ordinis, eſt cauſa non adæquans dependentiam, quam habet effectus à cauſis ſui generis, & ordinis; ſed cauſa non adæquans dependentiam, quam habet effectus à cauſis ſui generis, & ordinis eſt cauſa non faciens, effectum ab ipſa adæquate dependere, vt ex terminis videtur notum: ergo.

Aliter formatur ratio: Cauſa adæquate cauſans in aliquo genere, & ordine, eſt cauſa adæquate ſubijciens ſibi effectum in illo genere, & ordine; ſed repugnat duplex cauſa eiuſdem generis, & ordinis, ſubijciens ſibi adæquate eūdem numero effectum: ergo. Prob. min. cuilibet illarum effectus ille eſſet adæquate ſubiectus, cum quælibet illarum illum adæquate cauſaret. *Deinde* nulli illarum eſſet adæquate ſubiectus: quod prob. cauſa nō adæquans paſſivam ſubiectionem, quam aliquis effectus habet, reſpectu cauſarum ſui productivarum,

rum, eſt cauſa, cui talis effectus non eſt adæquate ſubiectus; ſed nulla illarum cauſarum adæquaret paſsivam ſubiectionem, quã ille effectus haberet reſpectu cauſarum ſui productivarum: cum nulla illarum faceret, quod talis effectus alteri cauſæ præter ipſam non eſſet ſubiectus: ergo.

9 Huic rationi, vno, vel altero modo propoſitæ, videtur poſſe reſponderi ab adverſarijs dicendo, quod cauſam facere effectum adæquate ab ipſa depẽdere, duplicẽ habet ſenſum: vel quod cauſa faciat, effectum vnicè ab ipſa dependere, & non ab alia, vel quod cauſa ſit adæquate ſufficiens, vt effectus hic, & nunc exiſtat adæquate in re: primum non requiritur, vt cauſa aliqua ſi adæquate cauſans: ſufficit enim hoc ſecundum: & in hoc ſecundo ſenſu, quælibet illarum cauſarum facit effectum adæquate dependere; & adæquat paſsivam dependentiã, & ſubiectionem, quam habet effectus reſpectu cauſarum eiuſdem generis, & ordinis.

10 Contra eſt: Repugnat aliquam cauſam eſſe adæquate ſufficientem, vt hic, & nũc exiſtat adæquate effectus, ſi non adæquat dependentiam, & ſubiectionem, quam hic, & nunc habet effectus reſpectu ſuarum cauſarum; ſed cauſa non faciẽs, effectum hic, & nunc vnice dependere ab ipſa, non adæquat dependentiam, & ſubiectionem, quam hic, & nunc habet effectus, reſpectu ſuarum cauſarum. ergo nec erit adæquàte ſufficiẽs, vt hic, & nunc exiſtat adæquate effectus. Maior conſtat, quia nullus effectus, hic & nunc adæquate exiſtit, ſine eo quo hic, & nunc conſtituitur adæquate dependens, & ſubiectus ſuis cauſis, ac ſubinde, cauſa non adæquans ſubiectionem, & dependentiam, quam hic, & nunc habet effectus à ſuis cauſis; non erit adæquate ſufficiens, vt effectus hic, & nũc adæquate exiſtat.

Minor vero prob. Cauſa non faciens effectum hic, & nunc vnicè dependere ab ipſa, eſt cauſa quæ vnice non ponit effectũ, prout exiſtit hic, & nunc: ſed cauſa quæ vnice non ponit effectũ prout exiſtit hic, & nunc, eſt cauſa non adæquans dependentiam, quam hic, & nũc habet effectus à ſuis cauſis: ergo. Prob. min. Dependentia, quam hic: & nũc habet effectus à ſuis cauſis, tanta eſt, quantæ ſunt cauſæ illũ ponentes hic, & nunc: ergo depẽdentia effectus à cauſa non ponẽte illũ vnicè, prout exiſtit hic, & nũc, non eſt tanta, quanta eſt à cauſis ſimul illũ ponentibus hic & nũc: ergo cauſa vnice non ponens effectũ prout exiſtit hic, & nũc, non adæquat dependentiã, quam hic, & nunc habet effectus à ſuis cauſis.

Tunc ſic; ſed cauſa non adæquans dependentiam, quam

hic, & nunc habet aliquis effectus à ſuis cauſis, nō eſt adæquate ſufficiens, vt hic, & nunc exiſtat adæquate effectus: ergo cauſa, quæ non facit effectum aliquem in ſuo ordine vnice dependere ab ipſa, non eſt adæquate ſufficiens, vt exiſtat hic, & nunc adæquate effectus, ac ſubinde, idem erit, cauſam aliquam eſſe in actu ſecundo adæquate ſufficientem ad exiſtentiam alicuius effectus, ac facere, quod effectus vnice dependeat ab ipſa.

11 Quæ ratio, cum nitatur principio communi quatuor generibus cauſarum, & earū effectibus, nempè in eo quod eſt facere effectus ſuos ab ipſis depēdere, & illis ſubijci, quod eſt commune omni cauſæ; æque videtur probare repugnantiam cō curſus duplicis cauſæ totalis, & adæquate cauſantis eundem numero effectum, ſivè efficienter, ſivè finaliter, formaliter, vel materialiter.

12 Sed de cauſa finali vltima totali, & adæquata poteſt ſic formari: cauſa finalis adæquata eſt illa, quę ita ſubijcit appetentem, vt ſit complementum omnium illius deſideriorū, atque vt bonum ita ſibi ſufficēs, & maxime neceſſarium, vt omnibus quibuſcumque alijs bonis ſit præferendum: ſed repugnat eſſe duplex obiectū ſimul ſic amatum: ergo. Mai. eſt diffinitio finis vltimi, & adæquati; & min. prob. quia eo ipſo, quod ex duobus obiectis, vnum ametur, vt appetenti ſufficiens; alterum non poteſt amari vt neceſſarium, quia de ratione ſufficientis eſt, quod nihil extra illum ſit neceſſarium.

Confirm. de ratione cauſæ adæquate finalizantis eſt, quod omnia, quæ vere bona ſunt, poſſint ad illā ordinari, & quod bona non talia poſsint rationabiliter propter ipſam contemni: ſed implicat eſſe duo huiuſmodi bona reſpectu eiuſdem appetentis: ergo. Prob. min. Quia eo ipſo, quod ad huiuſmoni bonum poſſint cætera bona ordinari, aut propter ipſum contemni; ipſum non poteſt propter aliud cōtemni, nec ad aliud ordinari: ergo excludit conſortium alterius boni, cum æquali excellentia potentis apprehendi, & amari.

13 De duplici cauſa formali etiam prob. *Tum* ratione generali ſupra facta, quæ ſi aliquid probat, probat etiam repugnantiā duplicis formæ totalis in eadem materia: *Tum* quia quęlibet præſtaret materiæ eſſe ſimpliciter, & primum, ſive ſubſtantiale; & non præſtaret: præſtaret, quia quælibet eſſet ſubſtantialis, de cuius eſſentia eſt dare primū eſſe, & ſimpliciter tale: non præſtaret, quia eſſe præſtitum materiæ in conſortio alterius, quod habet rationem primi eſſe, & ſimpliciter talis, non eſt primum eſſe, & ſimpliciter tale.

Tum denique, quia illę duæ

duæ formæ, vel eſsēt diverſæ ſpeciei, vel eiuſdem: ſi primum, vel conſtituerén idem compoſitum numero; vel numero diverſum, primum repugnat; quia impoſsibile eſt vnū individuum contineri ſub duplici ſpecie, & conſtare duplici natura, & eſſentia ſpecifica: ſecundum etiam repugnat, quia radix diverſitatis numericæ eſt materia: ergo ſi hæc eſt vna numero, nequit radicare diverſitatem numericam.

Si dicatur; quod tales formæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo tales formæ non differrant inter ſe formaliter, ſed præciſſe materialiter, & individualiter, quæ eſt diverſitas materialis; ſed diverſitas materialis formarum nequit ab illis provenire, ſed à materia: ergo tales formæ eſſent materialiter, ſeu numerice diſtinctæ, & non eſſent: eſſent, vt ſupponitur, non eſſent; quia diſtinctionē numericam non haberēt à ſe, neque à materia, quæ ſupponitur vna numero.

14. De cauſa materiali, denique prob. repugnare duplicem materiam totalem, & adæquatam vnica tātum forma ſubſtantiali actuari, & informari: quia materia adæquata reſpectu alicuius formæ, eſt illa, quæ implet paſsive, & ſubiectivè in ratione potentiæ phyſicæ totam ſphærā actualitatis formæ; cum ergo forma extra ſphærā ſuę actualitatis (quæ limitata eſt) non poſsit exire, neque poterit vltra materiam ſibi adæquatam, actuare, & informare.

§. II.

Argumentis ſit ſatis.

15 Obijcies 1. argumentum vulgare de duobus corporibus æque-luminoſis, vt quatuor, applicatis ſpatio tantum capaci illuminationis vt quatuor: in hoc caſu, quodvis illuminabit ſpatium quantum poteſt; ſed quodvis poteſt illuminare adæquate capacitatem illuminationis, quæ eſt in ſpatio: ergo idem ſpatium erit adæquate illuminatum à duplici cauſa totali adæquate illuminante.

16 Si dicas: quod illa duo corpora nequeunt æque applicari eidem ſpatio, cum neceſſario ſint in diverſis locis, à quibus omnes partes ſpatij non poſſint æque diſtare.

Contra eſt, quia poſſet Deus vtrumque luminoſum penetrare, in quo caſu, æque diſtarent ab omnibus partibus ſpatij; ſed etiam tunc caſus, remaneret in luminoſis eadem virtus illuminativa: ergo poſſent ſimul eūdem effectum adæquatum producere.

17. Si iterum dicas, quodvis luminoſum temperaturum tunc caſus ſuum influxum, ita vt ſolum partialiter concurrat.

Contra eſt, quia non eſt aſsignabilis cauſa attemperans concurſum cuiuslibet; non Deus, quia ſupponitur ſolum

rium, efficientem ad agendum movere.

33 Ratione prob. finis per id actu finalizat, & cauſat per quod primo, & formaliter exercetur ratio formalis finalizandi; ſed hæc primo, & formaliter exercetur, per ſui amorē, & deſiderium: ergo. Maior eſt evidens; quia omnis cauſæ vera cauſalitas eſt id, per quod primo, formaliter exercetur, & conſtituitur in actu ſecundo ratio formalis, qua cauſa conſtituitur in actu primo cauſativa.

Min. vero prob. 1. ratio formalis proxima finalizandi, vt ſupra vidimus, conſiſtit in ratione boni appetibilis propter ſe, propoſita per intellectū voluntati; ſed primum reale, & formale exercitiū rationis boni appetibilis propter ſe, vt propoſitæ per intellectū voluntati; conſiſtit in hoc, quod vt ſic propoſita à volūtate appetatur propter ſe: ergo. Minor prob. exercitium reale formale, & primū imaginabile rationis appetibilis propter ſe, dicentis actū primū appetibilitatis, non eſt niſi per hoc, quod eſt primò realiter, & formaliter appeti propter ſe.

2. Secluſo, & propriori ad omnem actum elicitum à voluntate, nō eſt aſignabile aliquod reale exercitiū, neque ex parte finis, nec ex parte voluntatis; quo ratio boni appetibilis propter ſe in exercitio primo realiter, & formaliter appetatur; ſed exercitiū formale, & primū rationis appetibilis propter ſe, eſt propter ſe formaliter appeti: ergo. Mai. cōſtat, ex vltima impugnatione vltimæ ſētētiæ relatæ §. antecedēti.

3. Exercitium primum reale, & formale alicuius cauſæ eſt id ratione cuius, primo realiter, & formaliter, effectus cauſæ fiunt in exercitio dependentes à cauſa; ſed ſeclnſo, vel propriori ad omnē actum voluntatis, nullus effectus finis fit in exercitio realiter dependens à fine, ergo. Mai. eſt ex terminis nota: & prob. min. nullus eſt aſsignabilis effectus finis, qui ab aliquo agente nō fiat gratia finis; ſed ſecluſo, vel propriori ad omnē actum volūtatis, nihil ab aliquo agente fit; quia voluntas eſt primū movēs quoad exercitiū cauſam efficiētē: ergo nihil fit gratia finis: ſed propriori, pro quo non intelligitur aliquid finis gratia finis, non intelligitur aliquid fieri in exercitio depēdēs realiter à fine; quia quod nō eſt realiter, à nulla cauſa realiter in exercitio depēdens eſt: ergo quod pro aliquo priori nō intelligitur fieri, non intelligitur pro illo priori ab aliqua cauſa realiter in exercitio depēdere. & conſequenter ſecluſo, vel propriori ad omnem actnm voluntatis, non intelligitur cauſalitas realis finis.

39 2. Prob. concluſio. Ratio formalis finalizandi eſt ratio boni attractivi volūtatis ad ſe, media propoſitione intellectus et

go exerciti, & actus ſecundus talis rationis formalis eſt actualis attractio voluntatis ad ſe;ſed nõ eſt perceptibilis actualis attractio voluntatis ad bonum ſine aliquo actu voluntatis circa ipſum bonum:ergo prob. min.ſubſumpt. nequit percipi bonum actualiter attrahere voluntatem ad ſe,quin voluntas actualiter feratur in bonum; ſed voluntatem actualiter ferri in bonum eſt actualiter amare bonum iuxta illud Auguſt. amor meus põdus méum,illuc feror quocumque feror:ergo.Mai. eſt certa;quia dum volũtas manet quaſi immobilis,nec actualiter attrahitur, nec fertur cũ à ſe ipſa non extrahatur.

§. III.

Solvuntur obiectiones.

40 O Bijcies 1.amor finis eſt effectus finis:ergo nequit eſſe illius cauſalitas:ant. videtur certum,& cõſeq.probat. 1.effectus realis realis cauſæ debet diſtingui realiter à ſua cauſa non ſolũ in actu primo,ſed etiã in actu ſecundo cauſante;ſed cõſtituitur in actu ſecundo cauſans per cauſalitatem: ergo effectus cauſæ debet diſtingui realiter à cauſalitate:prob.mai.effectus dependet realiter à cauſa, non ſolum in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo cauſante; ſed nihil poteſt à ſe ipſo dependere: ergo effectus realis cauſæ, diſtinguitur realiter à cauſa in actu ſecundo cauſante.

2. Ratio influens in effectum,non eſt effectus;ſed cauſalitas eſt ratio influens in effectũ; ergo non eſt effectus: prob.min. cauſalitas dat eſſe effectui: ergo eſt ratio influens in illum:tũ ſic; ſed nihil ſibi ipſi dat eſſe: ergo.

3.Prior eſt cauſalitas,quam effectus;ſed idem nõ eſt prius ſe ipſo;ergo idẽ nõ poteſt eſſe cauſalitas,& effectus: *Denique*: nam cauſalitas vera, & realis debet mediare inter cauſam, & effectũ; ſed quæ identificantur cum effectu non mediant inter cauſam,& effectum:ergo:

41 Reſp.admittendo anteced.de quo 1.2.q.1.vbi diſputatur, an primus amor finis ſit vere propter finem,in quo eſſe effectũ finis conſiſtit: nego cõſeq. ad 1.prob.diſtinguo mai.Effectus debet diſtingui realiter à cauſa in actu ſecundo cauſante,ſpecificative cõced.mai.reduplicato actu ſecundo cauſandi:nego mai.non eſt inconveniens,quod eadẽ entitas,ſit cauſalitas, & effectus:vt in actionibus sẽsuũ externorũ,quæ in ſententia D.Th. nullum terminum diſtinctum ab ipſis producunt.

Ad maioris prob. quatenus contra hoc poteſt obſtare: dicimus, quod effectus proprie loquẽdo nõ depẽdet à cauſalitate;hæc enim potius eſt ipſa depẽdentia effectus;quam id à quo effectus dependet,vel eſt id ratione cuius,effectus in exercitio de-

pendet à ſua cauſa; non vero id à quo effectus proprie depēdet: ſicut factum eſſe effectus dependet à ſuo fieri; & aliquando fieri, & factum eſſe identificantur, vt in exemplo aducto.

Informa diſting. min. nihil à ſe ipſo dependet, tamquam à cauſa, vel virtute cauſativa: cōcedo min. tamquam à cauſalitate, & fieri ſui ipſius; ſubdiſting. ſub eadem ratione, & formalitate concedo, ſub diverſa nego. Amor enim finis prout eſt activè à voluntate, eſt effectus finis: prout eſt tractio voluntatis ad finem, & pondus, quo ipſa fertur in finem eſt huius cauſalitas.

42 Ad 2. prob. dicimus, quod cauſalitas non eſt ratio influens; ſed potius ipſa influxus, aut influere ipſius cauſæ: vnde cauſalitas non dat eſſe effectui, ſed eſt ipſum dare eſſe effectui: quare conceſſa min. ſubſumpta, neg. conſeq.

43 Ad 3. diſting. min. Idē ſecundum eandem rationē, & formalitatem, concedo min. Secundum diverſam rationē, & formalitatem, nego min. Videātur, quæ ſupra diximus de actione prout eſt cauſalitas efficientis, in qua conceptus *ab* eſt prior conceptu *in*, qui conceptus ſunt in eadem entitate actionis.

Ad vltimam diſt. min. mediatione realis entitatis, neg. min. mediatione cōceptus, vel formalitatis, concedo min. in actione conceptus *ab* mediat inter cauſam efficientem, & conceptum *in* vel paſsionis, & tales conceptus identificatur.

44 2. Obijcies, & eſt replica contradicta: cauſalitas finis debet præcedere efficientiā omnis actus voluntatis: ergo nequit conſiſtere in actu elicito à volūtate: prob. ant. 1. Ideo voluntas elicit actum erga finem, quia eſt mota, & excitata à fine: ergo prius eſt finē exercere ſuam cauſalitatem erga voluntatem, quam quod hæc actū aliquem eliciat.

2. actus voluntatis nequit intelligi cū fundamento in re ex parte finis, quin pro aliquo priori intelligatur accipiens eſſe à volūtate, vt à cauſa effectiva; ſed pro priori adhoc, vt actus volūtatis intelligatur accipiens eſſe à volūtate, intelligitur, & eſt cauſalitas cauſę finalis: ergo. Prob. min. Ipſa prima elicientia actus volūtatis, eſt gratia finis facta, & effectus finis: ergo pro priori ad ipſam primam eliciētiam debet intelligi, & eſſe finis cauſalitas; cū cauſalitas debeat eſſe pro priori ad effectum.

Conf. nullus conceptus datur in actu voluntatis, prior conceptu *ab*; ſed, cauſalitas finis præcedit actum voluntatis ſub conceptu *ab*: ergo nullus conceptus datur in actu voluntatis, qui ſit finis cauſalitas: patet conſeq. quia nullus conceptus poteſt eſſe, & idētificari cum actu prior primo cōceptu, qui in actu intelligitur. Minor vero probatur: actus volun-

luntatis ſub conceptu *ab*, eſt effec tus finis: ergo cauſalitas finis pręcedit actum voluntatis ſub conceptu *ab*.

45 Ad argumentum, diſtinguo ant. cauſalitas finis debet præcedere elicientiam omnis actus voluntatis, prout illa elicientia eſt exercitium voluntatis activè ſe moventis conced. ant. prout illa elicientia eſt exercitium illius vt paſsivè mobilis metaphoricè, nego antec: Sicut in voluntate debet diſtingui, & conceptus potētiæ activæ vitalis ſe moventis, & conceptus potentiæ quaſi paſsivè mobilis metaphoricè à bono, & fine: ita illi debet correſpondere, & exercitium illius, vt activè ſe moventis; & hoc eſt elicientia amoris, vt eſt actio: & exercitiū illius, vt eſt paſsivè mobilis metaphoricè; & hæc eſt motio metaphorica finis; quam percipere nō poſſumus, vt ſupra probavimus, niſi conſiſtat in aliquo reali diſtincto à fine, & volūtate; quod nihil aliud poteſt eſſe, niſi ipſe amor, ſub conceptu attractionis, vel tractionis voluntatis ad finē, ad quam voluntas conſideratur, quaſi paſsive tracta, & mota.

Quare hæc duplex formalitas in actu amoris reperta, reperitur in elicientia illius, prout eſt exercitium voluntatis in illa duplici conſideratione iam dicta: vnde prout illa elicientia eſt metaphorica motio, & tractio, eſt cauſalitas finis metaphoricè moventis, & trahentis, & voluntas, vt mobilis quaſi paſsivè exercetur: at vero prout eademmet elicientia amoris eſt activa explicatio virtutis activæ voluntatis, eſt effectus finis; quia volūtatem activè ſe explicare, amando, gratia finis eſt: vnde in eadē elicientia amoris, ſicut, & in ipſo amore, formalitas motionis trahētis præcedit aliquo modo formalitatem exercitij activi: ſicut in voluntate, formalitas paſſivæ mobilis aliquo modo pręcedit formalitatē activè ſe movētis.

Per quæ apparet ſolutio ad 1. & 2. prob. illius antec. Ad confirmationem diſtinguo mai. Nullus datur conceptus prior conceptu *ab* in actu voluntatis, prout reſpicit voluntatem, ut activè ſe moventem præciſe, concedo mai. Prout ſimul illam reſpicit ut paſsivè mobilē metaphoricè, neg. mai. in actu voluntatis, & eſt conceptus *ab*, & conceptus *in*: primus præcedit ſecundum, & ad utrumque comparatur voluntas, vt ſe movens: vltra iſtū eſt, & alius conceptus, nempè tractionis, & motionis, & hic præcedit omnes; quia hic cōceptus eſt ipſa actualis dependentia à fine, qui eſt prima inter omnes cauſas.

46 Obijc. 3. Actus voluntatis, in quo dicimus cauſalitatē finis cōſiſtere, eſt cauſalitas volūtatis, vt eſt cauſa efficiens: ergo nequit eſſe cauſalitas finalis cauſæ; quia cauſæ diverſi generis, eiuſdē generis cauſalitatē nō poſſunt habere.

Reſp. eſt cauſalitas voluntatis, ut cauſa efficiens eſt, & ſe movens, conced. antec. ut mobilis à fine, neg. ant. actus volūtatis, prout hoc ſecundo modo illam reſpicit, non eſt cauſalitas volūtatis, ſed potius ipſius finis: & non inconvenit, quod idē actus secūdum diverſam rationem, ſit cauſalitas duplicis cauſæ diverſi generis: ſicut, & quod idētice ſit cauſa, & effectus.

47 Denique obijcies: cauſalitas debet eſſe cauſæ intrinſeca, cum illam denominet intrinſece cauſantem, & non poſsit intrinſece denominari à forma, quę intrinſecè non eſt in illa, ſed actus voluntatis intrinſecè non eſt à fine, nec in fine; ſed in voluntate receptus, & ad finem: ergo.

Diſting. maiorem in cauſis intrinſecis, conced. maiorem; in extrinſecis ſubdiſting. in illis, quæ intrinſecè mutantur per ſui cauſalitatem, concedo mai. quę cauſant, ut immobiles: nege. In ſententia, quod actio tranſiens nullo modo recipitur in agente; cauſalitas agentis non eſt ipſi intrinſeca, nec per illam intrinſecè mutatur: in fine autem hoc clarius videtur: *Tum* quia iuxta Philoſop. 3. de Anima: appetitus eſt movens motum; appetibile vero ſeu finis eſt movens immobile, Ergo eſt ſine ſui intrinſeca mutatione movet voluntatem; in quo ſit eſt eius cauſalitas: *Tum* quia finis, non cauſat per modum principij activi ab intrinſeco emittētis effectum; ſed per modum termini extrinſeci.

48 Ex dictis infertur 1. cauſam finalē eſſe veram, & realem cauſam; quia habet verā, & realē virtutem, & exiſtentiam realem, prout ly *reale* diſtinguitur contra ens rationis: non vero prout diſtinguitur à ly *intentionale*. Et idem de illius cauſalitate, quæ eſt realis eodē ſenſu, & vera cauſalitas licèt metaphorica motio, & actió: vt ſupra dictum eſt.

49 Infertur 2. Effectus cauſæ finalis eſſe omne id, quod ab agente fit gratia finis, & propter finem: quid autem ſit agere propter finem? Et quæ agētia agant propter finem? Pertinet ad tractatum de ultimo fine. 1. 2 quæſt.

QVÆST. XIII.

De Comparatiovum cauſarum.

1 COmparationem cauſarū cū effectibus ſuis, & inter ſe ad hūc locum reſervavimus; quia cōparatio melius fit, ſuppoſita notitia extremorum in particulari; iam poſtquā notitiam cauſarum in particulari dedimus; comparatio illarum cū effectibus erit quoad conſortium multiplicis cauſæ ad eundem effectum, & comparatio llarum inter ſe, quoad prioritatem, & dependentiam.

ARTIC. I.

Vtrùm idem effectus poſſit ſimul procedere à duplici cauſa totali adæquate cauſante?

2 POnimus *cauſas totales*, illas ſcilicet quarum quælibet habet totam, & ſufficiẽtem virtutem, quaſi in actu primo: addimus *adequate cauſantes*, hoc eſt, facientes effectum pendere adæquate in actu ſecundo à qualibet illarum adæquate influente, ad differentiam cauſarũ, quæ ſimul concurrunt, quælibet in actu primo, vt ſufficiens ad totum effectum; non tamen totaliter, & adęquate influens in actu ſecundo, ſed partialiter, admittẽdo conſortium alterius cauſę partialiter concurrentis.

3 Loquimur etiam, de concurſu multiplicis cauſę *eiuſdem generis, & ordinis*: dicuntur cauſę eiuſdem generis, quę intra idem genus cauſę, nempè *efficiẽtis*, vel *materialis*, &c. cauſant; dicuntur eiuſdem ordinis, quę in cauſando non ſubordinantur, vt duo ignes.

4. Sermo etiam erit de eodem effectu identitate numerica, & tali, vt nulla ſit formalitas, modus, vel ratio in illo realiter effecta ab vna cauſa, quę ab alia realiter non efficiatur; quia in hoc conſiſtit eſſe aliquam cauſam adęquate cauſantem aliquem effectum.

5 Certum eſt 1. Plures cauſas diverſi generis in eundẽ effectum influere: imo omnes effectus naturales dependere à cõcurſu cauſę finalis, efficientis, formalis, & materialis. Certum eſt 2. Cauſas ſubordinatas, vel diverſi ordinis, ad eundẽ effectũ poſſe concurrere: vt cauſa prima, & ſecunda; Cœlum, & elementa ad generationem rerum.

Certum eſt 3. plures cauſas eiuſdẽ gẽneris, & ordinis de ſe ſufficientes, & totales quaſi in actu primo, poſſe partialiter, & in adęquate in eundem effectũ influere. Devolvitur ergo difficultas ad cauſas totales eiuſdem generis, & ordinis adęquate cauſantes, in actu ſecũdo eundem numero effectum.

6 Communior ſententia tenet hoc eſſe impoſsibile ex natura rei; & ad minus rationes, quibus probemus, hoc repugnare de potentia abſoluta Dei, cõvincent naturaliter non poſſe contingere. De potentia Dei abſoluta non repugnare concurſum duplicis cauſę totalis eiuſdẽ generis, & ordinis, ſimul, & adęquate cauſantis eundem numero effectum; communiter tenent Authores Societatis, cum Suarez, Rubio: quibus adhęret ex noſtris, Prado referens pro ſe Caiet. Capreol. de quibus liquido non conſtat pro hac ſtare ſententia.

Per oppoſitum, Thomiſtę (exceptis relatis) communiter tenent, repugnare eundem

effectum dependere à duplici cauſa totali, ſimul adæquate concurrente: quibus adhærent, Vazquez, Cabero, & alij. De mente Divi Thomæ, quoad potentiam Dei abſolutam, non conſtat clare, quamvis huic ſententiæ magis favere videatur.

§. I.
Vnica Concluſio.

7 Repugnat eundem numero effectum procedere à duplici cauſa totali eiuſdē generis, & ordinis ſimul adæquate cauſante. Prob. 1. (& ſermo ſit de cauſa efficiente.) Cauſa efficiēs adæquate cauſans eſt, quæ facit effectum ab ipſa adæquate dependere; ſed repugnat duplex cauſa efficiens, eiuſdem ordinis, faciens à ſe dependere adæquate eundem numero effectum: ergo repugnat duplex cauſa efficiens totalis, adæquate cauſans eundem numero effectum: Maior conſtat: quia cauſare effectum, eſt facere effectum à cauſa dependere, & conſequenter adæquate cauſare effectum, erit facere effectum adæquate à cauſa dependere.

Min. prob. quælibet illarum faceret, & non faceret effectum illum ab ipſa adæquate dependere; ſed hoc repugnat: ergo repugnat duplex cauſa faciens à ſe dependere adæquate eundem numero effectum. Prob. mai. in primis quælibet illarum faceret, effectum illum ab ipſa adæquatè dependere; cum quælibet illarū eſſet adæquate cauſans: deinde nulla illarum faceret effectum ab ipſa adæquate dependere: ergo. Hoc ſecundum prob: nulla illarum faceret effectum illum adæquate non dependere ab alia cauſa diſtincta ab ipſa: ergo nulla illarum faceret effectum illum adæquate dependere ab ipſa.

Hæc vltima conſequentia prob. cauſa non faciens, quod effectus non dependeat ab alia cauſa ſui generis, & ordinis, eſt cauſa non adæquans dependentiam, quam habet effectus à cauſis ſui generis, & ordinis; ſed cauſa non adæquans dependentiam, quam habet effectus à cauſis ſui generis, & ordinis eſt cauſa non faciens, effectum ab ipſa adæquate dependere, vt ex terminis videtur notum: ergo.

Aliter formatur ratio: Cauſa adæquate cauſans in aliquo genere, & ordine, eſt cauſa adæquate ſubijciens ſibi effectum in illo genere, & ordine; ſed repugnat duplex cauſa eiuſdem generis, & ordinis, ſubijciens ſibi adæquate eūdem numero effectum: ergo. Prob. min. cuilibet illarum effectus ille eſſet adæquate ſubiectus, cum quælibet illarum illum adæquate cauſaret. *Deinde* nulli illarum eſſet adæquate ſubiectus: quod prob. cauſa nō adæquans paſſivam ſubiectionem, quam aliquis effectus habet, reſpectu cauſarum ſui productivarum,

rum, eſt cauſa, cui talis effectus non eſt adæquate ſubiectus; ſed nulla illarum cauſarum adæquaret paſsivam ſubiectionem, quā ille effectus haberet reſpectu cauſarum ſui productivarum: cum nulla illarum faceret, quod talis effectus alteri cauſæ præter ipſam non eſſet ſubiectus: ergo.

9 Huic rationi, vno, vel altero modo præpoſitæ, videtur poſſe reſponderi ab adverſarijs dicendo, quod cauſam facere effectum adæquate ab ipſa dependere, duplicē habet ſenſum: vel quod cauſa faciat, effectum vnicè ab ipſa dependere, & non ab alia, vel quod cauſa ſit adæquate ſufficiens, vt effectus hic, & nunc exiſtat adæquate in re: primum non requiritur, vt cauſa aliqua ſi adæquate cauſans: ſufficit enim hoc ſecundum: & in hoc ſecundo ſenſu, quælibet illarum cauſarum facit effectum adæquate dependere; & adæquat paſsivam dependentiā, & ſubiectionem, quam habet effectus reſpectu cauſarum eiuſdem generis, & ordinis.

10 Contra eſt: Repugnat aliquam cauſam eſſe adæquate ſufficientem, vt hic, & nūc exiſtat adæquate effectus, ſi non adæquat dependentiam, & ſubiectionem, quam hic, & nunc habet effectus reſpectu ſuarum cauſarum; ſed cauſa non faciēs effectum hic, & nunc vnice dependere ab ipſa, non adæquat dependentiam, & ſubiectionem, quam hic, & nunc habet effectus, reſpectu ſuarum cauſarum. ergo nec erit adæquâte ſufficiēs, vt hic, & nunc exiſtat adæquate effectus. Maior conſtat, quia nullus effectus, hic & nunc adæquate exiſtit, ſine eo quo hic, & nunc conſtituitur adæquate dependens, & ſubiectus ſuis cauſis, ac ſubinde, cauſa non adæquans ſubiectionem, & dependentiam, quam hic, & nunc habet effectus à ſuis cauſis; non erit adæquate ſufficiens, vt effectus hic, & nūc adæquate exiſtat.

Minor vero prob. Cauſa non faciens effectum hic, & nunc vnicè dependere ab ipſa, eſt cauſa quæ vnice non ponit effectū, prout exiſtit hic, & nunc: ſed cauſa quæ vnice non ponit effectū prout exiſtit hic, & nunc, eſt cauſa non adæquans dependentiam, quam hic, & nūc habet effectus à ſuis cauſis, ergo. Prob. min. Dependentia, quam hic: & nūc habet effectus à ſuis cauſis, tanta eſt, quantæ ſunt cauſæ illū ponentes hic, & nunc: ergo depēdentia effectus à cauſa non ponēte illū vnicè, prout exiſtit hic, & nūc, non eſt tanta, quanta eſt à cauſis ſimul illū ponentibus hic & nūc: ergo cauſa vnice non ponens effectū prout exiſtit hic, & nūc, non adæquat dependentiā, quam hic, & nunc habet effectus à ſuis cauſis.

Tunc ſic; ſed cauſa non adæquans dependentiam, quam

duæ formæ, vel eſſet diverſæ ſpeciei, vel eiuſdem: ſi primum, vel conſtituerent idem compoſitum numero; vel numero diverſum, primum repugnat; quia impoſſibile eſt vnū individuum contineri ſub duplici ſpecie, & conſtare duplici natura, & eſſentia ſpecifica: ſecundum etiam repugnat, quia radix diverſitatis numericæ eſt materia: ergo ſi hæc eſt vna numero, nequit radicare diverſitatem numericam.

Si dicatur; quod tales formæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo tales formæ non differunt inter ſe formaliter, ſed præciſſe materialiter, & individualiter, quæ eſt diverſitas materialis; ſed diverſitas materialis formarum nequit ab illis provenire, ſed à materia: ergo tales formæ eſſent materialiter, ſeu numerice diſtinctæ, & non eſſent: eſſent, vt ſupponitur, non eſſent; quia diſtinctionē numericam non haberēt à ſe, neque à materia, quæ ſupponitur vna numero.

14 De cauſa materiali, denique prob. repugnare duplicem materiam totalem, & adæquatam vnica tātum forma ſubſtantiali actuari, & informari: quia materia adæquata reſpectu alicuius formæ, eſt illa, quæ implet paſsive, & ſubiectivè in ratione potentiæ phyſicæ totam ſphærā actualitatis formæ; cum ergo forma extra ſphærā ſuę actualitatis (quæ limitata eſt) non poſsit exire, neque poterit vltra materiam ſibi adæquatam, actuare, & informare.

§. II.

Argumentis fit ſatis.

15 Obijcies 1. argumentum vulgare de duobus corporibus æque luminoſis, vt quatuor, applicatis ſpatio tantum capaci illuminationis vt quatuor: in hoc caſu, quodvis illuminabit ſpatium quantum poteſt; ſed quodvis poteſt illuminare adæquate capacitatem illuminationis, quæ eſt in ſpatio: ergo idem ſpatium erit adæquate illuminatum à duplici cauſa totali adæquate illuminante.

16 Si dicas: quod illa duo corpora nequeunt æque applicari eidem ſpatio, cum neceſſario ſint in diverſis locis, à quibus omnes partes ſpatij non poſſint æque diſtare.

Contra eſt, quia poſſet Deus vtrumque luminoſum penetrare, in quo caſu, æque diſtarent ab omnibus partibus ſpatij; ſed etiam tunc caſus, remaneret in luminoſis eadem virtus illuminativa: ergo poſſent ſimul eūdem effectum adæquatum producere.

17 Si iterum dicas, quodvis luminoſum temperaturum tunc caſus ſuum influxum, ita vt ſolum partialiter concurrat.

Contra eſt, quia non eſt aſsignabilis cauſa attemperans concurſum cuiuslibet; non Deus, quia ſupponitur ſolum

eſſe ibi miraculū penetrationis, relinquendo illa corpora, quoad ſuam virtutem in ſuo eſſe naturali: non ipſa corpora luminoſa; quia cum naturaliter operentur, poſita conditione applicationis, operantur quantum poſſunt; nec mutuo ſe attemperant, quia ſunt æqualis virtutis, & vt aliquod agens naturale, alterius agentis naturalis attemperet concurſum, quod eſt idem, ac aliquomodo concurſum alterius impedire, neceſſarium eſt, quod excedat illud in virtute. *Præterquamquod*, cum actio, & virtus, vtriuſque ſit eiuſdem ſpeciei, potius mutuo coadiuvantur, quam impediantur.

18 Ad argumentum bene dictum eſt, ad hanc vltimā replicam reſpond. quod ſicut natura cauſis naturalibus dedit, quod ſi debite applicentur, operentur quantum poſſunt, ita illis dedit, quod attemperent ſuū cōcurſum, iuxta capacitatem paſſi, vel ſubiecti, circa quod operantur: cū autem in caſu argumēti: ſpatium vel medium illuminādum ſit tantum capax illuminationis, vt quatuor, repugnat, quod adæquate dependeat, & ſubijciatur duplici illuminanti, vt quatuor; ſicut & quod quodlibet luminoſum faciat medium adæquate à ſe dependere. Vnde cauſa attemperationis eſt ipſa natura cauſarum temperantium ſuā virtutem, iuxta capacitatem paſſi, vel ſubiecti, circa quod operātur,

13 Inſtas, illuminatio intenſa vt quatuor nequit prouenire à duplici luminoſo ſolum partialiter concurrente: ergo vel non procedit ab vtroque, vel procedit ab vtroque adæquate concurrente. Prob. antec. Illuminatio intenſa vt quatuor, petit neceſſario cauſam illuminantem, vt quatuor; ſed ſi luminoſa partialiter concurrerent, nullum eorum eſſet cauſa illuminans, ut quatuor: ergo. Minor eſt certa: quia effectus, vt quatuor, nequit partialiter correſpondere duplici cauſæ, quarū quælibet, vel vna illarum influat vt quatuor; quia quod influit vt quatuor ad effectum vt quatuor, non partialiter, ſed totaliter influit. Maior vero probatur. Illuminatio intenſa ut quatuor, nequit procedere à duplici cauſa, quarum quælibet illuminet, vt duo: ergo neceſſario petit cauſam illuminantem vt quatuor. Prob. antecedens. duplex cauſa, quarū quælibet illuminet tantum vt duo, tantum poteſt producere duas illuminationes, quarum quælibet, ſit intenſa vt duo; ſed duplex illuminatio tātum intenſa vt duo, non facit illuminationem intenſam vt quatuor, vt patet, & amplius conſtabit in libris de Gener. ergo.

20 Reſpond. quod concurſus partialis, in caſu argumēti, non eſt partialitate effectus, qualis eſſet concurſus cauſarum ad illuminationem vt quatuor cōflatam ex dupl ci illuminatione

ne, ut duo; hęc enim eſſet illuminatio extenſa vt quatuor, non intēſa vt quatuor; eſſet duplex quaſi effectus, non vnus effectus totalis. Sed eſſet concurſus partialis partialitate cauſarum actu concurrentium, non partialitate effectus producti: non quod totus effectus correſpondeat cuilibet cauſæ concurrenti; ſed quod totus correſpondeat vtrique per modum vnius concurrenti, cum dependentia vnius ab alia in actuali concurſu: cauſa enim quæ, vt ponit effectum aliquem in re, dependet ſaltem in actu ſecundo, ab alia cauſa æque, cum illa concurrente, eſt cauſa cui adæquate non correſpondet effectus, ſed inadæquate, quamvis propter identitatem, & indiviſibilitatem effectus, & vnivocationem concurſus utriuſquē, non facile deſignari poſsit in effectu, quid correſpondeat vni, quod alteri non correſpondeat.

21 2. Obijcies, quilibet Sacerdos eſt cauſa totalis, & ſi inſtrumentalis, converſionis panis, & vini, in corpus, & ſanguinem Chriſti; ſed poſſunt plures Sacerdotes ad eandem numero converſionem concurrere: ergo & plures cauſæ totales ad eundē numero effectum.

22 Reſpond. quod in caſu argumenti, illi Sacerdotes ſimul conſecrantes concurrunt ad eūdem numero effectum, non vt inſtrumenta totalia in actu ſecūdo, ſed vt partialia, & prout ex illis fit unum adæquatum inſtrumentum formale vt *quo*, licèt quilibet ſit ratione characteris, inſtrumentum totale vt *quod*, inſtrumentum formale vt *quo* conſtituitur per virtutem, & motionem, qua elevatur à principali agente: hæc autem in prædicto caſu, licèt materialiter ſit diverſa ad diverſitatem ſubiectorū, quæ per illam elevantur, formaliter eſt una unitate effectus, & actionis principalis agentis.

23 Inſtas 1. illa motio, vel virtus elevativa intrinſece recipitur in diverſis ſubiectis, quæ elevat: ergo eſt diverſa numericè: ergo nequeūt omnes per modum vnius concurrere adhuc partialiter ad eundem numero effectum.

Inſtas 2. ſuppoſita divina inſtitutione, ſacramenta phyſicè concurrunt ad modum cauſarum naturalium, hoc eſt, quantum poſſunt: ſed ex inſtitutione divina, quilibet Sacerdos habet per ſe elevari per virtutē, & motionem totalem, & adæquatam ad conſecrandum; ita vt conſortium aliorum ſit omnino per accidens: ergo voluntariè, & ſine fundamento in caſu accidentali, virtus illorum elevativa, & cauſativa coarctatur ut tantum partialiter concurrat.

24 Prima inſtantia tangit difficultatem per otium à nobis examinādam in lib. de Generat. circa individuationē qualitatum: pro nunc poterat dici,

quod inuividuatio virtutis intentionalis collatæ præciſſe per modum tranſeuntis, non tam attenditur à ſubiecto, quod elevat, quod ſolum comparatur per modum medij deferentis illam virtutem ad effectum: quam ab actione,& fine agentis principalis, nempè ab effectu illius,qui vnus numero eſt, ſicut ſolet dici de ſpeciebus intentionalibus, quæ recipiuntur in aere per modum tranſeũtium ad oculum, quin indiviđuentur ab aere, pro nunc ſufficiant dicta reſervantes fixam reſolutiunem in hoc puncto, ad lib. de Gener.

Ad 2. reſpond. quod de divina inſtitutione debemus diſcurrere,eſſe conformem exigentijs rerum in his, quæ fini talis inſtitutionis non opponuntur,& niſi oppoſitum ſit revelatum; cum autem ex divina inſtitutione,non ſit impedita conſecratio à pluribus ſimul conſecrantibus, & ex alia parte ſit conforme naturis rerum, quod cum aliquod agens principale vtitur pluribus inſtrumentis ad aliquem effectum,quorum quodlibet eſſet ſufficiens ad illum, attemperat virtutem,qua inſtrumenta elevat, ut non correſpondeat cuilibet illorum ſimul concurrentium tanta virtus, vel influxus, quanta, vel quantus correſponderet,ſi quolibet illorum vnice vteretur: hinc fit,quod non voluntariè iudicamus Deum hoc modo ſe geſiſſe in inſtitutione Sacramentorum.

25 Reliqua argumenta, quæ contra concluſionem fieri poſſunt, connotant difficultates alibi diſcutiendas: paritas de duobus corporibus in eodem loco; vel è contra: infra examinabitur: paritas de tribus Divinis Perſonis,eandem naturam potentibus adæquate terminare, ſuperat captum puri Philoſophi, & attinet ad Theologos 3.p.quæſt. 3.contra repugnantiam duplicis finis totalis,ex profeſſo proponuntur, & ſolvuntur argumenta. 1. 2. q. 1. ad quem locum remittimus lectorem.

ARTIC. II.

Vtrùm idem numero effectus poſsit diviſim procedere à duplici cauſa totali?

26 IN præſenti Artic. ſicut in præcedenti, loquimur de duplici cauſa totali eiuſdem generis, & ordinis, & inquirimus,an idem numero ignis, qui hic,& nunc procedit ab igne A. potuerit procedere ab igne B. in abſentia ignis A?

Procedit etiam difficultas de poſsibili attenta potentia Dei abſoluta: quia quod naturaliter hoc non poſsit contingere, eſt communior ſententia,quam ſufficienter probant rationes, quibus infra, id implicare contradictionem,probabimus.

Pro 1 ſententia aſſerente id non implicare,ſtant Scotiſtæ, & communiter Authores Societatis,cum Suarez, quibus ex noſtris adhæret Prado: per oppoſitũ

Thomiſtæ communiter aſſerũt, id implicare contradictionem quibus ex Societate adhærent, Conimbric. & Fonſeca.

§. I.
Vnica Concluſio.

27 EVndem numero effectũ procedere diviſim à duplici cauſa totali eiuſdẽ generis, & ordinis implicat cõtradictionem: prob. Duæ cauſæ numericæ diſtinctæ eſſentialiter habẽt ſphęram activitatis numerice diſtinctam; ſed hoc ipſo implicat contradictionem, quod effectus adæquate productus per vnam cauſam poſsit idem numero produci ab alia numerice ſolum diſtincta ab illa; ergo implicat contradictionem, eundem numero effectum procedere diviſim à duplici cauſa totali eiuſdẽ generis, & ordinis.

Mai. prædicti ſyllogiſmi videtur conſtans: quia ſphera activitatis cuiuſvis cauſæ activæ, eſſentialiter conſiſtit in virtute activa radicali, & proxima talis cauſæ; virtus enim activa radicalis cauſæ nõ diſtinguitur, ſed potius eſſentialiter cõſiſtit in forma ſubſtantiali, per quam cauſa conſtituitur; virtus etiam proxima, cum dimanet à radicali, nequid excedere ſpheram virtutis radicalis: ergo repugnat cauſas numericè diſtingui diſtinctione numerica formarum ſubſtantialium illas cõſtituentium, & quod ſphæra activitatis illarum non ſit numerice diſtincta.

Iam prima min. prob. ſphæra activitatis vnius cauſæ numerice differt ab ſphæra activitatis alterius cauſæ numero diſtinctę: ergo implicat, quod id quod cõtinetur intra ſperam activitatis vnius cauſæ, contineatur intra ſphæram activitatis alterius; ſed effectus adæquate productus ab una cauſa, eſſentialiter continetur intra ſphærã activitatis talis cauſæ: ergo implicat quod intra ſphæram activitatis alterius poſſit adæquate contineri; ac per cõſequens, quod poſsit ab altera cauſa adæquatè produci.

28 Explicatur: ſphæra activitatis alicuius cauſæ eſſentialiter conſiſtit in virtute cauſæ determinata, & coarctata ad producendos determinatos effectus, vltra quos talis virtus nõ poſsit ſe extendere: ſicut ſphæra activitatis alicuius potentiæ conſiſtit in virtute determinata illius ad attingẽda determinata obiecta, vltra quæ talis virtus nõ poſsit ſe extendere: ergo implicat, quod dẽtur duæ ſphæræ activitatis numero diſtinctæ in cauſis; quin in illis dentur duæ virtutes numero diſtinctæ, quarũ quælibet ita ſit coarctata ad producendos hos determinatos effectus; vltra quos nulla illarum poſsit ſe extẽdere: ergo implicat, quod virtus cõſtituens ſphærã activitatis alicuius cauſæ numerice diſtinctã ab ſphęra activitatis alterius, poſsit ſe ex-

tendere ad producendum effectum contentũ ſub ſphæra activitatis numerice diſtincta ab ipſa.

Prob. hæc vltima conſeq. ſequeretur, quod talis virtus cōſtitueret ſpheram activitatis diſtinctam numero ab alia, & non diſtinctam numero ab alia: conſtitueret diſtinctam numero ſphęram activitatis; quatenus eſſet virtus conſiſtens, vel ſecuta ad formam ſubſtantialē numerice diſtinctam ab alia: non conſtitueret diſtinctam numero ſphærā activitatis: quia vnica numero ſphęra activitatis cōſtituitur per omne id ad quod poteſt ſe extēdere eadem numero virtus ergo ſi eadē numero virtus. A. poteſt ſe extendere ad producendũ adęquate effectus contentos ſub ſphæra activitatis conſtituta per virtutē. B. virtus. A. nō conſtituet diſtinctam numero ſphæram activitatis ab ſphęra conſtituta per virtutem B.

Hac ratione hoc modo formata, & explicata, præocupātur, & impugnantur omnes ſolutiones, quæ illi adhibentur à cōtrarijs, quas proponemus ſolvendo illorum argumenta, quę principijs, quibus nititur noſtra ratio, facile diluuntur.

§. II.

Sol vuntur obiectiones.

29 Obijcies 1. ſpecialiter contra noſtram rationē: licet ignis A. cauſans alterum ignem, ratione ſuæ differentiæ ſpecificę determinetur, & coarctetur ad peculiárem ſpeciē effectus univoci; non poteſt tamen ratione differentię individualis determinari, & coarctari, ad peculiaria individua intra illam ſpeciem: ergo idem numero effectus poteſt procedere à duabus cauſis totalibus numerice tantum diſtinctis: prob. ant. 1. ex individuatione virtutis cauſativæ non colligitur, quod non ſe extendat ad plures numero effectus: ergo nec etiam colligitur, quod non ſe extendat ad effectus alterius virtutis ſolũ numarice diſtinctæ ab ipſa.

Secundo. Nam omnia individua poſsibilia intra ſpeciē ignis prorſus ſunt æqualia: ergo nō eſt perceptibile cur differentia individualis huius ignis cauſantis illum determinet, potius ad hanc collectionem individuorum, quam ad aliam, quid enim ſpeciale eſt in hac collectione, vt differētia individualis trahat, & determinet prędicata ſpecifica huius ignis, ut poſsit hanc collectionem ignium cauſare, & non aliam?

30 Reſp. neg. antec. ad huius primam prob. conceſſo antecedenti neg. conſeq. conſtat ex noſtra ratione, differentiā individualem ignis cauſantis limitare, & coarctare ſphærā ſuæ activitatis, quæ ſphæra licèt contineat non vnum; ſed plura individua ſpeciei ignis, non tamen poteſt

teſt continere omnia ſicut licèt forma conſtitutiva ignis A. vt individua, contineat perfectionem ſpecificam ignis, ſed non continet omnem perfectionem ſuæ ſpecici, ſed limitatur, & coarctatur à differentia individuali.

Ad 2. reſp. quod licèt omnia individua contenta intra ſpeciem ignis ſint æqualia in perfectione ſpecifica, habent tamen diverſitatem numericam, quæ diverſitas numerica licèt in recto dicat ſolum principia individuationis, quæ ſunt materia ſignata quantitate, de cōnotato dicit talem cauſam producentem; ſicut licet omnes cauſæ eiuſdē ſpeciei ſint æquales in forma ſpecifica, quæ eſt illarū virtus radicalis; habent tamen diverſitatem numericam, quæ ſicut ſufficit, vt vna cauſa non ſit alia, etiam ſufficit, vt vna non poſsit producere, quod producit alia.

31 Videtur hoc in igne A. qui eſt eiuſdem perfectionis ſpecificæ, & æqualis cum igne B. à ſe producto: & tamen, quamvis poſsit producere ignem B. ſibi æqualem, ſe ipſum non poteſt producere; nō alia ratione, niſi quia vt aliqui effectus poſsint produci ab eadē cauſa, non ſufficit, quod ſint æquales ſecundum id quod dicunt in recto, ſed ſecundum id quod connotant, nempè continentiam ipſorū intra ſphęram activitatis eiuſdem cauſæ, & ignis A. non continetur intra ſphæram ſuæmet activitatis.

Per quod etiam patet ad interrogationem ibi ſubiunctā: illæ collectiones ſecundum id quod in recto importat, nihil ex primunt ſpeciale, involvunt tamen, & connotant diverſam rationem continentiæ in ſuis cauſis conſtituentē ſphęram activitatis cauſę productivę huius colectionis, vltra quam cauſa, ob limitationem ſuæ virtutis, non poteſt ſe extendere ad illam collectionem.

32 2. Obijcies: non repugnat eundem numero effectū contineri intra ſphęram activitatis duplicis cauſę ſolo numero diſtictæ: ergo ex eo quod ſphęra activitatis cauſarum ſit coarctata individualiter, non infertur, vnū numero effectum non poſſe produci à duplici cauſa totali eiuſdem generis, & ordinis ſaltim diviſim. Prob. ant. duplex cauſa eiuſdē generis, & ordinis poteſt ad minus partialiter concurrere ad eundem numero effectū: ergo hic numero effectus continetur intra ſphæram activitatis duplicis cauſę numero diſtinctæ.

33 Si dicas, contineri quidem intra ſphęram activitatis duplicis cauſæ ſolo numero diſtinctę, nō adęquate, de quo eſt quęſtio; ſed inadęquate, de quo non eſt dubium adhuc naturaliter poſſe contingere.

Contra eſt: ergo ſphęra activitatis vnius cauſæ numero diſtinctę ab alia nō eſt ita coarctata vt nō poſsit ſe extēdere ad produ-

pendet à ſua cauſa; non vero id à quo effectus propriè depēdet: ſicut factum eſſe effectus dependet à ſuo fieri; & aliquando fieri, & factum eſſe identificantur, vt in exemplo adducto.

In forma diſting. min. nihil à ſe ipſo dependet, tamquam à cauſa, vel virtute cauſativa: cōcedo min. tamquam à cauſalitate, & fieri ſui ipſius; ſubdiſting. ſub eadem ratione, & formalitate concedo, ſub diverſa nego. Amor enim finis prout eſt activè à voluntate, eſt effectus finis: prout eſt tractio voluntatis ad finem, & pondus, quo ipſa fertur in finem eſt huius cauſalitas.

42 Ad 2. prob. dicimus, quod cauſalitas non eſt ratio influens; ſed potius ipſa influxus, aut influere ipſius cauſæ: vnde cauſalitas non dat eſſe effectui, ſed eſt ipſum dare eſſe effectui: quare conceſſa min. ſubſumpta, neg. conſeq.

43 Ad 3. diſting. min. Idē ſecundum eandem rationē, & formalitatem, concedo min. Secundum diverſam rationē, & formalitatem, nego min. Videātur, quæ ſupra diximus de actione prout eſt cauſalitas efficientis, in qua conceptus *ab* eſt prior conceptu *in*, qui conceptus ſunt in eadem entitate actionis.

Ad vltimam diſt. min. mediatione realis entitatis, neg. min. mediatione cōceptus, vel formalitatis, concedo min. in actione conceptus *ab* mediat inter cauſam efficientem, & conceptum *in* vel paſsionis, & talęs conceptus identificatur.

44 2. Obijcies, & eſt replica contradicta: cauſalitas finis debet præcedere efficientiā omnis actus voluntatis: ergo nequit conſiſtere in actu elicito à volūtate: prob. ant. 1. Ideo voluntas elicit actum erga finem, quia eſt mota, & excitata à fine: ergo prius eſt finē exercere ſuam cauſalitatem erga voluntatem, quam quod hæc actū aliquem eliciat.

2. actus voluntatis nequit intelligi cū fundamento in re ex parte finis, quin pro aliquo priori intelligatur accipiens eſſe à volūtate, vt à cauſa effectiva; ſed pro priori adhoc, vt actus volūtatis intelligatur accipiens eſſe à volūtate, intelligitur, & eſt cauſalitas cauſę finalis: ergo. Prob. min. Ipſa prima elicientia actus volūtatis, eſt gratia finis facta, & effectus finis: ergo pro priori ad ipſam primam eliciētiam debet intelligi, & eſſe finis cauſalitas; cū cauſalitas debeat eſſe pro priori ad effectum.

Conf. nullus conceptus datur in actu voluntatis, prior conceptu *ab*; ſed, cauſalitas finis præcedit actum voluntatis ſub conceptu *ab*: ergo nullus conceptus datur in actu voluntatis, qui ſit finis cauſalitas: patet conſeq. quia nullus conceptus poteſt eſſe, & idētificari cum actu prior primo cōceptu, qui in actu intelligitur. Minor vero probatur: actus volun-

luntatis ſub conceptu *ab*, eſt effec tus finis. ergo cauſalitas finis præcedit actum voluntatis ſub conceptu *ab*.

45 Ad argumentum, diſtinguo ant. cauſalitas finis debet præcedere elicientiam omnis actus voluntatis, prout illa elicientia eſt exercitium voluntatis activè ſe moventis conced. ant. prout illa elicientia eſt exercitium illius vt paſsivè mobilis metaphoricè, nego antec: Sicut in voluntate debet diſtingui, & conceptus potẽtiæ activæ vitalis ſe moventis, & conceptus potentiæ quaſi paſsivè mobilis metaphoricè à bono, & fine: ita illi debet correſpondere, & exercitium illius, vt activè ſe moventis; & hoc eſt elicientia amoris, vt eſt actio: & exercitiũ illius, vt eſt paſsivè mobilis metaphorice; & hæc eſt motio metaphorica finis; quam percipere nõ poſſumus, vt ſupra probavimus, niſi conſiſtat in aliquo reali diſtincto à fine, & volũtate; quod nihil aliud poteſt eſſe, niſi ipſe amor, ſub conceptu attractionis, vel tractionis voluntatis ad finẽ, ad quam voluntas conſideratur, quaſi paſsive tracta, & mota.

Quare hæc duplex formalitas in actu amoris reperta, reperitur in elicientia illius, prout eſt exercitium voluntatis in illa duplici conſideratione iam dicta: vnde prout illa elicientia eſt metaphorica motio, & tractio, eſt cauſalitas finis metaphoricè moventis, & trahentis, & voluntas, vt mobilis quaſi paſsivè exercetur: at vero prout eadem met elicientia amoris eſt activa explicatio virtutis activæ voluntatis, eſt effectus finis; quia volũtatem activè ſe explicare amando, gratia finis eſt: vnde in eadẽ elicientia amoris, ſicut, & in ipſo amore, formalitas motionis trahẽtis præcedit aliquo modo formalitatem exercitij activi: ſicut in voluntate, formalitas paſſivæ mobilis aliquo modo præcedit formalitatẽ activè ſe movẽtis.

Per quæ apparet ſolutio ad 1. & 2. prob. illius antec. Ad confirmationem diſtinguo mai. Nullus datur conceptus prior conceptu *ab* in actu voluntatis, prout reſpicit voluntatem, ut activè ſe moventem præciſe, concedo mai. Prout ſimul illam reſpicit ut paſsivè mobilẽ metaphoricè, neg. mai. in actu voluntatis, & eſt conceptus *ab*, & conceptus *in*: primus præcedit ſecundum, & ad utrumque comparatur voluntas, vt ſe movens: vltra iſtũ eſt, & alius conceptus, nempè tractionis, & motionis, & hic præcedit omnes; quia hic cõceptus eſt ipſa actualis dependentia à fine, qui eſt prima inter omnes cauſas.

46 Obijc. 3. Actus voluntatis, in quo dicimus cauſalitatẽ finis cõſiſtere, eſt cauſalitas volũtatis, vt eſt cauſa efficiens: ergo nequit eſſe cauſalitas finalis cauſæ; quia cauſæ diverſi generis, eiuſdẽ generis cauſalitatẽ nõ poſſunt habere.

Reſ.

Reſp. eſt cauſalitas voluntatis, ut cauſa efficiens eſt, & ſe movens, conced. antec. ut mobilis à fine, neg. ant. actus volũtatis, prout hoc ſecundo modo illam reſpicit, non eſt cauſalitas volũtatis, ſed potius ipſius finis: & non inconvenit, quod idẽ actus ſecũdum diverſam rationem, ſit cauſalitas duplicis cauſæ diverſi generis: ſicut, & quod idẽtice ſit cauſa, & effectus.

47 Denique obijcies: cauſalitas debet eſſe cauſæ intrinſeca, cum illam denominet intrinſece cauſantem, & non poſsit intrinſece denominari à forma, quę intrinſecè non eſt in illa, ſed actus voluntatis intrinſecè non eſt à fine, nec in fine; ſed in voluntate receptus, & ad finem: ergo.

Diſting. maiorem in cauſis intrinſecis, conced. maiorem; in extrinſecis ſubdiſting. in illis, quæ intrinſecè mutantur per ſui cauſalitatem, concedo mai. quę cauſant, ut immobiles: nege. In ſententia, quod actio tranſiens nullo modo recipitur in agente; cauſalitas agentis non eſt ipſi intrinſeca, nec per illam intrinſecè mutatur: in fine autem hoc clarius videtur: *Tum* quia iuxta Philoſop. 3. de Anima: appetitus eſt movens motum; appetibile vero ſeu finis eſt movens immobile, hoc eſt ſine ſui intrinſeca mutatione movet voluntatem; in quo ſit eſt eius cauſalitas: *Tum* quia finis, non cauſat per modum principij activi ab intrinſeco emittẽtis effectum; ſed per modum termini extrinſeci.

48 Ex dictis infertur 1. cauſam finalẽ eſſe veram, & realem cauſam; quia habet verã, & realẽ virtutem, & exiſtentiam realem, prout ly *reale* diſtinguitur contra ens rationis: non vero prout diſtinguitur à ly *intentionale*. Et idem de illius cauſalitate, quæ eſt realis eodẽ ſenſu, & vera cauſalitas licèt metaphorica motio, & actió: vt ſupra dictum eſt.

49 Infertur 2. Effectus cauſæ finalis eſſe omne id, quod ab agente fit gratia finis, & propter finem: quid autem ſit agere propter finem? Et quæ agẽtia agant propter finem? Pertinet ad tractatum de ultimo fine. 1. 2 quæſt.

QVÆST. XIII.

De Comparatio‹n›um cauſarum.

1 COmparationem cauſarũ cũ effectibus ſuis, & inter ſe ad hũc locum reſervavimus; quia cõparatio melius fit, ſuppoſita notitia extremorum in particulari; iam poſtquã notitiam cauſarum in particulari dedimus; comparatio illarum cũ effectibus erit quoad conſortium multiplicis cauſæ ad eundem effectum, & comparatio illarum inter ſe, quoad prioritatem, & dependentiam.

ARTIC. I.

Vtrùm idem effectus poſsit ſimul procedere à duplici cauſa totali adæquate cauſante?

2 POnimus *cauſas totales*, illas ſcilicet quarum quælibet habet totam, & ſufficiẽtem virtutem, quaſi in actu primo: addimus *adequate cauſantes*, hoc eſt, facientes effectum pendere adæquate in actu ſecundo à qualibet illarum adæquate influente: ad differentiam cauſarũ, quæ ſimul concurrunt, quælibet in actu primo, vt ſufficiens ad totum effectum; non tamen totaliter, & adęquate influens in actu ſecundo, ſed partialiter, admittẽdo conſortium alterius cauſę partialiter concurrentis.

3 Loquimur etiam, de concurſu multiplicis cauſę *eiuſdem generis, & ordinis*: dicuntur cauſę eiuſdem generis, quę intra idem genus cauſę, nempè *efficiẽtis*, vel *materialis, &c.* cauſant; dicuntur eiuſdem ordinis, quę in cauſando non ſubordinantur, vt duo ignes.

4 Sermo etiam erit de eodem effectu identitate numerica, & tali, vt nulla ſit formalitas, modus, vel ratio in illo realiter effecta ab vna cauſa, quę ab alia realiter non efficiatur; quia in hoc conſiſtit eſſe aliquam cauſam adęquate cauſantem aliquem effectum.

5 Certum eſt 1. Plures cauſas diverſi generis in eundẽ effectum influere: imo omnes effectus naturales dependere à cõcurſu cauſę finalis, efficientis, formalis, & materialis. Certum eſt 2. Cauſas ſubordinatas, vel diverſi ordinis, ad eundẽ effectũ poſſe concurrere: vt cauſa prima, & ſecunda; Cœlum, & elementa ad generationem rerum.

Certum eſt 3. plures cauſas eiuſdẽ generis, & ordinis de ſe ſufficientes, & totales quaſi in actu primo, poſſe partialiter, & in adęquate in eundem effectũ influere. Devolvitur ergo difficultas ad cauſas totales eiuſdem generis, & ordinis adęquate cauſantes, in actu ſecũdo eundem numero effectum.

6 Communior ſententia tenet hoc eſſe impoſsibile ex natura rei; & ad minus rationes, quibus probemus, hoc repugnare de potentia abſoluta Dei, cõvincent naturaliter non poſſe contingere. De potentia Dei abſoluta non repugnare concurſum duplicis cauſę totalis eiuſdẽ generis, & ordinis, ſimul, & adęquate cauſantis eundem numero effectum; communiter tenent Authores Societatis, cum Suarez, Rubio: quibus adhęret ex noſtris, Prado referens pro ſe Caiet. Capreol. de quibus liquido non conſtat pro hac ſtare ſententia.

Per oppoſitum, Thomiſtę (exceptis relatis) communiter tenent, repugnarę eundem ef-

effectum depēdere à duplici cauſa totali, ſimul adæquate concurrente: quibus adhærent, Vazquez, Cabero, & alij. De mente Divi Thomæ, quoad potentiam Dei abſolutam, non conſtat clare, quamvis huic ſentētiæ magis favere videatur.

§. I.
Vnica Concluſio.

7 Repugnat eundem numero effectum procedere à duplici cauſa totali eiuſdē generis, & ordinis ſimul adæquate cauſante. Prob. 1. (& ſermo ſit de cauſa efficiente.) Cauſa efficiēs adæquate cauſans eſt, quæ facit effectum ab ipſa adæquate dependere; ſed repugnat duplex cauſa efficiens, eiuſdem ordinis, faciens à ſe dependere adæquate eundem numero effectum: ergo repugnat duplex cauſa efficiens totalis, adæquate cauſans eundem numero effectum: Maior conſtat: quia cauſare effectum, eſt facere effectum à cauſa dependere, & conſequenter adęquate cauſare effectum, erit facere effectum adæquate à cauſa dependere.

Min. prob. quælibet illarum faceret, & non faceret effectum illum ab ipſa adæquate dependere; ſed hoc repugnat: ergo repugnat duplex cauſa faciens à ſe dependere adæquate eundem numero effectum. Prob. mai. in primis quælibet illarum faceret, effectum illum ab ipſa adæquatē dependere; cum quælibet illarū eſſet adæquate cauſans: deinde nulla illarum faceret effectum ab ipſa adęquate dependere: ergo. Hoc ſecundum prob: nulla illarum faceret effectum illum adæquate non dependere ab alia cauſa diſtincta ab ipſa: ergo nulla illarum faceret effectum illum adæquate dependere ab ipſa.

Hæc vltima conſequentia prob. cauſa non faciens, quod effectus non dependeat ab alia cauſa ſui generis. & ordinis, eſt cauſa non adæquans dependentiam, quam habet effectus à cauſis ſui generis, & ordinis; ſed cauſa non adæquans dependentiam, quam habet effectus à cauſis ſui generis, & ordinis eſt cauſa non faciens, effectum ab ipſa adæquate dependere, vt ex terminis videtur notum: ergo.

Aliter formatur ratio: Cauſa adæquate cauſans in aliquo genere, & ordine, eſt cauſa adæquate ſubijciens ſibi effectum in illo genere, & ordine; ſed repugnat duplex cauſa eiuſdem generis, & ordinis, ſubijciens ſibi adæquate eūdem numero effectum: ergo. Prob. min. cuilibet illarum effectus ille eſſet adæquate ſubiectus, cum quælibet illarum illum adæquate cauſaret. *Deinde* nulli illarum eſſet adæquate ſubiectus: quod prob. cauſa nō adæquans paſsivam ſubiectionem, quam aliquis effectus habet, reſpectu cauſarum ſui productivarum,

rum, eſt cauſa, cui talis effectus non eſt adæquate ſubiectus; ſed nulla illarum cauſarum adæquaret paſsivam ſubiectionem, quã ille effectus haberet reſpectu cauſarum ſui productivarum: cum nulla illarum faceret, quod talis effectus alteri cauſæ præter ipſam non eſſet ſubiectus; ergo.

9 Huic rationi, vno, vel altero modo præpoſitæ, videtur poſſe reſponderi ab adverſarijs dicendo, quod cauſam facere effectum adæquate ab ipſa depẽdere, duplicẽ habet ſenſum: vel quod cauſa faciat, effectum vnicè ab ipſa dependere, & non ab alia, vel quod cauſa ſit adæquate ſufficiens, vt effectus hic, & nunc exiſtat adæquate in re: primum non requiritur, vt cauſa aliqua ſi adæquate cauſans: ſufficit enim hoc ſecundum: & in hoc ſecundo ſenſu, quælibet illarum cauſarum facit effectum adæquate dependere; & adæquat paſsivam dependentiã, & ſubiectionem, quam habet effectus reſpectu cauſarum eiuſdem generis, & ordinis.

10 Contra eſt: Repugnat aliquam cauſam eſſe adæquate ſufficientem, vt hic, & nũc exiſtat adæquate effectus, ſi non adæquat dependentiam, & ſubiectionem, quam hic, & nunc habet effectus reſpectu ſuarum cauſarum; ſed cauſa non faciẽs, effectum hic, & nunc vnice dependere ab ipſa, non adæquat dependentiam, & ſubiectionem, quam hic, & nunc habet effectus, reſpectu ſuarum cauſarum: ergo nec erit adæquàte ſufficiẽs, vt hic, & nunc exiſtat adæquate effectus. Maior conſtat, quia nullus effectus, hic & nunc adæquate exiſtit, ſine eo quo hic, & nunc conſtituitur adæquate dependens, & ſubiectus ſuis cauſis, ac ſubinde, cauſa non adæquans ſubiectionem, & dependentiam, quam hic, & nunc habet effectus à ſuis cauſis; non erit adæquate ſufficiens, vt effectus hic, & nũc adæquate exiſtat.

Minor vero prob. Cauſa non faciens effectum hic, & nunc vnicè dependere ab ipſa, eſt cauſa quæ vnice non ponit effectũ, prout exiſtit hic, & nunc: ſed cauſa quæ vnice non ponit effectũ prout exiſtit hic, & nunc, eſt cauſa non adæquans dependentiam, quam hic, & nũc habet effectus à ſuis cauſis; ergo. Prob. min. Dependentia, quam hic: & nũc habet effectus à ſuis cauſis, tanta eſt, quantæ ſunt cauſæ illũ ponentes hic, & nunc: ergo depẽdentia effectus à cauſa non ponẽte illũ vnicè, prout exiſtit hic, & nũc, non eſt tanta, quanta eſt à cauſis ſimul illũ ponentibus hic & nũc: ergo cauſa vnice non ponens effectũ prout exiſtit hic, & nũc, non adæquat dependentiã, quam hic, & nunc habet effectus à ſuis cauſis.

Tunc ſic; ſed cauſa non adæquans dependentiam, quam hic,

duæ formæ, vel eſset diverſæ ſpeciei, vel eiuſdem: ſi primum, vel conſtituerent idem compoſitum numero; vel numero diverſum, primum repugnat; quia impoſsibile eſt vnū individuum contineri ſub duplici ſpecie, & conſtare duplici natura, & eſſentia ſpecifica: ſecundum etiam repugnat, quia radix diverſitatis numericæ eſt materia: ergo ſi hæc eſt vna numero, nequit radicare diverſitatem numericam.

Si dicatur; quod tales formæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo tales formæ non differrent inter ſe formaliter, ſed præciſſe materialiter, & individualiter, quæ eſt diverſitas materialis; ſed diverſitas materialis formarum nequit ab illis provenire, ſed à materia: ergo tales formæ eſſent materialiter, ſeu numerice diſtinctæ, & non eſſent: eſſent, vt ſupponitur, non eſſent; quia diſtinctionē numericam non haberēt à ſe, neque à materia, quæ ſupponitur vna numero.

14. De cauſa materiali, denique prob. repugnare duplicem materiam totalem, & adæquatam vnica tātum forma ſubſtantiali actuari, & informari: quia materia adæquata reſpectu alicuius formæ, eſt illa, quæ implet paſsive, & ſubiectivè in ratione potentiæ phyſicæ totam ſphærā actualitatis formæ; cum ergo forma extra ſphærā ſuę actualitatis (quæ limitata eſt) non poſsit exire, neque poterit vltra materiam ſibi adæquatam, actuare, & informare.

§. II.

Argumentis ſit ſatis.

15 Obijcies 1. argumentum vulgare de duobus corporibus æque luminoſis, vt quatuor, applicatis ſpatio tantum capaci illuminationis vt quatuor: in hoc caſu, quodvis illuminabit ſpatium quantum poteſt; ſed quodvis poteſt illuminare adæquate capacitatem illuminationis, quæ eſt in ſpatio: ergo idem ſpatium erit adæquate illuminatum à duplici cauſa totali adæquate illuminante.

16 Si dicas: quod illa duo corpora nequeunt æque applicari eidem ſpatio, cum neceſſario ſint in diverſis locis, à quibus omnes partes ſpatij non poſſint æque diſtare.

Contra eſt, quia poſſet Deus vtrumque luminoſum penetrare, in quo caſu, æque diſtarent ab omnibus partibus ſpatij; ſed etiam tunc caſus, remaneret in luminoſis eadem virtus illuminativa: ergo poſſent ſimul eū dem effectum adæquatum producere.

17 Si iterum dicas, quodvis luminoſum temperaturum tunc caſus ſuum influxum, ita vt ſolum partialiter concurrat.

Contra eſt, quia non eſt aſsignabilis cauſa attemperans concurſum cuiuslibet; non Deus, quia ſupponitur ſolum

eſſe ibi miraculũ penetrationis, relinquendo illa corpora, quoad ſuam virtutem in ſuo eſſe naturali: non ipſa corpora luminoſa; quia cum naturaliter operentur, poſita conditione applicationis, operantur quantum poſſunt; nec mutuo ſe attemperant, quia ſunt æqualis virtutis, & vt aliquod agens naturale, alterius agentis naturalis attemperet concurſum, quod eſt idem, ac aliquomodo concurſum alterius impedire, neceſſarium eſt, quod excedat illud in virtute. *Præterquamquod*, cum actio, & virtus, vtriuſque ſit eiuſdem ſpeciei, potius mutuo coadiuvantur, quam impediantur.

18 Ad argumentum bene dictum eſt, ad hanc vltimã replicam reſpond. quod ſicut natura cauſis naturalibus dedit, quod ſi debite applicentur, operentur quantum poſſunt, ita illis dedit, quod attemperent ſuũ cõcurſum, iuxta capacitatem paſſi, vel ſubiecti, circa quod operantũr: cũ autem in caſu argumẽti; ſpatium vel medium illuminãdum ſit tantum capax illuminationis, vt quatuor, repugnat, quod adæquate dependeat, & ſubijciatur duplici illuminanti, vt quatuor; ſicut & quod quodlibet luminoſum faciat medium adæquate à ſe dependere. Vnde cauſa attemperationis eſt ipſa natura cauſarum temperantium ſuã virtutem, iuxta capacitatem paſſi, vel ſubiecti, circa quod operãtur,

13 Inſtas, illuminatio intenſa vt quatuor nequit provenire à duplici luminoſo ſolum partialiter concurrente: ergo vel non procedit ab vtroque, vel procedit ab vtroque adæquate concurrente. Prob. antec. Illuminatio intenſa vt quatuor, petit neceſſario cauſam illuminantem, vt quatuor; ſed ſi luminoſa partialiter concurrerent, nullum eorum eſſet cauſa illuminans, ut quatuor: ergo. Minor eſt certa: quia effectus, vt quatuor, nequit partialiter correſpondere duplici cauſæ, quarũ quælibet, vel vna illarum influat vt quatuor; quia quod influit vt quatuor ad effectum vt quatuor, non partialiter, ſed totaliter influit. Maior vero probatur. Illuminatio intenſa ut quatuor, nequit procedere à duplici cauſa, quarum quælibet illuminet, vt duo: ergo neceſſario petit cauſam illuminantem vt quatuor. Prob. anteced. duplex cauſa, quarũ quælibet illuminet tantum vt duo, tantum poteſt producere duas illuminationes, quarum quælibet, ſit intenſa vt duo; ſed duplex illuminatio tãtum intenſa vt duo, non facit illuminationem intenſam vt quatuor, vt patet, & amplius conſtabit in libris de Gener. ergo.

20 Reſpond. quod concurſus partialis, in caſu argumẽti, non eſt partialitate effectus, qualis eſſet concurſus cauſarum ad illuminationem vt quatuor cõflatam ex dupl ci illuminatio-

re, ut duo; hęc enim eſſet illuminatio extenſa vt quatuor, non intēſa vt quatuor; eſſet duplex quaſi effectus, non vnus effectus totalis. Sed ieſſet concurſus partialis partialitate cauſarum actu concurrentium, non partialitate effectus producti: non quod totus effectus correſpondeat cuilibet cauſæ concurrenti; ſed quod totus correſpondeat vtrique per modum vnius concurrenti, cum dependentia vnius ab alia in actuali concurſu: cauſa enim quæ, vt ponit effectum aliquem in re, dependet ſaltem in actu ſecundo, ab alia cauſa æque [cum illa concurrente, eſt cauſa cui adæquate non correſpondet effectus, ſed inadæquate, quamvis propter identitatem, & indiviſibilitatem effectus, & vnivocationem concurſus utriuſquē, non facile deſignari poſsit in effectu, quid correſpondeat vni, quod alteri non correſpondeat.

21 2. Obijcies, quilibet Sacerdos eſt cauſa totalis, & ſi inſtrumentalis, converſionis panis, & vni, in corpus, & ſanguinem Chriſti; ſed poſſunt plures Sacerdotes ad eandem numero converſionem concurrere: ergo & plures cauſæ totales ad eundē numero effectum.

22 Reſpond. quod in caſu argumenti, illi Sacerdotes ſimul conſecrantes concurrunt ad eūdem numero effectum, non vt inſtrumenta totalia in actu ſecūdo, ſed vt partialia, & prout ex illis fit unum adæquatum inſtrumentum formale vt *quo*, licèt quilibet ſit ratione characteris, inſtrumentum totale vt *quod*, inſtrumentum formale vt *quo* conſtituitur per virtutem, & motionem, qua elevatur à principali agente: hæc autem in prædicto caſu, licèt materialiter ſit diverſa ad diverſitatem ſubiectorū, quæ per illam elevantur, formaliter eſt una unitate effectus, & actionis principalis agentis.

23 Inſtas 1. illa motio, vel virtus elevativa intrinſece recipitur in diverſis ſubiectis, quæ elevat: ergo eſt diverſa numericè: ergo nequeūt omnes per modum vnius concurrere adhuc partialiter ad eundem numero effectum.

Inſtas 2. ſuppoſita divina inſtitutione, ſacramenta phyſicè concurrunt ad modum cauſarum naturalium, hoc eſt, quantum poſſunt: ſed ex inſtitutione divina, quilibet Sacerdos habet per ſe elevari per virtutē, & motionem totalem, & adęquatam ad conſecrandum; ita vt conſortium aliorum ſit omnino per accidens: ergo voluntariè, & ſine fundamento in caſu accidentali, virtus illorum elevativa, & cauſativa coarctatur ut tantum partialiter concurrat.

24 Prima inſtantia tangit difficultatem per otium à nobis examinādam in lib. de Generat. circa individuationē qualitatum: pro nunc poterat dici, quod

quod inuividuatio virtutis inten tionalis collatæ præciſſe per mo dum tranſeuntis, non tam attenditur à ſubiecto, quod elevat, quod ſolum comparatur per mo dum medij deferentis illam virtutem ad effectum: quam ab actione, & fine agentis principalis, nempè ab effectu illius, qui vnus numero eſt, ſicut ſolet dici de ſpeciebus intentionalibus, quæ recipiuntur in aere per modum tranſeūtium ad oculum, quin in dividuentur ab aere, pro nunc ſufficiant dicta reſervantes fixam reſolutiunem in hoc puncto, ad lib. de Gener.

Ad 2. reſpond. quod de divina inſtitutione debemus diſcurrere, eſſe conformem exigentijs rerum in his, quæ fini talis inſtitutionis non opponuntur, & niſi oppoſitum ſit revelatum; cum autem ex divina inſtitutione, non ſit impedita conſecratio à pluribus ſimul conſecrantibus, & ex alia parte ſit conforme naturis rerum, quod cum aliquod agens principale vtitur pluribus inſtrumentis ad aliquem effectum, quorum quodlibet eſſet ſufficiens ad illum, attemperat virtutem, qua inſtrumenta elevat, ut non correſpondeat cuilibet illorum ſimul concurrentium tanta virtus, vel influxus, quanta, vel quantus correſponderet, ſi quolibet illorum vnice vteretur: hinc fit, quod non voluntariè iudicamus Deum hoc modo ſe geſiſſe in inſtitutione Sacramentorum.

25 Reliqua argumenta, quæ contra concluſionem fieri poſſunt, connotant difficultates alibi diſcutiendas: paritas de duobus corporibus in eodem loco; vel è contra: infra examinabitur: paritas de tribus Divinis Perſonis, eandem naturam potentibus adæquate terminare, ſuperat captum puri Philoſophi, & attinet ad Theologos 3. p. quæſt. 3. contra repugnantiam duplicis finis totalis, ex profeſſo proponuntur, & ſolvuntur argumenta. 1. 2. q. 1. ad quem locum remittimus lectorem.

ARTIC. II.

Vtrùm idem numero effectus poſsit diviſim procedere à duplici cauſa totali?

26 IN præſenti Artic. ſicut in præcedenti, loquimur de duplici cauſa totali eiuſdem generis, & ordinis, & inquirimus, an idem numero ignis, qui hic, & nunc procedit ab igne A. potuerit procedere ab igne B. in abſentia ignis A?

Procedit etiam difficultas de poſsibili attenta potentia Dei abſoluta: quia quod naturaliter hoc non poſsit contingere, eſt communior ſententia, quam ſufficienter probant rationes, quibus infra, id implicare contradictionem, probabimus.

Pro 1 ſententia aſſerente id non implicare, ſtant Scotiſtæ, & communiter Authores Societatis, cum Suarez, quibus ex noſtris adhæret Prado: per oppoſitū

Tho.

Thomiſtæ communiter aſſerũt, id implicare contradictionem quibus ex Societate adhærent, Conimbric. & Fonſeca.

§. I.
Vnica Concluſio.

27 EVndem numero effectũ procedere diviſim à duplici cauſa totali eiuſdẽ generis, & ordinis implicat cõtradictionem: prob. Duæ cauſæ numericæ diſtinctæ eſſentialiter habẽt ſphęram activitatis numerice diſtinctam; ſed hoc ipſo implicat contradictionem, quod effectus adæquate productus per vnam cauſam poſsit idem numero produci ab alia numerice ſolum diſtincta ab illa; ergo implicat contradictionem, eundem numero effectum procedere diviſim à duplici cauſa totali eiuſdẽ generis, & ordinis.

Mai. prædicti ſyllogiſmi videtur conſtans: quia ſphera activitatis cuiuſvis cauſæ activæ, eſſentialiter conſiſtit in virtute activa radicali, & proxima talis cauſæ; virtus enim activa radicalis cauſæ nõ diſtinguitur, ſed potius eſſentialiter cõſiſtit in forma ſubſtantiali, per quam cauſa conſtituitur; virtus etiam proxima, cum dimanet à radicali, nequid excedere ſpheram virtutis radicalis: ergo repugnat cauſas numericè diſtingui diſtinctione numerica formarum ſubſtantialium illas cõſtituentium, & quod ſphæra activitatis illarum non ſit numerice diſtincta.

Iam prima min. prob. ſpæra activitatis vnius cauſæ numerice differt ab ſphæra activitatis alterius cauſæ numero diſtinctę: ergo implicat, quod id quod cõtinetur intra ſperam activitatis vnius cauſæ, contineatur intra ſphæram activitatis alterius; ſed effectus adæquate productus ab una cauſa, eſſentialiter continetur intra ſphærã activitatis talis cauſæ: ergo implicat quod intra ſphæram activitatis alterius poſſit adæquate contineri; ac per cõſequens, quod poſsit ab altera cauſa adæquatè produci.

28 Explicatur: ſphæra activitatis alicuius cauſæ eſſentialiter conſiſtit in virtute cauſæ determinata, & coarctata ad producendos determinatos effectus, vltra quos talis virtus nõ poſsit ſe extendere: ſicut ſphæra áctivitatis alicuius potentiæ conſiſtit in virtute determinata illius ad attingẽda determinata obiecta, vltra quæ talis virtus nõ poſsit ſe extendere: ergo implicat, quod dẽtur duæ ſphæræ activitatis numero diſtinctæ in cauſis; quin in illis dentur duæ virtutes numero diſtinctæ, quarũ quælibet ita ſit coarctata ad producendos hos determinatos effectus; vltra quos nulla illarum poſsit ſe extẽdere: ergo implicat, quod virtus cõſtituens ſphærã activitatis alicuius cauſæ numerice diſtinctã ab ſphęra activitatis alterius, poſsit ſe ex-

ten-

teſt continere omnia ſicut licèt forma conſtitutiva ignis A. vt individua, contineat perfectionem ſpecificam ignis, ſed non continet omnem perfectionem ſuæ ſpeciei, ſed limitatur, & coarctatur à differentia individuali.

Ad 2. reſp. quod licèt omnia individua contenta intra ſpeciem ignis ſint æqualia in perfectione ſpecifica, habent tamen diverſitatem numericam, quæ diverſitas numerica licèt in recto dicat ſolum principia individuationis, quæ ſunt materia ſignata quantitate, de cōnotato dicit talem cauſam producentem; ſicut licet omnes cauſæ eiuſdē ſpeciei ſint æquales in forma ſpecifica, quæ eſt illarū virtus radicalis; habent tamen diverſitatem numericam, quæ ſicut ſufficit, vt vna cauſa non ſit alia, etiam ſufficit, vt vna non poſsit producere, quod producit alia.

31 Videtur hoc in igne A. qui eſt eiuſdem perfectionis ſpecificæ, & æqualis cum igne B. à ſe producto: & tamen, quamvis poſsit producere ignem B. ſibi æqualem, ſe ipſum non poteſt producere; nō alia ratione, niſi quia vt aliqui effectus poſsint produci ab eadē cauſa, non ſufficit, quod ſint æquales ſecundum id quod dicunt in recto, ſed ſecundum id quod connotant, nempè continentiam ipſorū intra ſphęram activitatis eiuſdem cauſæ, & ignis A. non continetur intra ſphæram ſuæmet activitatis.

Per quod etiam patet ad interrogationem ibi ſubiunctā: illæ collectiones ſecundum id quod in recto importat, nihil exprimunt ſpeciale, involvunt tamen, & connotant diverſam rationem continentiæ in ſuis cauſis conſtituentē ſphęram activitatis cauſę productivę huius colectionis, vltra quam cauſa, ob limitationem ſuæ virtutis, non poteſt ſe extendere ad illam collectionem.

32 2. Obijcies: non repugnat eundem numero effectū contineri intra ſphęram activitatis duplicis cauſę ſolo numero diſtictæ: ergo ex eo quod ſphęra activitatis cauſarum ſit coarctata individualiter, non infertur, vnū numero effectum non poſſe produci à duplici cauſa totali eiuſdem generis, & ordinis ſaltim diviſim. Prob. ant. duplex cauſa eiuſdē generis, & ordinis poteſt ad minus partialiter concurrere ad eundem numero effectū: ergo hic numero effectus continetur intra ſphæram activitatis duplicis cauſę numero diſtinctæ.

33 Si dicas, contineri quidem intra ſphęram activitatis duplicis cauſæ ſolo numero diſtinctę, nō adęquate, de quo eſt quęſtio; ſed inadęquate, de quo non eſt dubium adhuc naturaliter poſſe contingere.

Contra eſt: ergo ſphęra activitatis vnius cauſæ numero diſtinctę ab alia nō eſt ita coarctata vt nō poſsit ſe extēdere ad produ-

cen-

cendum id,quod etiam continetur intra ſpheram activitatis alterius cauſæ, ac proinde, tota vis noſtræ rationis corruit.

34 Si dicas; quod concurſus partialis duplicis cauſæ ad eundem numero effectum non eſt ſufficiens,vt vna ſe ingerat in ſphæra activitatis alterius; quia talis effectus prout partialiter dependet ab iſta cauſa, ſicut non dependet ab alia(alias adæquate de pēderet ab illa)ita nec cōtinetur intra ſphęrā activitatis alterius

Contra eſt: nam poſſunt duæ cauſæ partialiter producere eundem effectum,ita vt quælibet in actu primo habeat ſufficientem virtutem, vt ſi alia cauſa ſimul cum illa non concurret, ſe ſola produceret talem effectum: ergo talis effectus totaliter cōtinetur intra ſphæram activitatis vtriuſque cauſæ,quaſi in actu primo:licèt in actu ſecundo,activitas vtriuſque attemperetur ad cōcurrendum ſolum partialiter.

Ad argumentum cum ſuis replicis, bene ibi dictum eſt, ad hanc vltiman, quæ difficilis eſt: *Reſp.* quod cauſæ partiales partialitate etiam virtutis in hoc differunt à cauſis partialibus, tantum partialitate concurſus actualis: quod illæ non ſolum diviſim nō continent effectum totalem,quē in conſortio alterius cauſæ producunt;verum nec adæquate cō tinent aliquem effectum totalem ſimile; huic, ad quem concurrunt partialiter.

Cauſæ vero partiales, non partialitate virtutis, ſed partialitate actualis cōcurſus,vel influxus licèt nulla illarum adæquate cōtineat hunc numero effectum ab vtraque partialiter productum: tamen quælibet illarū adæquatè continet plures effectus totales æquales in perfectione cū iſto, & in hoc ſenſu tantum eſt verum,quod quælibèt illarum cauſarum,ſe ſola produceret totum effectum, ſi conſortium alterius cauſæ non adeſſet.

In quo non apparet maior difficultas, quam apparet in aſſumpto præcedentis argumenti,nempè quod duo ignes æqualis perfectionis, vnus adæquate cōtineatur in igne A. & alter in igne B.taliter vt quamvis ignes. A.&B.ſint æqualis activitatis:ignis contentus in igne.A.non poſſit contineri in igne.B.nec è cōtra propter limitationem ſphæræ activitatis utriuſque.

36 Obijcies 3. Corpus Chriſti prout ex hoc numero pane,quod eſt terminus adęquatus converſionis factæ à Petro v. g. potuit eſſe terminus adæquatus converſionis factæ à Paulo: ergo idem numero effectus poteſt diviſim procedere à duplici cauſa totali, ſaltem inſtrumentali.

37 Reſpond. quod ſiſtendo in ratione, qua concluſionē probavimus, hoc argumentum non urget:unde admiſſo antecedēti nego conſeq.limitatio ſphæ

ſphæ activitatis cauſæ non attenditur penes inſtrumenta, quibus agens principale operatur; ſed penes virtutem principalis agentis, quæ virtus limitatur, ſicut forma conſtitutiva ipſius agentis: ſphæra activitatis Dei agentis principalis converſionis Euchariſticæ extenditur ad omnes converſiones factibiles, nec coarctatur ad aliquam ſeriem, vel collectionē converſionum: unde idem terminus adæquatus formalis cōverſionis factæ à Petro, potuit eſſe terminus converſionis factæ à Paulo: licèt verba cōſecrationis pro lata à Petro eadem numero, non poſsint proferri à Paulo; quia ad prolationē ſe habent vt cauſę principales (& hoc eſſet quamvis prolatio nihil haberet de actione vitali.)

38 Denique obijc. poteſt idem numero effectus adæquate productus ab vna cauſa, adęquate conſervari ab alia. ergo, & poterit adæquate ab alia produci; patet conſ. quia conſervatio eſt continuata productio.

Conf. calor conſervatus in aqua ab igne A. æque conſervaretur ab igne B. ſi deficiente igne A. ignis B. ſtatim applicaretur; ſed per variationem ignis A. in ignem B. calor aquæ non variaretur numero: ergo.

36 Reſp. diſting. ant. poteſt cōſervari ab alia, per ſe neg. antec. per accidens removendo contraria, & inducendo qualitates congruas rei conſervandæ, conc. antec. prima conſervatio eſt continuata productio, nō vero ſecunda; per quod patet ad conſ. Alia quam plurima argumenta videri poſſunt apud Authores, quæ ex dictis facile poſſunt ſolvi.

ARTIC. III.

Vtrùm detur mutua prioritas inter cauſas?

40 Difficultas hæc eadem eſt cum illa, quæ in lib. de Generatione valde agitur: an vltimæ diſpoſitiones ad aliquam formam effectivè procedant à forma ad quā diſponunt? Ad quem locum reſervamus de mutuis prioritatibus per otium diſputare, in præſenti tantum de hoc puncto attingemus, quantū ſufficiat ad pleniorem notitiam naturæ cauſarum.

§. I.

Supponuntur aliqua.

41 Supponimus 1. ex Logica quæſt. 9. art. 3. de poſt prædicamentis: quod prioritas (quæ nihil aliud eſt, quā antecedentia vnius rei ad aliam) quinque modis contingit, inter quos numeratur *prioritas naturæ* cōſiſtens in eo, quod licèt duo ſint ſimul tempore, vnum eſt cauſa alterius, & hoc ſecundum à primo dependet, vt ſol eſt prior illuminatione: hæc prioritas vocari ſolet prioritas *à quo dependentiæ*, *&*

cauſalitatis; Ad differentiam prioritatis temporis, ſeu durationis, quæ dicitur prioritas *in quo*: prioritas *à quo* naturæ, ſeu dependentiæ eſt prioritas realis; quia eſt realis dependentia, & emanatio effectus à cauſa.

42 Supponimus 2. quod omnis cauſa in eo in quo eſt cauſa, debet eſſe ſaltem natura prior ſuo effectu: conſtat: *Tum* ex D. Thom. quæſt. 26. de Verit. art. 7. dicente: *Quod in quolibet genere cauſæ, cauſa naturaliter eſt prior cauſato. Tum* ratione, quia omnis cauſa eſt principiũ, à quo emanat eſſe effectus in ſuo genere, & à quo effectus dependet in eſſe, quod à cauſa recipit: ergo in illo genere cauſa ſaltem eſt natura prior ſuo effectu.

43 Supponimus 3. quod non ſemper eſt neceſſariũ, quod cauſa præcedat tempore cauſatum, ſed quãdoque ſufficit, quod pręcedat natura: hęc propoſitio habetur expreſſe in D. Thom. in 3. diſt. 18. quęſt. 1. art. 3. ad 3. pręcedunt tempore cauſę operantes per motum, cum motus tempore præcedat terminum, & ſic in humanis, Pater tempore præceſſit filiũ: pręcedũt ſolum natura, vt ſol pręcedit lucem, & eſſentia paſsionem.

44 Supponimus 4. implicare, quod eadem entitas cauſet ſe ipſam, vel primo producendo ſe ipſam, vel quod primo producta ab alio ſe ipſam producat, ſibique ſecũdo tribuat eſſe: quia implicat eandem entitatẽ diſtingui realiter à ſe ipſa; ad ſe ipſam realiter preſupponi, cõſervare ſe ipſam per ſuam actionem; & alia quam plurima, quæ requirevantur, vt noſtra ſuppoſitio non implicaret.

45 Supponimus 5. quod in eodem genere infimo cauſæ non poſſunt cauſę eſſe mutuo priores, nec ad invicem cauſare: conſtat *Tum* ex D. Th. 5. metaph. lect. 2. dicẽte: *ſecundum idem genus cauſæ, aliquid eſſe cauſam, & cauſatum eſſe impoſſibile. Tum* quia cauſæ eiuſdẽ generis infimi exigunt eadem requiſita, & eaſdem cõditiones ad cauſandũ, efficiens v. g. exiſtentiã, forma actualitatẽ receptibilẽ, materia potentialitatem: Si enim, duo efficiẽtes, duę materię, & duę formę invicẽ ſe cauſarent, vnaquęque ex his cauſis haberet id quod eſſentialiter exigit ad cauſandũ, & illud non haberent, vt eſſent cauſata, & è contra.

46 Supponimus 6. quod comparando inter ſe cauſam efficiẽtẽ, & finalem, ſunt mutuo priores, & ad invicem cauſę: conſtat ex Philoſopho, & D. Th. 2. Phyſicor. lect. 5. vbi ait S. Doct. *Nihil prohibet aliquid eſſe prius, & poſterius ſecundũ diverſas rationes: finis enim eſt prior ſecundum rationem, & poſterior in eſſe; agens autem è contra.* Et etiam quia valetudo obtinenda, prout exiſtit in intẽtione, movet, & cauſat, & eſt prior exercitio moderato; & hoc effective cauſat, & eſt prior ipſa valetudine, prout exiſtit in re.

47 Tota igitur difficultas devolvitur ad cauſas phyſicè cauſantes, & comparatio poteſt fieri, vel inter cauſam efficientẽ, & materialem; qualiter inter ſe comparantur vltimę diſpoſitiones, & forma ſubſtantialis, ſi hęc illas effectivè cauſaret: vel inter materiam, & formam ſubſtantialem: inter cauſam efficientem, & formã intrinſecam ſubſtantialem nequit fieri comparatio quoad mutuam cauſalitatẽ, quia forma ſubſtãtialis conſtitutiva efficientis non ponit in numero cum ipſo efficiente; ſi vero comparentur efficiens, & forma intrinſeca accidentalis, videmus, quod actus potentiæ vitalis effectivè profluit à vivente, & in illo recipitur.

Sed quia de mutua prioritate inter vltimas diſpoſitiones, & formam ſubſtantialẽ promiſſimus late diſputare in lib. de Generat. reſtat modo breviter aliquid diſputare de mutua prioritate, & cauſalitate inter cauſas intrinſecas materiã ſcilicèt, & formam: quibus ſupra conceſsimus veram rationem cauſę phyſicę veram cauſalitatem, & effectum, & quod vtraque cauſat ſimul in eodem inſtanti reali.

49 Negant mutuam prioritatem, & cauſalitem inter materiam, & formã Hurtado, Arriaga, & communiter Recentiores Societatis; & etiam communiter Scotiſtę apud Pontium. Propugnant mutuam prioritatem Thomiſtę omnes cum Div. Thom. & extra eius Scholam citãtur à Prado hic, Fonſeca, Conimbric. Rubio, Valencia, Vazquez, & alij.

§. II.

Vnica Concluſio.

50 Materia, & forma ad invicem ſunt cauſæ, & mutuo priores inter ſe Prob. ex Div. Thom. 5. metaph. lect. 2. *Forma autem, & materia ſibi invicem ſunt cauſa quantum ad eſſe; forma quidem materiæ, in quantum dat ei eſſe actu; materia vero formæ, inquantum ſubſtentat ipſam*: & opuſc. 31. ait: *Materia etiam dicitur cauſa formæ, inquantum forma nõ eſt niſi in materia; & ſimiliter forma eſt cauſa materiæ, in quantum materia non habet eſſe in actu niſi per formam.* Idem habet alij in locis adducendis in lib. de Gener.

51 Ratione prob. 1. vt ſupra probavimus forma realiter, & phyſicè cauſat materiam, & materia realiter, & phyſicè cauſat formã; ſed omnis cauſa in eo in quo eſt cauſa, eſt prior ſuo effectu: ergo materia, & forma ſunt invicem cauſæ, & mutuo priores interſe.

Si dicas: materiam cauſare entitatem formæ, formam vero cauſare materiam; non quoad entitatem, ſed quoad eſſe completum.

Contra eſt: quia materiam dependere à forma, quo ad eſſe completum ſubſtantiale eſt vere depen-

dependere à forma tanquam à cauſa, quia cauſare eſt dare eſſe. Præterquamquod materia præter illud eſſe, quod habet à forma, nullum eſſe habet, ſed ſolum puram potentiam ad eſſe: ergo materia, & forma phyſicè vere ſunt ad invicem cauſæ.

52 Denique (relinquendo alias rationes, quas late proſequemur, & firmabimus exēplis, loco citato de Generat.) prob. concluſ. ratione quaſi à priori. Hoc ipſo quod cauſæ ſint in diverſo genere, nulla eſt oppoſitio, aut implicatio in eo, quod mutuo ſe cauſent, & præcedant; ſed materia, & forma ſunt cauſæ diverſi generis: ergo. Prob. mai. Eatenus eſſet oppoſitio, & implicatio, quatenus in mutua cauſalitate clauditur dependentia, & independentia unius, & eiuſdem extremi ab alio extremo, in quo videtur involvi aperta contradictio; ſed ad mutuam cauſalitatē non requiritur, quod vnum, & idem extremum ſit dependens & independens omnino; ſed ſufficit, quod ſit dependens in vno genere, & in alio independens, in quo nulla eſt implicatio, aut oppoſitio: ergo.

Minor quoad primam partem patet. Nam ex mutua cauſalitate eo modo infertur dependentia, & independentia, quo extrema mutuo ſe cauſant; ſed materia, & forma non ſe cauſant mutuo in eodem genere; ſed materia cauſat formā in vno genere, & cauſatur à forma in diverſo genere: ergo mutua cauſalitas non infert, quod vnum, & idem extremum ſit dependens, & independens omninò, & in eodem genere; ſed quod ſit dependens in vno genere, & independens in alio.

Quoad ſecundam partem, nempè, quod in hoc nulla ſit implicatio, aut oppoſitio. Prob. min. Licèt ſit inconveniens, quod duo ſe invicem excedant in eodem genere, & ſecundum vnam, eandemque perfectionem; non tamen eſt inconveniens, nec implicat, quod vnum excedat aliud, & excedatur ab ipſo in diverſo genere, & ſecundum diverſam perfectionem: vnus enim, homo excedit alium ſcientia, à quo tamen exceditur in virtute: ergo pariter, licèt non poſſit in eodem genere vnum alterum præcedere, & cauſare, & ſimul cauſari, dependere, & eſſe poſterius illo; hoc autem in diverſo genere cauſę minime implicabit.

§. III.

Solvuntur obiectiones.

53 Objicies primo. Omnis cauſa, ad minus prioritate naturę, præſupponitur exiſtens ante ſuum effectum: ergo nullo modo poteſt cauſari ab ipſo effectu. Patet conſeq. Quia effectus non poteſt cauſare ſuam cauſam, niſi tribuendo illi exiſten-

tentiam; ſed hæc datur in cauſa, antequam exiſtat effectus: ergo non poteſt effectus exiſtentiam tribuere ipſi cauſæ, ac proinde hæc ab effectu non poteſt cauſari.

54 Confirm. Nihil poteſt ad ſe ipſum realiter præſupponi; ſed ſi inter cauſas diverſi generis daretur mutua dependentia, idem ad ſe ipſum præſupponeretur realiter: ergo. Mai. cōſtat, & prob. min. non ſolū cauſa, ſed omnia ea, quæ ex parte cauſæ requiruntur ad cauſandū aliquem effectum, præſupponūtur ad illum eadem prioritate, qua ipſa cauſa; ſed omnes cauſæ ipſius cauſæ requiruntur ex parte illius ad producendum effectum: ergo eadem prioritate reali naturæ, qua cauſa ſupponitur ad ſuum effectum, præſupponūtur omnes cauſæ ipſius cauſæ: ergo ſi effectus eſt vna ex cauſis huius cauſæ, effectus præſuppouitur realiter ad ſe ipſum. Prob. min. quia deficiētibus cauſis ipſius cauſæ, deficeret exiſtētia cauſæ, quæ requiritur ex parte cauſæ, vt ſit proxime potens effectum ſuum cauſare.

Ad argumentum diſtinguo antec. omnis cauſa efficiēs, concedo antecedens: Cauſa formalis, vel materialis, neg. antec. Cauſalitas harum cauſarum tendit ad dādum eſſe toti compoſito, quod ſolum exiſtit *vt quod*, & in illo exiſtunt partes, vnde cauſalitas materiæ conſiſtit in recipere eſſe à forma, & formę, in dare eſſe materiæ, & vtriuſque in dare eſſe compoſito, & licèt quęlibet harum cauſarum non cauſet, niſi exiſtens; tamen exiſtentia, ſicut non eſt ratio cauſandi, ſed ſolum conditio, ita nec eſt neceſſarium, quod præſupponatur, ſed tantum committetur rationem, qua quælibet ex his cauſis eſt prior, & cauſa alterius; quia materia tanquam à ratione formali cauſandi non dependet ab exiſtētia formæ, nec forma ab exiſtentia materiæ, ſed materia dependet ab actu formæ, & forma à potentia materiæ, ſe habēte exiſtentia vtriuſque, quæ vnica eſt, vt conditione præciſſe cōcommittante: vnde ſicut exiſtentia non eſt ratio formalis cauſādi, ita nec requiritur, quod ſit præſuppoſita in cauſa ad cauſandum, ſed ſolum quod ſit committans.

55 Ad confirm. diſting. mai. in eodem genere, concedo mai. in diverſo genere, neg. mai. & diſting. min. eodem modo, & nego conſeq. ad prob. min. quatenus poteſt obſtare, diſting. mai. omnia ea, quæ ex parte cauſæ requiruntur, in eo genere, in quo cauſa eſt cauſa, & non effectus, debent præſupponi ad ſuum effectum, concedo mai. Omnia ea, quæ ex parte cauſæ requiruntur, non in eo genere, in quo eſt cauſa, ſed ſub alia ratione, ſub qua cauſa non eſt, neg. mai. & diſtin. min. admittendo illam de cauſa

efficiēte, negando vero illam de alijs cauſis: ſicut enim ſolum cauſa efficiēs eſt, quæ cauſat vt omnino complete exiſtēs extra cauſas; ita omnes cauſæ illius præſupponuntur ex parte illius, vt efficienter cauſet: aliæ vero cauſæ, ſpecialiter intrinſecæ, cum ſint partes rei, quæ poni debet ſub exiſtententia; non requiritur, vt cauſent, quod quælibet illarum præſupponatur omninò extra omnes ſuas cauſas; ſed ſolū quod in illo genere in quo, vt cauſa, cauſat, ipſa & omne illud, quod conſtituit illam in ratione cauſę, præſupponatur ad cauſandum in ſuo genere.

Sufficiat pro mutuis prioritatibus, hæc in præſenti inſinuare, quia ad plenam notitiam naturæ cauſarum, nihil plus neceſſarium putamus; licèt etiam iudicemus plura alia neceſſaria eſſe, vt præſens difficultas complete reſoluta permaneat; quæ, Deo dante, pręſtabimus ſuo loco, vt promiſsimus.

LIBER TERTIVS,

PHYSICORVM.

De Motu.

IN ordine, qui maxime in ſcientia attenditur, ſequimur veſtigia Philoſophi, qui poſtquam in libris antecedentibus, de principijs intrinſecis, & extrinſecis entis naturalis, ſeu mobilis exiget; procedit in hoc libro ad explicandam paſsionem huius entis, quæ eſt motus, à quo maxime dicitur ens mobile. Librum 3. in octo capita diſtribuit: in tribus primis agit de motu, & quia motus eſt de numero continuorum, in reliquis agit de infinito; quia infinitum cadit in definitione continui; cum autem actio, & paſsio motum concommittentur, & ſine illis non detur motus; agemus prius de motu, actione, & paſsione, & poſt modum de infinito.

QVÆST. XIII.

De Motu actione, & paſsione.

1 DE his tribus ſimul diſputamus, quia motus, qui eſt ſubiectum huius libri; ſicut ſine actione, & paſsione non datur, ita nec ſine actione, & paſsione rectè explicatur.

ARTIC. I.

Quid ſid motus?

2 MOtum definit Philoſoph. dicendo: *Eſt actus exiſtentis in potentia, ſecundum quod huiuſmodi*: vel vt communiter: *Eſt actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia*: Quam definitionem approbat Div. Th. hic lect. 2. & communiter Philoſophi.

§. I.

Definitio motus explicatur.

3 Nulla eſt congruentior explicatio, quam illa, quam tradit Div. Thom. ibidem lect. 1. & 2. notando duo, primum eſt, quod aliquid eſt in actu tantum, aliquid in potentia tantum: & aliquid medio modo ſe habens, hoc eſt medium inter potentiam puram, & actum perfectum: igitur quod eſt in potentia tantum, non dum movetur, quod autē iam eſt in actu perfecto, non movetur, ſed iam motū eſt: relinquitur, quod illud ſolum moveatur, quod medio modo ſe habet inter potentiaem puram, & actū perfectum, exiſtēdo partim in potentia, & partim in actu; in hoc medio cōſiſtit motus, eſt actus, quatenus non relinquit ens in potentia pura; non eſt actus perfectus, quatenus relinquit illud in potentia ad actum perfectum.

Explicat in motu alterationis: aqua tantum in potentia calida nō dum movetur; cum vero iam eſt calefacta, motus calefactionis iam eſt terminatus; cū vero aliquid participat de calore, ſed imperfecte, tunc movetur ad calorē, hoc eſt, calefit: quare actus imperfectus caloris in aqua calefactibili exiſtens motus eſt.

4 Notat. 2. quod antequā aliquid moveatur, eſt in potentia ad duos actus, nempè ad actum perfectum, qui eſt terminus motus, & ad actum imperfectū, qui eſt motus. Aqua enim, antequam incipiat calefieri, eſt in potētia ad calefieri, quod eſt motus, & ad calida eſſe, quod eſt terminus motus: vnde calefieri non relinquit aquam in potētia tantum, & ſic aliquo modo eſt actus aquæ, nec cōſtituit aquam in actu perfecte calefactam, & ſic relinquit illam in potentia ad eſſe calefactam, vnde calefieri eſt actus entis in potentia remanentis adhuc in potentia.

5 Sed pro maiori explicatione obijcies 1. calor aquę

tepidæ eſt actus imperfectus tẽdens ad calorem perfectiorem, vt ad perfectiorem actum; ſed calor aquæ tepidæ non eſt motus: ergo.

Confirm. omnes ſpecies intelligiles ſunt actus intellectus exiſtentis in potentia ad illas, & cum illis manet in potẽtia ad vlteriorem actum, nempè ad intellectionẽ; & tamen ſpecies intelligibiles non ſunt motus, ergo idem quod prius.

6 Diſting. mai. eſt actus imperfectus, per modum ipſius fluxus, & viæ, neg. mai. Per modum termini, concedo mai. igitur ſublata ratione fluxus, & viæ inter potentiam puram, & actum perfectum, tollitur ratio motus, quia iſte nõ eſt imperfectus per modum formę, comparativè ad aliam formam perfectiorem; ſed eſt ipſe quaſi ſtatus imperfectus potentiæ, comparativè ad ſuum actum perfectum; & idẽ dicendum eſt de forma embrionis, & alijs huiuſmodi.

Ad confirm. conſtat ex immediate dictis: præterquam quod de conceptu ſpeciei intelligibilis vt ſic, non eſt actuare intellectum per modum formæ in perfectæ; ſed præciſſe illum determinare ex parte obiecti, quod poteſt præſtari à forma perfectiori ipſa intellectione; vt in eſſentia divina vnita per modum ſpeciei, & in ſubſtantia Angeli videri poteſt.

7 Denique obijcies, Habitudo ad agens, & paſſum, & ad terminum *ad quem* ſunt de eſſentia motus; ſed hęc habitudo in definitione tradita motus non explicatur: ergo eſt diminuta.

8 Diſtinguo min. formaliter, & expreſſe, cõcedo min. virtualiter, & æquivalenter nego min. illa particula *entis in potentia prout in potentia* denotat ſubiectum, quod patitur media paſſione: vbi enim eſt paſsio, virtualiter explicatur eſſe ab aliquo agẽte, cum paſsio ſit tranſmutatio ab aliquo agente; illa particula *prout in potentia* indicat habitudinem ad vlteriorem terminum, ad quem eſt in potẽtia, qui eſt terminus *ad quem*, & etiam iudicatur terminus *à quo*, quia non eſt tranſitus phyſicus ad terminum ad quem, niſi ex aliquo termino *à quo*.

§. II.

Quodnam ſit definitum in definitione motus?

9 AD hoc neceſſarium eſt exponere, quid contineatur late, vel ſtrictè ſub hoc nomine *motus*: continetur igitur motus ſucceſsiuus, & inſtantaneus: ille eſt, qui habet partes priores, & poſteriores, iſte vero, qui perficitur in inſtanti: primus ſtrictè dicitur motus, ſecũdus vero proprius dicitur mutatio.

Mutatio inſtantanea, alia eſt ſpiritualis omninò independens à materia, vt volitio, & cognitio Angelica; alia dependẽs à materia, & hæc adhuc eſt duplex

alia dependens à materia quoad ſubſtantiam, & ſuum eſſe, vt generatio ſubſtantialis; alia vero tantum dependens à materia, quoadmodum ex parte ſubiecti, vel obiecti, vt intellectiones noſtræ pro hoc ſtatu.

Rurſus: Motus ſucceſsivi, & inſtanei dependentes in eſſe à materia, alij ſunt ad terminum, qui ſit perfectio mobilis; alij vero nō: primi generis ſunt motus ad perfectiorem, & intenſiorem qualitatem, vt motus intenſionis, & ad acquirendam formam ſubſtantialem, vt generatio: ſecundi generis ſunt motus quaſi privativi, vt remiſsio, & corruptio. Denique motus alius eſt naturalis, alius violētus, alius artificialis. De omnibus his inquirimus, an hic definiantur à Philoſopho.

10 Reſolutio noſtra eſt: *Omnes motus relati ſivè ſucceſivi, ſivè inſtantanei, præter motus, qui ſunt operationes intellizendi, volendi, & ſentiendi definiuntur in præſenti à Philoſopho.* Reſolutio adæquate habetur expreſſa in Philoſoph. & Div. Thom. de motibus ſucceſsivis nō eſt dubium. De mutationibus inſtantaneis generationis, & corruptionis ait Div. Thom. hic lect. 2. *Quod Philoſophus accipit hic motum communiter pro mutatione, non autem ſtricte ſecundum quod dividitur contra generationem, & corruptionem.* De motu artificiali, & violento textu 9. lect. 2. Philoſoph. & D. Thom. exemplificant in motu aris ad ſtatuā, qui motus ſine dubio eſt artificialis. Denique quoad excluſivā mutationū intelligēdi, volendi, & ſentiendi ſtat Philoſophus 3. de Anima text. 22. & ibidem D. Tho. aſſerens: *Quod prædictæ mutationes ſunt aliæ ſpecies ab ea, de qua determinatum eſt in libris Phyſic. ille motus eſt actus entis exiſtentis in potentia, ſed iſtæ mutationes ſunt actus perfecti.*

11 Ex his habetur ratio pro tota reſolutione. Omnes motus realati, præter motus inteligendi, volendi, & ſentiendi, ſunt actus exiſtentis in potētia ſecundūquod in potentia: intellectio volitio, & ſenſatio ſunt actus perfecti, uel illius qui eſt in actu: ergo iſti non definiuntur à Philoſopho in præſenti; reliqui vero ſic. Anteced. conſtabit ſolvendo argumenta contra præiactam reſolutionem.

12 Oppones 1. in inſtanti generationis materia eſt ſub actu formæ ſubſtantialis: ergo generatio non eſt actus entis in potentia relinquendo illud in potentia. *Confirm.* corruptio non eſt actus; ſed potius carentia actus, nec relinquit ſubiectum in potentia ad vlteriorem actum; ſed potius ad carentiam, actus, & formæ, quam antea habebat: ergo.

13 Reſpond. materia, quę eſt ſubiectum generationis, eſt in potentia, tum ad ipsā generationē, cum ſubiectū generationis,

 vt

vt mutatio eſt, ſit materia prima: *Tum* ad formam ſubſtantialem, reſpectu huius generatio, ſe habet vt via, & fieri, & conſequēter, vt motus, & actus imperfectus; ad quod parum refert, quod terminus motus ſit in eodem inſtanti, quia hoc non aufert à generatione rationē viæ, & fieri alterius actus perfectioris, quod ad motum definitum in præſenti, ſufficit.

Ad confirm. dicimus, quod ly *actus* in definitione motus poteſt ſumi, vel, pro actu poſsitivo, quamvis imperfecto, vel pro ſtatu viali ſubiecti, vel mobilis: in primo sēſu, corruptio, vt eſt mutatio formaliter diſtincta à generatione, nō eſt actus: licèt ſic actus identicè, in ſententia, quod generatio, & corruptio, ſunt eadem actio: de quo in libr. de Generat. in ſecundo vero ſenſu corruptio poteſt dici actus, quatenus eſt via, ſeu ſtatus vialis ipſius mobilis.

14 Opones 2. Ad minus intellectio eſt productiva verbi, quo intellectus perficitur: ergo intellectio eſt via, & fieri vlterioris termini, & conſequenter erit actus imperfectus, qui in præſenti definitur.

15 Reſp. quod intellectio eſt actus intellectus, vt perfecti, & exiſtentis in actu. *Tum* per ſpeciem intelligibilem: *Tum* per cōtinentiam perfectam ipſius intellectionis, quoad ſpeciem, & ipſamet intellectio eſt vltima perfectio ipſius intellectus, & quamvis aliquādo producat verbum, hoc non propter ſe producitur, ſed propter perfectionem ipſius intellectionis; nec verbum eſt vltimus actus ipſius intellectus, vt active intelligentis, ſed potius ipſius obiecti, vt paſsivè intellecti.

16 Denique oppones. Philoſophus in præſenti definit motum, occaſione explicandi, qualiter natura ſit principium motus: ergo ſolum definit motum, cuius natura eſt principiū; ſed natura eſt principium intelligendi, volendi, & ſentiendi; non tamen eſt principium motuum artificialium, & violentorum: ergo iſti hic non definiuntur; bene tamen illi.

17 Reſpond. aliud ſolet eſſe, ex quo ſumitur occaſio agendi: aliud vero res de qua ſolet agi; licèt enim intentum precipuum Philoſophi ſit agere de motu naturali, tamen vt à cōmunioribus eſſet doctrina, aſsignat definitionē omni motui nō intentionali convenientem cum proprietate: vt ex exemplis, quæ aſsignat conſtare videtur.

§. III.

Diſtinctio motus à mobili, & à termino ad quem.

18 MObile dicitur, quod ſubeſt motui, & id quod movetur, ſivè ſubiectum motus: certum enim eſt, motum differre realiter à mobili, quia

quia mobile fit diverſa productione ab ipſo motu: iſto evaneſcēte, perſeverat movile; hoc eſt ſubſtantia, motus eſt accid ens: ergo realiter differunt motus, & mobile.

Certum eſt etiam motum in nullo genere, vel prædicamēto directè collocari, ſed reduci ad genus ſui termini, vt expreſſe habet D. Th. varijs in locis, & 3. p. q. 62. artic. 4. ad 2. ait: *Motus eo quod eſt actus imperfectus, nō proprie eſt in aliquo genere, ſed reducitur ad genus actus perfecti, ſicut alteratio ad qualitatem.*

Certum eſt denique, motum realiter diſtingui à termino *à quo* poſsitivè, ſi terminus à quo eſt poſsitivus, vt in motu ſucceſsivo verſante inter terminos poſitivos, vel negativè, vt in mutationibus inſtātaneis, quarum terminus *à quo* eſt aliquid negativum, vel privativum.

19 Non eſt ita certum motum realiter diſtingui à termino *ad quem*, ſed eſt communior ſententia, quam nos tenemus; *Tum* quia via non eſt terminus; ſed motus eſt via ad rem, quæ eſt illius terminus, vt conſtat ex illius definitione: ergo. *Tum* quia deficiente realiter motu perſeverat realiter terminus, ſicut deficiente calefactione perſeverat calor: *Tum* quia natura motus ſucceſsivi, qui eſt motus ſtrictè, eſt quod illius partibus repugnet eſſe ſimul, & quod non ſit in iſtāti; ſed terminus motus ſucceſsivi eſt res permanēs, quę poteſt tota ſimul eſſe in inſtanti: ergo.

20 Qualiter ſit vocanda hæc diſtinctio realis; an entitativa, an modalis? Parum refert, quod dicatur vno, vel altero modo: congruēter dicitur modalis, quia id; quod propter ſuam minimam entitatem, non eſt directe in aliquo genere, vel ſpecie, ſed tantum reductivè; & aliunde non eſt pars ſubſtantiæ, vel accidentis, ſolū reſtat, quod ſit modus ſubſtantiæ, vel accidētis; ſed motus eſt huiuſmodi: ergo erit modus; ac per conſequens diſtinctio illius à termino erit diſtinctio modi à re, cuius eſt modus, quæ cōgruè vocatur diſtinctio modalis: & forte in hoc ſenſu intelligēdus eſt Philoſophus, quando in præſenti dicit: *Non eſt autem motus præter res, ad quas eſt motus.*

ARTIC. II.

Qualiter actio, & paſsio diſtinguantur inter ſe, & à motu?

21 SVpponimus ex dictis in Logica circa prædicamentum actionis, definitionem actionis tradditam à Gilberto, nempè: *Actio eſt forma, ſecundum quam in id, quod ſubijcitur agere denominamur.* Ideſt forma à qua ſummitur denominatio agentis aliquid circa aliquod paſſum. Idem Gilbertus deſcrebit paſsionē, *Paſsio eſt effectus, illatioque actionis* Vel vt ait D. Thom. 1. p. quæſt. 41. artic. 1. ad

2. Actio ſecundum primam nominis impoſsitionem importat originem motus: ſicut enim motus, prout eſt in mobili, ab aliquo dicitur paſsio: ita origo ipſius motus, ſecundum quod incipit ab alio, & terminatur in id, quod movetur, vocatur actio.

22 Loquimur in præſenti de actione formaliter tranſeunte, ideſt de illa, quæ tranſit in exteriorem materiam, non de immanẽte, & quæ manet in ipſo agente: illa enim, & non iſta eſt, quæ committatur motum, & infert paſsionem: illa ſcilicèt, tranſiens conſtituit prædicamẽtum actionis; non vero actio immanens, quæ proprius dicitur operatio, & pertinet ad prædicamentum qualitatis.

23 Non deſunt, qui negent diſtinctionem adhuc rationis ratiocinatæ inter hæc tria: ita Hurtado, & aliqui Recentiores ſequti Nominales; Suarez vero quamvis actionẽ, & paſsiodem dicat ratione ratiocinata diſtingui; non vero paſsionem, & motum.

Hoc non obſtante certum debet eſſe, actionem, & paſsionem, tam inter ſe, quam à motu diſtingui ad minus ratione ratiocinata: quia imperceptibile videtur, quod duo habentia completam eſſentiam ſufficientem ad conſtituenda duo genera entis primo diverſa, non diſtinguatur inter ſe, & ab eo, quod reductivè tantum pertinet ad prædicamẽtum, ad minus ratione ratiocinata: quare plures tam ex noſtris, quam ex extraneis diſtinctionem ſolum rationis ratiotinatæ inveniunt; alij vero diſtinctionem realem, formalem, modalem, vel entitativam.

§. I.

Noſtra reſolutio.

24 *Actio, & paſsio inter ſe, & à motu realiter diſtinguntur.* Mens Divi Thomæ in hoc puncto valde anceps, & dubia eſt: cum in aliquibus ſuæ doctrinę locis videatur identitatẽ actionis, motus, & paſsionis docere; in alijs vero realiter diſtingui, videtur expreſſe fateri: ſed S. Doctrẽ magis inclinare in noſtram concluſionẽ artic. ſequẽti monſtrabimus. Nunc vna, vel altera ratione concluſionẽ noſtrã probemus.

25 Prob. 1. concluſ. Repugnat, quod duplex effectus formalis, vterqne primarius, vterque de linea entis realis, & vterque ex æquo diverſus proveniat ab vna, & eadem reali forma; ſed actioni, & paſsioni correſpondet duplex effectus formalis, vterque primarius, vterque de linea entis realis, & vterque ex æquo diverſus: ergo repugnat, quod actio, & paſsio ſint vna, & eadem realis forma. Mai. videtur certa: Nam cum effectus formalis primarius de linea entis realis ſit ipſamet forma realis præſtans talẽ effectum; effect

ſet in linea entis realis, vna forma, & duplex eſſet in eadem linea entis realis, eadem forma, & ex ęquo diverſa: quod quidē repugnat.

Min. vero prob. agere, & pati ſunt duo effectus formales primarij de linea entis realis, & ex æquo diverſi; ſed agere, tanquam formæ correſpondet actioni, & pati paſsioni: ergo actioni, & paſsioni correſpondet duplex effectus formalis primarius de linea entis realis, & ex æquo diverſus. Min. eſt certa, & conſtat ex definitione actionis, in qua dicitur quod eſt forma ſecundum quam agerę denominamur, & idē proportionabiliter dici debet de paſsione, & pati.

Mai. quoad omnes ſuas partes videtur conſtare: in primis quod ſit duplex effectus formalis, (præſcindendo à diſtinctione inter illos) ita eſt certum, ſicut, & quod actio, & paſsio ſunt duæ formalitates (præſcindendo à diſtinctione inter illas.) *Deinde*, quod vterque ſit primarius, conſtat: *Tū* quia quilibet præſtatur à forma habente eſſentiam completam, quin vna tanquam paſsio ſequatur ex alia, cum actio, & paſsio conſtituat duo genera entis cōpleti: *Tum* quia (& ex conſequēti probatur vltima pars) effectus formales formalitatum ex æquo diverſarum (quales ſunt actio, & paſsio) non poſſunt comparari vt ſecūdarij, quia præter agere, & pati, nullus effectus prior eſt in actione, & paſsione; nec vnus comparative ad alterum eſt ſecundarius, alias actio, & paſsio nō primo differrēt, nec ex æquo: ſed eſſent duæ formalitates inter ſe ſubordinatę, nec conſtituerēt genera primo diverſa: *Denique*, quod ſint effectus formales de linea entis realis, eſt notum: *Tum* quia ſūt effectus formales formalitatum conſtituentium duo genera entis realis. *Tum* quia agere, & pati nō eſt quid rationis, morale, vel intentionale: ergo eſt quid entitativum, & reale.

26 Nec dicas, quod bene poteſt vna, & eadem forma præſtare duos effectus formales primarios per ordinem ad diverſa connotata: eadē entitas actionis prout connotat agēs, pręſtat agere: prout connotat paſſum, præſtat pati.

27 Contra eſt 1. diverſitas connotati eſt ſufficiens ad diverſitatē effectus formalis primarij, & realis: ergo erit ſufficiēs ad diverſitatē formæ. Prob. conſeq. quia diverſitas formarum nō aliunde melius colligitur, quam ex diverſitate effectus formalis primarij illarum.

Secundo: nam ſi cum identitate formæ ſufficit diverſitas connotati ad præſtandū diverſos effectus formales primarios, & primarias denominationes, nulla erit ratio ad diſtinguēdas formas accidētales inter ſe, nec à ſubſtantia; conſequēs eſt abſurdum: ergo. Prob. ſequela; nam eadem forma

ma ſubſtantialis, vt cõnotat exiſtentiam habebit pro effectu primario dare eſſe ſimpliciter, & vt connotat operationem, habebit pro effectu primario dare eſſe proximè operativum; ſimiliter vna, & eadẽ forma accidentalis prout connotat materiam, habebit pro effectu primario conſtituere quantũ, & prout connotat formam conſtituere quale: ac denique eadem albedo, prout connotat ſubiectum, in quo eſt, cõſtituet album, & prout connotat aliud album, conſtituet relatũ, & ſic de allijs: ergo ſi ſufficit diverſitas connotari, vt vna forma entitativè eadem præſtet diverſos effectus formales primarios; omnis diſtinctio realis formarum prorſus relegatur.

28 Secundo probatur concluſio. Vbi dantur duæ eſſentiæ completæ, ita vt quælibet illarum directè pertineat, imo, & conſtituat ſpeciale genus entis realis, debent dari duæ exiſtẽtię, vna cuilibet illarum correſpondens; ſed in actione, & paſsione dantur duæ eſſentiæ completæ, ita vt quælibet illarum directè pertineat, & conſtituat ſpeciale genus entis realis; ergo actioni, & paſsioni debẽt correſpondere duæ exiſtentiæ: ſed ſi eſſent vna, & eadem entitas, vnica tantum exiſtẽtia exiſterent: quia vnica exiſtentia ſufficit, vt exiſtant omnia ea, quæ identificantur cum re, quæ exiſtit ergo.

Maior videtur certa: Nam eſſentiæ completæ prędicamentaliter debetur ſua exiſtẽtia, quæ ſit vltima actualitas in linea cõmuniſsima entis: ergo vbi datur duplex eſſentia cõpleta de linea entis realis, debet dari duplex exiſtentia realis: min. etiam eſt evidẽs, quia actio, & paſsio conſtituunt duo prædicamenta, vt dictum eſt.

29 Si dicatur, quod actioni, & paſsioni debentur duæ exiſtentiæ, non diſtinctæ realiter, ſed tantum per rationem.

Contra eſt, nam cum exiſtentia ſit vltimus, actus eſſentiæ, vt individuæ, vbi datur vnica tantum exiſtentia realis (licèt diverſa per rationem) vnicũ tantum datur individuum; ſed repugnat. puod ex duplici eſſentia adæquata directè pertinente ad prædicamentum, vnum tantum reale conſtituatur individuum: ergo repugnat, quod duplici eſſentiæ adæquatæ, &c. vnica tantum realis correſpondeat exiſtentia.

§. II.

Aliqua ex dictis colliguntur.

30 EX his coliges 1. actionẽ, & paſsionem realiter differre à motu, cõſtat: Tũ quia nequit motus idẽtificari realiter ſimul cum actione, & paſsione, quia vna, & eadẽ res ſivè modus nequit idẽtificari cũ rebus inter ſe realiter diſtinctis, vt patet: nec etiã poteſt idẽtifica-

cari cum actione tantum, nec cum paſsione tantum, quia non eſt maior ratio cur identificetur cum vna, potiuſquam cum alia, cum æque connectatur cum vtraque, & ab utraque dependeat.

Tum quia id quod præciſe eſt modus, & nullo modo pertinẽs directe ad aliquod ex prædicamentis, ſed indifferens, vt reducatur adhoc, vel illud prædicamẽtum, nequit idẽtificari cũ rebus directe pertinẽtibus, imò & conſtituentibus prædicamenta; ſed hoc modo ſe habent motus, actio, & paſsio: ergo.

31 Coliges 2. motum ſolum differre modaliter ab actione, & paſsione; cõſtat: quia diſtinctio quæ verſatur inter extrema quorũ omnia, vel vnũ illorũ eſt modus, eſt diſtinctio modalis, ſed actio, & paſsio, vel ſunt modi, vel ad minus motus comparatur ad illas vt modus: ergo.

Colliges 3. quod ſi, ratio entis ſumitur pro eſſentia entis completa directe ponibili in prædicamento, actio, & paſsio ſunt duo entia, & in hoc ſenſu diſtinctio realis inter actionem, & paſſionem poteſt dici entitativa; ſed quia, vt implurimum illa dicuntur diſtingui realiter entitative, quæ poſſunt mutuo ſeparari, & ſic ſeparata exiſtere, quod quidẽ actioni, & paſsioni nequit convenire; in hoc igitur ſenſu actio, & paſsio ſolum modaliter diſtingũtur: vt in ſimili diximus de diſtinctione relationis à ſuo fundamẽto

Argumenta tàm à ratione, quàm ab authoritate, quibus identitas realis actionis, paſsionis, & motus ſolet probari; Art. ſequenti proponemus, & ſolvemus.

ARTIC. III.

Vtrùm actio formaliter tranſiens ſit in agente? An vero in paſſo?

33 Difficultas præſens intra Scholã Di. Thom. pro vtraque parte ſuis eſt fulcita Patronis non inferioris notæ, & quiſque pro ſe ſtare D. Th. non immerito ſuadere cõnatur, vt videbimus teſtimonia ipſius pro vtraque parte proponendo.

34 Subiectum actionis formaliter tranſeuntis eſſe paſſum tenẽt ex noſtris Capreolus, Sõcin. Ferrera, Soto, Maſius, PP. Carmelitæ, Araujo, Lerma, Prado; extra Scholã D. Tho. Pereir. Toletus, Rubius, & alij plures Recentiores cum Suarez.

Per oppoſitum actionem formaliter tranſeuntem, eſſe ſubiective in agẽte tribui ſolet Avicenæ, Scoto, & omnibus Scotiſtis; ex noſtris illam tenet Caietanus, Bergom. Flandr. Mag. S. Thoma, Ortiz, & plures alij Thomiſtæ, ut Zumel, Ripalda, Nazar. Silvius, Deza, & alij.

35 Sed pro maiori claritate adverte 1. actionẽ ſumptam pro relatione agentis ad paſſum ſubiectari in agente; *Tum* quia relatio

latio agentis opponitur relationi patientis, & conſequenter ſi hæc eſt in paſſo, altera debet eſſe in agēte, *Tum* quia ibi inhæret relatio, vbi præſtat relativam denominationem, ſed à relatione agētis ſolum agens denominatur: ergo.

Adverte 2. quod actio, ſecundum proprium conceptū actionis, non petit ſubiectum inhętionis, ſed ſolū denominationis: *Vnde ſi per impoſsibile poneretur eſſe aliquam actionem, quæ non eſſet accidens, non eſſet inhærens, & tamen denominaret agentem, & tunc agens denominaretur per id quod ab eo eſt, & inteo nō eſt vt inhærens.* Verba ſunt D. Thom. in 1. diſt. 32. quſt. 1. artic. 1.

Cum quo tamen ſtat, quod actio creata formaliter tranſiens eſſentialiter petat aliquod ſubiectum cui inhæreat, conſtat etiam ex Div. Thom. quæſt. 7. de Potentia artic. 9. ad 7. *Actio ex hoc, quod eſt actio conſideratur, vt ab agente: in quantum vero eſt accidens conſideratur in ſubiecto agente.*

§. I.
Vnica Concluſio.

36 A*Ctio formaliter tranſiens eſt in agente.* Prob. 1. varijs teſtimonijs D. Tho. 2. contrag. cap. 9. ratione 4. *Actio, quæ non eſt ſubſtantia agentis, ineſt ei ſicut accidens ſubiecto, vnde, & actio inter novem prædicamenta accidentis computatur.* Et quæſt. 7. de Potent. artic. 10. ad 1. increatis *Ipſa actio media eſt quædam perfectio propria agentis.*

Denique in 2. diſtinct. 1. q. 1. art. 5, ad 11. *Quod agens agit actione media, quæ non eſt eſſentia ipſius operantis, & in talibus non poteſt ſequi effectus novus ſine nova actione, & novitas actionis facit aliquam mutationem in agente prout eſt exiēs de otio in actum.*

Et in eodem libro diſtinct. 40. quæſt. 1. artic. 4. ad 1. *Cum actio ſit in agente, & paſsio in patiente, non poteſt eſſe idem numero accidens, quod eſt actio, & accidens, quod eſt paſsio: cum vnum accidens non poſsit eſſe in duobus ſubiectis.* Et quæſt. 8. de Potent. artic. 2. ait. *Nihil prohibet aliquid eſſe inhærēs, quod tamen non ſignificatur vt inhærens; ſicut etiam actio non ſignificatur vt in agente; ſed vt ab agente, & tamen conſtat actionem eſſe in agente.*

37 Dices 1. ad primum teſtimonium, ibi loqui D. Tho. de actione Dei, quæ eſt formaliter immanēs, & ſolum ſimilitudinariè, & quoad efficientiam dicitur tranſiens, & hæc formaliter eſt in agente, quando non eſt ſubſtantia agentis.

Contra eſt, nam actio, quæ eſt accidens con paratum inter novem genera accidentis, eſt actio, quæ conſtituit ſpeciale prędicamentum accidentis, quod dicitur actio; ſed huiuſmodi actio non eſt formaliter immanens, ſed prorſus formaliter tranſiens: er-

ergo: maior videtur certa: nam actionem computari inter novē genera accidentis eſt actionem eſſe accidens ponnēs in numero cum reliquis generibus accidē-tis, hoc eſt conſtituens vnum ex novem prædicamentis accidētis quod quidem verificari nequit de actione, quæ vel pertinet ad prædicamētum qualitatis, vel reductivè tantum pertinet ad prędicamentum actionis.

38 Dices 2. ad ſecundum teſtimonium, ibi ſermonem eſſe, vel de perfectione extrinſeca agentis, quatenus per actionem tranſeuntem tendit ad conſervationem ſuæ ſpeciei: vel ſi eſt ibi ſermo de perfectione intrinſeca; ſumitur actio pro relatione agē-tis, quæ eſt agenti intrinſeca.

Contra eſt 1. nam incongrue, & forte falſo dicitur, quod relatio agentis eſt perfectio intrinſeca agentis; quia valde probabile eſt, relationem nullam dicere perfectionem.

2. Nam totam perfectionem ſi aliqua eſt in relatione, haurit à fundamento; ſed fundamētum relationis agentis eſt actio: ergo repugnat, quod actio non ſit perfectio intrinſeca agentis, & quod illius ſit perfectio intrinſeca relatio fundata in actione.

3. Nam D. Thom. expreſſe aſſerit ibi, actionem mediam eſſe perfectionem propriam agentis; ſed ibi loquitur de agente comparative ad paſſum; cum aſſerat, *agens, in quantum agens, non eſt extra veum à genere patientis, in quantum patiens*: ergo loquitur de perfectione ita propria agentis, vt non ſit propria paſsi; ſed actio intrinſecè recepta in paſſo, & extrinſeca agēti non eſt propria perfectio agētis, ſed potius paſsi, quia perfectio aliqua proprius convenit illi, cui eſt intrinſeca, quam cui eſt extrinſeca: ergo.

Denique, nam diverſo modo loquitur D. Thom. de perfectione, quæ advenit agenti per actionē mediam, & per terminum actionis; de actione dicit: *Quod eſt perfectio propria agentis*: de termino actionis ait ibidē: *Quod eſt bonum agentis ex conſequenti*; ſeu bonum, & perfectio conſequta ex perfectione ſibi propria, quæ eſt actio; ſed terminus actionis eſt ſolum perfectio extrinſeca agē-tis: ergo actio erit illius perfectio intrinſeca.

39 Dices 3. ad tertium teſtimonium, quod ibi, vel loquitur de actione formaliter immanente, & virtualiter tranſeunte; vel de actione ſumpta pro relatione agentis, quæ recepta in agēte dat ei aliquem actum, quo mutatur, licèt nō phyſicè, & proprie, ſaltem communiter.

Contra vtramque expoſitionem ſtant ipſa verba D. Tho. in quibus licèt loquatur D. Tho. de agente per voluntatem; non tamē loquitur de actione voluntatis, quæ eſt immanēs; ſed de actione producēte effectū novum, quæ formaliter tranſiens eſt: vt con-

conſtat ex maiori aſſumpta à D. Thoma ad formandum argumẽtum 11. *Omnis actio, vel motus, quæ eſt ab agente, &c.* vbi aperte loquitur de actione inferente motum, quæ eſt formaliter tranſiens.

Denique violenter applicatur relationi agentis, quod ſit actio, qua mutatur agens, qua exit de otio in actum, & ex qua ſequitur effectus novus: cum relatio ſupponat mutationem in agẽte, ſupponat exitum illius in actum; & potius ipſa ſequitur ex actione quã ex ipſa ſequatur effectus.

40 Denique dices ad reliqua teſtimonia, ibi ſermonem eſſe, vel de relatione agentis, vel de actione non in eſſe phyſico, ſed in eſſe morali, cuius bonitas, vel malitia reſidet in actu voluntatis regulante actus exteriores.

Contra 1. incongrue dicitur: *Accidens quod eſt paſsio, & accidens eſt actio* de relatione agẽtis ad paſſum, & ècõtra; ergo ibi D. Thom. non ſumit actionem, & paſsionem pro relationibus, ſed pro ipſa actione, & paſsione fundantibus ipſas relationes.

2. Nam D. Thom. ſolvit argumentum in quo aſſumit pro maiori identitatem actionis, paſſionis, & motus vt dicitur in 3. phyſicor. & reſpondet: *Quod non ſunt idem numero accidens, quia actio eſt in agente & paſsio in patiente, & id in accidens non poteſt eſſe in diverſis ſubiectis*: ergo loquitur de actione, & paſsione in eodẽ ſenſu in quo acõtrarijs ponuntur identificatæ, & ſubiectivè in paſſo, aliàs argumentum non ſolveret, & illud ſolvit negando maiorem.

Denique, quod non loquatur de actione præciſſe, vt morali cõſtat: *Tum* quia loquitur de actione, vt inferente motum, & paſsionem, quod quidem convenit actioni in cõſideratione phyſica: *Tum* quia actio externa inferens paſsionem, & ipſa paſsio illata, prout illata, in genere moris præciſſe, potius eſſent vnum numero accidens, cum vnica libertate gauderet qua conſtituũtur in eſſe moris; nec repugnantia de eo, quod idem numero accidẽs poſsit eſſe in duobus ſubiectis ſalvatur præciſſe, ſi accidentia conſiderentur in genere moris, ſed in eſſe phyſico.

§. II.

Ratio pro concluſione.

41 Potentialitas agentis actione formaliter tranſeunte nequit reduci ad actum, niſi per actionẽ formaliter tranſeuntem; ſed potentialitas agentis actione formaliter tranſeunte eſt illi intrinſeca, ergo nequit reduci ad actum, niſi per actionem formaliter tranſeuntem illi intrinſecam; ſed actio formaliter tranſiens non eſt intrinſeca agenti, niſi in illo recepta: ergo recipitur intrinſecè in agente.

Di-

42 Dices 1. quod ſi per potentialitatem agentis intelligatur potentia paſsiva, ſeu receptiva hæc non eſt in agente actione tranſeunte, niſi reſpectu Dei, à quo reducitur de potentialitate ſua ad actum, vt agat actione tranſeunte, média motione Dei in ipſo recepta, reſpectu vero actionis, motus, & effectus proprie non habet potentialitatē, ſed potentiā prout hæc eſt idem ac principium activum, quod quidem reducitur ad actū non in ipſo receptum, ſed ab ipſo factum in alio.

43 Dices 2. quod potentialitas agentis actione tranſeunte reducitur ad actum per hoc præciſe, quod realiter emittit motum, & effectum; non vero per hoc, quod actum aliquem in ſe recipiat quia non eſt potentia ad recipiendum, ſed ad emittendum realiter.

44 Contra primam ſolutionem obſtat 1. agens actione formaliter tranſeunte non ſolū eſt in potentia intrinſeca ad actum, vt agat, ſed etiam ad actum, quo agit: ergo ſicut ad actum vt agat reducitur per aliquid ipſi intrinſecum derivatum à prima cauſa, ita ad actum, quo agit debet reduci per ipſum actum ipſi intrinſecum ab ipſo derivatum; ſed hic actus eſt actio formaliter tranſiens: ergo. Conſeq. cum min. ſubſumpta conſtat, & antecedens prob. Agens actione formaliter tranſeunte ſine actu, quo agit non eſt in vltimo actu lineæ operativæ; ſed quod eſt intrinſecè in aliqua linea, & non eſt in vltimo actu talis lineæ, eſt in potentia intrinſeca ad talem actum: ergo agens actione tranſeunte eſt in potentia intrinſeca ad actum, quo agit.

Explicatur: agens actione tranſeunte, non ſolum habet potentiam ſumptam pro principio activo actionis, ſed etiam eſt in potentia intrinſeca ſumpta pro potentialitate ad actionem; ſed potentialitas intrinſeca non aufertur, niſi per actum intrinſecum illi correſpondentem: ergo. Min. conſtat prob. mai. quod eſt intrinſecè in aliqua linea, & non identificat vltimum actum talis lineæ, eſt in potentia intrinſeca ſumpta pro potētialitate ad talem vltimum actum; ſed agens actione tranſeunte eſt intrinſecè in linea operativa, cum in tali linea ſit conſtitutum per principium proximè operativū, quod eſt illi intrinſecum, & non identificat ſecum operationē, quæ eſt vltimus actus talis lineæ: ergo eſt in potētia intrinſeca, ſumpta pro potentialitate ad actionem tranſeuntem.

45 Obſtat 2. Licèt agens ſub præciſſa ratione agentis ſolum exigat potentiam activam ſumptam pro principio activo operationis; tamen omne agens creatum, qua ratione eſt creatum, ſaltem ex conſequēti exigit potentiam paſsivam, ſeu recepti-

tivam ſuæ operationis; ergo agẽs actione formaliter tranſeunte non ſolum eſt in potentia activa; ſed etiam paſsiva, reſpectu talis actionis: aſſumptũ prob. *Tũ* quia non minus eſt de conceptu actionis eſſe ab agente, quam de conceptu agentis ratio principij activi; ſed quamvis de conceptu actionis, vt actio eſt, ſit eſſe ab agẽte: non eſt extra conceptum illius vt eſt creata, & accidens, inhęrẽtia in agente, vt ſupra vidimus ex D. Thom. & in actione immanẽte videtur clare: ergo non erit extra conceptum agẽtis creati, eſſe non ſolum in potentia activa, ſed etiam paſsiva reſpectu propriæ actionis.

Tum: Quia agens actione immanente, perfectius, & actualius eſt, quam agens actione formaliter tranſeunte; cum actio immanens ſit actus perfecti, vt ſupra vidimus ex Philoſopho, & D. Th. ſed non eſt contra perfectionem agentis actione immanẽte, quod ſit in potentia, nõ ſolum activa, ſed etiam paſsiva reſpectu operationis, cuius eſt agens, ergo pariter.

Et confirmatur: agens ita pure agens, quod reſpectu propriæ actionis, nullo modo eſt in potentia paſsiva, & caret omnipotentialitate; perfectius, & actualius eſt in ratione agentis, quã agens, quod eſt in potẽtia activa, ſimul, & paſsiva, ſeu receptiva propriæ actionis: ſed ſi actio trãſiens non eſſet in agente, illi cõveniret eſſe pure agens, quod quidem non conveniret agenti actione immanente: ergo hoc eſſet imperfectius illo, quod eſt falsũ.

Tum denique, quia ideò non eſt contra rationem, & perfectionem agentis creati actione immanente, comparari ad ſuam actionem, non ſolum activè, ſed etiã paſsivè; quia illius activitas, vtpote agentis creati, & limitati, non poteſt identificare vltimam perfectionem, & vltimum actum lineæ activæ, & operativæ, & cõſequenter debet eſſe in potentia ad illum; ſed hæc ratio currit etiã in activitate agentis actione formaliter tranſeunte: ergo debet eſſe in potentia receptiva actionis tranſeuntis, quæ eſt vltimus actus ſuæ activitatis.

46 Ex his etiam manet impugnata ſecunda ſolutio: *Tum* quia potentialitatem agentis reduci ad actũ, per hoc quod realiter emittit motum, & effectũ; eſt formaliſsime reduci ad actũ per ipſam realẽ emiſsionem motus, & effectus; ſed illa realis emiſsio motus, & effectus, nihil aliud eſt, quam ipſa actio formaliter tranſiens, cum talis actio nihil aliud ſit, quam id quo exit effectus ab agẽte, & id quo exit, eſt id quo agẽs illum emittit, ſeu emiſio illius: ergo potentialitas agẽtis actione tranſeunte reducitur ad actum per ipſam actionẽ tranſeũtẽ; ſed talis potentialitas eſt intrinſeca: ergo nequid auferri ab agẽte, niſi actio tranſiẽs ſit illi intrinſeca;

Tum quia dum agens emittit realiter motum, & effectum, actualius, & perfectius eſt, quam dum realiter non emittit illum; ſed nihil eſt actualius per hoc, quod illi eſt extrinſecũ: ergo.

Tum denique: Nam realiter emittere effectum, quem antea non emittebat realiter, nequit non mutare phyſicè, & realiter agens creatum; cum per talem realem emiſsionem ab intrinſeco ortam aliter ab intrinſeco ſe habeat nunc, ac prius; ſed phyſica, & realis mutatio agentis nequit intelligi, niſi per hoc, quod vel ab eo auferatur aliquid, quod antea habeat, vel ei ſupperaddatur aliquid, quod antea non habebat: ergo cũ per realem emiſsionem nihil ab agẽte auferatur, neceſſariò debet ei aliquid ſuperaddi reale, quod quidem nequit eſſe aliud, quam ipſa actio.

§. III.

Dil vuntur argumenta.

47 Obijcies 1. ex D. Th. 9. metaphyſicæ lect. 8. *Ipſa actio eſt in facto, vt ædifficatio in eo quod ædifficatur, & ædifficatio ſimul fit, & habet eſſe cum domo*: Cuius rationem aſsignat dicens: *Quia quando, per actionem potentiæ conſtituitur aliquod operatum illa actio perficit operatum, non operantem, vnde eſt in operato ſicut actio, & perfectio eius, non autem in operante.*

Et 1. p. quæſt. 41. art. 1. ad 2. & alibi ſæpè aſſerit: *Quod ſi ab actione auferatur motus, non remanet niſi relatio*: Quod verum non eſſet ſi præter relationem, & motum, actio importaret aliquid abſolutum ex parte agentis: & 1. p. quæſt. 37. artic. 2. & quæſt. 7. de Potentia artic. 10. ad 8. docet; quod poteſt aliquid denominari per id quod ab ipſo procedit, vt agens ab actione quæ non eſt forma agentis niſi ſolum grammaticaliter: quod falſum eſſet, ſi actio eſſet in agente.

Deinde 1. 2. quæſt. 74. artic. 1. in corp. ait: *Actuum autem quidam tranſeunt in exteriorem materiam, vt vrere, & ſecare, & huiuſmodi actus habent pro materia, & ſubiecto, id in quod tranſit actio; ſicut Philoſophus dicit in 3. Phyſicorum, quod motus eſt actus mobilis à movente.*

Rurſus quæſt. 10. de Potentia artic. 1. *Eſt autem duplex operatio, quædam quidem tranſiens ab operante in aliquod extrinſecum, ſicut calefactio ab igne in lignum, & hæc non eſt perfectio operantis, ſed operati: non enim aliquid adquiritur igni, ex hoc quod eſt calefaciens, ſed calefacto adquiritur calor.*

48 Denique cum motum, & paſsionem recipi in paſſo ſit notum; ſi actio cum eis identificatur, notum erit actionem eſſe in paſſo: pro identitate horũ trium ſtat Philoſoph. hic textu 18. & ibidem Div. Thom. lect. 4. dicens; *Oſtendit quod idem ſit ac-*

tus moventis, & moti, moventis enim dicitur in quantum aliquid agit, moti autem in quantum patitur, ſed idem eſt, quod movens agendo cauſat, & quod motum patiendo recipit: & paulo infra: *Idem eſt, quod eſt à movente vt à cauſa agente, & quod eſt in moto, vt in patiente, & recipiente.*

Idem habet Philoſoph. textu 21. & 22. vbi Dıv. Thom. lect. 5. ait: *Idem actus ſecundum rem eſt duorum ſecundum diviſam rationem; agentis quidem ſecundum quod eſt ab eo, patientis autem ſecundumquod eſt in ipſo.* Alia quam plurima adducunt teſtimonia, tam pro identitate actionis, & paſsionis, quam pro receptione actionis in paſſo, quæ ad relata difficultatem non addunt, & eadem ſolutione ſolventur.

49 Dubitari nequit his, & ſimilibus teſtimonijs fundari maximè probabilitatem ſententiæ oppoſitæ, ſed quia noſtra ſententia non minoris ponderis teſtimonijs fulcitur, vt ſupra vidimus, & quod magis eſt, expoſitio eorum quæ nobis obijciūtur, nō leviter fundetur in ipſo Sancto Doctore, fit vt noſtra ſententia cōformior ſit menti D.Toh.

Aſſerit namque in 1. diſtinct.40.quæſt. 1. artic. 1. ad 1. quod vt tradditPhiloſoph.9.metaph. *Actionum quædam tranſeunt in exteriorem materiam, circa quam aliquem effectum operantur, vt patet in actionibus naturalibus, ſicut ignis calefacit lignum, & in artificialibus, ſicut ædifficator facit Domum ex materia, & in talibus actio eſt recepta in eo quod fit per modum paſsionis, ſecundum quod motus eſt in moto, vt in ſubiecto; & ideo in talibus eſt invenire actionem in re agente, & paſsionem in re patiente.*

In quibus verbis habes 1. aperte noſtram concluſionem; nempè quod in agentibus actione formaliter tranſeunte, vt ſunt ignis calefaciens lignum, & ædificator faciensDomum, actio eſt in agente, & paſsio in patiente.

Habes 2. vltra iſtam actionem, quæ eſt in agente; aliam receptam in paſſo deſignatam eiſdē verbis quibus in teſtimonijs, quæ nobis obijciuntur, actio in paſſo dicitur recipi, in quo fūdatur ſententia oppoſita.

Habes 3. quod hæc actio, quæ à Divo Thoma collocatur in paſſo, ſicut motus in moto; vocatur ab ipſo indifferenter actio, vel paſsio: Tum quia dicit: *Quod eſt recepta in eo quod fit per modū paſsionis*: Tū quia paulo infra ſubdit: *Operatio enim agentis, quædā eſt, vt tranſiens in effectum, & hæc propriè actio, vel paſsio dicitur; vnde invenitur calefactio paſsio.*

Ex quo infertur, quod ſicut paſsio prædicamentalis; vt conſtat ex illius diffinitione: *Eſt illatio, effectuſque actionis prædicamentalis*: Ita actio recepta in paſſo, quæ idē eſt, quod ipſa paſsio, erit illatio, & effectus alterius actio

tio

tionis, quæ eſt in agente, quæ proprie conſtituit predicamentum actionis.

Rurſus infertur, cum quanto fundamento in Divo Thoma, quidam Authores noſtræ ſententiæ diſtingunt duplicem actionem, aliam quæ dicitur *actio agens*, quam ponunt in agente; aliam quæ dicitur *actio acta ſeu effecta*; quæ ſubiectatur in paſſo, quarum prima conſtituit prædicamentum actionis; ſecunda vero pertinet ad prædicamentum paſſionis cum ſit ipſa paſsio prout ab agente illata, & effecta ab actione, quæ eſt in agente.

50 Habes denique claram expoſitionem ad omnia teſtimonia D. Thomæ nobis obiecta, fundatam in ipſo. *Quare* ad 1. reſpondetur loqui de actione acta, ſeu effecta, non de actione agente, illa enim perficit tantum operatum, non operantem, niſi forte extrinſecè; cum quo ſtat, quod actio agens perficiat intrinſecè operantem.

Ad 2. dicimus, quod ablato motu ab actione, ſolum relatio agentis remanet, non ita vt ly *ſolum* excludat fundamentum talis relationis, quod eſt actio in agẽte, ſed tantum excludit alias relationes, quæ ſupra motum, & paſſionem fundantur.

Ad 3. dicimus, quod actio ſub conceptu proprio actionis, hoc eſt prout ab agente, ſub qua ratione non ſignificatur, vt inhærens, & præbet denominationem agentis, ſolum eſt forma agentis grammaticaliter; cum quo compatitur, quod vt eſt accidens, & actus agentis, ſit vera illius forma, vt ſuprà vidimus ex D. Thoma.

Ad 4. & 5. conſtat ſicut ad primum, & cum dicitur, quod nihil adquiritur igni ex hoc, quod eſt calefaciens, ſed calefacto adquiritur calor: debet intelligi de adquiſitione novi effectus, vel formæ permanentis, vt eſt calor; non vero de acquiſitione novi exercitij, & actualitatis, vel formæ tranſeuntis, qualis eſt actio.

Ad teſtimonia, quibus probatur identitas actionis, & paſsionis, patet ex dictis; ibi ſermonem eſſe de actu, ſeu actione acta, vel effecta, non vero de actu quo agit & movet, vt patet ex illa propoſitione: *Idem eſt, quod movens agendo cauſat &c.* Non enim ait: *Idem eſſe quo movens agendo cauſat, &c.*

51 Obijcies 2. ſequitur ex noſtra ſententia, nullam eſſe differentiam inter actionem formaliter immanentem, & formaliter tranſeuntem, conſequens eſt falſum: ergo. Sequela prob. *Tum* quia non differunt per hoc quod vna effectum ad extra producat, alia vero non: quia actio productiva Dei ad extra eſt formaliter immanens.

Tum quia non differunt per hoc, quod actio formaliter tranſiens per ſe primo ordina-

natur ad perficiendum aliud ab agente, immanes vero ſolum perficit agens: nam omnis actus per ſe primo ordinatur ad perſiciendum ſubiectum in quo recipitur: ergo ſi actio tranſiens recipitur in agente, per ſe primo perficit illud. Preterquamquod ideò actionem tranſeuntem ponimus in agente, vt illud compleat, vltimo actuet, & reducat de ſua potētialitate; ſed hæc munera primario attribūtur actioni: ergo.

52 Confirm. 1. Actio manens entitativè in agente, licèt extra aliquid efficiat, ſolum erit virtualiter tranſiens: ergo ſi omnis actio tranſiēs manet entitativè in agente, non erit formaliter, ſed tantum virtualiter tranſiens: ac ſubinde non diſtinguetur ab actione formaliter immanente Prob. antec. Actio manens ſubiectivè, & entitativè in agente dicitur tranſiens, non ratione ſui, ſed ratione ſui effectus, cū ipſa non tranſeat, ſed ſuus effectus; ſed hoc eſt eſſe tranſeuntē virtualiter: ergo.

53 Confirm. 2. Quod in ſe non tranſit ad aliud, ſed ſolum infert, vel cauſat id quod tranſit ad aliud, non tranſit formaliter, ſed illativè, vel cauſaliter aut virtualiter: ergo.

54 Negatur ſequela, ad 1. diſtinguo anteced. per hoc, quod vna effectum ad extra producat primo, & per ſe, nego antecced. per hoc, quod illū producat abſolute, ſecundario, aut ex conſequenti; omitto antec. actio formaliter immanens, vel nullo modo habet effectum ad extra producere, vt ſunt actiones intellectus, voluntatis, & ſenſuum; vel ſi effectum ad extra producit, vt contingit in intellectione, & volitione divina, quibus in probabiliori ſententia, Deus effectus producit ad extra; hoc non convenit illis actionibus primo, & per ſe: *Tum* quia nihil Dei per ſe primo ordinatur ad aliquid extra ipſum: *Tum* quia intelligere, & velle ex conceptu ſuo ſunt actus immanentes, & primo, & per ſe ordinati ad intelligendum, & volendum obiectum divinum.

Si autem cum aliquibus dicatur, omnipotentiam, ſeu potentiam productivam Dei eſſe attributum Dei diſtinctū ab intellectu, & voluntate, cum eiſdem dicetur, Deum agere ad extra actione formaliter tranſeunte, quod quidem non eſſe extra mentem D. Thomæ putant aliqui Thomiſtæ; & in hoc ſenſu nulla vis manet in argumento.

Actio formaliter tranſiens, & creata, licèt maneat in agente, per ſe primo eſt inſtituta à natura, vt ſit id quo agens materiam externā immutat, & perficit medio motu, & paſsione; quod quidem actioni formaliter immanenti, & ſi virtualiter tranſeunti convenire non poteſt.

Per quod patet ad 2. actio enim formaliter tranſiens;

li-

licèt per ſe primo quaſi executive, ordinetur ad perficiendum agens, illud actuando, complendo, & reducendo de potentia ad actum; non tamen ordinatur ad perficiendum illud, per ſe primo quaſi intentivè: per quod differt ab actione immanēte, hæc enim per ſe primo intenditur, propter perfectionem agentis in quo manet; tranſiēs vero perficit agens, vt actuatum illa alia perficiat.

55 Ad 1. confirm. diſtinguo anteced. ſi maneat in agente, & per ſe primo ſit inſtituta à natura, vt ſit id quo agens extra ſe operatur, neg. antec. Si maneat in agente, ita vt per ſe primo ſit inſtituta à natura, vt maneat, & ex conſequenti, & ſecundario, vt agēs cum illa extra ſe operetur, concedo antec. Denominatio enim tranſeuntis formaliter in actione, non ſumitur à tranſitu entitativo, & quaſi ſubiectivo ipſiuſmet actionis in aliud (hic trāſitus potius eſt materialis ipſius entitatis actionis) ſed ex fine propter quem eſt inſtituta à natura, quod quidem eſt formalius in actione.

Finis enim propter quem omnis actio formaliter tranſiens per ſe primo eſt inſtituta à natura, eſt vt ſit id quo agens, tanquam actualitate, & cauſalitate ſua, operetur in materia externa: quod quidem convenit actioni, quamvis entitative non tranſeat in materiam externam: hoc autem actioni formaliter immanenti convenire nequit: quia omnis actio formaliter immanens ſivè increata, ſivè creata, quamvis habeat effectum aliquem ad extra producere, hoc nō convenit illi primo, & per ſe, nec propter hoc eſt per ſe primo inſtituta à natura, ſed tantum illi convenit ex conſequenti: vt videre eſt in actione productiva Dei, & Angelorum, ſi ſolū eſt virtualiter tranſiens; ſunt enim actiones intellectus, & voluntatis, quibus producere ad extra convenit ſolum ex conſequenti.

Cum autem propriſsima denominatio actionis formaliter tranſeuntis debeat ſumi ab eo, per quod propriſsime differt ab omni actione formaliter immanente; & ſine eo quod actio trāſiens tranſeat entitativè: ſalvetur propriſsima differentia illius ab omni actione formaliter immanente, ex fine propter quem eſt per ſe primo inſtituta à natura; ſit vt ab iſto fine, & non à tranſitu materiali, & entitativo ipſius actionis dicitur propriſsime actio formaliter tranſiēs. Per quod patet ad 2. confirmationem.

56 Sed inſtas: actio generativa vivētium eſt actio formaliter immanens, cū ſit actio vitalis manēs in vivente per illam, & tamē eſt primo, & per ſe ordinata, & inſtituta à natura ad operandum extra ipſum agens: ergo.

57 Reſpondent aliqui, diſtinguendo duos actus vitales, alterum, quo vivens vivit ad ſe, ideſt ob propriam perfectionem: alterum, quo vivit non ad ſe, ſed ad perfectionem alterius: primus dicitur vita immanens, ſecūdus dicitur tranſiens, & huiuſmodi eſt actio generativa: alij in generatione diſtingunt, & actionem productivam ſeminis, & actionē generativam; prima eſt vitalis, & immanens: ſecunda eſt tranſiens, & vitalis ſolum virtualiter, quatenus derivatur ex principio vitali, & tendit ad dandam vitam.

Sed quidquid ſit de hoc, de quo ſuo loco. Inſtantia magis vrget adverſarios, qui ex una parte videtur non poſſe negare, generationem eſſe actionem formaliter tranſeuntem, vt admittunt cōmuniter Philoſophi; & ex alia, cum ſit vitalis, debet manere in agente ſe movente per illam: nos autem, qui actionem formaliter tranſeuntem ponimus manere in agente; poſſumus componere, quod generatio ſit formaliter tranſiēs, quatenus per ſe ordinatur ad extra, & quod ſit vitalis, quatenus agens illam recipit, & elicit.

58 Tertio obijcies: dantur potentiæ quarum actiones, quibus reducuntur ad actum, ſunt in alio, & non in ipſis potētijs: ſed iſtæ potentiæ agunt actione tranſeūte: ergo. Prob. mai. Quia non eſt, cur non debeāt dari huiuſmodi potentiæ ad perfectionē vniverſi. 2. quia debet dari potentia eſſentialiter ordinata ad aliquod operatum à ſe emanās: ergo ordinata ad hoc vt actio, quæ emanat ſit extra ſe. Denique dari debet potētia ad emittendum actum, ſicut datur potētia ad illum habendum, ergo datur potentia cuius actus ſit à ſe emiſſus, & receptus in alio.

59 Negatur mai. ad 1. probationem negatur antec. potius ad perfectionem vniverſi cōducit oppoſitum, vt ex ratione concluſionis colligitur. Ad 2. nego conſequentiam; imò retorqueo argumentum: datur potentia eſſentialiter ordinata ad aliquid operatum extra operantē, quamvis potentia maneat intrinſecè in operante: ergo debet dari actio eſſentialiter ordinata ad aliquid operatum extra operantē, manens intrinſecè in ipſo operante, quæ eſt actio formaliter tranſiens, à nobis explicata: prob. conſeq. ex ratione noſtræ concluſionis: vnde actus alicuius potentiæ debet illi proportionari, & ſicut potētia intrinſeca in agēte poteſt eſſentialiter ordinari ad operandum aliquid extra agēs, ita actio illi correſpondēs, quamvis intrinſeca in agente, poteſt eſſentialiter ordinari ad operandum aliquid extra agens: per quod ab omni actione immanēte, ſivè productiva ſit, ſivè non, diſtinguitur, & formaliter tranſiens conſtituitur.

Ad vltimam diſting. anteced. ad emittendum actum, *vt quod*, ita vt actuatus tranſeat ad aliud, nego antecedẽs: Ad emittendum actum *vt quo*, ita vt actus ſit ipſa emiſsio illius, quod tranſit ad aliud, concedo antecedẽs: potentia ad habendum actum, ſivè agẽs actione immanente diſtinguitur à potẽtia ad emittendum, ſivè agẽte actione tranſeũte, non per hoc quod ſecunda actum ſuum extra ſe emittit in aliud; ſed per hoc quod ſuus actus eſsẽtialiter eſt emiſsio alicuius effectus extra ſe: quod non convenit primæ potentiæ.

6 Obijcies 4. motus ſubiectatur in mobili, & paſſo; ſed motus identicè eſt actio trãſiens: ergo hæc ſubiectatur in paſſo. Prob. min. *Tum* quia motus egreditur ab agente non vt quod, ſed vt quo, ideſt eſt ipſa egreſsio effectus; ſed actio creata nihil aliud eſt, quam egreſsio effectus ab agente: ergo. *Tum* quia per hoc quod intelligatur calorẽ egredi ab igne medio motu, intelligitur calor ille vt effectus ignis. ergo intelligitur ignem actu efficere calorem: ergo intelligitur actio ignis, & ignis actu agens.

61 Diſtinguo min. Identicè eſt actio acta, vel effecta, omitto. Min. actio agẽs per modum primi exercitij agentis. Nego min. ad 1. probat. quatenus poteſt obſtare, diſtinguo maior. Motus egreditur ab agẽte vt *quo* per modum actionis, vel actus imperfecti, & vialis, cõcedo mai. per modum primi exercitij, & actualitatis agenti, nego mai. & diſtinguo min. Egreſsio qua primo actuatur, & exercetur agens, conced. min. Egreſio mediata, & illata ſubdiſtinguo, eſt actio creata effecta; omitto vel conced. min. Actio creata agẽs, nego min. *Ad 2. dicimus*, quod non poteſt intelligi calor egrediẽs ab igne medio motu, niſi intelligatur actio, quæ ſit egreſsio, tam motus, quam caloris, qua agẽs actuatur, & exercetur, & emittit motum, quo calor in paſſo introducitur, & perducitur

62 Denique obijcies ab inconvenienti. *Sequitur* 1. quod omnis actio tranſiens eſſet vitalis: quod eſt falſum: Prob. ſequela: quia actio vitalis eſt illa, quæ recipitur in eadem potẽtia, qua fit. *Sequitur* 2. quod agens in quantum agens pateretur, & traſmutaretur à propria actione: quod eſſe falſum prob. Quia formalis ratio vnius generis non cõvenit alicui ſubiecto per formalẽ rationẽ alterius; ſed actio, & paſsio ſunt diſtinctæ ſecundum genus: ergo agens in quantum agens non debet pati.

Sequitur 3. quod agens moveretur, cum recipiat actionem tranſeuntem, quæ ſine motu non datur: quod eſſe falſum prob. *Tum* quia ſecundũ eandem partem eſſet movens, & motum; cum ignis recipe-

 ret

ret actionem calefactivam ſecundum eandem rationem ſecundum quam ab illo procedit: *Tum* quia de ratione agentis eſt movere: ergo de ratione illius non eſt moveri, aliàs eſſet idem movens, & mobiſe.

63 Nihil horum ſequitur non 1. quia ad actum vitalem non ſufficit recipi in principio eliciente, ſed vltra requiritur, quod eliciens ſe moveat ad illũ, quia vivere eſt ſe movere, & vt ſe moveat, debet conſtare ex partibus, quarum vna ſit movẽs, & alia mota, quod quidem non convenit omni agenti actione tranſeunte.

Nec ſequitur 2. aliàs nulla daretur actio immanens; etiam nullus habitus productus ab aliqua potẽtia medijs ſuis actibus, poſſet in eadem potentia recipi; nec eſt inconveniens, quod agens creatum, in quantum tale, aliquo modo tranſmutetur; imò hoc eſſe neceſſarium firmat noſtram concluſionem, vt conſtat ex illius ratione probativa: nec receptio actionis in agente conſtituit illam in genere paſsionis; quia paſsio prædicamentum eſt illatio, effectuſque actionis medio motu; actio recepta in agente non fit ab agente media alia actione, & motu, ſed per reſultantiam, & præciſſe cauſatur, vt *quo*: nec verificatur, quod agens, in quantum agens reduplicativè eſt patiens: quia eſt agens in quantum eſt in actu ad agendum à prima cauſa, & alijs cauſis, à quibus actuatur, & determinatur, vt ab illo emanet actualitas propriæ actionis, qua aufertur potentialitas, & otium actus primi; & conſequenter ſicut non eſt in actu, & in potentia ſecundum idem, ita nec eſt agens, & patiens ſecundum idem.

Ex quo infertur non ſequi 3. inconveniens, quia licèt actio tranſiens non detur ſine motu in alio, datur tamen ſine motu in agente, in quo recipitur, quia recipitur in illo non per modum motus, ſed actualitatis inferentis, & cauſantis motum in alio; vnde non eſt idem agens tranſmutari, ac moveri.

QVÆST. XV.

De infinito.

1 DE infinito, plures, & graviores difficultates ſunt Theologici inſtituti: id tantum, quod ad Philoſophos pertinet pure Philoſophicè, clarè, & breviter, quantum materia permiſſerit, diſputare connamur.

ARTIC. I.

Quid, & quotuplex ſit infinitum?

2 Infinitum iuxta Div. Tho. dicitur aliquid ex eo, quod

non

non eſt finitum;res enim finiuntur per terminum,vel finem;vnde infinitum communiſsime acceptum,eſt quod caret termino, & fine,carere termino poteſt ſtare, & negative, & poſsitivè, & privative : carere termino negativè convenit alicui, quod propter ſuā imperfectionē incapax eſt termini,vel quia eſt indibiſibile, vel ipſe terminus,vt punctum, & vnitas:carere termino poſsitive, convenit alicui propter ſuam poſitivam perfectionem,quæ limitari,terminari, aut finiri nequit, vt Deus.carere termino privative, convenit alicui,quod natum eſt terminari,&,non terminatur, vt quantitas:hinc datur infinitū negativè propter imperfectionē, vt punctum;infinitum poſsitive, vt Deus,quia licèt infinitum dicat negationē, & negatio non explicet perfectionem;fundamentum tamen, quod hac negatione explicatur,dicit poſsitivam,& infinitam perfectionem : & infinitum privativè, quod eſt quātum: de hoc vltimo infinito præcipue erit ſermo.

§. I.

Diffinitio infiniti, & illius acceptiones.

3 PHiloſoph. hic cap. 6. text. 62.& ſeq.ait: *Cuius ſemper aliquid eſt extra, hoc infinitum eſt*; Vel aliter: *Infinitum eſt cuius ſecundum quantitatem accipientibus ſemper eſt extra aliquid accipere*. Nota,diffinitionem non eſſe ſic intelligendam, quaſi accepta tota quantitate infiniti,adhuc ſit extra illam aliquid accipiēdum;hoc enim implicat,nempè,quod tota ſit accepta,& aliquid reſtet accipiēdum: ſed eſt ſenſus, infinitum eſt,cuius quantitatis partem finitam accipiētibus,ſemper eſt aliquid extra accipere.

4 Ex quo inferres 1.quod omne illud,quod terminis clauditur,in eo genere,in quo eſt clauſum, nequit eſſe infinitum in actu,ſed ad ſummū infinitum in potētia;quia quidquid inter terminos comprehēdi poteſt, actu terminatū,& finitum eſt; poteſt eſſe infinitum in potētia, ſi ſignato quolibet termino,quē actu habet,vltima illum diviſio, vel additio poſsit tranſire.

5 Inferes 2. quod per additionem, vel augmentum partium nihil poteſt fieri infinitum in actu; quia additio, vel fit per aliquid finitū,vel infinitum:ſi ſecundum: iam ſupponitur infinitas in eo quod additur,& ſic per ipſam additionē non fit infinitum:ſi primū,vel additio fit alicui finitio, vel infinito in actu: ſi finito,nō fiet infinitū, quia finitum additum finito nō facit infinitum;ſi additio fit infinito:ergo nō fit infinitum per additionē, cum ad illam iam ſupponatur infinitum.

6 Dices:ſequitur ex hoc diffinitionem ſupra aſsignatam non convenire omni infinito,ac

ſub-

ſubinde non eſſe bonam, probat. ſequela, non conveniret infinito in actu: ergo. Prob. ant. in Infinito in actu, vel eſt accipere partem quantitatis finitam, vel infinitam: ſi primum: ergo infinitum in actu conſtat partibus finitis; & conſequenter poteſt fieri ex additione illarum; ſi ſecundum, cum illi parti conveniat infinitas, & ſecundum ſe totam accipiatur, erit infinita, quamvis extra illam nihil reſtet accipiendum: quod eſt non cōvenire illi diffinitionem infiniti.

7 Reſpond. potius diffinitionem eſſe bonam, quia non convenit infinito in actu; quia infinitum quantitatis) quod ibi diffinivit Philoſoph.) eſt chymæra, vt infra videbimus, & enti vero, & repugnanti, nequit convenire eadem diffinitio.

In ſententia autem, quod infinitum in actu non repugnat in quantitate, neceſſariò eſt admittendum, illam quantitatem infinitam habere partes, cum hoc ſit de eſſentia quantitatis (quidquid ſit an componatur ex partibus finitis, vel infinitis) & tunc caſus quavis parte accepta, reſtant aliæ in infinitum accipiendæ, cum quo ſalvant diffinitionem infiniti tradditam à Philoſopho.

8 Infinitum in quantitate eſt duplex, iuxta duplex genus quantitatis continuæ, ſcilicèt, & diſcretę, aliud eſt infinitum magnitudinis, aliud multitudinis: illud eſt quod caret termino partium in continuo; iſtud vero quod caret termino partium diviſarum ex quibus coaleſcit multitudo.

Multitudo conſtat ex vnitatibus diviſis, vel non continuis; ſed diſcretis: multitudo alia eſt corporalis, quantitativa, & ſecundū numerum: alia ſpiritualis: prima reſultat, vel ex diviſione partium quantitatis, vel ex additione illarum, vel quantitatū totalium diſcretarum; ſecunda vero eſt, vt multitudo Angelorum, animarum, & aliarum rerum poſsibilium, vel exiſtentium.

9 Rurſus infinitum aliud eſt in actu, aliud in potentia: infinitum in actu eſt illud, quod ſecundum id, quod actu habet non habet terminum, ita vt in illo nō poſsit ſignari terminus, vltra quē non tranſeat, & defacto tranſeat omnes terminos; infinitum autē in potentia dicitur illud, quod ſecundum id, quod actu habet, eſt finitum, ſed ſecundum id, quod eſt in potentia, non habet terminum; infinitum in actu dicitur cathegorematicum, & infinitum in potentia ſincathegorematicum: infinitum in potētia aliud eſt ſecundum diviſionem, vt in continuo: aliud ſecundum appoſitionem, vel additionem, vt in numeris.

§. II.

Quæ ſint certa, & quæ diſputanda de infinito?

10 CErtum eſt primo: dari infinitum in potentia: *Tum* quia magnitudo quæ eſt de ratione quanti continui, quamvis actu ſit finita, & inter terminos clauſa, eſt diviſibilis in infinitum iuxta Philoſoph. & D. Th. hic lect. 10. & infra lib. 6. amplius conſtabit: *Tum*, quia multitudo conſequitur diviſionem magnitudinis: ergo quanto plus dividitur magnitudo, tanto plura reſultāt ſecundum numerum, & creſcit multitudo: ſed in diviſione continuæ magnitudinis datur infinitū in potentia: ergo etiam datur infinitum in potētia in additione numerum, vel multitudinis.

11 Certum eſt 2. naturaliter, ſeu de lege ordinaria nec dari, nec poſſe dari infinitum in actu ſecundum magnitudinem, aut multitudinem. *Tum*, quia hoc ad minus probant rationes quibus infra probabimus repugnare infinitum in actu ſecundum potentiam Dei abſolutam: *Tum* quia iuxta illud Sap. 12. *Omnia facta ſunt in numero, pondere, & menſura*: ergo non eſt factum infinitum in actu ſecundum multitudinem, quia careret numero; nec ſecundum magnitudinem, quia careret menſura.

12 Solent aliqui hic diſputare de infinitate in actu ſecundum eſſentiam, vel ſubſtantiam; de infinitate in actu ſecundum intenſionem: de infinitate in potentia rerum ſpiritualium: de infinitate creaturarum à Deo factibilium: de poſsibilitate creaturæ omniū perfectiſsimæ à quibus omnibus in præſenti abſtinemus: quia ſunt propria Theologici, vel metaphyſici inſtituti, in quantum involvunt, vel potētiam, & infinitatem Dei (propter quod de his diſputat D. Thom. 1. p. quæſt. 7. vbi agit de infinitate Dei:) vel principia limitationis creaturarum, quæ ſunt eorum prædicata conſtitutiva phyſica, aut metaphyſica: de quibus metaphyſici: quamvis de intenſione agat Philoſophus, agit de illa in libris de Generat. vbi forte de infinitate intenſionis aliquid attingemus.

Conformius igitur ad modum procedendi Philoſophi, qui in præſenti ſolum agit de infinito ſecundum quantitatem, quatenus infinitum cadit in definitione continui, nos quæſtionem de infinito reſtringemus ad infinitum ſecundum magnitudinem, & ſecundum multitudinem, niſi forte ad horum pleniorem intelligentiam oporteat de alijs infinitis aliquid attingere.

ARTIC. II.

Vtrùm repugnet infinitum in actu ſecundum quantitatem?

13 Circa infinitum in actu ſecundum quantitatem: prima ſententia tenet nullam eſſe repugnantiam, in eo quod detur magnitudo, & multitudo infinita in actu; ita ex Antiquis, Arimin. & Nominal. quos citant, & ſequuntur, Vazquez, Hurtado, Arriaga, Conimbricēſes, Oviedo, Alfonſ. Carlet. Izquierdo, citans pro ſe Recentiores plures Societatis.

Secunda ſententia per oppoſitum aſſerit, repugnare infinitum in actu ſecundum quantitatē, hoc eſt magnitudo, & multitudo infinita in actu; ita Thomiſtæ omnes, & plures alij ex Antiquis, & modernis; D. Bonavent. Ricardo, Durandus, Marſilius, quos cum alijs pluribus citat Prado.

14 Hanc eſſe de mente D. Thomæ immerito dubitatur: quamvis in opuſc. 27. dicat: *Quod adhuc non eſt demonſtratum, quod Deus non poſsit facere, vt ſint infinita actu*: Et q. 2. de Verit. art. 10. eandem attingens difficultatē, videtur indeciſſam relinquere. Immerito, in quā, propter hoc, de mente S. D. dubitatur. nam quodlib. 9. artic. 1. ait. *Quod poſſe facere infinitum in actu eſt poſſe facere equum rationalem.* Et ſimilia habet quodlib. 12. artic. 2. & non ſemel aſſerit: *Quod Philoſophi ponentes infinitum in actu, propriam vocem ignoraverunt*, & quod: *Eorum poſsitio ſibimet repugnat*: Et 1. p. q. 7. articul. 3. Expreſſe loqui de repugnantia attenta potentia Dei abſoluta conſtat ex ſolutione ad 2. & ex vnanimi diſcipulorum ſuorum conſenſu; ac denique ex rationibus Div. Thomæ infra ponderandis.

Ad teſtimonium opuſc. dicimus, vel quod ad ſolvendum illvd argumentū, de impoſsibilitate æternitatis mundi cum hominibus, non erat hæc veritas de impoſsibilitate infiniti in actu demōſtranda, ſed alibi; propter quod duas ſolutiones adhibet argumēto: vel quod tantum volvit docere, quod ita ſuam opinionē veram iudicat, vt alteri nollit præiudicare: quia in re adeò occulta, impoſsibile eſt demonſtrationem omnes homines convincentem invenire.

Relinquære quæſtionem de infinito indeciſſam in q. 2. de Veritate non fuit de Reſponſione dubitare; ſed remittere illam ad locum opportunum: concludit ibi dicendo. *Vtrum autē eſſe actu repugnet infinita? Quia incidenter hic motum eſt; diſcutiendum alias, relinquatur ad præſens.*

§. I.

Repugnat magnitudo actu infinita.

15 Magnitudo eſt propria corporis quāti: corpus quan-

quantum poteſt conſiderari,& vt naturale conſtans ex materia, & forma ſubſtantiali, ad quam ſequitur quantitas naturaliter: & mathematicè, vt precisè in eo conſideratur quantitas;& ex vtroque capite oſtendemus repugnātiam magnitudinis actu infinitæ.

Omne corpus quantum poſsibile,vel cōſideratur mathematicè, vel naturaliter; ſed vtroque modo repugnat actu eſſe infinite magnum: ergo repugnat magnitudo actu infinita: prob. min. *Tum* in corpore naturali; quod quidem repugnat ſine forma ſubſtātiali determinata,& finita:ergo,& ſine quātitate finita, & limitata;quia accidēs non poteſt excedere ſubſtantiam,ad quā ſequitur tamquam proprietas:*Tū* in corpore mathematico, quod repugnat abſque aliqua figura, quæ eſt propria illius forma; ſed ſi eſſet actu infinite magnum, nō poſſet habere figuram;quia omnis figura clauditur terminis, & corpus illud terminos non haberet: ergo.

16 Ad hanc rationem, quæ D.Thom. eſt 1.p.q.7.art.3. relictis alijs ſolutionibus ſufficiēter impugnatis à noſtris Authoribus, in quibus videri poſſunt: Reſpondent Recentiores Societatis: primo negādo mai. quia poſsibile reputāt corpus ſubſtātiale completū nullatenus compoſitū ex materia,& forma,quod quidem nec naturale ſit nec mathematicum;cui quidem ex nullo capite aſsignato, repugnaret magnitudo infinita.

Repugnantiam prædicti corporis ſubſtantialis oſtendere, non eſt huius loci; de hoc enim diſputant Recentiores in lib.de Anima:vbi Deo dante, & nos tale corpus repugnare moſtrabimus, quamvis nec ille ſit proprius dictæ difficultatis locus: ſed, vel in lib. de Cœlo, vel in 1. p. q. 66. art.2.

17 Quare 2. reſpondent Recenciores, admittēdo mai.negando min.& ad prob.de corpore naturali, dicunt verum tenere in forma ſubſtātiali finita ſecundum multitudinem ſuarum partium; cæterum non convincitur repugnans forma ſubſtātialis materialis lapidis,vel ligni,quæ ex infinitis partibus integrantibus cōponatur,exigatque infinitam quātitatem commenſuratam infinitudini ſuarum partium.

De corpore mathematico dicunt,figuram non eſſe illius formam, ſed quantitatem; quia mathematicus, corpus quantum abſque figura vlla conſiderat;quare corpus infinite magnum,licèt nullam figuram haberet, eſſet corpus mathematicum.

18 Sed contra ſolutionem de corpore naturali obſtat: repugnat forma ſubſtantialis actu infinita; ergo repugnat quantitas ad illam ſequta, actu infinite magna prob.antec.Forma ſubſtantialis actu infinita in linea

ſubſ-

ſubſtantiæ; ſed repugnat infinitũ in actu in linea ſubſtantiæ:ergo. Prob.min. infinitas in actu in linea ſubſtantiæ eſt carentia termi norum ſubſtantiæ; ſed repugnat ſubſtantia creata actu carens omni termino ſubſtantiæ;ergo.Mai. conſtat; nam ſicut infinitas quãtitatis eſt carentia terminorum quantitatis; ita infinitas ſubſtantiæ eſt carẽtia terminorum ſubſtantiæ:probat.min.Termini ſubſtantiæ ſunt, vel metaphyſici, vt genus,& differẽtia;vel phyſici,vt materia, & forma,ſi eſt ſubſtãtia compoſita ; vel potentialitas , & actus eſſendi;ſi ſit ſimplex;ſed repugnat ſubſtantia creata carens omnibus his terminis collectivè: eſſet enim actus purus;ergo.Mai. videtur conſtans, nam termini ſubſtantiæ ſunt principia limitationis,intra propriã lineam ſubſtantiæ ſicut termini quantitatis, ſunt principia , quibus limitatur, intra lineam quantitatis:ſed principia limitationis ſubſtantiæ ſunt illa aſsignata: ergo.

19 Nec dicas : illa eſſe principia limitationis ſubſtantię conſideratæ eſſentialiter phyſicè, aut metaphyſicè ; non vero conſideratæ integraliter , in qua tantum conſideratione , non repugnat ſubſtantia actu infinita.

20 Contra 1. repugnat,quod partes eſſentialiter phyſicè,& metaphyſicè conſtituentes ſubſtantiam, ſint actu finitæ, & limitatæ, & quod illius partes integrantes ſint actu infinitæ: ergo.Prob.antec. Cuilibet parti in tegrali formæ ſubſtantialis debet correſpondere pars materiæ , à qua illa pars limitatur,ſicut à materia totali limitatur forma ſubſtantialis totalis:ergo omnes partes integrales ſubſtantiæ ſunt eſſentialiter , & ſubſtantialiter limitatæ, & finitæ;ſed ex partibus ſubſtantialibus finitis actu in linea ſubſtantiæ , nequit reſultare totum ſubſtantiale actu infinitum in linea ſubſtantiæ : ergo.

21 2.Forma ſubſtantialis infinita,in actu eſſet infinita in actuando materiam ; ſed hoc implicat : ergo. Maior conſtat: quia de ratione formæ ſubſtantialis eſt actuare materiam. Prob. min.Repugnat infinitas in actu in actuando materiam , quia actuare materiam eſsẽtialiter dicit limitationem , cuius materia eſt principium: ergo.

22 3.Forma ſubſtantialis actu infinita eſt actus ſimpliciter talis actu infinitus , quia forma ſubſtantialis eſt actus primus ſimpliciter talis ; ſed actus ſimpliciter talis, infinitus in actu, & receptus in materia , quæ eſſentialiter limitat actum in ſe receptum repugnat : ergo.

23 4. Infinitas in actu in ratione actus ſimpliciter talis, qualis eſt forma ſubſtantialis, eſt infinitas in actu in eo quod eſt ſimpliciter perfectio; quia actus eſt perfectio , & actus ſimplici-

ter eſt perfectio ſimpliciter; ſed perfectio ſimpliciter infinita in actu repugnat, quod ſit recepta, imò, & quod conſtet potentialitate aliqua: ergo.

24 Si dicas, quod infinitas in actuando quaſi intenſivè, pugnat cum conceptu receptionis in materia, & limitationis ab illa provenientis; non vero infinitas in actuando, quaſi extēſive, hoc eſt in actuando infinitas partes materiæ.

Contra eſt; Repugnat, quod forma ſit infinita in actu in actuando extenſivè, quin ſit actu infinita, in actuando intenſivè: ergo. Prob. antec. Quanto aliqua forma eſt perfectior in ſua actualitate, quaſi intenſiva, hoc eſt, perfectior ſecundum ſuam ſpeciem, & eſſentiam, tanto eius informatio, & actuatio ſe extendit ad plures partes materiæ; vt patet in corporibus cęleſtibus, elementaribus, & ſublunaribus, in quibus iuxta exceſſum perfectionis ſpecificæ formarum, datur eorum magnitudo, & extenſio quantitativa, à qua à poſteriori ſumitur extēſiva informatio pluriū partium materiæ; quia quantitas ſequitur ad materiam: ergo forma ad quam ſequitur infinita quantitas, & informat actu infinitas partes materiæ, erit forma actu infinita in actualitate intenſiva, & perfectione ſuæ ſpeciei: ſed forma ſecundum ſuam ſpeciem infinite perfecta, repugnat, quod ſit recepta in materia, & conſtans ex partibus integralibus, imò nec creata: ergo.

25 Nec obſtat contra hoc, quod forma hominis eſt perfectior formis Cęlorum, & non actuat plures partes materiæ: *non inquam obſtat*, nam anima rationalis, quamvis ſit perfectior, solū actuat illam materiam, quæ deſervire poſsit ad exercendas operationes humanas, quare exigit materiam, & ex conſequenti quantitatem, talibus operationibus porportionatam.

26 5. Impugnatur ſolutio prima: de facto omnis forma ſubſtantialis eſt actu integraliter finita in linea ſubſtantiæ: ergo actu habet terminos in linea ſubſtantiæ ſuarum partium integralium: aſsigna illos: vel partes integrales terminantur ſe ipſis, vel medijs indiviſibilibus ſubſtātialibus: non primum, quia idem diſcurrendum eſt de partibus quantitatis, quæ ſe ipſis non poſſunt terminari, cum non ſit aſſignabilis vltima intrinſecè, vt infra dicemus de partibus continui, nec etiam ſecundum; alias ſubſtantia intra propriam lineā eſſet formaliter extenſa, cum conſtaret ex partibus copulatis, & terminatis aliquo termino communi, quod eſt abſurdum: ergo termini quibus ſubſtantia intra propriam lineam finitur, & limitatur, tam eſſentialiter, quam integraliter, ſunt tantum ſupra aſſignati.

De-

27 Donique, illa ſubſtantia actu infinita integraliter intra lineam ſubſtantiæ eſſet individua: ergo ſubſiſtens: ergo terminata: quia ſubſiſtentia eſt terminus: ſed non terminata per ſubſiſtētiam actu infinitam: ergo per terminum, & ſubſiſtentiam finitam, ac ſubinde eſſet finita omnibus modis.

28 Si dicas; quod ſubſiſteret per ſubſiſtentiam actu infinitam, non indiviſsibilē; ſed conſtantē ex partibus integralibus actu infinitis, ſicut ipſa ſubſtantia; quia dantur ſubſiſtentiæ partiales correſpondentes partibus ſubſtantiæ.

Hæc ſolutio præterquam quod, ſupra eſt à nobis impugnata, pro ea parte, qua ponit ſubſiſtentias partiales: contra illā ſtat, ergo licet dentur actu infinitæ ſubſiſtētiæ partiales, cuilibet parti ſubſtantiæ correſpondet pars ſubſiſtētiæ, qua intra lineam ſubſtātiæ ſit terminata; ergo & finita; ſed repugnat ſubſtātia actu infinita cōpoſita ex partibus intra lineā ſubſtantiæ actu finitis: ergo.

29 Contra ſolutionem prout attinet ad corpus mathematicum obſtat 1. corpus illud mathematicū actu infinite magnum, eſſet individuum quantitatis, cum exiſteret in re à Deo productum; ſed repugnat individuū quantitatis abſque aliqua figura, vel terminatione intra lineam quantitatis: ergo. Cætera patent, & prob. min. repugnat individuum quātitatis, quod non ſit in aliqua ſpecie quantitatis; ſed ſpecies quantitatis diſtinguuntur penes diverſas terminationes intra propriam lineam ex quibus reſultat propria figura, ergo.

30 2. Repugnat quantitas actu exiſtēs, cui repugnet ſaltim radicare aliquam figurā; ſed corpus actu infinite magnū nullam figuram poſſet radicare, cū non poſſet eſſe radix alicuius terminationis intra propriā lineā: ergo. Prob. mai. repugnat quātitas actu exiſtens, cui repugnet conſtitui in aliqua ſpecie quantitatis, & diſtingui ab alijs ſpeciebus, & individuis quantitatis; ſed diſtinctio ſpecifica, & individua quātitatum ſumitur ex diſtinctione terminorum illius, & figurarum ſaltim radicalium: ergo.

31 Denique; & confirmatur ratio D. Thom. & noſtra: infinitum ſecundum magnitudinem eſt quantum carens terminis quantitatis; ſicut infinitū poſitivè caret terminis eſſentialibus; ſed repugnat quantitas actū exiſtēs, actu carens omni termino quātitatis: ergo repugnat quātitas actu infinite magna: prob. min. repugnat quātitas actu exiſtēs carens vltimo termino, quo quātitative dividatur ab alijs ſpeciebus, & individuis quantitatis à Deo factibilibus, vel quæ ſemel producta impediat, ne à Deo poſſit produci alia quātitas, cū præcedenti non penetrata; ſed quātitas carens omni termino quantita-

titatis eſſet huiuſmodi:ergo. Min. conſtat: Nam ſi vltra quantitatem actu infinitam. Deus poſſet alias ſpeciés, & individua quantitatis producere, quantitas actu infinita haberet id quo ſpecie, & individualiter ab illis differret; ſed non eſt aliud niſi aliquis illius terminus: ergo.

§. II.

Argumenta contra præcedentem rationem.

32 OBijcies 1. ex eo quod forma ſubſtantialis ſit determinata, & finita, nõ ſequitur, quod quantitas ad illã ſequuta ſit determinata, & finita ſecundum extenſionem: ergo corpus naturale poteſt eſſe actu infinite magnum, & extenſum. Prob. antec. 1. Solum ſequitur, quod quantitas ad illam ſequuta ſit finita, & determinata, ſecundum ſuum genus, & ſpeciem; ſed quantitas infinite extenſa eſſet intra determinatum genus, & ſpeciem quantitatis: ergo.

Confirm. corpora ſimplicia, & homo genea vt ignis, & aer, licèt habeant determinatã formam ſubſtantialem, non exigunt determinatam extenſionẽ quãntitatis; cum ſub quacumque quãtumvis maiori, poſſunt naturaliter conſervari: ergo.

33 2. Ex eo, quod magnitudo ſit infinita, non ſequitur, quod eſſentia, vel ſubſtantia ſit infinita: ergo ſtabit bene à contrario, quod forma, & eſſentia ſit finita, & quod quantitas ſit infinita; quia prima eſt infinitas ſimpliciter, ſecunda ſecundumquid, quæ aliunde poteſt communicari. Antecedens conſtat ex Div. Thom. 1. part. quæſt. 7. art. 3. in corpore, quod ſic incipit: *Aliud eſt eſſe infinitum ſecundùm ſuam eſſentiam, & ſecundum magnitudinem: dato enim quòd eſſet aliquod corpus infinitum ſecundum magnitudinem, vtpote ignis, vel aer; non tamen eſſet infinitum ſecundum eſſentiam: quia eſſentia ſua eſſet terminata ad aliquam ſpeciem per formam; & ad aliquod individuum per materiam.* Ex quibus habetur illud antecedens.

34 3. Ex ratione ſequitur, quod forma maior in perfectione exigeret maiorem quantitatem in extenſione; & è contra infima formarum peteret minimam quantitatem; ſed vtrumque experientiæ adverſatur, nam forma hominis omnium perfectiſsima, non exigit quantitatem mõtis, & formæ elementorum imperfectiſsimæ tam vaſtæ molis quantitatem exigunt.

35 Denique falſum eſt, quod quantitas ſit accidens conſequens formam, cum ſit accidẽs conſequens materiam, vtpote prima illius diſpoſitio, vt habet Div. Thom. 1. p. quæſt. 3. art. 1. in argumento: *Sed contra.*

36 Negatur primum antece-

Logica, quod multitudo, alia eſt tranſcendentalis, alia prædicamentalis: prima conſtat ex quibuſcumque vnitatibus, ex Angelis, animabus, vel alijs rebus, ſivè exiſtentibus; ſivè poſsibilibus: ſecunda reſultat ex diviſione continui; in hac proprie reperitur numerus, non vero in illa: de multitudine prædicamentali ſolum agimus in præſenti, quia tãtum de illa egit Philoſophus hic, vt bene notat D.Th. in 2. contra gent. cap. 82.

43 Prob. 1. & non leviter infertur ex reſolutione præcedenti, quia multitudo prædicamentalis actu infinita, eſt magnitudo actu infinite diviſa; ſed repugnat magnitudo actu infinite diviſa, ſi repugnat magnitudo actu infinita: quia magnitudo actu infinitè diviſa, petit partes actu infinitas, & actu diviſas, quod abſque magnitudine actu infinita nequit intelligi: ergo.

44 Prob. 2. Omnis multitudo prædicamentalis actu exiſtens debet eſſe in aliqua ſpecie numeri; quia ſpecies multitudinis prædicamentalis ſunt ſecundum ſpecies numeri; ſed repugnat exiſtere multitudinem prædicamentalem actu infinitã in aliqua ſpecie numeri: ergo. Prob. min. Quælibet ſpecies numeri eſſentialiter eſt multitudo numerata, & menſurata per vnũ, quod eſt terminus multitudinis: ergo.

45 Nec dicas, quod numerus ſolum eſt genus ad quamvis multitudinem finitam; non vero ad infinitam multitudinem.

Contra eſt: Multitudo, quantitativa, de qua tantũ loquimur, neceſſariò debet eſſe in genere quantitatis; ſed non vt quãtitas continua: ergo vt quantitas diſcreta: ergo neceſſariò debet eſſe in aliqua ſpecie numeri prędicamẽtalis. Patet conſequentia: quia numerus eſt ſpecies & ſubalterna, vel genus ad omnem multitudinem, quæ vere eſt quantitas diſcreta.

46 Denique probatur cõcluſio: Multitudo, vel eſt infinita, per additionem vnitatum, vel per infinitas vnitates actu exiſtẽtes vnica productione productas: ſi ſecundum omnis ſpecies numeri tollitur, quæ per determinatas vnitas variantur, & conſtituuntur; ſi primum, vel additio vnitatum ſupponit infinitas vnitates, vel non: ſi ſupponit, iam non eſt infinita per additionem vnitatum: infinita autem multitudo, nec additione vnitatum fit maior, nec ſubtractione minor: ſi non ſupponit; illa additio non faciet infinitum in actu, quia finitum non fit infinitũ per additionem finitorum: ſi autem additio fiat in infinitum ſincathegorematicè, erit infinita multitudo in potentia, non in actu.

47 Sed contra noſtram reſolutionem, & rationes oppones: noſtra ratio inſtatur in infini

to in potentia: ergo inefficax eſt ad probandam repugnantiam in finiti in actu. Prob. antec. Omnis multitudo creaturarum poſſibilium, vel eſt in aliqua ſpecie numeri, vel non: ſi primum: ergo multitudo omnium creaturarum poſſibilium conſtituitur per aliquam vltimam vnitatem, ac ſubinde non erit ſincathegorematicè infinita: ſi ſecundũ: ergo neque omnis multitudo actu exiſtens debet eſſe in aliqua ſpecie numeri.

48 Reſpond. neg. ant. Ad prob. dicimus: quod noſtra ratio procedit de multitudine reſultãte ex diffinitione continui quantitativa, & prædicamentali, quæ ſola eſt materia numeri prædicamentalis; multitudo creaturarum poſſibilium eſt ſolum tranſcendẽtalis, à qua in præſenti præſcindimus, & conſequenter noſtra ratio ſemper manet efficax.

49 Sed inſtas 1. datur multitudo ſincathegorematicè infinita vnitatum reſultantium ex diviſione continui, cum continuum ſit in infinitum ſincathegorematicè diviſibilè, vel ergo multitudo hæc eſt in aliqua ſpecie numeri, vel non: & currit inſtantia ſupra facta. 2. multitudo reſultans ex additione vnitatum, quæ defacto conſtituunt numerum prædicamentalem, eſt ſincathegorematicè infinita, cum poſſit fieri additio vnitatum in infinitum ſine termino; vel ergo hæc multitudo eſt in aliqua ſpecie numeri, vel non &c. Denique: ergo licèt repugnet infinita multitudo in actu prædicamentalis: non repugnabit infinita multitudo in actu tranſcendentalis; cum huius non probemus repugnantiam.

50 Ad 1. reſpond. quod multitudo ſincathegorematicè infinita, ſicut actu eſt finita, ita actu eſt in aliqua ſpecie numeri, ſecundum illas vnitates, quæ conſtituunt illam in ratione multitudinis actu exiſtentis: at vero ſecundum illas vnitates, quas habet in potentia, ratione quarum eſt infinita in potentia, eſt etiam in potentia ad eſſendum non in vnica ſpecie numeri, ſed in infinitis ſpeciebus numeri; quia per additionem ſucceſsivam cuiuslibet vnitatis conſtitueretur ſucceſsivè in diverſis ſpeciebus numeri poſsibilibus vſque in infinitum: quare multitudo ſincathegorematicè infinita eſt in ſpecie numeri, non vnica, ſed in infinitis ſpeciebus poſsibilibus, imò ex illis coaleſcit, & conſequenter ex hoc capite non repugnat; ſicut non repugnat multitudo infinita in potentia ſpecierum poſsibilium Angelorum, & aliarum rerum.

Multitudo infinita in actu ſi daretur, conſtaret ex vnitatibus actu exiſtentibus, quarum nulla poſſet eſſe vltima reſpectu aliarum ſimul coexiſtentium: & conſequẽter ex omnibus illis nulla ſpecies numeri reſultaret, nec

actu,nec poſsibiliter , non actu, quia nulla illarum actu eſſet vltima,nō poſsibiliter,quia ſi aliqua illarum poſſet eſſe vltima , illa multitudo conſtitueretur in ſpecie numeri, ſed eſſet amittendo infinitatem in actu : & conſequēter multitudo manens infinita in actu ,eſſet aliquod ens productū de genere quantitatis,nullo modo contentū in aliqua ſpecie illius generis , quod eſt chymæra. Per quod patet ad 2. inſtantiam.

Ad vltimam dicimus, quod vt in principio diximus,nos cū Philoſopho ſolum de multitudine prædicamentali , diſputare promiſsimus, & ſi ratio hanc vt actu infinitam repugnare convincit, intentum convincit, quod nobis pro nunc ſufficiebat.

51 Sed quia ratio facta paucis mutatis , adaptari poteſt omni multitudini etiam tranſcēdentali, & argumentum à paritate huius ad prædicamentalē debet ſolui:ideo negatur conſequētia,licèt enim multitudo tranſcēdētalis ſicut, & tranſcendentalis numerus vere non ſit ſpecies quantitatis , nec proprie numerus;tamen debet conſtitui in aliqua ſpecie multitudinis,& numeri cum proportione ad multitudinem,& numerum prædicamentalem,quod indicat D.Thom.cum proponit rationem à nobis ſupra factam, dicendo non quod multitudo debet eſſe in ſpecie numeri,ſed quod *ſpecies multitudinis ſunt ſecundū ſpecies numerorum*. hoc eſt, debent eſſe iſtis proportionatæ! quia eodem modo Angelos numeramus , ac res quantas.

52 Vnde ratio poteſt ſic formari ; repugnat multitudo (quælibet illa ſit)actu exiſtēs,quę nō ſit numerabilis,ſaltim à Deo, qui illā fecit:ergo & quæ non ſit finita,quia quod numerari poteſt habet vltimam vnitatem,ad quā perveniatur numerando; & ſi nō pervenitur,innumerabile eſt:Antecedēs prob.Vbi eſt vnitas exiſtens actu,& realiter non communicans cum alia , poteſt illa cum alijs accipi,vel ſimul,vel vna poſt aliam:ergo & numerari ; ſed repugnat aliqua multitudo rerum à Deo facta,cuius vnitates nō poſſint illo modo accipi , ſaltim ab intellectu divino : ergo , & quæ non poſsit à Deo numerari ; & conſequenter,quæ non ſit in aliqua ſpecie multitudinis,& numeri tranſcendentalis.

53 Sed inſtas: Deus poteſt facere, quod non poteſt numerare:ergo poteſt facere multitudinem actu infinitam , quin poſsit eam numerare.Prob. ant. Deus poteſt facere infinita ſincathegorematice, vt infinitos Angelos,& infinitas ſpecies rerum, & tamē eas omnes non poteſt numerare, quia non eſt aſsignabile vltimum infinito:ergo.

Diſtinguo antecedens:Deus poteſt facere ſimul,quod nō poteſt numerare,nego antec. Poteſt facere ſucceſsive, quod non poteſt numerare , ſubdiſtinguo, quod

quod ſimul non poteſt numerare, concedo: quod iuxta ſucceſsionem facti, non poſsit ſucceſsivè numerare, nego (ſucceſsione ſe tenente ex parte rei numeratæ, non ex parte Dei numerantis, qui non cognoſcit partem poſt partem, ſed omnia ſimul.) Deus poteſt facere infinita in potentia: infinitum in potentia, vt ait D. Thom. quæſt. 2. de Potentia artic. 10. eſt illud, quod ſemper in ſucceſsione cōſiſtit, vt in generatione corporum, & in diviſione continui: quæ quidem ea ſucceſsione, qua à Deo poſſunt exiſtere, poſſunt à Deo numerari; quia eadē ſucceſsione poſſunt eſſe in diverſis ſpeciebus numeri, vſque in infinitum, vt ſupra diximus: repugnat autem, quod ea, quæ Deus ſimul poteſt producere, & poſſunt ſimul exiſtere, non poſsint à Deo numerari, nec cōtineri in aliqua ſpecie numeri, vel multitudinis.

54 Inſtas: non repugnat Deum actu cognoſcere multitudinem, quam non poſsit numerare; cùm actu cognoſcat multitudinem omnium creaturarum poſsibilium, quæ infinita eſt, & conſequenter innumerabilis: ergo non repugnat actu facere multitudinem, quam non poſsit numerare.

Negatur conſequentia: non valet argumentum ab eo, quod Deus actu cognoſcere poteſt, ad id quod actu poteſt efficere: actu ſimul Deus cognoſcit cōtradictoria, quin illa actu poſsit ſimul efficere: quia alius eſt modus intellectus in intelligendo, & rei in eſſendo: vt varijs in locis aſſerit D. Thom. Deus actu cognoſcit omnia poſsibilia, & poſsibilia actu non ſunt,

LIBER QVARTVS

PHYSICORVM.

De Menſura motus, & mobilis.

CVm iam egiſſet Philoſophus de principijs intrinſecis, & extrinſecis entis mobilis, & de motu, qui eſt illius actus; intendit nunc de vtriuſque menſura tractare; nempè de loco, qui eſt menſura mobilis, & de tempore, quod eſt menſura motus, in quo conſumit lib. 4. in 14. capita diviſum, in quorum quinque primis agit de loco, & eius occaſione, in alijs quatuor agit de vacuo, & in reliquis de tempore: de quibus nos etjam ſequentes excitamus quæſtiones,

QVÆST. XVI.

De loco, & Vacuo.

1 CVm, vt infra dicemus, vacum ſit locus privatus corpore, ad exactam notitiã loci, opportet ſimul aliquid tractare de vacuo; propter quod vtrumque ſimul in eadem quæſtione comprehendimus.

ARTIC. I.

Quid ſit locus?

2 DAri loca vera, & corporea ipſa experientia in motu corporum ſecundum locum, demonſtrat: locus iuxta Philoſophum hic cap. 4. *Eſt terminus continentis immobilis primus*: ponitur *terminus*: pro eodem ac ſuperficies, quæ eſt terminus corporis quanti: propter quod locus ſolet communiter diffiniri: *Eſt vltima ſuperficies corporis continentis immobilis prima.*

Ponitur *ſuperficies corporis continentis*: Ad excludenda à ratione loci quædam ſpatia, ſeu intervalla, cum capacitata, & vacuitate ad recipiendum corpora, poſita ab Antiquis Philoſophis: quia tale ſpatium, vel eſt pure imaginarium, vel eſt à corpore aliquo circunſtante: ſi primum; cum realiter ſit non ens, & nihil, non erit verus locus, de quo loquimur: ſi ſecundum, cum vnum corpus ambiat, & contineat aliud, ratione alicuius ſuperficiei, qua in ſe terminatur, & aliud circunſcribit, hæc erit locus verus.

Dicitur *vltima*, quia eſt terminus corporis continentis, contigua cum corpore contento: cũ quo non opponitur, quod etiam dicatur *prima*: quia licèt ſit vltima reſpectu corporis continentis; eſt prima, hoc eſt, immediata, reſpectu corporis cõtenti, per quod differt locus proprius cuiuslibet corporis à loco communi; vt aſſerit D. Thh. exponens particulam *prima* lect. 6.

Dicitur *immobilis* ad differentiam aliorum corporum cõtinentium alia corpora, quæ moventur cum corpore contento, vt vas aquæ, quod proprie locus non eſt ipſius aquæ, ſuperficies quæ eſt locus, eſt quaſi vas immobile immobiliter continens corpus: *Tum* quia locus quandoque eſt terminus *à quo*, qui deſeritur; ſed ſi movetur ad motum mobilis; potius portatur à motu mobilis, quam deſeratur: ergo. *Tum*, quia quandoque locus eſt terminus ad quem, qui adquiritur, ſi autem ipſe locus movetur, ad aliquem locum adquirẽdum deberet moveri; & præterquãquod daretur locus loci, vel locus adquiſitus à loco, eſſet mobilis, vel non: & ſic in infinitum: reſtat ergo, quod vltima ſuperficies corporis continentis, prout for-

maliter habet rationem loci ſit immobilis:

§. I.

Qualiter immobilitas conveniat loco?

3 CErtum eſt 1. immobilitatem loci nõ ſummi præciſsè à ſuperficè vltima corporis cõtinentis, & immediate ambiente locatum, cõſiderata materialiter, & in eſſe entis, quia multoties immoto corpore locato, illa ſuperficies tranſit ſicut, & corpus continens, cuius eſt ſuperficies, vt aer ambiens turrim.

4 Certum eſt 2. locum non eſſe immobilem à corpore locato, quia licèt per accidẽs aliquod locatum ſi, immobile, vt Turris, poteſt tamẽ deſtrui, quin locus illius deſtruatur, & poteſt aliud corpus loco illius ſubſtitui: præterquamquod motus localis petit, quod locatum moveatur de vno loco in alium immotis locis, vel immobilibus.

5 Certum 3. eſt dari in vniverſo puncta fixa, & immobilia, vt ſunt centrum, & polli à quibus omnia, quæ in vniverſo continentur, diverſimodè diſtant; & quod ratio loci in locis particularibus debet ſummi ex primo continente, & locante, ſcilicèt Coelo fixo in pollis.

Ex quo infertur 1. quod vltima ſuperficies corporis continentis aliquod corpus ſolum dicitur, & eſt locus proprius illius, ſecũdum ordinem ſitus, & poſitionis in vniverſo, & diſtantiæ à primo locante, quod eſt, Cœlum fixum in pollis, & à centro.

Infertur 2. quod invariata ſituatione, & poſitione in vniverſo, & invariata diſtantia à primo locante, & punctis fixis, nequit locus variari conſtat hoc, nequit locus variari formaliter vt talis, niſi variato eo, quo conſtituitur in eſſe loci formaliter; ſed ſuperficies corporis continentis non eſt locus formaliter ſecundum ſe, & prout inhæret corpori locanti, ſed prout dicit talem ſituationẽ diſpoſitionem, & diſtantiam; ergo his invariatis nequit locus variari.

6 Certum eſt 4. Locum eſſe invariabilem, vel immobilẽ terminativè, immobilitate, ſcilicèt termini relationis diſtantiæ, quã ſuperficies corporis continẽtis dicit ad primum locans, & terminos fixos: conſtat hoc, quia diſtantiã eſſe immobilem terminative eſt terminũ diſtantiæ eſſe fixũ immobilẽ; ſed vt dictum eſt, termini à quibus diſtant omnia, quæ habent ſituationem in vniverſo, in qua diſtãtia, & ſituatione locus formaliter conſiſtit, ſunt immobiles, & fixi: ergo locus formaliter eſt immobilis ſaltim terminativè.

7 Certum eſt 5. Locum debere eſſe immobilem, non ſolum terminativè, ſed etiam ſubiectivè, hoc eſt de ipſa ſuperficie corporis continentis, quæ locus eſt, debet verificari immobilitas, vt cõſtat ex diffinitione loci:

dici-

dicitur enim ſuperficies corporis continētis, immobilis ſubjectivè, ab immobilitate diſtantiæ, quam dicit ad terminos fixos, quæ relatio diſtantiæ in ſuperficie continente ſubiectatur.

8 Certum eſt 6. pro eodem debere ſummi in præſenti immobilitatem loci, & illius vnitatem; ſed quia vnitas loci, & poteſt eſſe quoad ſpeciem, & quoad individuum: ita, & immobilitas, & poteſt convenire loco ſolum quoad ſpeciem, vel etiam quoad individuum: quod autem omnia loca debēt eſſe immobilia, quoad ſpeciem, conſtat: *Tum* quia immobilitas eſt differentia conſtitutiva ſuperficiei continentis in ratione loci: *Tum* propter rationē factam in expoſitione diffinitionis loci, ſupra illam particulam *immobilis.*

9 Certum denique debet eſſe, immobilitatem non ſolū devere cōvenire loco, quoad ſpeciem; ſed etiam quoad individuum: conſtat hoc: *Tum* ex D. Th. opuſc. 42. dicente: *Quamvis enim moveatur ſuperficies aeris, vel aquæ ſecundum, quod eſt vltimum huius corporis, vel illius; ſuccedit tamen aliud corpus, quod eundem ſitum, & ordinem ſecundum naturam habet ad primum ordinans, ſive locans, quod eſt Cælum propter quod manet idem locus numero.* Tum quia mobilitas loci quoad individuum eſſet (maximè) ad mobilitatē, vel variationē in ſuperficiei continentis: ſed hoc nequit eſſe: ergo, Cætera patent, & prob. min. Sequeretur namque, quod idem locatum numero, manens immotum localiter, vt Turris v. g. eſſet nunc in hoc loco numero, & poſtea in alio loco numero diſtincto, & conſequenter, quod mutaret locum ſine motu locali, quod eſt abſurdum.

10 Suppoſitis his tanquam certis, quia in illis, vel nihil, vel parum eſt controverſiæ: manet præcipua difficultas in adſtruēda immobilitate, in hoc numero loco, vel in explicando qualiter immobilitas conveniat loco individualiter, aut numericè ſumpto, vel à quo ſummatur vnitas numerica loci?

11 Pro cuius reſolutione. *Dico* 1. vnitas numerica loci, & illius immobillitas quoad individuum non ſumitur ab vnitate, & immobilitate ſuperficiei corporis continentis, materialiter, & entitativè cōſideratæ: cōſtat hoc ex ſupradictis, quia hæc poteſt moveri, & individualiter variari, non variato loco, quoad individuum: ergo Prob. anteced. Turris Complutenſis, dum non deſtruitur, ſemper manet in eodem numero loco; cum eandem numero ſituationem, diſpoſitionem in vniverſo, & diſtantiam à primo locante ſervet; & tamen ſuperficies corporis continentis, nempè aeris, movetur, & variatur numero, ſi ab alio corpore numero diſtincto, vt poteſt continuetur: ergo.

12 Dico 2. Vnitas, & immobilitas individualit loci nō ſummitur ab vnitate, & immobilitate ſuperficiei corporis continentis, prout præciſsè dicit hāc numero diſtantiam ad puncta fixa, & ad primum locans. Prob. diſtantia ad puncta fixa, vel eſt differentia ſpecifica contraens rationem ſuperficiei, vt ex illis conſtituatur ratio ſpecifica loci, vt aliqui volunt, vel eſt accidens ipſius ſuperficiei corporis continentis: ſi primum, cum ratio generica, & differentiales identificentur, nequit vna numericè variari, in variata numericè alia; ſi ſecundum; cum accidentia realia numero varientur ad variationem ſubiecti, ad quod ſequuntur, & in quo recipiuntur, nequid ſuperficies numero variari, invariata numericè diſtantia, in illa ſubiectata.

13 Dico 3. Vnitas numerica loci, & illius immobilitas individualis debet ſalvari in ſuperficie corporis continentis immediate ambiente locatum prout ſubeſt diſtantiæ ad puncta fixa, & primū locans. Prob. quia vnitas numerica loci, & immobilitas individualis ſalvari debet in eo quod continet locatum, in eo cui convenit diffinitio loci, & de quo ratio loci verificatur; ſed quod continet locatum, cui convenit diffinitio loci, & de quo ratio loci verificatur; eſt ſuperficies corporis continentis immediate ambiēs locatū, prout ſubeſt diſtantiæ ad puncta fixa: ergo.

14 Dico vltimo: Vltima ſuperficies corporis continētis conſtituit vnum numero locum, & immobilem individualiter, prout eſt vna, & ſubeſt vnicæ diſtantiæ nō materialiter, ſed formaliter, hoc eſt non quod ſuperficies in ſe, & diſtātia, cui ſubeſt, ſint vnum vnitate ſimplicitatis, ſed vnitate ordinis, ſeu coordinationis, ſub eiſdem numero punctis fixis, primo locante, ſituatione, & diſpoſitione in vniverſo. Prob. ſimul, & explicatur; quia idem ignis numero manet, licèt paulatim conſumatur vna materia, & ſuccedat alia, non alia ratione, niſi quia diſtincta materia ſuccedit ſub eodē ordine ad formam: ergo licèt plures ſuperficies ſuccedant in continendo locatū, quia tamen coordinate ſuccedūt & ſub eodem ordine ad puncta fixa, & primum locans, ſufficit, vt maneat idem numero locus.

Prob. 2. illa vnitas ſufficit ad conſtituendum vnum numero locum, & immobilem individualiter, quæ ſufficit ad cōſtituendum locatum menſuratum ſuperficie in hac numero ſituatione, diſtantia à polis, & centro, & poſitione in vniverſo; ſed ad hoc ſufficit vnitas ordinis in ſuperficiebus circumſtantibus locatum: ergo ſuperficies continens conſtituit vnum numero locum, prout eſt vna, non vnitate ſimplicitatis; ſed præciſsè ordinis;

Mai,

ſubſtantiæ; ſed repugnat infinitũ in actu in linea ſubſtantiæ: ergo. Prob. min. infinitas in actu in linea ſubſtantiæ eſt carentia terminorum ſubſtantiæ; ſed repugnat ſubſtantia creata actu carens omni termino ſubſtantiæ; ergo. Mai. conſtat; nam ſicut infinitas quãtitatis eſt carentia terminorum quantitatis; ita infinitas ſubſtantiæ eſt carẽtia terminorum ſubſtantiæ: probat. min. Termini ſubſtantiæ ſunt, vel metaphyſici, vt genus, & differẽtia; vel phyſici, vt materia, & forma, ſi eſt ſubſtãtia compoſita; vel potentialitas, & actus eſſendi; ſi ſit ſimplex; ſed repugnat ſubſtantia creata carens omnibus his terminis collectivè: eſſet enim actus purus; ergo. Mai. videtur conſtans, nam termini ſubſtantiæ ſunt principia limitationis, intra propriã lineam ſubſtantiæ ſicut termini quantitatis, ſunt principia, quibus limitatur, intra lineam quantitatis: ſed principia limitationis ſubſtantiæ ſunt illa aſsignata: ergo.

19 Nec dicas: illa eſſe principia limitationis ſubſtantię conſideratæ eſſentialiter phyſicè, aut metaphyſicè; non vero conſideratæ integraliter, in qua tantum conſideratione, non repugnat ſubſtantia actu infinita.

20 Contra 1. repugnat, quod partes eſſentialiter phyſicè, & metaphyſicè conſtituentes ſubſtantiam, ſint actu finitæ, & limitatæ, & quod illius partes integrantes ſint actu infinitæ: ergo. Prob. antec. Cuilibet parti integrali formæ ſubſtantialis debet correſpondere pars materiæ, à qua illa pars limitatur, ſicut à materia totali limitatur forma ſubſtantialis totalis: ergo omnes partes integrales ſubſtantiæ ſunt eſſentialiter, & ſubſtantialiter limitatæ, & finitæ; ſed ex partibus ſubſtantialibus finitis actu in linea ſubſtantiæ, nequit reſultare totum ſubſtantiale actu infinitum in linea ſubſtantiæ: ergo.

21 2. Forma ſubſtantialis infinita, in actu eſſet infinita in actuando materiam; ſed hoc implicat: ergo. Maior conſtat: quia de ratione formæ ſubſtantialis eſt actuare materiam. Prob. min. Repugnat infinitas in actu in actuando materiam, quia actuare materiam eſsẽtialiter dicit limitationem, cuius materia eſt principium: ergo.

22 3. Forma ſubſtantialis actu infinita eſt actus ſimpliciter talis actu infinitus, quia forma ſubſtantialis eſt actus primus ſimpliciter talis; ſed actus ſimpliciter talis, infinitus in actu, & receptus in materia, quæ eſſentialiter limitat actum in ſe receptum repugnat: ergo.

23 4. Infinitas in actu in ratione actus ſimpliciter talis, qualis eſt forma ſubſtantialis, eſt infinitas in actu in eo quod eſt ſimpliciter perfectio; quia actus eſt perfectio, & actus ſimplici-

ter eſt perfectio ſimpliciter; ſed perfectio ſimpliciter infinita in actu repugnat, quod ſit recepta, imò, & quod conſtet potentialitate aliqua: ergo.

24 Si dicas, quod infinitas in actuando quaſi intenſivè, pugnat cum conceptu receptionis in materia, & limitationis ab illa provenientis; non vero infinitas in actuando, quaſi extēſive, hoc eſt in actuando infinitas partes materiæ.

Contra eſt; Repugnat, quod forma ſit infinita in actu in actuando extenſivè, quin ſit actu infinita, in actuando intenſivè: ergo. Prob. antec. Quanto aliqua forma eſt perfectior in ſua actualitate, quaſi intenſiva, hoc eſt, perfectior ſecundum ſuam ſpeciem, & eſſentiam, tanto eius informatio, & actuatio ſe extendit ad plures partes materiæ; vt patet in corporibus cęleſtibus, elementaribus, & ſublunaribus, in quibus iuxta exceſſum perfectionis ſpecificæ formarum, datur eorum magnitudo, & extenſio quantitativa, à qua à poſteriori ſumitur extēſiva informatio pluriū partium materiæ; quia quantitas ſequitur ad materiam: ergo forma ad quam ſequitur infinita quantitas, & informat actu infinitas partes materiæ, erit forma actu infinita in actualitate intenſiva, & perfectione ſuæ ſpeciei: ſed forma ſecundum ſuam ſpeciem infinite perfecta, repugnat, quod ſit recepta in materia, & conſtans ex partibus integralibus, imò nec creata: ergo.

25 Nec obſtat contra hoc, quod forma hominis eſt perfectior formis Cęlorum, & non actuat plures partes materiæ: *non inquam obſtat*, nam anima rationalis, quamvis ſit perfectior, ſolū actuat illam materiam, quæ deſervire poſsit ad exercendas operationes humanas, quare exigit materiam, & ex conſequenti quantitatem, talibus operationibus porportionatam.

26 5. Impugnatur ſolutio prima: de facto omnis forma ſubſtantialis eſt actu integraliter finita in linea ſubſtantiæ: ergo actu habet terminos in linea ſubſtantiæ ſuarum partium integralium: aſsigna illos: vel partes integrales terminantur ſe ipſis, vel medijs indiviſibilibus ſubſtātialibus: non primum, quia idem diſcurrendum eſt de partibus quantitatis, quæ ſe ipſis non poſſunt terminari, cum non ſit aſſignabilis vltima intrinſecè, vt infra dicemus de partibus continui, nec etiam ſecundum; alias ſubſtantia intra propriam lineā eſſet formaliter extenſa, cum conſtaret ex partibus copulatis, & terminatis aliquo termino communi, quod eſt abſurdum: ergo termini quibus ſubſtantia intra propriam lineam finitur, & limitatur, tam eſſentialiter, quam integraliter, ſunt tantum ſupra aſſignati.

27 Denique, illa ſubſtantia actu infinita integraliter intra lineam ſubſtantiæ eſſet individua: ergo ſubſiſtens: ergo terminata: quia ſubſiſtentia eſt terminus: ſed non terminata per ſubſiſtētiam actu infinitam: ergo per terminum, & ſubſiſtentiam finitam, ac ſubinde eſſet finita omnibus modis.

28 Si dicas; quod ſubſiſteret per ſubſiſtentiam actu infinitam, non indiviſsibilē; ſed conſtantē ex partibus integralibus actu infinitis, ſicut ipſa ſubſtantia; quia dantur ſubſiſtentiæ partiales correſpondentes partibus ſubſtantiæ.

Hæc ſolutio præterquam quod, ſupra eſt à nobis impugnata, pro ea parte, qua ponit ſubſiſtentias partiales: contra illā ſtat, ergo licet dentur actu infinitæ ſubſiſtētiæ partiales, cuilibet parti ſubſtantiæ correſpondet pars ſubſiſtētiæ, qua intra lineam ſubſtātiæ ſit terminata; ergo & finita; ſed repugnat ſubſtātia actu infinita cōpoſita ex partibus intra lineā ſubſtantiæ actu finitis: ergo.

29 Contra ſolutionem prout attinet ad corpus mathematicum obſtat 1. corpus illud mathematicū actu infinite magnum, eſſet individuum quantitatis, cum exiſteret in re à Deo productum; ſed repugnat individuū quantitatis abſque aliqua figura, vel terminatione intra lineam quantitatis: ergo. Cætera patent, & prob. min. repugnat individuum quātitatis, quod non ſit in aliqua ſpecie quantitatis; ſed ſpecies quantitatis diſtinguuntur penes diverſas terminationes intra propriam lineam ex quibus reſultat propria figura, ergo.

30 2. Repugnat quantitas actu exiſtēs, cui repugnet ſaltim radicare aliquam figurā; ſed corpus actu infinite magnū nullam figuram poſſet radicare, cū non poſſet eſſe radix alicuius terminationis intra propriā lineā: ergo. Prob. mai. repugnat quātitas actu exiſtens, cui repugnet conſtitui in aliqua ſpecie quantitatis, & diſtingui ab alijs ſpeciebus, & individuis quantitatis; ſed diſtinctio ſpecifica, & individua quātitatum ſumitur ex diſtinctione terminorum illius, & figurarum ſaltim radicalium: ergo.

31 Denique; & confirmatur ratio D. Thom. & noſtra: infinitum ſecundum magnitudinem eſt quantum carens terminis quantitatis; ſicut infinitū poſitivè caret terminis eſſentialibus; ſed repugnat quantitas actū exiſtēs, actu carens omni termino quātitatis: ergo repugnat quātitas actu infinite magna: prob. min. repugnat quātitas actu exiſtēs carens vltimo termino, quo quātitative dividatur ab alijs ſpeciebus, & individuis quantitatis à Deo factibilibus, vel quæ ſemel producta impediat, ne à Deo poſſit produci alia quātitas, cū præcedenti non penetrata; ſed quātitas carens omni termino quantita-

titatis eſſet huiuſmodi: ergo. Min. conſtat: Nam ſi vltra quantitatem actu infinitam, Deus poſſet alias ſpeciés, & individua quantitatis producere, quantitas actu infinita haberet id quo ſpecie, & individualiter ab illis diſferret; ſed non eſt aliud niſi aliquis illius terminus: ergo.

§. II.

Argumenta contra præcedentem rationem.

32 Obijcies 1. ex eó quod forma ſubſtantialis ſit determinata, & finita, nō ſequitur, quod quantitas ad illā ſequuta ſit determinata, & finita ſecundum extenſionem: ergo corpus naturale poteſt eſſe actu infinite magnum, & extenſum. Prob. antec. 1. Solum ſequitur, quod quantitas ad illam ſequuta ſit finita, & determinata, ſecundum ſuum genus, & ſpeciem; ſed quantitas infinite extenſa eſſet intra determinatum genus, & ſpeciem quantitatis: ergo.

Confirm. corpora ſimplicia, & homo genea vt ignis, & aer, licèt habeant determinatā formam ſubſtantialem, non exigunt determinatam extenſionē quāntitatis; cum ſub quacumque quātumvis maiori, poſſunt naturaliter conſervari: ergo.

33 2. Ex eo, quod magnitudo ſit infinita, non ſequitur, quod eſſentia, vel ſubſtantia ſit infinita: ergo ſtabit bene à contrario, quod forma, & eſſentia ſit finita, & quod quantitas ſit infinita; quia prima eſt infinitas ſimpliciter, ſecunda ſecundumquid, quæ aliunde poteſt communicari. Antecedens conſtat ex Div. Thom. 1. part. quæſt. 7. art. 3. in corporé, quod ſic incipit: *Aliud eſt eſſé infinitum ſecundum ſuam eſſentiam, & ſecundum magnitudinem: dato enim quód eſſet aliquod corpus infinitum ſecundum magnitudinem, vtpote ignis, vel aer; non tamen eſſet infinitum ſecundum eſſentiam: quia eſſentia ſua eſſet terminata ad aliquam ſpeciem per formam; & ad aliquod individuum per materiam.* Ex quibus habetur illud antecedens.

34 3. Ex ratione ſequitur, quod forma maior in perfectione exigeret maiorem quantitatem in extenſione; & è contra infima formarum peteret minimam quantitatem; ſed vtrumque experientiæ adverſatur, nam forma hominis omnium perfectiſsima, non exigit quantitatem mōtis, & formæ elementorum imperfectiſsimæ tam vaſtæ molis quantitatem exigunt.

35 Denique falſum eſt, quod quantitas ſit accidens conſequens formam, cum ſit accidēs conſequens materiam, vtpote prima illius diſpoſitio, vt habet Div. Thom. 1. p. quæſt. 3. art. 1. in argumento: *Sed contra.*

36 Negatur primum antece-

cedens: Ad illius 1. prob. dicimus, quod ſubſtantia finita in ordine ad ſe, debet eſſe etiam finita, vt eſt radix quantitatis in extenſione, quia etiam ipſa extenſio quātitatis, vt extenſio eſt, radicem habet in ſubſtantia, imò cum eſſentia quantitatis non ſit aliud, quam extenſio, idem eſt quantitatem eſſe finitam in extēſione, & eſſe finitam intra genus, & ſpeciem quantitatis, & è contra.

Ad confirm. quidquid teneatur de terminis magnitudinis, & parvitatis; ratio noſtra efficax eſt, cui ſufficit, quod accidentia ab intrinſeco dimanantia non poſsint eſſe infinita in actu, etiā ſi ab extrinſeco poſsint augeri ſine termino, quæ eſt infinitas in potentia tantum in magnitudine, & augmento.

Præterquamquod poteſt contingere, quod quantitati mathematicè non repugnet additio vſque in infinitum ſincathegorematicè; & quod quantitati, vt naturalis proprietas eſt ſubſtantiæ, additio repugnet; quia quātitatibus mathematicis, ex parte illarum quantumuis finitis, non eſt aliquid, quod repugnet additioni; at vero quantitati naturali poteſt repugnare additio ex parte formæ ſubſtantialis, ad quam ſequitur vt proprietas: vt habet Div. Thom. 3. p. quæſt. 7. artic. 12. ad 1. & Philoſoph. in 2. de anima textu 41. quod omnium natura conſtantium eſt terminus, & ratio magnitudinis, & augmenti, & inde eſt, quod quantitati totius Cœli non poteſt fieri additio: hæc ibi: vnde ſi corporibus naturalibus, adhuc ab extrinſeco, fieret additio actu infinita, ſequeretur, quod non eſſet naturalis, quia impediret ſuas, & aliorum corporum naturales operationes; & eſſet naturalis, cum maneret corpus naturale, de quo loquimur; quod implicat.

37 Ad 2. reſpond. 1. negando antec. ad probationem ex Div. Tho. dicimus, quod D. Tho. ibi ſolum intendit, quod ex infinitate in actu ſecundum magnitudinem, non ſequitur immediate, & per locum intrinſecum infinitas per eſſentiam, quę eſt propria Dei, de qua egerat articulo antecedenti (quidquid ſit, an ſequatur mediate, & per alias conſequentias) quod ſufficit, vt poſtquam egit de infinito per eſſentiam, ſeorſim agat de aliis infinitatibus, quærēdo ſeorſim radicem immediatam cuiuſlibet infinitatis: vnde poſt verba relata in argumento ſubdit: *Ideo habito ex præmiſsis* (nempè, artic. antecedenti) *quod nulla creatura eſt infinita per eſſentiam; adhuc reſtat inquirere, vtrum aliquid creatum ſit infinitum ſecundum magnitudinem.*

Reſpond. 2. quod magnitudo infinita ſecundum rationem communem magnitudinis, non infert immediate infinitatem

tem

tem formæ, & eſſentiæ, & hoc tantum vult ibi D. Thom. propter rationem, quam ibi adducit: at vero ſi magnitudo ſit naturalis (vt nos de illa loquimur cum D. Thom. in prima parte noſtræ rationis) ſi ſit infinita in actu, infert immediate infinitatem eſſentiæ, & formæ ſubſtantialis; quia effectus, vel proprietas actu infinita infert immediatè infinitatem virtutis, & formæ; & in hoc ſenſu intelligenda eſt propoſitio D. Thom. à nobis etiam aſſumpta: *Quod ad formam determinatam debet ſequi quantitas determinata*; nempè naturalis, vel in corpore naturali.

38 Ad 3. reſpond. ex dictis ſupra inter probandā concluſionem: nempè quod licèt quo formæ ſunt perfectiores, eo eis maior debeatur quantitas: hoc non currit in viventibus, quibus illa quantitas tantum correſpondet, quæ aptior eſt ad exercendas proprias operationes vitæ.

39 Ad vltimam dicimus, quod quantitas (ſicut alia accidentia) ſequitur ad formā: quia tamen eſt magis proportionata cum materia, vtpote illius prima diſpoſitio, illam deſignans, & dividens, & inſuper ſe habet, vt materia comparative ad alia accidētia, quæ tantum recipiuntur media quantitate: dicitur quod ſequitur ad materiam.

40 Obijcies 2. non repugnat magnitudo actu infinita, nec ex parte Dei, cuius potentia eſt infinita; nec ex parte facti: *Tum* quia eſſet infinita, non ſimpliciter, ſed in genere determinato, nempè quantitatis, in quo haberet eſſentiam finitam, & poſitam in dicto prædicamento: *Tum* quia vna linea actu infinita non exhauriret omnes lineas, nec occuparet omnia loca, nec indigeret aliqua figura: ergo ſaltim linea actu infinita non repugnat.

41 Reſpond. eſſe repugnantiam ex parte facti ad 1. cōtra hoc conſtat ex ſecunda parte noſtræ rationis; ex eo enim: quod omnis quantitas actu exiſtēs debet eſſe in determinato genere quantitatis, & habere eſſentiam finitam, & ſpeciem poſitam in dicto prædicamento, inferimus repugnantiam ſuæ infinitatis in actu; cum hoc ipſo, quod habeat eſſentiam finitā, debet terminari, cum determinatio ſpeciei, & individuationis quantitatis ſumatur ex illius terminatione.

Ad 2. dicimus, quod linea infinita in actu, ſi daretur, non eſſet in illa abſtracta, & quaſi mathematica conſideratione, ſed in re; in re autem nequit dari, niſi ſubiectata in corpore infinito cum extendi debeat per infinitas partes.

§. III.

Repugnat multitudo actu infinita.

42 Prius nota ex dictis in

Logica, quod multitudo, alia eſt tranſcendentalis, alia prædicamentalis: prima conſtat ex quibuſcumque vnitatibus, ex Angelis, animabus, vel alijs rebus, ſivè exiſtentibus; ſivè poſsibilibus: ſecunda reſultat ex diviſione continui; in hac proprie reperitur numerus, non vero in illa: de multitudine prædicamentali ſolum agimus in præſenti, quia tãtum de illa egit Philoſophus hic, vt bene notat D.Th. in 2. contra gent. cap. 82.

43 Prob. 1. & non leviter infertur ex reſolutione præcedenti, quia multitudo prædicamentalis actu infinita, eſt magnitudo actu infinite diviſa; ſed repugnat magnitudo actu infinite diviſa, ſi repugnat magnitudo actu infinita: quia magnitudo actu infinitè diviſa, petit partes actu infinitas, & actu diviſas, quod abſque magnitudine actu infinita nequit intelligi: ergo.

44 Prob. 2. Omnis multitudo prædicamentalis actu exiſtens debet eſſe in aliqua ſpecie numeri; quia ſpecies multitudinis prædicamentalis ſunt ſecundum ſpecies numeri; ſed repugnat exiſtere multitudinem prædicamentalem actu infinitã in aliqua ſpecie numeri: ergo. Prob. min. Quælibet ſpecies numeri eſſentialiter eſt multitudo numerata, & menſurata per vnũ, quod eſt terminus multitudinis: ergo.

45 Nec dicas, quod numerus ſolum eſt genus ad quamvis multitudinem finitam; non vero ad infinitam multitudinem.

Contra eſt: Multitudo, quantitativa, de qua tantũ loquimur, neceſſariò debet eſſe in genere quantitatis; ſed non vt quãtitas continua: ergo vt quantitas diſcreta: ergo neceſſariò debet eſſe in aliqua ſpecie numeri prędicamẽtalis. Patet conſequentia: quia numerus eſt ſpecies ſubalterna, vel genus ad omnem multitudinem, quæ vere eſt quantitas diſcreta.

46 Denique probatur cõcluſio: Multitudo, vel eſt infinita, per additionem vnitatum, vel per infinitas vnitates actu exiſtẽtes vnica productione productas: ſi ſecundum omnis ſpecies numeri tollitur, quæ per determinatas vnitas variantur, & conſtituuntur; ſi primum, vel additio vnitatum ſupponit infinitas vnitates, vel non: ſi ſupponit, iam non eſt infinita per additionem vnitatum: infinita autem multitudo, nec additione vnitatum fit maior, nec ſubtractione minor: ſi non ſupponit; illa additio non faciet infinitum in actu, quia finitum non fit infinitũ per additionem finitorum: ſi autem additio fiat in infinitum ſincathegorematicè, erit infinita multitudo in potentia, non in actu.

47 Sed contra noſtram reſolutionem, & rationes oppones: noſtra ratio inſtatur in infini

to in potentia: ergo inefficax eſt ad probandam repugnantiam in finiti in actu. Prob. antec. Omnis multitudo creaturarum poſſibilium, vel eſt in aliqua ſpecie numeri, vel non: ſi primum: ergo multitudo omnium creaturarum poſsibilium conſtituitur per aliquam vltimam vnitatem, ac ſubinde non erit ſincathegorematicè infinita: ſi ſecundū: ergo neque omnis multitudo actu exiſtens debet eſſe in aliqua ſpecie numeri.

48 Reſpond. neg. ant. Ad prob. dicimus: quod noſtra ratio procedit de multitudine reſultāte ex diffinitione continui quantitativa, & prædicamentali, quæ ſola eſt materia numeri prædicamentalis; multitudo creaturarum poſsibilium eſt ſolum tranſcendē talis, à qua in præſenti præſcindimus, & conſequenter noſtra ratio ſemper manet efficax.

49 Sed inſtas 1. datur multitudo ſincathegorematicè infinita vnitatum reſultantium ex diviſione continui, cum continuum ſit in infinitum ſincathegorematicè diviſibilè, vel ergo multitudo hæc eſt in aliqua ſpecie numeri, vel non: & currit inſtantia ſupra facta. 2. multitudo reſultans ex additione vnitatum, quæ defacto conſtituunt numerum prædicamentalem, eſt ſincathegorematicè infinita, cum poſſit fieri additio vnitatum in infinitum ſine termino; vel ergo hæc multitudo eſt in aliqua ſpecie numeri, vel non &c. Denique: ergo licèt repugnet infinita multitudo in actu prædicamentalis: non repugnabit infinita multitudo in actu tranſcendentalis; cum huius non probemus repugnantiam.

50 Ad 1. reſpond. quod multitudo ſincathegorematicè infinita, ſicut actu eſt finita, ita actu eſt in aliqua ſpecie numeri, ſecundum illas vnitates, quæ conſtituunt illam in ratione multitudinis actu exiſtentis: at vero ſecundum illas vnitates, quas habet in potentia, ratione quarum eſt infinita in potentia, eſt etiam in potentia ad eſſendum non in vnica ſpecie numeri, ſed in infinitis ſpeciebus numeri; quia per additionem ſucceſsivam cuiuslibet vnitatis conſtitueretur ſucceſsivè in diverſis ſpeciebus numeri poſsibilibus vſque in infinitum: quare multitudo ſincathegorematicè infinita eſt in ſpecie numeri, non vnica, ſed in infinitis ſpeciebus poſsibilibus, imò ex illis coaleſcit, & conſequenter ex hoc capite non repugnat; ſicut non repugnat multitudo infinita in potentia ſpecierum poſsibilium Angelorum, & aliarum rerum.

Multitudo infinita in actu ſi daretur, conſtaret ex vnitatibus actu exiſtentibus, quarum nulla poſſet eſſe vltima reſpectu aliarum ſimul coexiſtentium: & conſequēter ex omnibus illis nulla ſpecies numeri reſultaret, nec

actu, nec poſsibiliter, non actu, quia nulla illarum actu eſſet vltima, nō poſsibiliter, quia ſi aliqua illarum poſſet eſſe vltima, illa multitudo conſtitueretur in ſpecie numeri, ſed eſſet amittendo infinitatem in actu: & conſequē ter multitudo manens infinita in actu, eſſet aliquod ens productū de genere quantitatis, nullo modo contentū in aliqua ſpecie illius generis, quod eſt chymæra. Per quod patet ad 2. inſtantiam.

Ad vltimam dicimus, quod vt in principio diximus, nos cū Philoſopho ſolum de multitudine prædicamentali, diſputare promiſimus, & ſi ratio hanc vt actu infinitam repugnare convincit, intentum convincit, quod nobis pro nunc ſufficiebat.

51 Sed quia ratio facta paucis mutatis, adaptari poteſt omni multitudini etiam tranſcē dentali, & argumentum à paritate huius ad prædicamentalē debet ſolui: ideo negatur conſequētia, licèt enim multitudo tranſcē dētalis ſicut, & tranſcendentalis numerus vere non ſit ſpecies quantitatis, nec proprie numerus; tamen debet conſtitui in aliqua ſpecie multitudinis, & numeri cum proportione ad multitudinem, & numerum prædicamentalem, quod indicat D. Thom. cum proponit rationem à nobis ſupra factam, dicendo non quod multitudo debet eſſe in ſpecie numeri, ſed quod *ſpecies multitudinis ſunt ſecundū ſpecies numerorum*, hoc eſt, debent eſſe iſtis proportionatæ! quia eodem modo Angelos numeramus, ac res quantas.

52 Vnde ratio poteſt ſic formari; repugnat multitudo (quælibet illa ſit) actu exiſtēs, quę nō ſit numerabilis, ſaltim à Deo, qui illā fecit: ergo & quæ non ſit finita, quia quod numerari poteſt habet vltimam vnitatem, ad quā perveniatur numerando; & ſi nō pervenitur, innumerabile eſt: Antecedēs prob. Vbi eſt vnitas exiſtens actu, & realiter non communicans cum alia, poteſt illa cum alijs accipi, vel ſimul, vel vna poſt aliam: ergo & numerari; ſed repugnat aliqua multitudo rerum à Deo facta, cuius vnitates nō poſſint illo modo accipi, ſaltim ab intellectu divino: ergo, & quæ non poſsit à Deo numerari; & conſequenter, quæ non ſit in aliqua ſpecie multitudinis, & numeri tranſcendentalis.

53 Sed inſtas: Deus poteſt facere, quod non poteſt numerare: ergo poteſt facere multitudinem actu infinitam, quin poſsit eam numerare. Prob. ant. Deus poteſt facere infinita ſincathegorematice, vt infinitos Angelos, & infinitas ſpecies rerum, & tamē eas omnes non poteſt numerare, quia non eſt aſsignabile vltimum infinito: ergo.

Diſtinguo antecedens: Deus poteſt facere ſimul, quod nō poteſt numerare, nego antec. Poteſt facere ſucceſsive, quod non poteſt numerare, ſubdiſtinguo, quod

quod ſimul non poteſt numerare, concedo: quod iuxta ſucceſsionem facti, non poſsit ſucceſsivè numerare, nego (ſucceſsione ſe tenente ex parte rei numeratæ, non ex parte Dei numerantis, qui non cognoſcit partem poſt partem, ſed omnia ſimul.) Deus poteſt facere infinita in potentia: infinitum in potentia, vt ait D.Thom. quæſt. 2. de Potentia artic. 10. eſt illud, quod ſemper in ſucceſsione cōſiſtit, vt in generatione corporum, & in diviſione continui: quæ quidem ea ſucceſsione, qua à Deo poſſunt exiſtere, poſſunt à Deo numerari; quia eadē ſucceſsione poſſunt eſſe in diverſis ſpeciebus numeri, vſque in infinitum, vt ſupra diximus: repugnat autem, quod ea, quæ Deus ſimul poteſt producere, & poſſunt ſimul exiſtere, non poſsint à Deo numerari, nec cōtineri in aliqua ſpecie numeri, vel multitudinis.

54 Inſtas: non repugnat Deum actu cognoſcere multitudinem, quam non poſsit numerare; cùm actu cognoſcat multitudinem omnium creaturarum poſsibilium, quæ infinita eſt, & conſequenter innumerabilis: ergo non repugnat actu facere multitudinem, quam non poſsit numerare.

Negatur conſequentia: non valet argumentum ab eo, quod Deus actu cognoſcere poteſt, ad id quod actu poteſt efficere: actu ſimul Deus cognoſcit cōtradictoria, quin illa actu poſsit ſimul efficere: quia alius eſt modus intellectus in intelligendo, & rei in eſſendo: vt varijs in locis aſſerit D. Thom. Deus actu cognoſcit omnia poſsibilia, & poſsibilia actu non ſunt,

LIBER QVARTVS

PHYSICORVM.

De Menſura motus, & mobilis.

CVm iam egiſſet Philoſophus de principijs intrinſecis, & extrinſecis entis mobilis, & de motu, qui eſt illius actus; intendit nunc de vtriuſque menſura tractare; nempè de loco, qui eſt menſura mobilis, & de tempore, quod eſt menſura motus, in quo conſumit lib. 4. in 14. capita diviſum, in quorum quinque primis agit de loco, & eius occaſione, in alijs quatuor agit de vacuo, & in reliquis de tempore: de quibus nos etjam ſequentes excitamus quæſtiones,

QVÆST. XVI.

De loco, & Vacuo.

1 CVm, vt infra dicemus, vacum ſit locus privatus corpore, ad exactam notitiā loci, opportet ſimul aliquid tractare de vacuo; propter quod vtrumque ſimul in eadem quæſtione comprehendimus.

ARTIC. I.

Quid ſit locus?

2 DAri loca vera, & corporea ipſa experientia in motu corporum ſecundum locum, demonſtrat: locus iuxta Philoſophum hic cap. 4. *Eſt terminus continentis immobilis primus*: ponitur *terminus*: pro eodem ac ſuperficies, quæ eſt terminus corporis quanti: propter quod locus ſolet communiter diffiniri: *Eſt vltima ſuperficies corporis continentis immobilis prima.*

Ponitur *ſuperficies corporis continentis*: Ad excludenda à ratione loci quædam ſpatia, ſeu intervalla, cum capacitata, & vacuitate ad recipiendum corpora, poſita ab Antiquis Philoſophis: quia tale ſpatium, vel eſt pure imaginarium, vel eſt à corpore aliquo circunſtante: ſi primum; cum realiter ſit non ens, & nihil, non erit verus locus, de quo loquimur: ſi ſecundum, cum vnum corpus ambiat, & contineat aliud, ratione alicuius ſuperficiei, qua in ſe terminatur, & aliud circunſcribit, hæc erit locus verus.

Dicitur *vltima*, quia eſt terminus corporis continentis, contigua cum corpore contento: cū quo non opponitur, quod etiam dicatur *prima*: quia licèt ſit vltima reſpectu corporis continentis; eſt prima, hoc eſt, immediata, reſpectu corporis cōtenti, per quod differt locus proprius cuiuslibet corporis à loco communi; vt aſſerit D. Thh. exponens particulam *prima* lect. 6.

Dicitur *immobilis* ad differentiam aliorum corporum cōtinentium alia corpora, quæ moventur cum corpore contento, vt vas aquæ, quod proprie locus non eſt ipſius aquæ, ſuperficies quæ eſt locus, eſt quaſi vas immobile immobiliter continens corpus: *Tum* quia locus quandoque eſt terminus *à quo*, qui deſeritur; ſed ſi movetur ad motum mobilis; potius portatur à motu mobilis, quam deſeratur: ergo. *Tum*, quia quandoque locus eſt terminus ad quem, qui adquiritur, ſi autem ipſe locus movetur, ad aliquem locum adquirēdum deberet moveri; & præterquāquod daretur locus loci, vel locus adquiſitus à loco, eſſet mobilis, vel non: & ſic in infinitum: reſtat ergo, quod vltima ſuperficies corporis continentis, prout forma

maliter habet rationem loci ſit immobilis:

§. I.

Qualiter immobilitas conveniat loco?

3 CErtum eſt 1. immobilitatem loci nõ ſummi prçciſsè à ſuperficiè vltima corporis cõtinentis,& immediate ambiente locatum, cõſiderata materialiter,& in eſſe entis,quia multoties immoto corpore locato,illa ſuperficies tranſit ſicut, & corpus continens,cuius eſt ſuperficies, vt aer ambiens turrim.

4 Certum eſt 2. locum non eſſe immobilem à corpore locato,quia licèt per accidẽs aliquod locatum ſi. immobile, vt Turris,poteſt tamẽ deſtrui, quin locus illius deſtruatur, & poteſt aliud corpus loco illius ſubſtitui: præterquamquod motus localis petit, quod locatum moveatur de vno loco in alium immotis locis, vel immobilibus.

5 Certum 3. eſt dari in vniverſo puncta fixa,& immobilia,vt ſunt centrum,& polli à quibus omnia,quæ in vniverſo continentur,diverſimodè diſtant; & quod ratio loci in locis particularibus debet ſummi ex primo continente, & locante, ſcilicèt Cœlo fixo in pollis.

Ex quo infertur 1. quod vltima ſuperficies corporis continentis aliquod corpus ſolum dicitur,& eſt locus proprius illius,ſecũdum ordinem ſitus,& poſitionis in vniverſo,& diſtantiæ à primo locante, quod eſt,Cœlum fixum in pollis, & à centro.

Infertur 2. quod invariata ſituatione,& poſitione in vniverſo,& invariata diſtantia à primo locante,& punctis fixis,nequit locus variari conſtat hoc,nequit locus variari formaliter vt talis,niſi variato eo,quo conſtituitur in eſſe loci formaliter; ſed ſuperficies corporis continentis non eſt locus formaliter ſecundum ſe,& prout inhæret corpori locanti, ſed prout dicit talem ſituationẽ diſpoſitionem,& diſtantiam;ergo his invariatis nequit locus variari.

6 Certum eſt 4. Locum eſſe invariabilem, vel immobilẽ terminativè,immobilitate, ſcilicèt termini relationis diſtantiæ, quã ſuperficies corporis continẽtis dicit ad primum locans,& terminos fixos:conſtat hoc,quia diſtantiã eſſe immobilem terminative eſt terminũ diſtantiæ eſſe fixũ immobilẽ; ſed vt dictum eſt, termini à quibus diſtant omnia, quæ habent ſituationem in vniverſo,in qua diſtãtia, & ſituatione locus formaliter conſiſtit,ſunt immobiles,& fixi:ergo locus formaliter eſt immobilis ſaltim terminativè.

7 Certum eſt 5. Locum debere eſſe immobilem, non ſolum terminativè, ſed etiam ſubiectivè,hoc eſt de ipſa ſuperficie corporis continentis,quæ locus eſt,debet verificari immobilitas,vt cõſtat ex diffinitione loci:

dici-

dicitur enim ſuperficies corporis continẽtis, immobilis ſubjectivè, ab immobilitate diſtantiæ, quam dicit ad terminos fixos, quæ relatio diſtantiæ in ſuperficie continente ſubiectatur.

8 Certum eſt 6. pro eodem debere ſummi in præſenti immobilitatem loci, & illius vnitatem; ſed quia vnitas loci, & poteſt eſſe quoad ſpeciem, & quoad individuum: ita, & immobilitas, & poteſt convenire loco ſolum quoad ſpeciem, vel etiam quoad individuum: quod autem omnia loca debẽt eſſe immobilia, quoad ſpeciem, conſtat: *Tum* quia immobilitas eſt differentia conſtitutiva ſuperficiei continentis in ratione loci: *Tum* propter rationẽ factam in expoſitione diffinitionis loci, ſupra illam particulam *immobilis*.

9 Certum denique debet eſſe, immobilitatem non ſolũ devere cõvenire loco, quoad ſpeciem; ſed etiam quoad individuum: conſtat hoc: *Tum* ex D. Th. opuſc. 42. dicente: *Quamvis enim moveatur ſuperficies aeris, vel aquæ ſecundum, quod eſt vltimum huius corporis, vel illius; ſuccedit tamen aliud corpus, quod eundem ſitum, & ordinem ſecundum naturam habet ad primum ordinans, ſivè locans, quod eſt Cœlum propter quod manet idèm locus numero.* Tum quia mobilitas loci quoad individuum eſſet (maximè) ad mobilitatẽ, vel variationẽ in ſuperficiei continentis: ſed hoc nequit eſſe: ergo, Cætera patent, & prob. min. Sequeretur namque, quod idem locatum numero, manens immotum localiter, vt Turris v. g. eſſet nunc in hoc loco numero, & poſtea in alio loco numero diſtincto, & conſequenter, quod mutaret locum ſine motu locali, quod eſt abſurdum.

10 Suppoſitis his tanquam certis, quia in illis, vel nihil, vel parum eſt controverſiæ: manet præcipua difficultas in adſtruẽda immobilitate, in hoc numero loco, vel in explicando qualiter immobilitas conveniat loco individualiter, aut numericè ſumpto, vel à quo ſummatur vnitas numerica loci?

11 Pro cuius reſolutione. *Dico* 1. vnitas numerica loci, & illius immobillitas quoad individuum non ſumitur ab vnitate, & immobilitate ſuperficiei corporis continentis, materialiter, & entitativè cõſideratæ: cõſtat hoc ex ſupradictis, quia hæc poteſt moveri, & individualiter variari, non variato loco, quoad individuum: ergo Prob. anteced. Turris Complutenſis, dum non deſtruitur, ſemper manet in eodem numero loco; cum eandem numero ſituationem, diſpoſitionem in vniverſo, & diſtantiam à primo locante ſervet; & tamen ſuperficies corporis continentis, nempè aeris, movetur, & variatur numero, ſi ab alio corpore numero diſtincto, vt poteſt continuetur: ergo.

Di-

12 Dico 2. Vnitas, & immobilitas individualit loci nō ſummitur ab vnitate, & immobilitate ſuperficiei corporis continentis, prout præciſsè dicit hāc numero diſtantiam ad puncta fixa, & ad primum locans. Prob. diſtantia ad puncta fixa, vel eſt differentia ſpecifica contraens rationem ſuperficiei, vt ex illis conſtituatur ratio ſpecifica loci, vt aliqui volunt, vel eſt accidens ipſius ſuperficiei corporis continentis: ſi primum, cum ratio generica, & differentiales identificentur, nequit vna numericè variari, invariata numerice alia; ſi ſecundum; cum accidentia realia numero varientur ad variationem ſubiecti, ad quod ſequuntur, & in quo recipiuntur, nequid ſuperficies numero variari, invariata numericè diſtantia, in illa ſubiectata.

13 Dico 3. Vnitas numerica loci, & illius immobilitas individualis debet ſalvari in ſuperficie corporis continentis immediatè ambiente locatum prout ſubeſt diſtantiæ ad puncta fixa, & primū locans. Prob. quia vnitas numerica loci, & immobilitas individualis ſalvari debet in eo quod continet locatum, in eo cui convenit diffinitio loci, & de quo ratio loci verificatur; ſed quod continet locatum, cui convenit diffinitio loci, & de quo ratio loci verificatur; eſt ſuperficies corporis continentis immediatè ambiēs locatū, prout ſubeſt diſtantiæ ad puncta fixa: ergo.

14 Dico vltimo: Vltima ſuperficies corporis continētis conſtituit vnum numero locum, & immobilem individualiter, prout eſt vna, & ſubeſt vnicæ diſtantiæ nō materialiter, ſed formaliter, hoc eſt non quod ſuperficies in ſe, & diſtātia, cui ſubeſt, ſint vnum vnitate ſimplicitatis, ſed vnitate ordinis, ſeu coordinationis, ſub eiſdem numero punctis fixis, primo locante, ſituatione, & diſpoſitione in vniverſo. Prob. ſimul, & explicatur; quia idem ignis numero manet, licèt paulatim conſumatur vna materia, & ſuccedat alia, non alia ratione, niſi quia diſtincta materia ſuccedit ſub eodē ordine ad formam: ergo licèt plures ſuperficies ſuccedant in continendo locatū, quia tamen coordinatè ſuccedūt & ſub eodem ordine ad puncta fixa, & primum locans, ſufficit, vt maneat idem numero locus.

Prob. 2. illa vnitas ſufficit ad conſtituendum vnum numero locum, & immobilem individualiter, quæ ſufficit ad cōſtituendum locatum menſuratum ſuperficie in hac numero ſituatione, diſtantia à polis, & centro, & poſitione in vniverſo; ſed ad hoc ſufficit vnitas ordinis in ſuperficiebus circunſtantibus locatum: ergo ſuperficies continens conſtituit vnum numero locum, prout eſt vna, non vnitate ſimplicitatis; ſed præciſsè ordinis;

Mai.

mai.conſtat: nam per illud ſolū omni alio ſecluſo, concipimus vnū locatum eſſe in loco numericè diſtincto ab alio probat.min. ſucceſsio ſuperficierum cum ordine inter ſe,in continendo locatum,ſub hac ſituatione,diſtantia, & poſitione in vniverſo, eſt ſufficiens, vt locatum ſit extrinſecè menſuratum mēſura, qua nequit menſurari locatum exiſtens in alia ſituatione,diſtantia, & poſitione in vniverſo,hoc eſt in alio loco numericè diſtincto ab iſto: ergo ſufficiens ad conſtituendum locatum in loco numericè diſtincto ab alio loco: patet conſeq. quia cum locus ſit menſura extrinſeca locati,id quod ſufficit ad conſtituendum locatum menſuratum menſura,qua nequit menſurari locatum exiſtens in alio loco numericè diſtincto, erit ſufficiens ad conſtituendum vnum locum numericè diſtinctum ab alio.

16 Ex his facile erit ſolvere obiectiones,quæ cōtra noſtram reſolutionē poſſunt opponi,oppones 1.locus formaliter,vt talis eſt menſura extrinſeca locati; ſed menſurare locatum non convenit ſuperficiei continenti, ratione diſtantiæ,nec ratione cētri,& pollorum, ſed ratione ſui; ergo ſi hæc variatur numericè,& movetur,locus non erit idem numero,& immobilis prob.min.locus eſt menſura, quæ adæquatur cum locato, ſi ſit locus adæquatus illius; ſed ſolum ſuperficies continens ratione ſui eſt,quæ adęquatur cum locato:ergo.

16 Diſtinguo min.Menſurare locatum mēſura propriè locali,nego min.Menſura ſolum materialis continentiæ, qualiter vas plenum aqua illam mēſurat, omitto min.Locus enim eſt mēſura locati,non per hoc,quod eir cunſcribat locatum,ſe adæquando cum illo; ſed per hoc, quod illud mēſuret cum ſubordinatione ad primum locans,& ſub tali, vel tali diſtantia ad illud: vnde omnes ſuperficies ſuccedētes ſub eadē diſtantia conſtituunt vnam, & eadem menſuram localem.

17 Oppones 2. Locus eſt ſpecies quantitatis,& nō eſt formaliter in genere relationis:ergo adhuc dato,quod relatio diſtātiæ eſſet eadē;ſi quātitates, & ſuperficies variantur,& moventur,locus nō erit idem nec immobilis.

18 Diſting.mai,Locus eſt ſpecies quantitatis formaliter in eſſe extēſionis nego mai.in eſſe mēſuræ ſubdiſting. in eſſe mēſuræ intrinſecæ, neg. extrinſecæ,conced.mai. Poteſt enim extenſio eſſe diverſa,& mēſura eadē,vt in pōderibus,tabula magnę extēſionis poteſt æquari in pōdere à ferro in extenſione inęquali.

19 Oppones 3. In ijs, quæ ad rationem loci concurrunt nulla reperitur vnitas numerica,& immobilitas,niſi in primo locante, & in pūctis fixis;ſed hęc ſolum concurrunt ad locum purè terminativè:ergo locus nō eſt

vnus

vnus numero.& immobilis ſubiectivè, ſed tantum terminatiuè, contra ſupradicta, & veritatem: cetera patent, & maior cōſtare videtur: quia præter puncta, & primum locans, ſolum datur ſuperficies, & relatio diſtantiæ, quas variari, & moveri ſupra vidimus.

20 Diſtinguo maior. Nulla reperitur vnitas numerica, vnitate ſimplicitatis, concedo mai. Vnitate ordinis, nego mai. Non omnia, quæ individua ſunt, gaudent eadem ſimplicitate; quia iuxta naturam, quæ individuatur ſumitur ſimplicitas in individuo; ſi Angeli darentur ſolum numero differentes, individuum Angelicum eſſet ſimplicius individuo humano, & individuum humanum ſimplicius eſt, quam alia individua in genere artificiali, vt vna Domus, vnum Sacramentum, vnum convivium: & hoc non obſtante, omnia iſta ſunt Individua, & habent vnitatem numericam iuxta propriam naturam cuiuslibet; vnde illa, quæ conſiſtunt in ordine, ſufficit, vt individuentur, vnitas ordinis, vt vnus exercitus, vna Civitas, & ſic licèt in alijs aliqua pars deficiat, & alia de novo adveniat, dummodo maneat idem ordo inter illas, & id cui ſubordinantur, manet idem individuum; huiuſmodi eſt locus, vt ſupra explicatum eſt.

§. II.

Reliqua pro diſſinitione locì, & illius diviſio.

21 Inquires 1. an diſfinitio loci ſit per genus, & differentiam? *Reſpond. negativè*, loquendo de genere, & differentia ſtrictè, & metaphyſicè: Probatur: propria, & eſſentialis ratio ſuperficiei, eſt eſſe ſpeciem eſſentialem quantitatis conſtitutam per extenſionem ſecundum latitudinem, & longitudinem, ſed differentia conſtitutiva loci non contrahit rationem extenſionis, addendo aliquid intra rationē extenſionis propriæ ſuperficiei: ergo differentia loci nō contrahit ſuperficiem, vt illius genus metaphyſicum: conſeq. liquet. quia hoc requiritur, vt ſuperficies cōparetur ad locum, vt illius genus metaphyſicum: & prob. min. differentia loci ſolum addit rationē menſuræ extrinſecæ immobilis; ſed hoc non eſt addere aliquid intra rationem extenſionis propriæ ſuperficiei: ergo.

22 Inquires 2. Qualiter ſuperficies comparetur à locum? Reſpond. comparari per modum ſubiecti ad formam conſtitutivam loci, & ſic hæc diffinitio eſt quaſi phyſica, in qua ſubiectum ſe habet tanquam genus, & forma tanquam differentia; vt accidit in diffinitione concreti accidentalis.

Dices: quod Div. Thom. in

in 2. diſtinct. 12. quæſt. 1. artic. 5. ad 2. ait; *Quod locus per eſſentiam eſt ſuperficies corporis locantis*: Reſp. explicãdo ſic: per eſſentiam phyſicè, & præſuppoſitivè conc. metaphyſicè, & formaliter conſtitutivè neg. ſicut album per ſe eſſentialiter ex parte ſubiecti requirit corpus.

23 Inquires 3. an locus ſit vnum per ſe? *Reſp. affirmativè*: *Tum* quia non maiorem vnitatẽ habet numerus, quam locus; ſed numerus eſt vnum per ſe, vt diximus in logica: ergo, & locus: *Tũ* quia non ſolum eſt vnum per ſe, quod eſt indiviſibile, & quod eſt continuum, ſed etiam quod integratur ex pluribus per ſe adunatis ad vnum finem, vel coordinatis ſubordinando ſe vni, ſicut vna domus, vna oratio, vnus numerus, & ſimilia; ſed locus ad minus habet vnitatem huius ſecundi generis: ergo eſt vnum per ſe.

24 Inquires 4. Vtrum omnia corpora ſint in loco? Reſp. quod loquẽdo de omnibus corporibus præter primam ſphæ rã (quæcumque illa ſit) & ſupponẽdo pro nunc quod infra dicemus, ſcilicèt, naturaliter non dari vacuum: videtur manifeſtũ omnia corpora eſſe in loco: cum infra primam ſphæram vniverſum cõſtet corporibus ſine vacuo aliquo vel ſpatio non occupato ab aliquo corpore quanto, ita vt vnum contineat aliud, & conſequenter ſunt loca, & locata ſine interruptione aliqua.

Supponimus etiam ex D. Thom. 1. p. q. 66. art. 3. quod vltima ſphæra eſt Cœlum Empyreũ lucidũ, & Immobile, vt ſit Sedes Beatorum non cognitum à Philoſopho, quia nec motui ſubiacet, nec viſui viatorum; quia tamẽ Philoſophus primum mobile reputat eſſe vltimam ſphæram, ideò de loco huius diſputãt Philoſophi, & quia phyſicè rẽ tractãt, & quia ſpecialem difficultatẽ habet locus illius, propter illius mobilitatem: propter quod etiã non loquimur de corpore Chriſti in Cœlo exiſtente.

25 Dicimus ergo cum Philoſopho, & Divo Thõ. quod primum mobile, vel prima ſphæra ſimpliciter, & in actu, tota ſphæra non eſt in loco: per accidẽs, hoc eſt, ratione ſuarum partiũ eſt in loco, non in actu, ſed in potentia: *Prima pars* patet; quia totum aliquod corpus non eſt actu, & ſimpliciter in loco, ſi deſit corpus aliud actu ambiẽs, & circũſcribẽs illud: ſed hoc deeſt primæ ſphæræ; ergo. *Secũda pars* etiã prob. quia primum mobile, ſi ſit prima ſphæra, eo modo eſt in loco, quo movetur in loco; ſed non movetur localiter ſecundũ ſe totum, ſed ſecundum partes, motu, ſcilicèt, circulari; ergo.

Tertia pars, ſcilicèt, quod ratione ſuarum partium non eſt actu in loco, conſtat: quia eſſe in loco ratione ſuarum partium, eſt, quod vna pars contineat aliam.

liam, & ſit locus alterius; ſed ad hoc requiritur diviſio illarũ, quæ actu non eſt in prima ſphę-ra: ergo. Ex quo vltima pars nempè, quod ratione illarum ſit in loco tantum in potentia, explicatur ſimul, & probatur; dicuntur partes Cœli eſſe in loco in potentia quatenus omnes exiſtunt in continuo, vna poſt aliam, & vnitur alteri in circulo, quod ſi moveatur, dicitur vnam tranſire ad locum alterius: ratione autem huius continuationis, vna continet aliam actu, continuatione, non circunſcriptione; quia ad hanc diviſio illarum deficit: hæc ſecunda continentia requiritur ad eſſendum in loco actu; prima ſufficit ad eſſendum in loco in potentia, hæc reperitur in partibus Cæli, non vero illa.

26 Reſtat denique diviſio loci, & primo dividitur in *extrinſecum*, & *intrinſecum* (nõ quod hæc ſit diviſio alicuius rationis communis vtrique; ſed diverſæ acceptionis loci) extrinſecus ſupra à nobis explicatus, & diffinitus eſt; intrinſecus eſt ipſa præſentia paſsiva rei locatæ, quæ dicitur *vbi*; & eſt forma, ſeu modus intrinſecus proveniens à loco extrinſecus circunſcribente, à quo principaliter provenit denominatio locati: igitur *vbi*, ſeu locus intrinſecus cõſtituit ſpeciale prædicamentum, cuius diffinitionem in Logica traddidimus, & illius ſpecies.

27 Denique dividitur locus in *naturalem*, & *mathematicum*: locus mathematicus dicitur quodlibet corpus quomodolibet continẽs aliud cum immobilitate, & diſtantia, locus vero naturalis addit ſupra mathematicũ, vel qualitates aliquas conſervativas locati, vel ordinem, & poſitionem in vniverſo convenientem locato iuxta ſuã naturam, in quo cõnaturaliter quieſcit, & conſervatur, vt piſces in aqua, Aves in aere, lapides in centro, & ſic de reliquis.

ARTIC. II.

Vtrum duo corpora poſsint eſſe in eodem loco?

28 DVo corpora naturaliter non poſſe eſſe in eodem loco, ipſa doctrix experientia videtur demonſtrare, qua videmus eundem locũ ſucceſsive occupari à diverſis corporibus, ita vt vnum aliud ab eodem loco expellat, vt locum alterius repleat, ſi primo occupans vltro locum non deſſerat.

Nec eſt experientia in contrarium, niſi tantum quoad apparientiam: in primis, quod vas cineribus plenum recipiat aquam, ſolum infert tantum aquę recipere, quantũ deficit de cinere in poris illius plenis aere; quo exeunte introducitur aqua, qua partes cineris condenſantur, & comprimuntur; & etiam ob nimiam cineris ſiccitatẽ, aliquid

a quæ evaporatur, & reliquū imbibitur, idem ſuo modo dic de igne in ferro candenti, & infuſione aquæ in pane.

Similiter experientia de vaſe pleno aqua admittente catenam auream, vel numos ſine effuſione: admiſſa experientia (de qua plures dubitāt) vel aqua creſcit in cumulum, quaſi per modū globi, quamdiu labia vaſis manēt ſicca, quæ ſi madefiant, effunditur aqua; vel dic cum alijs, aurum habere virtutem attractivam aquæ à qua virtute provenit, quod pars aquæ, quæ ſupereſt, immiſſa catena, maneat ſupra labia vaſis in modum globi.

29 Supponimus etiam, nihil aliud eſſe duo corpora eſſe in eodem loco, quam ſub eadē ſuperficie corporis ambientis, & in eadem diſtantia cōtineri; quod quidem proprie, & diſtinctè loquendo, abſque penetratione vtriuſque nequit intelligi; cum autem hæc penetratio, vt vidimus, naturaliter non poſsit accidere, inquirimus, an ſaltim per miraculum eſſe poſsit.

§. I.

Explicatur penetratio, & illius poſsibilitas.

30 IMpenetrabilitas ex terminis eſt quædam quaſi vis exiſtens in quolibet corpore quanto, qua quaſi in actu primo vnumquodque arcet, & reſiſtit introductioni alterius in locum, quē replet, hæc vis convenit corpori quanto ratione ipſius quantitatis, de cuius ratione, ſicut eſt extenſio partium, vt vna ſit extra aliam, tangendo ſe non ſecundū ſe totas, ſed penes extremitates, in diviſibilia, vel terminos, ita eſt de illius ratione facere, quod vnū corpus ab alio diviſum ſit extra aliud tangendo ſe non ſecundū ſe tota, ſed penes extremitates, & terminos cuiuslibet.

Et ſicut ex hac coordinatione partium vnius extra aliā eiuſdem corporis in loco, ſequitur, quod vna non ſit in parte loci correſpondente alteri, ſed tantum ſibi, ita ex eo, quod vnum corpus ab alio diviſum ſit extra terminos alterius, ſequitur quod vnum non ſit in loco correſpondente alteri; ſed tantum ſibi, & quod ab eodem loco ſe expellant.

31 Dubitant aliqui an hæc expulſio, & incompatibilitas corporū in eodem loco proveniens ab eorum quantitate, ſit de genere cauſæ efficientis, vel formalis? *Dicimus*, quod ſi ſit ſermo de incompatabilitate quaſi in actu primo, hoc nihil aliud eſt, quā ipſa quantitas, quæ ratione ſuorum terminorū alteri quantitati reſiſtit: loquendo vero de actuali expulſione, hæc conſiſtit in actuali cōtactu terminorum duplicis corporis quanti, qui ratione ſuæ incompoſſibilitatis ita quātitatem, quā terminant, definiunt vt ipſa extra illos non exeat, nec

alia

alia intra illos valeat intromitti: omnia hæc, vt patet, ſunt de genere cauſæ formalis, cum ſint effectus formales, primarij, vel ſecundarij ipſius quantitatis, & terminorum eius: cum quo ſtat, quod actualis expulſio vnius corporis ab alio, poſsit effective provenire medio impulſu alicuius in pellentis ſaltim per modum conditionis applicantis.

Hæc impenetratio duorum corporum in eodem loco, & expulſio vnius ab alio ab eodem loco, medio contactu ſuorum terminorum, ſeu ſuperficierum, ſolum convenit corporibus exiſtentibus proprie, & circunſcriptive in loco: & in hoc ſenſu procedit difficultas, an, ſcilicet, duo corpora quanta quantitate extendente partes vtriuſque in ordine ad locum circunſcribentem vtrunque, poſsint penetrari divinitus, vt ab eodem loco circunſcribi poſsint?

Concluſio eſt: *Duo corpora quanta extenſa in ordine ad locum poſſunt divinitus penetrari, & ſic penetrata ab eodem loco circunſcribi*: Concluſio eſt communiter à Theologis, & Philoſophis recepta: contra Durandum: & quia ſoluciones Durandi, quibus veram penetrationem excludit ab ingreſſu Chriſti ad Diſcipulos ianuis clauſis, ab egreſſu illius ex clauſo ſepulchro, ab illius aſcēſione penetrando Coelos, vt expreſſe habet Apoſt. ad Hebręos 4. parvi momenti reputantur, & latè impugnantur ab Authoribus ideo:

33 Ratione probat. concluſio: ſalva extenſione partium corporis in ordine ad ſe, poteſt Deus impedire extenſionem partium corporis in ordine ad locum: ergo ſalva extenſione partiū vnius corporis in ordine ad locum, poterit Deus impedire, ne aliud corpus ab eodem loco expellat: Antec. conſtat in Chriſti corpore quanto in Euchariſtia, & conſeq. probatur primo quia prius eſt extenſio partium corporis in ordine ad ſe quam in ordine ad locum, & prius, in quantum prius, non depende t apoſteriori, poteſt Deus primam extenſionem conſervare, diſpenſando in alia: ſed prius eſt, quod aliquod corpus ſit extenſum in ordine ad locum, quam quod aliud cor pus ab eodem loco expellat: ergo ſalva prima extenſione, poterit Deus in hoc ſecundo diſpenſare:

34 2. Duo corpora extenſa in ordine ad locum poteſt Deus facere, quod ſe tangant, non ſecundum extremitates, vel terminos vtriuſque, qui ſunt ſuperficies; ſed ſecundum ſe totas ſed hoc ipſo vnum non erit extra locum alterius: ergo erit intra locun alterius, ac ſubinde vtrumque erit in eodem loco. Minor conſtat: ſicut enim in partibus eiuſdem corporis, vna non erit extra aliam, ſi ſe tangunt non præciſſe ſecundum extremitates,

Nn ſe

ſed ſecundum ſe totus, ita in corporibus diviſis; & extenſis in ordine ad locum, vnum non erit extra locum alterius, ſi ſe tangunt non præciſe ſecundum extremitatis, ſed ſecundum ſe tota.

Maior vero probatur: Nulla apparet repugnantia in eo, quod vtrumque corpus tangat locum ſecundum ſuas extremitates, quod eſt vtrumque eſſe extenſum in ordine ad locum, & quod Deus impediat, ne vnum tangat aliud præciſſe ſecundum extremitates, vel ſuperficiem quia ſicut ſalva manente extenſione quantitativa alicuius corporis, poteſt Deus impedire nè tangat ſecundum ſuas extremitates corpus locans; ita ſalvo manẽte contactu locali ſecundum extremitates poterit Deus impedire contactum ad alterum corpus præciſſe ſecundum extremitates, quia ſi ſine læſione extenſionis quantitativæ, poteſt Deus impedire contactum ad aliquod corpus extrinſecum, cur non poterit contactum ad vnũ corpus extrinſecũ conſervare, nempe ad corpus locans, & contactum ad aliud corpus ſibi appropinquans impedire?

§. II.

Salvantur obiectiones.

35 Sed quia efficacior ratio probans non repugnantiam alicuius rei, eſt argumentorum ſolutio: Ideo obijcies 1. duæ formæ ſubſtantiales nec divinitus poſſunt eſſe in eadem materia: ergo nec duo corpora circunſcriptive in eodẽ loco. Prob. conſeq. Licet expellere aliam formam à materia ſit effectus formalis, quaſi ſecundarius formæ de novo introductæ, eſt ita connexus cũ illa, vt nequeat forma eſſe in materia ſine priuatione alterius formæ, vel illius carentiæ: ergo licet expulſio alterius corporis ab eodem loco ſit quaſi effectus ſecũdarius corporis quanti extenſi in loco, ita erit connexus cum illo, vt nequeat corpus quantum in loco eſſe ſine privatione, vel carentia alterius corporis extẽnſi in eodem loco.

36 Nego priman conſeq. ad prob. neg. etiam conſeq. de ratione formæ ſubſtãtialis primo, & per ſe, & eſſentialiter eſt dare primam actualitatẽ, & primum eſſe materiæ, hoc enim eſſentialiter pugnat cum eo, quod talis prima actualitas, & primum eſſe ſit præſtitum ab alia forma: de ratione autem quantitatis circunſcriptæ à loco tantum eſt primo, & per ſe, & eſſentialiter, quod partes ipſius correſpondeant partibus loci circunſcribentis; hoc enim eſſentialiter non pugnant cum eo, quod non tãgat aliud corpus ſuperveniens ſolũ ſecundum extremitates (licet hoc exigat naturaliter) ſed ſecundum ſe totum, quod eſt illũ in-

intra ſuum locum admittere.

37 Si dicas, extenſio partium quantitatis in ordine ad ſe eſſentialiter pugnant cum eo, quod partes ſe totis tangant, & non præciſe ſecundum extremitates: ergo extenſio corporis quanti in ordine ad locum eſſētialiter pugnat cum eo, quod tangat ſecundum ſe totum corpus à ſe diviſum, & non præciſe ſecundū extremitatis: Antecedēs cōſtat ex his, quæ diximus in Logica explicando eſſentiam quantitatis: & conſeq prob. vnum corpus ab alio diviſum magis extra illud eſt, quam vna pars cōtinua cum alia in quantitate extenſa; ſed in hac eſſētialiter requiritur, vt ſit extenſa, quod pars tangat compartem præciſe ſecumdum extremitatem, vel terminum: ergo multo melius hoc exiget vnū corpus ab alio diviſum.

38 Neg. conſeq. ad prob. diſtinguo mai. Atenta extenſione quantitativa vtriuſque in ordine ad ſe, concedo mai. Attenta extenſione vtriuſque in ordine ad locum, nego mai. Attenta præciſè extentione quantitativa alicuius corporis in ordine ad ſe, aliud corpus ab illo diviſum magis extra illud eſt, quam vna pars eiuſdem corporis eſt extra aliam, quia iſtæ habent terminū communem, quo copulantur, & continuantur, illa vero corpora ſolum poſſunt habere contiguitatem per ſimultaneam ſuorum terminorum, non per hoc, quòd habeant aliquem terminum vtrique communem, quo copulentur, & continuentur.

Conſiderando vero extenſionem in ordine ad locum, tam partium eiuſdem corporis, quam duorum corporum diviſorum, ſicut vna pars ita eſt extra aliam, quod ſaltim naturaliter, non poſsit occupare locum alterius, ita vnū corpus extra aliud eſt, vt illius locum ſaltim naturaliter nequeat replere, ſed ſicut ſalva extenſione partium in ordine ad ſe, poteſt Deus impedire, vel quod non ſint extenſæ in ordine ad locum, vel quod extenſio, quam in ordine ad ſe habent, non correſpondeat extenſioni loci, qui eis naturaliter debetur: ita ſalva diviſione, & extenſione in ordine ad ſe illorum corporū, poterit Deus impedire vel quod nō neutrū, vel aliquod eorum ſit extenſum in ordine ad locum, vel quod licet vtrumque ſit extēſum in ordine ad locum, in ordine ad illum non ſe tangant ſecundum terminos, ſed ſecundum ſe tota; in quo cōſiſtit, quod idem locus vtrumque corpus cum locali penetratione admittat.

39 2. Obijcies: ſequitur ex dictis, quod maximus mons poſsit tranſire per foramen acus, & totum Cælū intra vas parvum collocari, ſalva extenſione partium vtriuſque corporis in ordine ad ſe; ſed hoc videtur abſurdū: ergo.

Conc. ſequelam, ſicut illam concedit D. Thom. in 4. diſtinct. 44 Licet quod hoc defacto contingat in corpore glorioſo, aſſerat quod nō ſit decens: quod vero illam concedere ſequelam ſit abſurdum, non probat arguens.

40 Obijcies 3. Implicat, quod partes motus penetrentur, ita vt qui durat per horam, duret tantū per dimidiam: ergo implicat partes montis penetrari, ita vt reduci poſsit ad locum medietatis illius. Patet conſequentia: Quia ſicut locus eſt mēſura extenſionis corporum, ita tempus eſt menſura extenſionis motus.

41 Negatur conſeq. Penetratio partium motus, ſicut & temporis deſtruit illorum eſſentialem extenſionem, quæ in præciſſa ſucceſsione ſuarum partiū ſita eſt, quæ ſucceſsio per ſimultaneam duratione partium penitus deſtruitur penetratio partium montis in eodem loco non deſtruit primariam extenſionē, quam habent in toto, vel in ordine ad ſe, ſicut nec illam deſtrueret, quod in ordine ad locum extenſæ non eſſent

42 Obijcies 4. Ex penetratione duorum corporum *ſequitur primo*; illa naturaliter poſſe moveri, cum maneant entia naturalia, & naturaliter non poſſe moveri, alioquim poſſent naturaliter colocare ſe ſimul in vno loco, quod eſt falſum; *Sequitur* 2. naturaliter poſſe videri, cum haberent colorem, & naturaliter non poſſe videri, quia ſi vnum corpus eſſet album, & aliud nigrum, cum vnumquodque occuparet totum locum, & poſsit immutare viſum, non eſt maior ratio, quare hoc faciet album. potius quam nigrum, & è contra.

43 Ad 1. inconveniens plures docent naturaliter non poſſe moveri, ſuppoſita penetratione, quia adquirent naturaliter præſentias indiſtantes localiter, quod eſt falſum: verius iudicamus, illa corpora poſſe naturaliter moveri (ſi aliud non obſtet, niſi ipſa penetratio) quia de his, quæ naturaliter conveniunt, tam corporibus penetratis, quam loco ambienti; miraculum penetrationis ſolum impedit expulſionem mutuam corporum penetratorum. in reliquis vero tam corpora, quam locus manent quoad ſua naturalia, cum gravitate, ſcilicet, & levitate, quarum motum non impedit penetratio, nec etiam impedit, quod adquirant novam præſentiam ſine novo miraculo; quia ſi durat penetratio, nullum miraculum novum eſt in eo, quod in adquiſitione novæ præſentiæ non ſe expellant, & ſint præſentiæ indiſtantia.

Ad 2. dicimus, quod illa corpora naturaliter poſſent videri; licet naturaliter nō poſſet diſ-

diſcerni eorum diſtinctio; depē-
deret tamen à Deo miraculoſe
illa corpora penetrante; vt hæc
potius ſuperficies, quam illa, &
ſub iſto, & non ſub illo colore
appareret.

ARTIC. III.

Vtrùm idem numero corpus poſsit eſſe in duplici loco adæquato circunſcriptive?

44 DEbet ſupponi tanquam certum, totam ſubſtantiam; & totam quātitatem vnius corporis localiter circuſcripti ab vno loco, poſſe Deum alibi ponere, modo non circunſcriptivo, ſed indiviſibili, vel Sacramentali, vt defacto ſubſtantiam, & quantitatem corporis Chriſti manentis in Cœlo localiter, ponit in innumeris ſpeciebus Sacramentalibus: difficultas procedit, an modo illo, quo corpus aliquod locatur, & circunſcribitur à loco vno, poſſet à duobus, vel pluribus locari, & circunſcribi?

45 Procedit etiam de eodem numero corpore quanto, eadem numero quantitate; ſi enim eidem numero corpori per potentiam Dei tribui poteſt duplex quantitas per inhærentiam intrinſecam, non ita facile apparet repugnantia ad bilocationem circunſcriptivam: an autem repugnet, vel non duplicem adæquatam quātitatem eidē numero corpori inhærere in trinſece? Alibi diſputandum reſervamus.

46 Procedit denique de potentia Dei, quia idem corpus non poſſe naturaliter à duplici loco circunſcribi, demonſtrat: *Tum* experientia, qua videmus, quod dum corpus per motum acquirit novū locum, priorem relinquit: *Tum* rationes, quibus omnimodam repugnantiam probavimus, quæ ad minus naturaliter non poſſe, contingere, convincent. Repugnantiam, attenta potentia Dei abſoluta, negant Scotus, & cum eo omnes Scotiſtæ; & cum Suarez omnes ex Schola Societatis, excepto Vazquez: per oppoſitum Thomiſtæ omnes, cum Angelico Præcept. cum Div. Bonavent. & alijs pluribus ex antiquis, repugnantiam, & contradictionem inveniunt: cum quibus ſit

§. I.

Vnica Concluſio.

47 *Contradictionem implicat; quod idem numero corpus localiter circunſcriptive ponatur in duplici loco:* eſt mens expreſſa Angel. Præcep. in 4. diſt. 44. q. 2. art. 2. q. 3. ad 4. vbi ait: *Quod vnū corpus ſit ſimul localiter in duobus locis nō poteſt fieri per miraculum:* & infra cōcludit: *Quod includit contradictionem, ſicut quod homo careat ratione:* Idem habet expreſſe quodlib. 1. artic. 22. ad 1. & quodlib. 3. toto art. 2. & in 4. contrag. cap. 63.

63. & 64. & opuſc. 70. q. 4. art. 4. & 3. p. quęſt. 75. art. 1. ad 3. & alijs in locis.

43 Ratione probat. corpus idem numero, & individuum, eſt corpus indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio; ſed repugnat corpus in ſe indiviſum poni in duplici loco adæquato circunſcriptive: ergo repugnat idem numero corpus eſſe in duplici loco circunſcriptive: ergo repugnat corpus indiviſum in ſe eſſe diviſum in quātitate, ſed corpus circunſcriptum à duplici loco adęquato eſſet diviſum in quātitate: ergo repugnat corpus in ſe indiviſum eſſe in duplici loco adæquato Màior eſt evideds: quia corpus aliquod eſſe diviſum, vel indiviſum à quantitate illius eſſentialiter ſumitur, & conſequēter repugnat eſſe corpus in ſe indiviſum, & illius quantitatem diviſam.

Minor vero probatur 1. Quantitas ratione cuius eſſet in uno loco, non eſſet continua cum quantitate, qua eſſet in alio; ſed quantitas non continua cum alia, eſt quantitas diviſa ab illa: ergo. Prob. maior. Inter quantitatem, qua ponitur Matriti, v. g. & quātitatem, qua ponitur Compluti, mediarent plura corpora non contina cum quantitate, qua vtrobique locatur; ſed repugnat quantitas continua, admittens medium quantum cum ipſa non continuum: ergo. Cætera patent, & probat. mai. Inter locum Matriti, & locum Compluti mediāt corpora: ergo, vel continua cum ipſis locis, vel ab illis diviſa: Si primum; ſicut loca Matriti, & Compluti non ſunt. continua, ſed tantum cōtigua cum corpore bilocato; ita nec corpora media: Si ſecundum, repugnat quod inter duo loca medient corpora ab illis diviſa, & quod non medient inter quantitatem talia loca immediate tangentem.

49 2. Illud corpus in duplici loco non terminaretur eadem ſuperficie: ergo illius quantitas eſſet diviſa. Conſeq. patet: quia corpus quantitativè indiviſum vnica tantum ſuperficie terminatur. Antecedens probatur: Illud corpus in duplici loco poſſet eſſe ſibi localiter cōtiguum, ſicut, & loca in quibus colocaretur, poſſent eſſe immediata, & contigua: ergo poterit habere verum contactum ad ſe, ſicut illum haberent duo corpora, ſi in locis immediatis exiſterent: ſed hoc ipſo tale corpus terminaretur duplici ſuperficie: ergo. Hæc minor probatur: Ad contactum verum quantitativum neceſſariò requiritur, quod ſint duæ extremitates, vel termini, qui ſint ſimul, & contigui: ut conſtat ex 5. phyſic. cap. 3. *Quod illa tangunt, quorum extrema termini, vel ſuperficies ſunt ſimul*: Sed repugnat contiguitas, & ſimultas (extremorum, aut ſuperficierum, vbi-

uni,

vnica tantum datur ſuperficies: ergo.

50 Ex quo vlterius ſequitur, idem corpus cum ſe ipſo eſſe vere impenetratum, ſed vera impenetratio abſque duplici quantitate terminata duplici ſuperficie vltima nequit intelligi: ergo. Min. conſtat: quia impenetratio vera, & poſsitiva, eſt expulſio ab eodem loco illius, quod eſt in loco diſtincto, idem ſe ipſum non expellit, & conſequenter requiritur duplex quantitas, expellens, ſcilicet, & expulſa: Sequela vero prob. ex dictis artic. præced. impenetratio corporum conſiſtit in eo quod per ordinem ad locum ſe tangant præciſſe ſecundum extremitates; ſed corpus colocatum in duplici loco immediato poſſet habere contactum ad ſe ipſum ſecundum extremitatem, vel ſuperficiem, vt diximus: ergo eſſet cum ſe ipſo vere, & poſsitive impenetratum.

51 Denique prob. illa min. extenſio partium corporis in ordine ad locum, non cōtinua, ſed diviſa, neceſſariò provenit à quantitate non continua, ſed diviſa; ſed corpus in duplici loco haberet extenſionem ſuarum partium in loco non continuam ſed diviſam: ergo corpus in duplici loco eſſet in quantitate diviſum Min. videtur certa: Nam extenſio vltimarum ſuperficierum corporum ambiētium, prout formaliter conſtituunt duo loca, nō eſt continua; ſed diviſa: ergo coextenſio partium corporis locati cum illa duplici ſuperficie locante, per verum contactum, & adæquationē cum illis, non eſſet continua, ſed diviſa: ergo.

Mai. vero probatur Non continuatio, ſeu diviſio extenſionis corporis in ordine ad locum, neceſſariò debet cadere ſupra ipſas partes extenſas in ordine ad locum: ergo nequit extēſio in ordine ad locum eſſe diviſa, quin in partibus extenſis in loco ſit diviſio. Prob. antecedēs: Diviſio ipſius extenſionis corporis in ordine ad locum neceſſario debet cadere ſupra aliquid quantū, & extenſum, quia ſolum quantum, & extenſum eſt, quod dividitur: ſed non cadit ſupra extenſionem, & quantitatem, loci, ut patet, quia extrinſecè pure comparatur ad extenſionem corporis locati, & locus non dividit, nec continuat locatum; ſed præciſſe eſt menſura locati in ſe diviſi, vel continui: ergo illa diviſio extenſionis in ordine ad locum neceſſariò debet cadere ſupra quantitatem, & partes corporis locati.

52 Confirm. nequit eſſe diſcōtinuatio, vel diviſio in effectu aliquo formali alicuius formæ eſſentialiter exigente formam, quin ſit diſcontinuatio, & diviſio in forma: ſed extēſio corporis in loco, eſt effectus formalis quan-

quantitatis, & quamvis ſecundarius, illam eſſentialiter exigit: ergo. Cætera patent, & prob. mai. Diviſio huius effectus formalis, & ſi ſecundarij debet provenire formaliter ab eo, à quo ipſemet formaliter provenit: ergo debet provenire ab ipſa quantitate; ſed nulla diviſio poteſt à quãtitate provenire formaliter, ſi ipſa in ſe non eſt formaliter diviſa: ergo. Prob. min. Nequit diviſio ſubſtantiæ provenire à quantitate, niſi ipſa in ſe ſit formaliter diviſa, ſicut extenſionem præſtat ſubſtantiæ per ſuimet formalem extenſionem: ergo nequit diviſio extenſionis corporis in loco provenire à quantitate, niſi ipſa in ſe ſit formaliter diviſa, ſicut extenſionem corpori in loco præſtare non poteſt, niſi ipſa in ſe ſit formaliter extenſa.

Hæc ratio, quæ Divi Thomæ eſt ex loco citato in 4. ſentent. ſufficienter probat repugnantiam, & probationibus adiunctis magna ex parte ſolutiones, tàm antiquæ, quàm modernæ adverſariorum præoccupantur: ideo ab illarum relatione, & reiectione ſuperſedemus.

§. II.

Solvuntur argumenta.

53 Obiicies 1. poteſt Deus circũſcriptivo modò duo corpora colocare in eodem loco: ergo poterit idem corpus modo circumſcriptivo colocare in duobus locis.

54 Neg. conſeq. Diſparitas eſt, quia eſſe in pluribus locis ſimul, pugnat cum conceptu vnius individui, de cuius ratione eſt eſſe indiviſum in ſe, vt probavimus: eſſe vero cum alio corpore in eodem loco, ſolum pugnat cum eo quod eſt eſſe diviſum ab alio; eſſe diviſum ab alio eſt quid cõſequutum ad rationem vnius, per eſſe indiviſum in ſe aliquid conſtituitur vnum, & ſic manente vnitate poteſt diſpenſari in eo, quod ad illam cõſequitur, nempè in hoc, quod eſt eſſe diviſum ab alio; ſed repugnat manere vnitatẽ, & diſpenſare in eo, quod illam conſtituit nempè in hoc, quod eſt eſſe indiviſũ in ſe, ſolutio eſt D. Thomæ loco citato in principio ex 4. ſentent. ad 3.

55 Inſtas: tam repugnat vni, nõ eſſe diviſum ab alio, quam eſſe diviſum in ſe, quia vnumquodque per hoc, quod eſt vnum in ſe, eſt diviſum à quolibet alio: ergo ſicut vnitati coporis repugnat diviſio loci, ita cum diviſione corporum pugnabit vnitas loci.

56 Diſtinguo anteced. tam repugnat vni non eſſe diviſum ab alio in menſura intrinſeca propriæ extẽſionis, quam eſſe diviſum in ſe; concedo ant. non eſſe diviſum ab alio in menſura extrinſeca loci, & in extenſione per ordinẽ ad illud, nego antec.

ſeu

ſenſus ſolutionis D. Thomæ eſt, quod vt vnũ corpus ponatur in duplici loco, neceſſario debet dividi in ſe, vt probavimus; quod eſſentialiter pugnat cũ eo, quod maneat vnum, & indiviſum in ſe: vt autem duo corpora ponantur in eodem loco, non requiritur, quod vnum in ſe, & intrinſece non ſit diviſum ab alio, ſed tantũ, quod ſit vnũ ab alio indiviſũ comparative ad menſuram extrinſecam loci; eſſe aliquid diviſum ab alio in aliquo extrinſeco, nempè in loco, licèt naturaliter ſequatur ad eſſe vnum, & indiviſum in ſe, vt ait D. Thom. nõ tamen ſequitur eſſentialiter.

57 Sed adhuc non quieſces; eſſe aliquid indiviſum, & vnũ cum alio in aliquo extrinſeco loco, & comparative ad illũ, non pugnat cum eo, quod in ſe, & intrinſecè ſit diviſum ab illo: ergo eſſe aliquid non vnum, ſed diviſũ in extrinſecis locis, & per ordinem ad illa, non pugnabit cum eo, quod in ſe, & intrinſece ſit indiviſum.

58 Neg. conſeq. diviſio enim corporis per ordinẽ ad extrinſeca loca, vt menſurantia, & circũſcribentia neceſſario infert, *Tum* diſſolutionem terminorũ illius, vt probavimus, quæ abſque diviſione in ſe, & intrinſeca nequit intelligi *Tum* interruptionẽ ſuæ continuationis per corpora medianiã non continua cũ illo; & alia plurima; quæ in ratione adduximus: indiviſio autẽ duorũ corporum in loco extrinſeco, vel per ordinem ad illum, ſolum infert, quod per ordinem ad prædictũ locum non ſe tangant ſecũdum extremitates, quod quidem cum eo, quod vnum in ſe, & intrinſece ſit diviſum ab alio, optime ſalvatur.

59 Obijcies 2. Corpus Chriſti eſt realiter, & ſubſtantialiter in Cœlo, & in ſpeciebus cõſecratis; ergo idem corpus divinitus poteſt eſſe in pluribus locis circunſcriptive: prob. conſeq. *Tum* quia ex parte corporis maior repugnãtia datur in coniunctione præſentiæ circũſcriptivæ cum Sacramentali, quam cũ alia circũſcriptiva, nam quævis circũſcriptiva eſt corpori connaturalis, Sacramentalis vero non eſt ipſi naturalis.

Tum etiam, quia ex parte præſentiarum eſt maior repugnantia, quia Sacramentalis eſt alterius rationis à circunſcriptiva, vna autem circunſcriptiva eſt eiuſdem rationis cum alia. *Confirm.* difficilius eſt vnum corpus eſſe in duobus Sacramentis modo ſupernaturali, quam quod ſit in duobus locis circũſcriptive: ergo ſi Deus facit primum, cur nõ ſecundum: Prob. ant. Quia vltra difficultatẽ ponendi corpus ſubſtantialiter in diverſis ſpatijs, eſt vlterior difficultas, in modo ſupernaturali, quæ in modo circunſcriptivo non invenitur.

60 Neg. conſeq: Ad illius primam prob. neg. ant. Coniunc-

tio præſentiæ Sacramentalis cū circunſcriptiva non infert diviſionem corporis, quod ſit præſens, & illam infert coniunctio duplicis præſentiæ circunſcriptivæ, vt provavimus: quia diverſitas præſentiarum, quarum vna non eſt proprie localis, nec iuxta modum quantitatis, ſed ad modum ſubſtantiæ, relinquit quantitatem intactam, quoad munus locandi ſibi proprium; & conſequenter in ſe intrinſecè indiviſam, quia additio illius, quod eſt extra munus proprium, & propriam rationem quantitatis, illam nec dividit, nec immutat, huiuſmodi eſt præſentia realis Sacramentalis, quæ nec eſt per contactum quantitativum ad extrinſecum corpus, nec per coextenſionem partium ad partes illius, ſed per modum ineffabilē, qui eſt ſubſtantialis; & licèt duplex præſentia circunſcriptiva ſit naturalis corpori quanto in ſe diviſo, non eſt naturalis, ſed potius chymærica reſpectu corporis indiviſi.

61 Per quod patet ad 2. licèt duplex præſentia circunſcriptiva ſit eiuſdem rationis, ſed nequit eſſe eiuſdem corporis in ſe indiviſi. Vnde diſtinguo: ſunt eiuſdem rationis comparatæ inter ſe conced. Comparatæ ad idem indiviſum corpus, neg. Quia vna illarum eſſet chymærica, ex ſuppoſitione veritatis alterius: præſentia vero Sacramentalis, & circunſcriptiva, licèt tam inter ſe, quam in ordine ad Corpus Chriſti ſint diverſę rationis, quoad genus, & ſpeciem, ſed non quoad repugnantiam unius ex ſuppoſitiohe alterius in eodem corpore.

62 Ad confirm. neg. antec. ad prob. dicimus, quod ea, quæ contradictionem non implicant ęque facilia ſunt Deo; ponere idem corpus in diverſis ſpatijs modo ſupernaturali non repugnanti, facilius eſt, quam ponere illud in illis ſpatijs modo, qui licèt abſolute ſit naturalis comparative tamen ad corpus, eſt repugnans.

63 Obijcies 3. quod eſt adæquate circunſcriptum à loco poteſt ſine ſui diviſione in ſenſu compoſito eſſe extra illū, ſed hoc ipſo non repugnat, quod circunſcribatur ab alio loco: ergo: Min. videtur certa; quia non minus uidetur eſſe contra rationem indiuiſæ quantitatis terminatæ unica ſuperficie, eſſe ſimul intra, & extra eundem locum, ac eſſe circunſcriptam à duplici loco: Mai. vero prob. in corpore Chriſti, quod in ſenſu compoſito adęquatæ locationis in Cœlo eſt extra Cœlum in ſpeciebus conſecratis, quæ extra Cœlum ſunt.

64 Diſting. mai. Poteſt eſſe extra illum per accidens, & ratione dimenſionis extraneæ quantitatis, conc. mai. Per ſe, hoc eſt ratione propriæ quantitatis nego ma. Eſſe per ſe intus, vel ex-

extra, aut alicubi tantum competit corpori ex propria quantitate, & in hoc sẽſu corpus Chriſti non eſt extra terminos ſui loci, & ſi eſſet, eſſet ſimul idem, & diviſum, quod implicat; eſt tamen extra terminos ſui loci, quaſi per accidens, ſecundum quod ei competit eſſe alicubi ratione alienæ quantitatis, nempè panis, quæ remanet facta converſione in corpus Chriſti; ſolutio eſt D. Thomæ in 4. diſt. 10. quæſt. 1. artic. 1. ad 5. Ex quo colliges, quod aliquod corpus per ſe contentum in aliquo loco ſolum habet eſſe extra illum per accidens, ſivè per aliud ratione ſcilicèt, quantitatis alienæ, & diviſæ à propria; & conſequenter ſi eſſet extra locum propriũ per ſe, indigeret alia quantitate propria ei ſuperaddita, & diviſa ab alia, qua per ſe contineretur in loco.

65 Obijcies 4. Chriſtus Dominus apparuit Paulo corporaliter extra Cœlum; & tamen non deſeruit Cœlum: ergo fuit ſimul vere localiter intra, & extra Cœlum. Maior eſt certa: quia alias, ut probat D. Thom. 3. p. quæſt. 57. art. 6. non poſſet eſſe teſtis reſurrectionis eius. Min. etiam conſtat ex illo Actor. 3. *Quem opportet Cœlum ſuſcipere vſque ad tempus reſtitutionis omnium*: & Aug. *donec ſæculum finiatur, ſurſum eſt Dominus.*

66 Concesſa mai. negat. min. ad prob. reſpond. illis tantum Authoritatibus probari Chriſtum eſſe in Cœlo uſque ad diem iudicij, tanquam in loco ſibi debito, & exactò, ſicut Regi debetur Thronus: non tamen probant neceſsitatem, ut è Cœlo non moveatur pro brevi aliquo intervallo. Vnde textus non dicit: *Quem opportet Cœlum retinere*, ſed ſolum, *quem opportet Cœlum ſuſcipere.* Per quod patet ad dictum D. Aug.

ARTIC. IV.

De Vacuo.

67 VAcuum iuxta Philoſophum, & D. Thom. hic: *Eſt locus privatus corpore*: ſuperflue aliqui addũt: *Aptus tamen repleri*: Tum quia dicendo, quod eſt locus, explicatur aptitudo vt repleatur: *Tum quia privatum* ſolũ dicitur illud, quod aptum, & capax eſt habere illud, quo caret: ſolet vacuum dupliciter accipi, & *negative* pro loco imaginario, & non reali: & *privativè*, pro vero, & reali loco non continente corpus: primum improprie eſt vacuum, quale eſt extra, vel ſupra Cœlum, quia ibi nullus eſt locus verus, ſed tantum imaginarius: quare Div. Thom. 1. part. quæſt. 46. art. 1. ad 8. dicit: *ſupra Cœlum nihil eſt, & ly ſupra deſignat locum imaginarium*: Hic non diffinitur vacuum negative, ſed privative acceptum.

§. I.

An poſsit dari naturaliter vacuum?

68 INduvitatum eſt, poſſe dari vacuum de potentia abſoluta Dei, vel anihilantis, vel ſeparantis quodcumque corpus ab alio, & impediętis, aut denegantis cōcurſum, ne aliud corpus moveatur ad locum deſertum: certum eſt etiam, quod attē ta inclinatione naturali totius vniverſi, vacuum non datur: *Tum* quia obſtaret colligationi, & diſpoſitioni partium in illo, in quo illius partes ſunt ordinate diſpoſitæ: quod ordo ille; interrūpatur per vacuum ad nihil deſervit, & natura aborret ſuperflua; *Tum* experięti a ipſarum partium vniverſi, quæ deſerunt propria, & cōnaturalia loca ad replendum vacuum, vt cum attracto aere aqua aſcendit per fiſtulam: *Tum* denique ex ſubordinatione inferiorum corporū ad ſuperiora, quorum influentia gubernantur, & conſervantur, quæ deficeret, ſi inferiora, & ſuperiora non ſe tangerent, & eſſent contigua; quia opporter, quod agens corporale tangat paſſum: hæc cum certa ſint, reſtat videre, an virtute aliqua naturali, corporea, vel ſpirituali poſit dari vacuum?

69 Prima concluſ. *in natura corporea nulla datur virtus ad faciendum vacum*: prob. omnia corpora ſunt partes vniverſi cum inclinatione prædominante ſupra peculiares inclinationes, quas habent ad propria loca ad conſervandam colligationem, & ordinem, quem habent in vniverſo: ergo in nullo corpore eſt virtus ad inducendum vacuum: prob. conſeq. illa virtus, vel eſſet ex natura, & inclinatione ſibi propria, vel ex inclinatione communi, quam habent in bonum vniverſi: non primū, cum doceat experientia, quod corpora moventur contra inclinationem ſibi propriam, ne detur vacuum, vt in aqua aſcendente per fiſtulā: nec etiam ſecundum: quia inclinatio communis in bonum vniverſi non reſpicit pro termino illius deſtructionem, quam inducit vacuum, ſed potius conſervationem, quæ in ſuarum partiū ordine, & colligatione conſiſtit.

70 Secunda concluſ. Nec Angeli virtute naturali poſſunt vacuum cauſare: prob. dari vacuum eſt diſſolvere colligationem partium vniverſi, & agere contra inclinationem, qua omnes partes tendunt ad conſervationem totius: ſed in Angelis nō datur virtus naturalis ad immutandum vniverſum: ergo. Probat. min. *Tum* quia tātum ille poteſt immutare vniverſum, cui eſt vniverſum ſubiectum; ſed Angelis non eſt ſubiectum, vt conſtat ex illo ad Hæbreos 2. *Angelis non ſubiecit Deus orbem terræ*: ergo.

Tum, quia vna pars, quantumvis principalis, & ſuperior ad alias

alias partes vniverſi non habet virtutem activam eminentiorē inclinatione, qua omnes partes propendunt in bonum vniverſi; ſed ſi daretur vacuum,eſſet contra hanc inclinationem; cum ordo, & colligatio vniverſi in verdo, & colligatio vniverſi in vederetur: ergo in Angelo non datur virtus naturalis ad illud inducendum.

Tum denique, nam licet Angelis obediant corporalia, quoad motuū localē, & poſsint vincere vim peculiarem ipſorū, agēdo contra eorum peculiares inclinationes; non tamen vincere poſſunt vim totius naturæ; ſed hanc opportet vincere ad cauſandum vacuum; ergo.Per quod ceſſant argumenta,quæ contra concluſionē opponi poſſunt.

§. II.

An corpus poſsit moveri in vacuo?

71 SVppoſita diſtinctione loci veri,&tātū imaginarij,& vacui negative,& privative accepti: Prima Concluſio,*in vacuo negative accepto pro loco imaginario;& interminato,nō poteſt dari motus localis poſsitive; & ſtricte,ſed tantum improprie:& quoad imaginationem*: Prob. vbi nulla eſt locorum differentia, non eſt proprie motus localis;ſed in vacuo negative nō eſt locorum differencia, niſi imaginaria: ergo ſolum erit motus localis imaginarius: mai. conſtat;quia vbi nulla eſt differētia locorum, non eſt ſuceſſio locorum,ſed ipſa ſuceſſio locorū eſt motus localis verus, & ſtrictus,vt ait D. Thom.in 4.diſt.44. quæſt.2.art.3 ergo.

72 Confirm. in vacuo negativo,*vbi*,& diſtantia eſſet pure imaginaria:ergo & motus:cōſeq.conſtat,quia motus verus localis,ſine diſtantia vere pertranſibili,& ſine termino, quo finiatur localiter non eſt dabilis: Antec. etiā patet;quia diſtantia vera eſt relatio, vel fundamentum relationis ad aliquid diſtintū ab eo,quod diſtare dicitur:ſed in vacuo negativo nihil verum eſſet præter corpus,quod moveretur: ergo nec eſſet vera diſtantia.

Secunda Concluſ.*In vacuo privativo*(ſi daretur) *corpora vere poſſunt moveri localiter*: Prob.nam corpus ab intrinſeco eſſet movile grave,vel leve,&ens naturale: alias nō deficeret aliqua vera diſtātia,& *vbi*:ergo nihil deficeret adverum motū localem: prob. min.Licet tale corpus in caſu vacui privativi non eſſet in loco proximo,& immediato defectu corporis immediate ambientis; poſſent tamen in illo deſignari vbicationes,& diſtantiæ per ordinem ad locum verum mediatū; qui eſt locus communis in primo locante: ergo.

Oppones 1. verum *vbi* eſt circunſcriptio paſsiva corporis à circunſcriptione activa loci: ſed vbi nō datur corpus immediate ambiens,non datur circunſcriptio

tio, quia circūſcribere eſt diffinire locatum per adæquationem cū illo, quod abſque loco immediato non poſſet eſſe: ergo in vacuo privativo non eſt *vbi* verū, & conſequenter, nec motus localis.

Diſting. mai. eſt circuaſcriptio actualis formalis: & adæquata præciſſe: neg. mai. virtualis inadæquata, & reductive talis conc. mai. *vbi* verum, licet nō perfectum, ſalvatur in corpore, quoties in illo datur aliqua vera diſtātia, vel propinquitas reſpectu alicuius termini fixi, & immobilis: nec præciſſe ratione circūſcriptionis immediatę datur verum *vbi*; alias continētia in vaſe ſuficeret ad uerum *vbi*, ſed maximè etiam attenditur ratione diſtantiæ à terminis fixis, quæ in caſu vacui privativi eſſet in corpore in vacuo contento.

75 Oppones 2. motus ſublunarium pendet ex influxu motus Cœleſtis; ſed corpus in vacuo non poſſet percipere influxum aliquem Cœleſtium corporum; cum ratione vacui deficeret corpus delativum talis influxus. Ergo.

Reſp. quod quamvis eſſet miraculoſum, quod ſublunaria conſervarentur ſine influxu Cœleſtium corpūrum, ſuppoſita tamen hac miraculoſa conſervatione, cum maneret in illis vis intrinſeca inclinans ad motum, non eſt cur illa non poſsint moveri; nec video cur, ſi lapis in vacuo proijceretur ſurſum, non moveretur violenter, & deſcenderet naturaliter.

76 Tertia concluſ. *motus in vacuo nō fieret in inſtanti, ſed ſucceſive, & in tempore* prob. 1. ab incombenienti, quia ſi à Cœlo, vſque ad terrā eſſet vacuum, moveretur in illo lapis palmaris in vnico inſtāti a Cœlo, vſq ad terram, vel in eodē inſtāti eſſet pręſens ſimul Cœlo, & terræ, & diſtātiæ intermedię, & hoc eſt impoſibile, cum illius tan longe diſtantiæ vacuæ, ſolum poſſet replere diſtantiā longitudinis vnius palmi; vel indiverſo inſtanti eſt in Cœlo, & in terra; & tunc iam motus eſſet in tempore, & ſuceſivus, quià inter duo inſtantia eſt tempus medium: ergo.

77 Prob. 2. & præocupantur obiectiones; licet verum, ſit quod velocitati motus poteſt aliquid ſubſtrai ex corpore medio impediēte, & ita ceteris paribus motus in vacuo eſſet velocior (quod tantum voluit Philoſophus) cæterum hæc non eſt vnica, & potiſsima cauſa ſucceſsionis motus, ſed vnicuique virtuti motivæ correſpōdet certa velocitas, & tarditas, quod conſtat in motu Cœli, in quo non eſt reſiſtentia ex parte medij, & intelligentia illum movet ſuma, qua poteſt, velocitate, & tamen talis motus eſt ſucceſsivus: ergo etiam motus in vacuo.

Quæſt.

QVÆST. XVII.

De tempore.

1 POſtquam de menſura mobilis, quæ eſt locus, in præcedenti egimus quæſtione: Reſtat de menſura motus, quæ eſt tempus, in præſenti quæſtione diſputare, quod brevitate poſsibili perficiemus.

ARTIC. I.

Quid ſit tempus.

2 NOmine temporis intelligimus durationē motus magis vniformis, & regularis, ſubquo cæteri motus continētur, & à quo regulātur, & menſurantur. dari tempus, nullus valet negare, quambis vix inveniatur, qui quidditatē illius adæquate valeat explicare, ob nimiā actualitatē, & entitatem ſucceſſivorum.

§. I.

Diſſinitio temporis tradditur, & explicatur.

3 TEmpus diffinitur à Philoſoph. ſic: *Tempus eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius*: Fere in omnibus, quæ ad naturam temporis explicandam conducunt, eſt aliqualis inter Philoſophos controverſia, cuius reſolutio præmitti debet ad exactā præmiſſæ diffinitionis intelligentiam.

4 Inquires 1 qualiter ratio numeri conveniat temporis; cum tempus ſit quantitas continua, & numerus quantitas, diſcreta? Reſpond. cum D. Thom. hic in fine lect. 17. quod tempus eſt numerus numeratus; & ideo licet numerus ſit quantitas diſcreta, tempus tamē eſt quantitas cōtinua propter rem numeratam quæ eſt motus ſicut decem vlnæ panni quoddam continuum eſt, quamvis numerus denarius ſit quantitas diſcreta.

Dicitur numerus motus; quia eſt menſura illius, & cum ratio menſuræ primo inveniatur in quantitate diſcreta, & per eius naturam in continua menſura motus continui, quæ eſt tempus, debet aliquo modo pertinere ad quantitatem diſcretam, quæ eſt numerus; ad menſurandum autem aliquem motum per tempus, vtimur illo, per modum numerationis diſcretę, quæ numeratio ſolum intellecta fit; cum enim res ſucceſsiva, & continua non poſsit accomodari ad menſurandum per numerationē, niſi illius partes quæ vel iam non ſunt, quia tranſactæ, vel nōdum ſunt, quia futuræ, aliquo modo coniungantur, fit vt ad hoc genus menſurę ſit neceſſarius intellectus, comparans, & aſſumens illas partes per modum vnius. Ex quo

5 Inquires 2. An tempus ſit aliquid reale? Quia tempus eſt numerus menſurans ad quod vt diximus, requiritur opus rationis coniungentis, & deſignantis aliquas partes, & diſtinguentis illas per numeros, quod fieri non poteſt deſignatione aliqua reali; ſed præciſe rationis, qua comparatur, & aſſumitur pars, præterita cum futura.

Reſpond. quod tempus in ſe formaliter eſt aliquid reale: dependet tamen ab intellectu ad illius complementum, extrinſecum: prima pars conſtat: quia tempus eſt ens ſucceſsivum, vel identificatum cum motu, vel vt accidens illius, de quo infra, ſed ens ſucceſsivum, ſicut & motum, dari in re eſt per ſe notum: ergo, Tũ, quia ratio formalis conſtitutiva temporis eſt ipſa aptitudo, & capacitas, vt poſsit numerare prius, & poſterius in motu; & ſic numerando illum menſurare; ſed hæc in re datur ante actualem numerationem, & menſurationem: ergo datur in re independenter ab intellectu.

Secunda pars etiam conſtat; quia actualis numeratio, vel menſuratio pendet ex eo, quod aliquid aſſumatur, vt fixum, quo alia menſurentur; ſed partes temporis in re ſunt aliquid ſucceſsivum, & a ſolo intellectu, vt quid fixum aſſumi poſſunt, vt ſic menſurent motus: ergo tempus in actuali menſuratione dependet ab intellectu: & hoc quantum ad duo, nempe, & quantum ad ſimultatem partium, quæ in re fluunt, & ab intellectu colliguntur, vt fiat actualis numeratio, & quantum ad applicationem talis menſuræ, ad rem, quæ menſuratur: quæ omnia ſupponunt tempus conſtitutum in actu primo per ſuas partes vnitas per inſtantia indiviſibilia, & capaces numerandi, & menſurandi motum ſecundum prius, & poſterius.

6 Inquires 3. Quodnam ſit ſubiectum temporis? *Reſpond.* cum diſtinctione: ſupponendo 1. quod ſubiectum temporis, & poteſt eſſe intrinſecum, & quaſi inhæſionis, & extrinſecum, & quaſi denominationis: primum eſt cui tempus inhæret, vt intrinſeca illius duratio, ſecundum eſt, quod tempori ſubijcitur, & ab illo extrinſece menſuratur. Supponendum eſt 2. quod tempus, & poteſt ſummi ſtricte, & late, ſeu communiter: primo modo ſummitur pro mẽſura vniformi, & regulariſsima, cui omnia temporalia ſubijciuntur, & menſurẽtur: ſecundo modo ſumitur pro menſura intrinſeca cuiuſcunque motus, quilibet ille ſit; his ſuppoſitis.

7 Dico 1. *Subiectum intrinſecum temporis ſtricte ſumpti pro menſura regulariſsima eſt motus primi mobilis.* Conſtat, quia inter omnes motus, vniformior, & regularior eſt primus motus Cœli:

deinde eſt minus deficiens, & ſimpliciter notior, quia quotidie volvitur: ergo duratio in illo motu exiſtens eſt menſura cæterorum; & conſequenter tēpus: licet ad diſtinguendum, & memoriæ retinendum ipſum tēpus vtamur quibuſdam ſignis, vt horologis, & ſcripturis, quibus deſignamus annos, menſes, dies, & horas, quæ quidem non ſunt tempus, ſed inſtrumenta, quibus tempus deſignamus.

8 Dico 2. *Tempus menſurat inſtrinſece motum primi mobilis, & extrinſece cæteros motus.* Conſtat, quia ſicut primum mobile, vt quantum permanens, intrinſece menſuratur linea ſuperficie, & profunditate, & cætera corpora ſub ſe contenta menſurat localiter extrinſece: ita illius motus intrinſece menſuratur tempore, quia eſt idem cum illo, vel accidens illius, & extrinſece menſurantur cæteri motus ſub illo contenti, & infieriores.

Oppones, quod menſura debet eſſe notior menſurato; ſed tempus æque ignotū eſt ac motus primi mobilis: ergo non eſt huius menſura: *Reſp.* quod menſura intrinſeca ſufficit quod ſi nocior, vt *quo* menſurato; nec opus eſt, vt ſit notior, vt *quod*, primo modo tempus eſt notius motu primi mobilis, quia per numerationem temporis de illo motu certificamur: reſpecto aliorum motuum inferiorum, quos menſurat extrinſece, eſt tempus notius, vt *quod*, quia illius vniformimitate, & regularitate vtimur ad metiendum cæteros motus.

9 Dico 3. *Tempus large, ſeu communiter ſumptū pro duratione cuiuſcumque motus, intrinſece eſt in quocumque motu.* Conſtat hoc, quia tempus non eſt aliud, quam duratio cuiuſcumque motus habētis prius, & poſterius in ſucceſſione ſuarum partium; ſed duratio eſt in re durante; ſicut exiſtentia; ergo. Cum hoc tamen ſtat, quod tale tempus large acceptū, ſicut, & motus cui inhæret ſubordinentur tempori ſtricto, & motui primi mobilis, quia omnis motus inferior dependet à motu primi mobilis, & per illus vniformitatem eſt regulabilis.

Ex his colliges: tempus ſtricte ſumptum eſſe vnum numero; tempus vero large, ſeu communiter acceptum multiplicari ad multiplicationem motuum quibus inhæret, & quorum eſt duratio: vtraque pars conſtat ex dictis, quia accidens: vel prædicabile, vel prædicamentale; vel modale ſummit vnitatem numericam, vel à ſubiecto, cū quo identificatur, vel cui inhæret intrinſece, vel quod intrinſece modificat; ſed vno ex his modis tēpus ſtrictū cōparatur ad motum primi mobilis, qui eſt vnus numero, & tempus large ſumptum ad cæteros motus, qui numero multiplicantur: ergo.

xiſtentia rei durantis? *Reſpond.* quod duratio pro recto adæquate identificatur cum exiſtentia rei durantis: eſt Divi Thomæ loco immediate citato dicentis: *Duratio omnis attenditur ſecundum quod aliquid eſt in actu, tandiu enim res durare dicitur, quandiu in actu eſt, & nondum in potentia*: Prob. etiam: eo ipſo, quod res eſt in actu, & influxus agentis non ceſſat, vere durat: ſed ſuppoſito tali influxu res eſt in actu, & formaliter per ſuam exiſtentiam: ergo per ſuam exiſtentiam nullo alio ſuperaddito pro recto, vere durat.

14 Sed inſtas 1. Si duratio eſſet exiſtentia rei, quoties res exiſtit, duraret hodie; ſed hoc eſt falſum, quia ſuppoſito, quod exiſtet cras durare cras, non eſt durare hodie. 2. hoc quod eſt Petrum hodie durare, eſt ſeparabile ab exiſtentia Petri, quia heri exiſtebat, & potuit mori, & non durare hodie: ergo duratio hodierna eſt diſtincta ab exiſtentia Petri, cum ſit ab illa ſeparabilis.

3. Petrus exiſtens hodie eſt indifferens vt duret, vel non duret cras: ergo exiſtentia hodie quid diſtinctũ eſt à duratione cras, quia nihil eſt indifferens ad ſe ipſum. *Denique*: magis, minus vè durare non poteſt intelligi ſine pluribus, vel paucioribus durationibus diſtinctis: ergo diſtinguitur ab exiſtentia, quia cum hæc ſit indiviſibilis nõ eſt cur hæc duret magis, quam illa.

15 Reſpond. ad 1. neg. mai. Durare hodie dicit duo intrinſece, & in recto exiſtentiam Petri; extrinſece connotat cauſam dantem eſſe non ſubtraxiſſe influxum, & menſuram extrinſecam temporis, cui coexiſtit: vnde licet quoties exiſtit res, habeat id quo durat hodie, ſecundum id, quod durare hodie dicit in recto; non tamen ſecundum id, quod dicit de connotato: per quod patet ad reliquas inſtantias: durare hodie, ſecundum id, quod duratio hodierna dicit intrinſece, & pro recto non eſt ſeparabile ab exiſtentia Petri; ſicut nec eſt intrinſece indifferens vt duret, vel non duret cras, tantum eſt ſeparabile, & indifferens extrinſece ex parte cauſæ, & menſuræ cui coexiſtit: & idem eſt de eo quod eſt magis, vel minus durare.

Ex quo inferes, quod etiam duratio ſucceſsivorum non diſtinguitur ab eorum exiſtentia continuate, & ſucceſsive eis communicata: ſalva tamen differentia in exiſtendo reperta inter ſucceſsiva, & permanentia, horum eſſe eſt totũ ſimul: illorum vero eſſe habetur ſucceſsive: ſed pleniorem notitiam huius rei dabimus art. ſequenti.

16 Inquires 2. Qualiter tempus diſtinguatur à motu? Reſpond. facile ex dictis; quod ſi lo-

loquamur de tēpore ſtricto, reſpect i motuum inferiorum, certum eſt ab illis diſtingui realiter: loquēdo vero dē tempore large accepto, cum illis identificatur; hoc ſecundum tempus eſt duratio intrinſeca horū motuum; duratio vero illorū extrinſeca per modum menſuræ vniformis, eſt tempus ſtrictum.

Reſpectu vero motus primi mobilis, tempus ſtrictum cō paratur, vt illius duratio, quæ non diſtinguitur realiter à re durante ſucceſsive; hoc eſt durante, non per continuationem eiuſdem indiviſibilis exiſtentiæ; ſed per continuatā additionem ſucceſsivam partium ad partes terminatas, & completas per inſtantia.

16 Ex dictis collige brevem expoſitionem diffinitionis temporis ſupra tradditæ: *numerus* denotat rationem menſuræ, qua metitur mora illa, ſeu duratio, quam facit mobile motu continuo; eſt enim menſura inrinſeca motus primi mobilis; & propter regularitatem, & vniformitatem, eſt menſura extriſeca aliorum motuum inferiorum: dicitur etiam: *numerus motus*, non mobilis, aut ſpatij, quia tempus non menſurat illorum partes quoad ſpoſitionem illarum in mobili aut ſpatio; ſed ſolum mē ſurat prius, & poſterius in mora, ſeu duratione ſucceſsiva, ſecundum præteritum, & futurum; hoc prius, & poſterius temporis, quod menſurat omne prius, & poſterius repertum in omni motu diuidi poteſt (non diuiſione continuitatis, ſed deſignationis) in annos, & anni in menſes, & menſes in Hebdomadas, Hebdomadæ in dies, dies in horas, horæ in quadrantes, & vltimo in inſtantia.

ARTIC. I

Vtrùm exiſtentia realis temporis inveniatur in ſuis partibus? An vero ſolum in inſtanti?

17 SVpponimus ex Logica, tempus, & motum eſſe de genere quantitatis cōtinuæ, de cuius cōpoſitione per partes, & indibiſibilia lib. 6. dicemus: Ad præſentem difficultatem valde implexam, ſufficiat ſcire, quod ſicut vnitas eſt indiviſibile numerì, punctū lineæ, mutatum eſſe motus ita inſtans, vel nunc eſt indiviſivile temporis, & quod ſicut in quantitate continua permanente, dantur partes in quas eſt diviſivilis, & indiviſibilia quibus partes copulantur, & terminantur, ita in quantitate continua ſuceſsiva (in motu, ſcilicet, & tempore) dātur partes, in quas eſt diviſibilis, & indiviſibilia (nē pe mutata eſſe, vel inſtantia) quibus partes copulentur, & terminentur.

§. I.

Vnica Concluſio.

18 *Tempus, & eius partes*

ſolum exiſtunt exiſtentia indiviſibilis inſtantis. Oppoſitum huius tenet plures intra, & extra Scholam Divi Thomæ: Herveus, Araujo, Iavellus, Maſius, Soncin. citati à Prado, quos ipſe ſequitur Suarez, Conimbric. Rubio, & alij. Sed noſtrã concluſionem tenent communiter Thomiſtæ Soto; & PP. Carmel. Mag. à S. Thom. Ortiz, Lerma, Goud, Pin. Moneta, & alij.

19 Probatur 1. ex *Div.* Thom. 4. Phyſicor. lect. 23. dicẽte: *Tempus non habet eſſe extra animam, niſi ſecundum ſuum indiviſibile*: ergo excludit à tempore omnem aliam exiſtentiam realem, niſi ratione inſtantis indiviſibilis, & 8. Phyſicor. lect. 2. ait: *Nihil eſt accipere in actu de tempore. niſi nunc, quia quod præteritum eſt, iam abijt: quod autem futurum eſt, nondum eſt.* Eadẽ verba habet 1. part. quæſt. 46. artic. 3. ad. 3 & quæſt. 66. artic. 4. ad 5. & alibi.

20 Probatur 2. ratione: Exiſtentia realis ſolum convenit rebus creatis, vt ſunt in actu completo, iuxta modum ipſarum; ſed tempus nequit eſſe in actu completo, iuxta modum ſuum, ratione ſuarum partium, ſed ratione inſtãtis indiviſibilis: ergo tempus, & eius partes non exiſtunt per ſe, & ratione ſui, ſed ſolum per exiſtẽtiam indibiſibilis inſtantis. Maior eſt evidens; nam cum exiſtentia ſit vltimus actus, ſolum convenit rebus, pro ut ſunt complete in ſuo eſſe iuxta naturam ipſarum. Prob. min. Tempus iuxta ſuum modum, & naturã, nequit habere eſſe cõpletũ ratione ſuarum partium; ſed tantum ratione inſtantis indibiſibilis: ergo nequit eſſe in actu conpleto ratione partium; ſed ſolum retione inſtantis. Probatur antecedens: Nulla pars temporis eſt in ſuo eſſe cõpleto ratione ſui ſed ſolũ ratione inſtantis: ergo tempus non habet eſſe completum ratione partium, ſed ſolũ ratione inſtantis. Prob. antecedens: Tunc aliquid eſt completum in ſuo eſſe, quando nihil pertinens ad ſuum eſſe manet in potẽtia, vel intra cauſas: ſed nulla pars tẽporis eſt extra cauſas, taliter, vt nihil pertinens ad ſuã eſſe maneat in potentia, & intra cauſas, niſi ratione inſtantis, ergo nulla pars temporis eſt in eſſe completo ratione ſui, ſed ſolum ratione inſtantis. Prob. min. Nulla pars temporis eſt extra cauſas, taliter, vt nihil illius maneat in potentia, vel intra cauſas, niſi dum terminata eſt; ſed non terminatur ratione ſui, ſed ſolum ratione inſtantis: ergo. Min. eſt certa, & amplius cõſtabit in lib. 6. & maior videtur manifeſta, quia dum pars ſucceſſiva nõ eſt terminata, aliquid illius reſtat, quod tranſeat, & ſuccedat, quod nondum tranſit, & ſuccedit; ſed quod in ente ſucceſſivo nondum tranſit, & ſuccedit; eſt adhuc in potentia

& intra cauſas: ergo.

21 Confirm. nihil exiſtit per id per, quod nequit in ſuo eſſe compleri, cum exiſtentia ſolum poſsit convenire rebus in ſuo eſſe compleris; ſed tempus in ſuo eſſe nequit compleri per partes, ſed per inſtantia: ergo non exiſtit per partes, ſed per exiſtentiam inſtantis. Prob. min. *Tum* quia nihil poteſt in ſuo eſſe compleri per id, quod ſecundum aliquid ſui nondum eſt, & poteſt eſſe ſed pro priori ad inſtans terminativũ partium temporis, omnes illæ ſecumdum aliquid ſui nõdum ſunt, & poſſunt eſſe: ergo tẽpus in ſuo eſſe nequit compleri per illas.

Tum: quia nihil in ſuo eſſe completur per id, quod ſecundũ aliquid ſui, eſt in potentia, vt ſit; ſed omnis pars temporis vſque dum terminetur per inſtans eſt in potentia, vt ſit: ergo nulla illarum poteſt ipſum tempus in ſuo eſſe complere. *Tum* denique illud eſt in ſuo eſſe complectum, cuius nihil reſtat agendum; ſed pro priori ad inſtans terminativum partium temporis, ſemper aliquid illarum reſtat agendum: ergo pro priori ad tale inſtans, non habent eſſe completum, & conſequenter neque exiſtere poſſunt.

22 Confirm. 2. quod eſt in fieri prout in fieri non exiſtit: ſed tempus ratione ſuarum partium præciſſe, eſt in fieri, prout in fieri: ergo ratione ſuarum partium non exiſtit. Maior eſt evidens: quia fieri eſt tendentia, & via ad exiſtentiam, & eſſe ſimul in via, & in termino repugnat. Prob. min. Partes temporis in ſe, & ratione ſui ſuccedentes ſunt partes, prout præveniunt inſtans, quo terminantur; ſed partes ſuccedentes reduplicative: vt præueniunt inſtans, quo terminantur, ſunt in fieri prout infieri: ergo. Prob. min. Partes vt præveniunt inſtans quo terminantur, vel ſunt in facto eſſe ſecundum ſe totas, uel ſecundum aliquid ſui: ſi primum: ergo. vt præveniunt inſtans, quo terminãtur, eſſent adæquate terminatę, & non terminatę, quia nihil eſt terminatum pro priori ad id, quo terminatur: eſſent terminatæ, quia in ſucceſsivis idem eſt factum eſſe ac tarminari, vt in motu, oratione, & alijs videtur clare.

Si ſecundum: vel illud aliquid partis poſt ea eſt in facto eſſe pro priori ad inſtans quo terminatur, vel non? Si hoc ſecundum: ergo ratione ſui, & pro illo priori non eſt in facto eſſe, ſed in fieri, prout infieri; & cum eadem ratio ſit de parte partis tẽporis, ac de tota parte, tota pars erit in fieri, prout in fieri pro illo priori: *Si primum*: ſequitur in combeniens iam indicatum; nempe quod illud aliquid eſſet terminatum, & non terminatum pro priori ad inſtans, quo terminatur; terminatum, qui a in

fac-

facto eſſe, non terminatum, quia eſſet pro priori ad ſuum terminum.

§. II.

Argumenta ſolvuntur.

23 OBijcies 1. vel inſtanti præſenti ſuccedit inſtans, vel ſuccedit pars: non primum: alias darentur duo inſtantia immediata, quod opponitur rationi continui: Si ſecundum: ergo abeunte inſtanti pars immediate ad illud ſequta eſt præſens; ſed non ratione inſtantis, quod abijt, quia nõ eſt, nec ratione inſtantis, quod ſequitur, quia nondum eſt: ergo eſt præſens ratione ſui.

24 Diſtinguo vltimum conſequens: eſt præſens ratione ſui, ſumpta preſentia ſtricte, pro exiſtentia rei completæ. neg. conſeq. Sumpta præſentia late, prout res immediate futura, vel vt tendens ad ſuum eſſe, & complementum, aliquo modo dicitur præſens, omitto conſeq.

25 Sed inſtans 1. partes temporis ratione ſui ſtrictè dicuntur præteritæ, & ſtrictè dicuntur futuræ: ergo etiam ratione ſui eſtricte ſunt præſentes. Prob. conſeq. nihil eſt præteritũ niſi, quod aliquando fuit præſens, nec futurum, niſi quod aliquando erit præſens: ergo nihil eſt ſtricte præteritum, vel futurum niſi quod aliquando ſtrictè erit preſens.

26 Inſtas 2. ſi pars temporis ratione ſui non eſſet ſtricte preſens; præſentia ſtricta temporis non eſſet continua, ſed interrupta: hoc conſequens eſt falſum, alias tempus non eſſet duratio continua, quia continuatio durationis in continuatione exiſtentiæ, vel preſentiæ ſtrictę rei conſiſtit, vt ſupra diximus. Sequella probatur: Preſentia, vel exiſtentia rei admittens medium ratione cuius verificetur de re, quod non eſt præſens nec exiſtit, eſt preſentia, & exiſtentia interrupta, & non continua; ſed inter inſtantia temporis mediat illius pars, ratione cuius, iuxta nos, tempus nec eſt præsẽs nec exiſtit: ergo.

27 3. immediate poſt hoc inſtans præſens eſt verum dicere: *Quod eſt pars temporis*: ergo immediate poſt hoc inſtans præſens pars temporis eſt eſtricte præſens. Patet conſeq. quia in noſtris principijs, nequit aliqua propoſitio affirmativa per verbum *eſt* de præſenti eſſe vera, niſi ex parte obiecti, & correſpondeat aliquid vere exiſtens de præſenti. Antecedens vero probatur: *Tũ* quia immediate poſt hoc inſtans præſens, eſt falſum dicere: *Quod non eſt pars temporis*: ergo eſt verum dicere, *quod eſt*: Patet conſeq. Quia ſunt contradictoriæ: *Tũ* quia immediate poſt hoc inſtans, eſt verum dicere, quod eſt aliquid temporis; ſed eſt falſum dicere, quod eſt aliud inſtans: er-

ergo, eſt verum dicere, quod eſt pars.

28 Confirm. per ipſammet partem immediate ſequram ad hoc inſtās præſens, deficit à rebus contradictorium talis partis: ergo pars immediate ſequta ad hoc inſtans præſens per ſe ipſam exiſtit, & eſt præſens. Patet conſeq. Quia per id per quod deficit à rebus vnum contradictorium, aliud exiſtit, & eſt præſens in re. Antecedens probatur Carentia illius partis eſt illius partis contradictorium; ſed carentia partis temporis nequit deficere per aliquod inſtās, quod quidem ſolum immediate opponitur carentiæ ſui, non vero carentiæ partis: ego.

29 Confirm. 2 Carentia partis immediate ſequtæ ad hoc inſtans præſens deficit pro priori ad inſtans terminativum illius: ergo talis pars exiſtit propriori ad inſtans terminativum ipſius: Patet conſeq. Quia pro omni priori (maxime prioritate reali tēporis) pro quo deficit vnum contradictorium aliud exiſtit. Antecedens probatur: Carentia talis partis non deficit in inſtanti terminativo illius cum potius carentia partis ſit in illo inſtanti, alias pars coexiſteret inſtāti terminativo ipſius: ergo carentia illius partis deficit pro priori ad inſtās terminativū ipſius; ac ſubinde vere exiſtit, & eſt præſens pro illo priori.

30 Ad 1. neg. antece. Præteritum ſtricte ratione ſui eſt quod ſtricte ratione ſui aliquando extitit; & illud extitit, quod completū fuit in ſuo eſſe: partes temporis non ratione ſui, ſed ratione inſtātis terminativi illarum fuerunt completæ in ſuo eſſe, & extiterunt, & ſic vſque dum tale inſtans eſt præſens, & exiſtens; illæ nec ſunt complete extra cauſas, & conſequenter nec exiſtentes. *Præterquam quod* nihil eſt ſtricte præteritum, quod ſecūdum aliquid ſui adhuc eſt futurum; pars qualibet pro priori ad ſuum complementū per inſtans terminativum, ſecundum aliquid ſui, adhuc eſt futura, & conſequenter ratione ſui non eſt ſtricte præterita, ſed ratione inſtantis, quo completur, quo tranſacto, iā verificatur de parte, quod eſt præterita vere, & proprie: idē proportionabiliter dicendum eſt de ſtricta futuritione.

31 Ad 2. diſtinguo mai. non eſſet continua, ſed interrupta, *vt quo*, ideſt eſſet ratio, vt exiſteret, & eſſet præſens aliquod non continuum, aut enterruptum, nego mai. Non eſſet continua, ſed interrupta, *vt quod*, ſubdiſting. Sumpta non continuatione, vel interruptione pro carentia immediationis, vel continuationis vnius inſtantis cū alio, concedo: Sumpta pro ceſſatione omnimoda ſucceſsionis partium, & inſtantium, neg. mai. Entia ſucceſsiva non interrumpūtur, nec diſcontinuatur, niſi per

ſuſpenſionem fluxus, tam partium, quam inſtantium, quæ propriè eſt diviſio, & diſcontinuatio illius quātitatis ſucceſsivæ; & & hoc tantum modo interrumpitur illorum duratio: ſicut in motu, tunc interrumpitur, quando omnimodo ceſſat fluxus ſucceſsiuus tam partium, quam terminorum illius quod indiviſibilia continuatiua, & terminativæ partium non ſint immediata, ſicut non opponitur cum continuatione entis quanti permanentis, ita nec cum continua ſucceſſiva duratione entis quanti ſucceſsivi: & licet huius ſtricta præſentia, & exiſtentia non ſit immediata, non diſſolvitur entis ſucceſsivi nec præſentia, nec duratio; quia vnius inſtantis præſẽtia eſt ligata, & continuata cum alterius præſentia; licet non ratione ipſorum inſtantium, ratione tamen partium, quarum ſunt continuata, etiam ipſa inter ſe cōtinuantur.

32 Ad 3. diſtinguo antecedens: Quod eſt pars in ſua ſucceſsione, & in fieri, concedo antecedens. In ſui complemẽto, & exiſtens nego anteced. ad probat. Quatenus poteſt obſtare. dicimus, quod in rigore loquendo propoſitio de præſenti ſolum eſt vera, quando de obiecto illius eſt verum dicere. *nunc eſt*: de nulla parte temporis reduplicato ſtatu ſuæ ſucceſsionis, & fieri, & præciſſo quolibet inſtanti initiativo, & terminativo illius, eſt verum dicere: *Nunc eſt pars*: quia *nunc* ſupponit pro inſtanti, & præciſſo omni inſtanti temporis non eſt inſtans: vnde illa propoſitio: *Nunc eſt pars* ſolū poſſet eſſe vera in rigore, vel per hoc quod pars coexiſteret ſimul cum inſtanti, quod eſſet deſtruere ens ſucceſsivum: vel per hoc quod ipſum nunc, vel inſtans eſſet pars temporis, quod eſſet deſtruere rationem quantitatis continuæ in tempore: Reſtat ſolum, quod ſolum in rigore eſt verum dicere: *Nunc eſt pars temporis* quando eſt terminata, & completa per inſtans. quod exiſtit nunc: vnde ſicut immediatè poſt hoc inſtans præſens, non ſequitur aliud nunc temporis: ita nec eſt verū dicere in rigore *nunc eſt pars*. Nec etiam eſt verum dicere: *Nunc ſuccedit pars*, quia pars non ſuccedit in inſtāti: propter quod bene D. Thom. ſæpius aſſerit, quod de tēpore nihil eſt accipere actu niſi nunc; vnde de parte pro priori ad inſtantis illius terminativū latè dicitur, quod eſt, vel ſolum cum addito eſt in fieri, aut in potentia, quod non probat illius ſtrictam præſentiam ratione ſui, & in hoc ſecundo ſenſu ſolū eſt falſa illius contradictoria.

33 Sed dices, per nos propriori ad inſtans terminativum partis, in rigore non eſt verum dicere, *quod eſt pars*; ſed nec etiam eſt verum dicere, *quod eſt pars* in illius inſtāti terminatiuo; alias coexiſteret inſtanti: ergo de

par-

parte temporis nec ratione ſui, nec ratione inſtãtis eſt verum dicere, *quod eſt*, & conſequẽter nullo modo exiſtit.

Confirm. de parte nequit verificari quod eſt, vel exiſtit per id, vel ratione illius, quod eſſẽtialiter ſupponit partis defectũ; ſed inſtans terminativũ partis eſſentialiter ſupponit partis defectum; cum in tali inſtanti ſit verũ dicere: *Nunc non eſt pars, & immediate antea fuit*: ergo

34 Ad 1. diſtinguo min. non eſt verum dicere: quod eſt pars completa, & terminata, nego min. Quod eſt pars in ſui ſucceſſione infieri, & in potentia, concedo min. & diſtinguo conſeq. Eodem modo, nec ratione ſui, nec ratione inſtãtis verificatur: quod eſt completa, terminata, & in ſui complemento, & actualitate nego conſeq. Quia in inſtanti terminativo illius, in quo eſt verum dicere, quod eſt terminata, & completa; verificatur, quod exiſtit, quia nihil exiſtit vere, niſi dum uere in ſuo eſſe perfectum, & completum eſt.

Ad 2. diſtinguo min. inſtans iterminativum ſupponit defectũ partis, vt complectæ, & terminatæ, nego min. vt in fieri, & in potentia, concedo min. Pars vt completa, & terminata vere eſt, dum eſt eius complementum, & terminativum, & tunc ſolum de illa verificatur, quod exiſtit, vt probatum.

55 Sed adhuc inſtas: Il- cet in inſtanti terminativo ſit id- quo pars completur, & terminatur; non tamen eſt in illo inſtanti pars, quæ completur, & terminatur. ergo licet in illo inſtanti verificetur quod pars eſt completa- non tamen verificatur quod eſt pars, & conſequenter nec verificabitur, quod exiſtit, quia quod non eſt, dum eſt id quo completur, & exiſtit, nec exiſtit; nec eſt conpletum vt *quod*.

56 Reſp. diſting. antec. in illo inſtanti non eſt pars, quæ completur, & terminatur, non eſt completive, & terminative, neg. antec. Non eſt ſucceſſive, & quaſi ſubiective: omitto ant. hæc enim eſt natura ſucceſſivorum ad differentiam permanentium (in quorum contemplatione debet corrigi cummunis imaginatio adicta ad naturam rerum permanentium) cum enim illorum natura in ſucceſſione conſiſtat, opportet, vt id ipſum quod compleatur non coexiſtat complemento (alias permanens, & non ſucceſſivum eſſet) quia illorum terminari, eſt finiri, & finiri eſt non plus ſuccedere, & non plus ſuccedere eſt non eſſe ipſorum prout in ſucceſſione; eſt tamen eſſe illorum terminatum, & completum, ac ſubinde ſtricta illorum exiſtentia.

37 ad primam. confirmationem inſtantiæ contra ſolutionem argumenti principalis:

palis: diſting. antec. deficit à rebus contradictorium talis partis, eo modo, quo in rebus habet eſſe pars, concedo antecedens: Alio modo, nego antecedens: Vnum contradictorium deficit à rebus, eo modo, quo alterum in rebus eſt; cum autem pars temporis per ſe ipſam, & ratione ſui ſit in rebus in fieri, & aliquo modo in potentia; in hoc ſenſu præciſse eſt defectus ſui contradictorij, & defectus ſui contradictorij in hoc ſenſu non infert partem per ſe ipſam, & ratione ſui exiſtere, ſed ſolum, quod per ſe ipſam, & ratione ſui ſit in fieri, & tendentia ad compleri, & exiſtere. Recolãtur, quæ diximus quęſtione de diſtinctione eſſentiæ ab exiſtentia, ad argumentũ ſimilis formæ.

38 Ad ſecundam confirmationem diſtinguo antecedens: Carentia partis prout in fieri incompletæ, & tendentis ad ſui cõplementum, & exiſtentiam, deficit pro priori ad inſtans terminativum illius, cõcedo antecedens: Carentia illius vt completæ, & perfecte in ſuo eſſe deficit pro illo priori, nego antecedens: Carentia partis primo modo nõ deficit, ſed potius coexiſtit cum inſtanti terminativo illius; at vero carentia partis ſecũdo modo, deficit in inſtanti; in quo pars completur, & ſic nec deficit carentia partis pro priori ad illud; nec exiſtit pars in illo ſenſu pro priori ad ſuum terminativum.

39 Obijcies. 2. exiſtentia inſtantis eſt indiviſibilis; ſicut, & inſtans eſt indiviſibile, ſed exiſtentia partium debet eſſe diviſibilis, ſicut & partes, quæ exiſtunt: ergo partes non exiſtunt per exiſtentiam inſtantis.

40 Diſtinguo mai. exiſtentia inſtantis eſt indiviſibilis vt *quod*, formaliter, & in ſe, concedo mai. vt *quo*, virtualiter, & terminative, nego mai. ipſum inſtans, & punctum, licet ſint indiviſibilia, terminant partes temporis, & lineæ diviſibilis, imo omnes exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ, vt diximus lib. 2 nullas habent partes quamvis compoſitum, quod complẽt, & terminant, partes habeat, & hoc ideo, quia terminus, & complementum in indiviſibils conſiſtit.

41 Obijcies 3. exiſtentia inſtantis non poteſt prebere ſuum effectum formalem partibus temporis: ergo non exiſtunt per illam. Prob. antec. Effectus formalis exiſtentiæ eſt ponere rem in actu, & præſentem; ſed cum exiſtit inſtans, pars non eſt præſens, ſed præterita, & quod eſt pręteritum actu non eſt: ergo.

42 Neg. anteced: ad prob. diſtinguo mai. Eſt ponere rem in actu, & præſentem, aut terminative, aut informative, cõcedo mai. Informative præciſſe, nego mai. & diſtinguo min. Cum exiſtit inſtans, pars non eſt præſens in actu, infor-

ma-

inati ve, concedo min. terminative, nego min. Exiſtentia inſtantis non præbet ſuum effectum formalem partibus temporis per ſui communicationem, & informationem, vt facit exiſtentia rerum creatarum permanentium; ſed præciſe per terminationem, qua ſicut redduntur complete, & omnino extra ſuas cauſas, ita conſtituuntur in actu, & præſentes terminative, nec vere ſunt præteritæ cum terminantur, quia nihil eſt preteritum ſtrictè, niſi prius ſit completũ, tunc enim ſunt præſentes termidative, & complete, & erunt vere præteritæ, cum terminativum illarum fuerit præteritum,

43 Sed inſtas: repugnat terminatio ſine terminato, ſicut & continuatio ſine partibus continnatis; ſed dum adeſt inſtans terminativum, nõ eſt pars, ergo nec eſt pras terminata, & conſequenter in illo inſtanti pars non eſt præſens, nec exiſtens adhuc terminative.

44 Diſtinguo maior. Terminatio, ſine terminato, vel coexiſtente ſuo termino, vel cui terminus immediete ſuccedit, cõcedo mai. Sine terminato coexiſtente ſuo termino præciſſe, nego mai. vel ſubdiſtinguo: in permanentibus, concedo: in ſucceſsivis, nego: Potius ſucceſſiva hoc petunt, quod non ſint in ſe cum terminantur, ſunt tamen in ſuo termino, licet non cum illo, & hoc ſufficet, vt dicãtur præſentes, & exiſtentes terminative.

LIBER QVINTVS.

PHYSICORVM.

De Vnitate, & Contrarie motus.

POſtquam de motu incommuni, & ijs, quæ motum cõſequuntur egiſſet Philoſophus in antecedentibus; procedit iam ad dividuntut illum in ſuas ſpecies, quod perficiet in hoc libro in ſex capita diviſo, in duobus primis explicat ſpecies motus in communi; induobus ſequentibus illius vnitatem, & diverſitatem; & in reliquis, motus contrarietatem. Nos igitur de his, nec late diſputare, nec ea pe nitus intacta prætermittere poſſumus: quare cũ brevitate ſit,

QVÆST. XVIII.

De Vnitate, & Contrarietate motus.

1 Motum in communi, prout comprehendit etiã mutationes inſtantaneas, vt generationem ſubſtantialem, diffinimus, & explicuimus lib. 3. nunc vero ſtrictius de motu diſputamus, prout ſcilicet, eſt ſucceſsiva mutatio ex ſubiecto in ſubiectum & verſatur inter terminos poſitivos; huius enim unitatem, diverſitatem, & contrarietatem quærimus, pro quibus ſit.

ARTIC. I

Ad quæ predicamenta detur per ſe motus?

2 Dari per ſe motum ad aliquem terminmu, vel prędicamentum, nihil aliud eſt, quam eſſe id, quod per ſe primo, & non ratione alterius acquiritur per motum, ſicut non dari per ſe motum ad aliquid, eſt quod per ſe primo non producatur, aut acquiratur per motum; ſed eſt quid conſequtum ad produtionem, vel acquiſitionem alterius, vnde ly *per ſe* non fertur ſuper ly *motus* ſed ſuper illius terminum, ita vt per ſe, & non ratione alicuius termini, ad quem conſequatur, terminet motum.

3 Concluſio eſt; *Solum datur per ſe motus ad tria prædicamenta, nempe ad quantitatem, qualitatem, & vbi*: Hæc cum ſit excluſiva, æquivalet propoſitioni affirmanti dari per ſe motum ad quantitatem, qualitatem, & vbi & neganti dari per ſe motum ad reliquia prædicamenta.

Prob. igitur quoad id, quod affirmat: ſed prius adverte, duas eſſe præcipuas cõditiones in motu de quo loquimur: prima eſt, quod motus ſit accidens ſubiecti exiſtentis in actu ſubſtantiali, compoſiti, nempe ex materia, & forma: quia loquimur de motu, prout diſtinguitur à tranſmutatione ſubſtantiali, quæ latè eſt motus, & cuius ſubiectum eſt materia prima: ſecunda eſt, quod ververſetur inter terminos poſsitive cõtrarios.

Hoc ſuppoſito ſic formatur ratio: quantitas, qualitas, & vbi per ſe, & non ratione alterius, poſſunt acquiri per motum, vt quantitatis augmentum, qualitatis intenſio, & vbi locale. Deinde in omnibus illis eſt latitudo ſucceſsive percurrenda; in quantitate de minori ad maiorem: in qualitate de remiſſa ad intenſam in *vbi* latitudo ſpatij. Rurſus in omnibus illis eſt contrarietas, quia quantitas maior contrariatur minori, cum repugnet eſſe ſimul, & qualitas intenſa cum remiſſa, alba cum nigra, & ſic de alijs, etiam in loco eſt contrarietas per comparationem ad motum, reſpectu cuius duo termini

ma-

maxime diſtant, & opponuntur, cum àb vno incipiat motus, & in alium terminetur. *Denique*, cum omnia hæc accidentia ſubiectētur in toto compoſito, motus ad illa ſupponit compoſitum in actu per formam ſubſtantialem: nihil plus requiritur ad hoc, vt ad aliquid detur per ſe motus: ergo datur per ſe motus ad quantitatem, qualitatem, & vbi.

4 Iam quoad id, quod negat concluſ. prob. in primis de ſubſtantía prob. ſubſtantia nequít primo, & per ſe acquiri per motum aliquem, qui ſupponat mobile in actu ſubſtantiali, & verſetur inter terminos poſſitive contrarios: ergo ad ſubſtantiam non eſt per ſe motus: conſeq. eſt evidens ex dictis: & antecedens prob. ſuſtantia acquiſita per motum eſſet maxime forma ſubſtantialis: ſed mobíle, vel ſubiectum motus ad formam ſubſtantialem, cum ſit materia, non ſuponitur in actu ſubſtantiali, cum per talem motum illū acquireret, nec inter terminum *à quo, & ad quem* talis motus, vel mutationis, datur diſtantia ſucceſsive pertranſibilis, cum mutatio ſuſtantialis ſit in inſtanti, nec termini talis mutationís ſunt poſſitivi, & contrarij, quia vel ſunt privatio, & forma, vel duæ formę ſubſtantiales, quæ per ſe non ſunt contraria, cum careant medio, & communi ſubiecto in actu ſubſtantiali manente; ergo.

5 De relatione etiam conſtat; nam poſito fundamento, & termino per aliquam actionem, vel motum, relatio reſultat; vt poſita per motum aliquem quantitate ſecundum augmentum, vel decrementum, reſultad relatio æqualis, vel inæqualis, & terminato motu ad qualitatem penes intenſionem, vel remiſsionem, album, vel nigrum, calidum, aut frigidum, reſultat relatio ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis, & ſic de alijs: ergo relatio per ſe non acquiritur per motum, ſed ad ſummum ex hijs, quæ per ſe acquiruntur per motum reſultat, ac ſubinde ad relationem non datur per ſe motus.

6 De actione, & paſſione patet, quia actio, & paſsio ſunt ipſe motus identice, vel connexive, & ſunt quaſi affectiones ipſius: ergo ſicut, motus non eſt per ſe ad ſe ipſum, ita nec per ſe eſt ad actionem, & paſsionem: ex quo etiam conſtat, non dari per ſe motum ad prædicamentum *quando*, quía *quando* ſignificat in tempore eſſe, tempus, vt diximus eſt menſura motus; vnde ſicut motus non datur ad actionem, & paſsionem, quia ſunt affectiones illius, ita dicendum eſt de *quando*: Denique *ſitu, & habere* dicimus idem, ac de relatione: *ſitus* conſiſtit in habitudine, aut relatione quadam partium in loco, & *habere*, eſt quædam relatio, ſeu habitudo corporis ad id,

quod

quod ei adiacet: quæ quidem habitudines, aut relationes nō fiunt per ſe, ſed reſultant, & conſequenter ad illas per ſe motus non eſt.

ARTIC. II.

A quo ſummatur vnitas motus?

7 VNitas rerum alia eſt generica, alia ſpecifica, alia indiuidualis, ſeu numerica: cum enim motus, vtpote poſtprædicamentum, ſolum reductive pertineat ad prædicamenta, & reduci debeat ad prædicamentum ſui termini, quia eſſe motus eſt ad terminum tendere, hinc videtur certum vnitatem genericam motus ſummi à genere in quo eſt eius terminus: cum enim genera, ad quæ datur per ſe motus, ſint quantitas, qualitas, & vbi, omnes illi motus qui terminentur ad quantitatem, erunt eiuſdem generis, vel habebunt vnitatē genericam; & idem dicendum de omnibus qui terminantur ad alia duo genera, habebunt vnitatem genericam à genere, ad quod per ſe terminantur: circa vnitatem ſpecificam, & numericam: ſit.

8 Prima Concluſio: *Vnitas ſpecifica motus per ſe primo attenditur penes terminum ad quem*: Prob. vnitas ſpecifica rerum attenditur per ſe primo ab eo, à quo ſpecificatur, ſed motus ſpecificatur, à termino *ad quem*; ergo. Prob. min. Motus nihil aliud eſt, quamvia ad terminum, & acquiſitio illius; ſed via à termino, & acquiſitio à re acquiſita ſpeciem ſummit, vt videtur notum. ergo.

9 Sed pro maiori intelligentia adverte 1. quod ad vnitatem ſpecificam motus localis, vltra vnitatem termini, requiritur unitas ſpecifica medij, ſeu ſpatij; eſt D. Thom. hic [illegible] 6. & illius verbis prob. [illegible] quia linea recta, & circularis [illegible] ſecūdum ſpeciem [illegible] motus circularis [illegible] quamvis [illegible] ad [illegible] n. Prob. cōſeq. Quia motus eſt [illegible] via [illegible]: ergo ſi [illegible] per [illegible] tranſit ſunt diverſæ ſpeciei, etiam motus [illegible]

Secundo, nam eadem concluſio de [illegible] per diverſa media pertinet ad diverſas ſcientias, vt patet in illa propoſitione *Terra eſt rotunda*: Denique quia medium refundens ſuam diverſitatem in termino prout terminante motum, neceſſario refundit illam in motu; ſed ſic contingit in circulatione, & rectitudine medij: ergo. Prob: min. Quando res movetur ab A, in B, per circulum, terminus per ſe intentus ab illo motu non eſt B, quamvis in B, terminetur; quia hoc ipſo, quod declinat à linea directa ad B: declinat ab intentione B. & per accidens eſt, quod revertatur ad B.

10 Adverte. 1. quod in motu alterationis, medium diverſum non diverſificat ſpecie

mo-

motum. V. g. motus dealbationis à nigro in album, ſive per viride, ſive per fuſcum, eſt eiuſdem ſpeciei: & ratio eſt, quia motus ſpecificatur à termino per ſe intēto; ſed per quæcumque media, ſive per quoſcunque colores medios, eadē de albatio intenditur: ergo. Vnde differentia inter motum alterationis, & motū localem, ſtat in eo, quod in ſecundo, variato medio, loquendo per ſe, variatur terminus per ſe intentus, vt antea diximus; at vero in motu alterationis variatio mediorum ſe habet per accidens, quia hac, vel illa via, hoc, vel illo medio, idem terminus, nempe de albatio per ſe intenditur.

11 Secunda Concluſio: *Ad vnitatem numericam motus, requiritur vnitas mobilis, termini, & temporis.* Prob. ratione D. Thom. hic lect.7. Quia tunc motus eſt ſimpliciter vnus numero, quando eſt continuus, quia vnitas Indiviſibilitatis ei nequid cōvenire; ſed ad continuationem motus requiruntur tria prædicta: nempe vnitas; ſpeciei ex parte termini, quia ea quæ ſunt diverſæ eſpeciei, non poſſunt ad invicem continuari, cum eorum vltima non poſſint eſſe vnum, quod requiritur ad continuum: ergo.

2. Quod requiritur eſt: Vnitas mobilis, vel ſubiecti motus: *Tum* quia diverſorum ſubiectorum motus non poſſunt eſſe continui: *Tum*, quia motus eſt accidens mobilis, & accidentia individuantur à ſubiecto. Tertium eſt vnitas temporis, quia ſi interrumpitur per quietem, non erit vnus motus, ſed multi, quia multi ſunt motus, quorum quies in medio eſt; ergo vnus numero motus ſimpliciter tria prædicta requirit.

12 Oppones 1. Canis ab alto cadens, & mortuus in via non eſt idem ſubiectum, & tamen motus eſt vnus, cum ſit idem deſcenſus: ergo vnitas ſubiecti non requiritur. Reſpond. quod caſus canis vivi, & caſus cadaveris ſunt tantum motus contigui propter vnitatem temporis; non tamen continui, propter diverſitatem mobilis.

13 Oppones 2. Partes animalis differentes ſpecie, vt oſſa, carnes, & nervi faciunt vnum numero animal: ergo ad vnitatem numericam motus non requiritur vnitas termini à quo ſummitur vnitas ſpeciei. Reſpond. quod vnitas ſpecifica animalis ſolum ſummitur ab vnitate formę ſubſtantialis: partes vero illæ non differunt ſpecie perfecta, ſed Imperfecta, iuxta variam diſpoſitionem illarum requiſitam ad perfectionem totius vnde ſicut partes illæ non ſunt in ſpecie vera, ſed totum, ita nec differunt ſpecie.

14 Tertia Concluſio: *Ad unitatem numericam motus, non requiritur vnitas materialis ſpatij:* Prob. exemplo, quia ſi lapis à Cœlo

lo vſque ad terram deſcenderet, motus eſſet continuus, acſubinde vnus numero: & tamen elementa, per quæ tranſiret, non eſſent continua, ſed ſolum contigua: ergo.

An autem ad vnitatem numericam motus requiratur vnitas efficientis motum, vel motoris? Diſsident adhuc noſtri: Soto. & Mag. Sanct. Thom. indicant non requiri: nos vero cum Philoſopho, & Div. Thom. infra lib. 8. lect. 12. Aſſerimus requiri vnitatem motoris: verba Divi Thomæ ſunt: *Adhoc vt motus ſit continuus requiritur, quod ſit vnus, ad hoc vero, quod ſit vnus, neceſſe eſt, quod ſit ab vno movente, & vnius mobilis: ſi vero ſit aliud, & aliud movens, non erit totus motus continuus.*

ARTIC. III.

De Motuum contrarietate.

15 LOquimur de motu ſtricte ſumpto; & cum contrarietas perat duo extrema, quia nihil eſt ſibi cōtrariū, ideo inter extrema cōtrarietatis motus triplex fieri poteſt cōparatio, vel inter motum, & motum; vel inter motum, & quietem, vel inter quietem, & quietem.

16 Prima Concluſio: *Contrarietas motuum inter ſe, per ſe primo ſummitur à contrarietate terminorū ad quos, ex conſequenti etiam ſumitur, penes terminos à quibus*: Prima pars prob. Motus inter ſe contrariantur ratione ſuarvm formarū, & eſpecierū; ſed forma, & ſpecies motus ſumitur ab illius termino *ad quem*: ergo. Secunda pars conſtat, quia ſi termini *ad quos* ſunt cōtrarij, termini *à quibus* per ſe derelicti erunt contrarij: ergo ſaltim ex conſequenti ab iſtis erunt motus contrarij.

17 Secunda Concluſio: *Motus contrariatur quieti ſub termino à quo, non quieti ſub termino ad quem, licet cum hac quodammodo, quaſi privative opponatur.* Prima pars prb. Quia motus contrariatur quieti, quā expellit à mobili; ſed motus expellit à mobili quietē ſub termino *à quo*: vt ſi mobile quieſcebat in loco deorſum, & movetur ſurſū: ergo. Ex quo pàret ſecunda pars. Nam quies mobilis ſub termino *ad quem* acquiritur per motum, & ad illam motus ordinatur: ergo illam non expellit motus à mobili: cum quo ſtat, quod adhuc hæc quies motui opponatur, quaſi privativè, quia eſt ceſſatio illus, & incompatibilis cum illo, eo modo, quo omnis quies in communi eſt privatio motus ad illam.

18 Tertia Concluſio: *Quies ſub termino à quo contrariatur quieti ſub termino ad quem*: Prob. frigefactio, & calefactio ſunt motus contrarij per ſe primo ratione terminorum *ad quos*, & ex conſequenti etiam ratione terminorum *à quibus*, qui ſūt calor, & frigus; ſed quietes mobilis ſub ter-

nino *à quo, & ad quem* prædicto-
um motuum, ſunt ſtatus mobilis
ub calore, & frigore, quæ ſunt
ermini *ad quos, & quibus* præ-
dictorum motuum, & inter ſe
contrarij. vt patet: ergo quietes
ſub talibus terminis ſunt contra-
riæ.

LIBER SEXTVS.

PHYSICORVM

De Partibus motus.

EXplicuit Philoſophus libro præcedenti partes, quaſi ſubiecti-
vas motus, quæ ſunt illius ſpecies; nunc iam de partibus il-
lius quantitativis agere intendit; & cum motus de quo agit
ſit de genere continuorum, partes illivs erunt partes conti-
nui, cuius compoſitio præcipue in hoc libro explicatur; quam & nos
explicare connamur, ſi forte poſsimus.

QVÆSTIO. XIX.

De continuo, inceptione, & deſitione rerum.

1 COmpoſitio continui ita-
eſt imperceptivilis, vt in
illius expoſitione ratio
plus probet, quam poſsit intelli-
gere, & plus obijcit, quam poſ-
ſit ſolvere: quidquid præcipue ad
illius notitiam attinet, vnico arti
culo perficiemus, in alio vero
modos inceptionis, & deſitionis
rerum breviter trademus.

ARTIC. I.

*Vtrum continuum componatur ex ſo-
lis indiviſibilibus?*

2 QVantitatem continuam,
diximus in Logica, eſſe
illam, *Cuius partes copu-
lantur aliquo termino communi*; ibi-
dem in permanentem, & ſucceſ-
ſivam diviſimus, & vtrivſque ſpe-
cies aſsignavimus: vltra illam dif
finitionem continui, qua explica-
tur illius natura, prout pertinet
ad prædicamentũ, tradit aliã Ariſ
tot prout pertinet ad phyſicam,
in 3. phyſicor. in principio dicen
do. *Continuum eſſe diviſibile in infi-
nitũ*; & coherentiam vtriuſque dif
finitionis explicat D. Thom. ibi-
dem lect. 1. dicendo, quod cum
continuum ſit totum, debet per
partes diffiniri: partes enim com-
parantur ad totum, & prout ex
illis componitur, & prout in illas
di-

dividitur, & reſolvitur: ex quo In fert, quod prima diffinirio eſt cõtinui via compoſitionis, ſecunda vero via reſolutionis, & vtraque ſua via eſt recta.

§. I.

Præmittuntur aliqua.

3 NOta 1. quod continuum ſupponit pro quantitate extenſa conſtante ex partibus vnitis, ſeu continuatis, ex quibus componitur: & in quas eſt diviſibile; & difficultas, eaque maxima conſiſtit, an ita conſtet ex partibus, quod ſi dividantur perveniatur ad aliquam, quæ vlterius diviſibilis non ſit, & conſequenter ſi omnes partes dividantur, maneant indiviſibiles? & ſi ita eſt, continuum componitur ex indibiſibilibus, quia cum vnum quodque reſolvatur in ea, ex quibus componitur; ſi continuum media ſui diviſione vltimate reſolvitur in indiviſibilia, ex his ſolis, & non ex partibus ſemper diviſibilibus componitur.

4 Nota 2. quod licet indiviſibile ex vi vocis denotet negationem potentiæ vt dividatur, tamen ex directo ſignificato, nõ ſignificat negationẽ, ſed potius aliquid poſitivum negatione explicatum: quod clare habet Div. Thom. 1. p. quæſt. 10. artic. 1. ad 1. dicens: Quod ſimplicia conſueverunt per negationem diffiniri, ſicut punctum, cuius nulla eſt pars, quod non ideo eſt, quia negatio ſit eſſentia eorum, ſed quia intellectus noſter, qui primo apprehendit compoſita, in cognitionem ſimplicium pervenire non poteſt, niſi per remotionem compoſitionis, & hoc modo metaphyſici vnum diffiniunt per negationem diviſion & Theologi declarant æternitatem per interminabilitatem.

5 Nota 3. Quod in ta tres ſpecies quantitatis continuæ, quæ ſunt *linea*, *ſuperficies* & *corpus*, dantur tria genera diviſibilium, vt punctum in linea; linea in ſuperficie; & ſuperficies in corpore: qualiter indiviſibilitas conveniat lineæ, & ſuperficiei? Diximus in Logica agentes de prædicamento quantitatis: vltra hæc indibiſibilia propria quantitatis permanentis, dant alia propria quantitatis continuæ ſucceſsivæ, vt mutatum eſſe, motu & nunc, momentum, a inſtans in tempore.

6 Nota 4. Quod omni quantitate continua fin (qualiter ſolum eſt poſsibilis) debent dari adminus indiviſibi, terminativa, verſus initium, & nem: verſus finem conſtat, quia continuum finitur, & terminatur poſsitive, cum ſit finitæ extenſionis; ſed nequit finire, & terminari aliquo diviſibili: ergo finitur, terminatur aliquo indiviſibili poſitivo. Prob. min. Quia ſi in lo diviſibili terminativo ſumatur medietas, illa terminati

ergo, eſt verum dicere, quod eſt pars.

28 Confirm. per ipſammet partem immediate ſequutam ad hoc inſtãs præſens, deficit à rebus contradictorium talis partis: ergo pars immediate ſequuta ad hoc inſtans præſens per ſe ipſam exiſtit, & eſt præſens. Patet conſeq. Quia per id per quod deficit à rebus vnum contradictorium, aliud exiſtit, & eſt præſens in re. Antecedens probatur Carentia illius partis eſt illius partis contradictorium; ſed carentia partis temporis nequit deficere per aliquod inſtãs, quod quidem ſolum immediate opponitur carentiæ ſui, non vero carentiæ partis: ego.

29 Confirm. 2 Carentia partis immediate ſequutæ ad hoc inſtans præſens deficit pro priori ad inſtans terminativum illius: ergo talis pars exiſtit propriori ad inſtans terminativum ipſius: Patet conſeq. Quia pro omni priori (maxime prioritate reali tẽporis) pro quo deficit vnum contradictorium aliud exiſtit. Antecedens probatur: Carentia talis partis non deficit in inſtanti terminativo illius cum potius carentia partis ſit in illo inſtanti, alias pars coexiſteret inſtãti terminativo ipſius: ergo carentia illius partis deficit pro priori ad inſtãs terminativũ ipſius; ac ſubinde vere exiſtit, & eſt præſens pro illo priori.

30 Ad 1. neg. antece. Præteritum ſtricte ratione ſui eſt quod ſtricte ratione ſui aliquando extitit; & illud extitit, quod completũ fuit in ſuo eſſe: partes temporis non ratione ſui, ſed ratione inſtãtis terminativi illarum fuerunt completæ in ſuo eſſe, & extiterunt, & ſic vſque dum tale inſtans eſt præſens, & exiſtens; illæ nec ſunt complere extra cauſas, & conſequenter nec exiſtentes. *Præterquam quod* nihil eſt ſtricte præteritum, quod ſecũdum aliquid ſui adhuc eſt futurum; pars qualibet pro priori ad ſuum complementũ per inſtans terminativum, ſecundum aliquid ſui, adhuc eſt futura, & conſequenter ratione ſui non eſt ſtricte præterita, ſed ratione inſtantis, quo completur, quo tranſacto, iã verificatur de parte, quod eſt præterita vere, & proprie: idẽ proportionabiliter dicendum eſt de ſtricta futuritione.

31 Ad 2. diſtinguo mai. non eſſet continua, ſed interrupta, *vt quo*, id eſt eſſet ratio, vt exiſteret, & eſſet præſens aliquod non continuum, aut enterruptum, nego mai. Non eſſet continua, ſed interupta, *vt quod*, ſubdiſting. Sumpta non continuatione, vel interruptione pro carentia immediationis, vel continuationis vnius inſtantis cũ alio, concedo: Sumpta pro ceſſatione omnimoda ſucceſsionis partium, & inſtantium, neg. mai. Entia ſucceſsiva non interrumpuntur, nec diſcontinuatur, niſi per

ſe

ſuſpenſionem fluxus, tam partium, quam inſtantium, quæ propriè eſt diviſio, & diſcontinuatio illius quãtitatis ſucceſsivæ; & & hoc tantum modo interrumpitur illorum duratio: ſicut in motu, tunc interrumpitur, quando omnimodo ceſſat fluxus ſucceſsiuus tam partium, quam terminorum illius quod indiviſibilia continuatiua, & terminativa partium non ſint immediata, ſicut non opponitur cum continuatione entis quanti permanentis, ita nec cum continua ſucceſſiva duratione entis quanti ſucceſsivi: & licet huius ſtricta præſentia, & exiſtentia non ſit immediata, non diſſolvitur entis ſucceſsivi nec præſentia, nec duratio; quia vnius inſtantis præſẽtía eſt ligata, & continuata cum alterius præſentía; licet non ratione ipſorum inſtantium, ratione tamen partium, quarum ſunt continuata, etiam ipſa inter ſe cõtínuantur.

32 Ad 3. diſtínguo antecedens: Quod eſt pars in ſua ſucceſsione, & in fieri, concedo antecedens. In ſui complemẽto, & exiſtens nego anteced. ad probat. Quatenus poteſt obſtare, dicimus, quod in rigore loquendo propoſitio de præſenti ſolum eſt vera, quando de obiecto illius eſt verum dicere. *nunc eſt*: de nulla parte temporis reduplicato ſtatu ſuæ ſucceſsionis, & fieri, & præciſſo quolibet inſtanti initiativo, & terminativo illius, eſt verum dicere: *Nunc eſt pars*: quia *nunc* ſupponit pro inſtanti, & præciſſo omni inſtanti temporis non eſt inſtaus: vnde illa propoſitio: *Nunc eſt pars* ſolũ poſſet eſſe vera in rigore, vel per hoc quod pars coexiſteret ſimul cum inſtanti, quod eſſet deſtruere ens ſucceſsivum: vel per hoc quod ipſum nunc, vel inſtans eſſet pars temporis, quod eſſet deſtruere rationem quantitatis continuæ in tempore: Reſtat ſolum, quod ſolum in rigore eſt verum dicere: *Nunc eſt pars temporis* quando eſt terminata, & completa per inſtans. quod exiſtít nunc: vnde ſicut immediate poſt hoc inſtans præſens, non ſequitur alíud nunc temporis: ita nec eſt verũ dicere in rigore *nunc eſt pars*. Nec etiam eſt verum dicere: *Nunc ſuccedit pars*, quia pars non ſuccedit in inſtãtí: propter quod bene D. Thom. ſæpius aſſerit, quod de tẽpore nihil eſt accipere actu niſi nunc; vnde de parte pro priori ad inſtantis illius terminativũ latè dicitur, quod eſt, vel ſolum cum addito eſt in fieri, aut in potentia, quod non probat illius ſtrictam præſentiam ratione ſui, & in hoc ſecundo ſenſu ſolũ eſt falſa illius contradictoria.

33 Sed dices, per nos propriori ad inſtans terminativum partis, in rigore non eſt verum dicere, *quod eſt pars*; ſed nec etiam eſt verum dicere, *quod eſt pars* in illius inſtãti terminatiuo; alias coexiſteret inſtanti: ergo de par-

parte temporis nec ratione ſui, nec ratione inſtãtis eſt verum dicere, *quod eſt*, & conſequẽter nullo modo exiſtit.

Confirm. de parte nequit verificari quod eſt, vel exiſtit per id, vel ratione illius, quod eſſẽtia liter ſupponit partis defectũ; ſed inſtans terminativũ partis eſſentialiter ſupponit partis defectum; cum in tali inſtanti ſit verũ dicere: *Nunc non eſt pars, & immediate antea fuit*: ergo

34 Ad 1. diſtinguo min. non eſt verum dicere: quod eſt pars completa, & terminata, nego min. Quod eſt pars in ſui ſucceſſione infieri, & in potentia, concedo min. & diſtinguo conſeq. Eodem modo, nec ratione ſui, nec ratione inſtãtis verificatur: quod eſt completa, terminata, & in ſui complemento, & actualitate nego conſeq. Quia in inſtanti terminativo illius, in quo eſt verum dicere, quod eſt terminata, & completa; verificatur, quod exiſtit, quia nihil exiſtit vere, niſi dum vere in ſuo eſſe perfectum, & completum eſt.

Ad 2. diſtinguo min. inſtans terminativum ſupponit defectũ partis, vt completæ, & terminatæ, nego min. vt in fieri, & in potentia, concedo min. Pars vt completa, & terminata vere eſt, dum eſt eius complementum, & terminativum, & tunc ſolum de illa verificatur, quod exiſtit, vt probatum.

35 Sed adhuc inſtas: Ilcet in inſtanti terminativo ſit idquo pars completur, & terminatur; non tamen eſt in illo inſtanti pars, quæ completur, & terminatur. ergo licet in illo inſtanti verificetur quod pars eſt completa non tamen verificatur quod eſt pars, & conſequenter nec verificabitur, quod exiſtit, quia quod non eſt, dum eſt id quo completur, & exiſtit, nec exiſtit; nec eſt conpletum vt *quod*.

36 Reſp. diſting. antec. in illo inſtanti non eſt pars, quæ completur, & terminatur, non eſt completive, & terminative, neg. antec. Non eſt ſucceſsive, & quaſi ſubiective: omitto ant. hæc enim eſt natura ſucceſsivorum ad differentiam permanentium (in quorum contemplatione debet corrigi cummunis imaginatio adicta ad naturam rerum permanentium) cum enim illorum natura in ſucceſsione conſiſtat, opportet, vt id ipſum quod comp'etur non coexiſtat complemento (alias permanens, & non ſucceſsivum eſſet) quia illorum terminari, eſt finiri, & finiri eſt non plus ſuccedere, & non plus ſuccedere eſt non eſſe ipſorum prout in ſucceſsione; eſt tamen eſſe illorum terminatum, & completum, ac ſubinde ſtricta illorum exiſtencia.

37 ad primam. confirmationem inſtantiæ contra ſolutionem argumenti principalis:

palis: diſting. antec. deficit à rebus contradictorium talis partis, eo modo, quo in rebus habet eſſe pars, concedo antecedens: Alio modo, nego antecedens: Vnum contradictorium deficit à rebus, eo modo, quo alterum in rebus eſt; cum autem pars temporis per ſe ipſam, & ratione ſui ſit in rebus in fieri, & aliquo modo in potentia; in hoc ſenſu præciſse eſt defectus ſui contradictorij, & defectus ſui contradictorij in hoc ſenſu non infert partem per ſe ipſam, & ratione ſui exiſtere, ſed ſolum, quod per ſe ipſam, & ratione ſui ſit in fieri, & tendentia ad compleri, & exiſtere. Recolātur, quæ diximus queſtione de diſtinctione eſſentiæ ab exiſtentia, ad argumentū ſimilis formæ.

38 Ad ſecundam confirmationem diſtinguo antecedens: Carentia partis prout in fieri incompletæ, & tendentis ad ſui cōplementum, & exiſtentiam, deficit pro priori ad inſtans terminativum illius, cōcedo antecedens: Carentia illius vt completæ, & perfecte in ſuo eſſe deficit pro illo priori, nego antecedens: Carentia partis primo modo nō deficit, ſed potius coexiſtit cum inſtanti terminativo illius; at vero carentia partis ſecūdo modo, deficit in inſtanti; in quo pars completur, & ſic nec deficit carentia partis pro priori ad illud; nec exiſtit pars in illo ſenſu pro priori ad ſuum terminativum.

39 Obijcies. 2. exiſtentia inſtantis eſt indiviſibilis; ſicut, & inſtans eſt indiviſibile, ſed exiſtentia partium debet eſſe diviſibilis, ſicut & partes, quæ exiſtunt: ergo partes non exiſtunt per exiſtentiam inſtantis.

40 Diſtinguo mai. exiſtentia inſtantis eſt indiviſibilis vt *quod*, formaliter, & in ſe, concedo mai. vt *quo*, virtualiter, & terminative, nego mai.. ipſum inſtans, & punctum, licet ſint indiviſibilia, terminant partes temporis, & lineæ diviſibilis, imo omnes exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ, vt diximus lib. 2 nullas habent partes quamvis compoſitum, quod complēt, & terminant, partes habeat, & hoc ideo, quia terminus, & complementum in indiviſibils conſiſtit.

41 Obijcies 3. exiſtentia inſtantis non poteſt prebere ſuum effectum formalem partibus temporis: ergo non exiſtunt per illam. Prob. antec. Effectus formalis exiſtentiæ eſt ponere rem in actu, & præſentem; ſed cum exiſtit inſtans, pars non eſt præſens, ſed præterita, & quod eſt preteritum actu non eſt: ergo.

42 Neg. anteced: ad prob. diſtinguo mai. Eſt ponere rem in actu, & præſentem, aut terminative, aut informative, cōcedo mai. Informative præciſſe, nego mai. & diſtinguo min. Cum exiſtit inſtans, pars non eſt præſens in actu, infor-

mati ve, concedo min. terminative, nego min. Exiſtentia inſtantis non præbet ſuum effectum formalem partibus temporis per ſui communicationem, & informationem, vt facit exiſtentia rerum creatarum permanentium; ſed præciſe per terminationem, qua ſicut redduntur complete, & omnino extra ſuas cauſas, ita conſtituuntur in actu, & præſentes terminative, nec vere ſunt præteritæ cum terminantur, quia nihil eſt preteritum ſtrictè, niſi prius ſit completũ, tunc enim ſunt præſentes termidative, & complete, & erunt vere præteritæ, cum terminativum illarum fuerit præteritum,

43 Sed inſtas: repugnat terminatio ſine terminato, ſicut & continuatio ſine partibus continnatis; ſed dum adeſt inſtans terminativum, nõ eſt pars, ergo nec eſt pras terminata, & conſequenter in illo inſtanti pars non eſt præſens, nec exiſtens adhuc terminative.

44 Diſtinguo maior. Terminatio, ſine terminato, vel coexiſtente ſuo termino, vel cui terminus immediete ſuccedit, cõcedo mai. Sine terminato coexiſtente ſuo termino præciſſe, nego mai. vel ſubdiſtinguo: in permanentibus, concedo: in ſucceſsivis, nego: Potius ſucceſsiva hoc petunt, quod non ſint in ſe cum terminantur, ſunt tamen in ſuo termino, licet non cum illo, & hoc ſufficet, vt dicãtur præſentes, & exiſtentes terminative.

LIBER QVINTVS.

PHYSICORVM.

De Vnitate, & Contrarie motus.

POſtquam de motu in communi, & ijs, quæ motum cõſequuntur egiſſet Philoſophus in antecedentibus; procedit iam ad dividuntut illum in ſuas ſpecies, quod perficiet in hoc libro in ſex capita diviſo, in duobus primis explicat ſpecies motus in communi; in duobus ſequentibus illius vnitatem, & diverſitatem; & in reliquis, motus contrarietatem. Nos igitur de his, nec late diſputare, nec ea pe nitus intacta prætermittere poſſumus: quare cũ brevitate ſit,

QVÆST. XVIII.

De Vnitate, & Contrarietate motus.

1 MOtum in communi, prout comprehendit etiã mutationes inſtantaneas, vt generationem ſubſtantialem, diffinimus, & explicuimus lib. 3. nunc vero ſtrictius de motu diſputamus, prout ſcilicet, eſt ſucceſsiva mutatio ex ſubiecto in ſubiectum & verſatur inter terminos poſitivos; huius enim unitatem, diverſitatem, & contrarietatem quærimus, pro quibus ſit.

ARTIC. I

Ad quæ predicamenta detur per ſe motus?

2 DAri per ſe motum ad aliquem terminmu, vel prędicamentum, nihil aliud eſt, quam eſſe id, quod per ſe primo, & non ratione alterius acquiritur per motum, ſicut non dari per ſe motum ad aliquid, eſt quod per ſe primo non producatur, aut acquiratur per motum; ſed eſt quid conſequtum ad produtionem, vel acquiſitionem alterius, vnde ly *per ſe* non fertur ſuper ly *motus* ſed ſuper illius terminum, ita vt per ſe, & non ratione alicuius termini, ad quem conſequatur, terminet motum.

3 Concluſio eſt; *Solum datur per ſe motus ad tria prædicamenta, nempe ad quantitatem, qualitatem, & vbi*: Hæc cum ſit excluſiva, æquibalet propoſitioni affirmanti dari per ſe motum ad quantitatem, qualitatem, & vbi & neganti dari per ſe motum ad reliquia prædicamenta.

Prob. igitur quoad id, quod affirmat: ſed prius adverte, duas eſſe præcipuas cõditiones in motu de quo loquimur: prima eſt, quod motus ſit accidens ſubiecti exiſtentis in actu ſubſtantiali, compoſiti, nempe ex materia, & forma: quia loquimur de motu, prout diſtinguitur à tranſmutatione ſubſtantiali, quæ latè eſt motus, & cuius ſubiectum eſt materia prima: ſecunda eſt, quod ververſetur inter terminos poſitive cõtrarios.

Hoc ſuppoſito ſic formatur ratio: quantitas, qualitas, & vbi per ſe, & non ratione alterius, poſſunt acquiri per motum, vt quantitatis augmentum, qualitatis intenſio, & vbi locale. Deinde in omnibus illis eſt latitudo ſucceſsive percurrenda; in quantitate de minori ad maiorem: in qualitate de remiſſa ad intenſam in *vbi* latitudo ſpatij. Rurſus in omnibus illis eſt contrarietas, quia quantitas maior contrariatur minori, cum repugnet eſſe ſimul, & qualitas intenſa cum remiſſa. alba ſcum nigra, & ſic de alijs, etiam in loco eſt contrarietas per comparationem ad motum, reſpectu cuius duo termini

ma-

maxime diſtant, & opponuntur, cum ab vno incipiat motus, & in alium terminetur. *Denique*, cum omnia hæc accidentia ſubiectētur in toto compoſito, motus ad illa ſupponit compoſitum in actu per formam ſubſtantialem: nihil plus requiritur ad hoc, vt ad aliquid detur per ſe motus: ergo datur per ſe motus ad quantitatem, qualitatem, & vbi.

4 Iam quoad id, quod negat concluſ. prob. in primis de ſubſtantia prob. ſubſtantia nequit primo, & per ſe acquiri per motum aliquem, qui ſupponat mobile in actu ſubſtantiali, & verſetur inter terminos poſſitive contrarios: ergo ad ſubſtantiam non eſt per ſe motus: conſeq. eſt evidens ex dictis: & antecedens prob. ſuſtantia acquiſita per motum eſſet maxime forma ſubſtantialis: ſed mobile, vel ſubiectum motus ad formam ſubſtantialem, cum ſit materia, non ſuponitur in actu ſubſtantiali, cum per talem motum illũ acquireret, nec inter terminum *à quo, & ad quem* talis motus, vel mutationis, datur diſtantia ſucceſsive pertranſibilis, cum mutatio ſuſtantialis ſit in inſtanti, nec termini talis mutationis ſunt poſſitivi, & contrarij, quia vel ſunt privatio, & forma, vel duæ formę ſubſtantiales, quæ per ſe non ſunt contraria, cum careant medio, & communi ſubiecto in actu ſubſtantiali manente; ergo.

5 De relatione etiam conſtat; nam poſito fundamento, & termino per aliquam actionem, vel motum, relatio reſultat; vt poſita per motum aliquem quantitate ſecundum augmentum, vel decrementum, reſultad relatio æqualis, vel inæqualis, & terminato motu ad qualitatem penes intenſionem, vel remiſsionem, album, vel nigrum, calidum, aut frigidum, reſultat relatio ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis, & ſic de alijs: ergo relatio per ſe non acquiritur per motum, ſed ad ſummum ex hijs, quæ per ſe acquiruntur per motum reſultat, ac ſubinde ad relationem non datur per ſe motus.

6 De actione, & paſſione patet, quia actio, & paſsio ſunt ipſe motus identice, vel connexive, & ſunt quaſi affectiones ipſius: ergo ſicut, motus non eſt per ſe ad ſe ipſum, ita nec per ſe eſt ad actionem, & paſsionem: ex quo etiam conſtat, non dari per ſe motum ad prædicamentum *quando*, quia *quando* ſignificat in tempore eſſe, tempus, vt diximus eſt menſura motus; vnde ſicut motus non datur ad actionem, & paſsionem, quia ſunt affectiones illius, ita dicendum eſt de *quando*: Denique de *ſitu, & habere* dicimus idem, ac de relatione: *ſitus* conſiſtit in habitudine, aut relatione quadam partium in loco, & *habere*, eſt quædam relatio, ſeu habitudo corporis ad id,

quod

quod ei adiacet: quæ quidem habitudines, aut relationes nō fiunt per ſe, ſed reſultant, & conſequenter ad illas per ſe motus non eſt.

ARTIC. II.

A quo ſummatur vnitas motus?

7 VNitas rerum alia eſt generica, alia ſpecifica, alia indiuidualis, ſeu numerica: cum enim motus, vtpote poſtprædicamentum, ſolum reductiuè pertineat ad prædicamenta, & reduci debeat ad prædicamentum ſui termini, quia eſſe motus eſt ad terminum ſe habere, hinc videtur certum vnitatem genericam motus ſumi à genere in quo eſt eius terminus: cum enim genera, ad quæ datur per ſe motus, ſint quantitas, qualitas, & vbi, omnes illi motus qui terminentur ad quantitatem, erunt eiuſdem generis, vel habebunt vnitatē genericam; & idem dicendum de omnibus qui terminantur ad alia duo genera, habebunt vnitatem genericam à genere, ad quod per ſe terminantur: circa vnitatem ſpecificam, & numericam ſit.

8 Prima Concluſio: *Vnitas ſpecifica motus per ſe primo attenditur penes terminum ad quem*: Prob. vnitas ſpecifica rerum attenditur per ſe primo ab eo, à quo ſpecificatur, ſed motus ſpecificatur, à termino *ad quem*; ergo. Prob. min. Motus nihil aliud eſt, quam via ad terminum, & acquiſitio illius; ſed via à termino, & acquiſitio à re acquiſita ſpeciem ſummit, vt videtur notum. ergo.

9 Sed pro maiori intelligentia adverte 1. quod ad vnitatem ſpecificam motus localis, vltra vnitatem termini, requiritur unitas ſpecifica medij, ſeu ſpatij; eſt D. Thom. hic lect. 6. & illius verbis prob. quia linea recta & circularis [illegible] ſpeciem [illegible] motus circularis [illegible] recti [illegible] quamuis [illegible] ad [illegible] n. Prob. cōſeq. Qu[illegible] motus eſt [illegible] via actiua: ergo ſi [illegible] per [illegible] tranſit ſunt diverſæ ſp[illegible] etiam motus.

Secundo, nam eadem concluſio demonſtra[illegible] per di[illegible] media pertinet ad diverſas ſpecies [illegible] vtpatet in illa propoſitione: *Terra eſt rotunda*: Denique quia medium refundens ſuam diverſitatem in termino prout terminante motum, neceſſario refundit illam in motu; ſed ſic contingit in circulatione, & rectitudine medij: ergo. Prob. min. Quando res movetur ab A. in B. per circulum, terminus per ſe Intentus ab illo motu non eſt B. quamvis in B. terminetur; quia hoc ipſo, quod declinat à linea directa ad B: declinat ab intentione B. & per accidens eſt, quod revertatur ad B.

10 Adverte 2. quod in motu alterationis, medium diverſum non diverſificat ſpecie-

mo-

motum. V. g. motus dealbationis à nigro in album, ſive per viride, ſive per fuſcum, eſt eiuſdem ſpeciei: & ratio eſt, quia motus ſpecificatur à termino per ſe intẽto; ſed per quæcumque media, ſive per quoſcunque colores medios, eadẽ de albatio intenditur: ergo. Vnde differentia inter motum alterationis, & motũ localem, ſtat in eo, quod in ſecundo, variato medio, loquendo per ſe, variatur terminus per ſe intentus, vt antea diximus; at vero in motu alterationis variatio mediorum ſe habet per accidens, quia hac, vel illa via, hoc, vel illo medio, idem terminus, nempe de albatio per ſe intenditur.

11 Secunda Concluſio: *Ad vnitatem numericam motus, requiritur vnitas mobilis, termini, & temporis.* Prob. ratione D. Thom. hic lect. 7. Quia tunc motus eſt ſimpliciter vnus numero, quando eſt continuus, quia vnitas Indiviſibilitatis ei nequid cõvenire; ſed ad continuationem motus requiruntur tria prædicta: nempe vnitas; ſpeciei ex parte termini, quia ea quæ ſunt diverſæ eſpeciei, non poſſunt ad invicem continuari, cum eorum vltima non poſſint eſſe vnum, quod requiritur ad continuum: ergo.

2. Quod requiritur eſt: Vnitas mobilis, vel ſubiecti motus: *Tum* quia diverſorum ſubiectorum motus non poſſunt eſſe continui: *Tum*, quia motus eſt accidens mobilis, & accidentia individuantur à ſubiecto. Tertium eſt vnitas temporis, quia ſi interrumpitur per quietem, non erit vnus motus, ſed multi, quia multi ſunt motus, quorum quies in medio eſt; ergo vnus numero motus ſimpliciter tria prædicta requirit.

12 Oppones 1. Canis ab alto cadens, & mortuus in via non eſt idem ſubiectum, & tamen motus eſt vnus, cum ſit idem deſcenſus: ergo vnitas ſubiecti non requiritur. Reſpond. quod caſus canis vivi, & caſus cadaveris ſunt tantum motus contigui propter vnitatem temporis; non tamen continui, propter diverſitatem mobilis.

13 Oppones 2. Partes animalis differentes ſpecie, vt oſſa, carnes, & nervi faciunt vnum numero animal: ergo ad vnitatem numericam motus non requiritur vnitas termini à quo ſummitur vnitas ſpeciei. Reſpond. quod vnitas ſpecifica animalis ſolum ſummitur ab vnitate formę ſubſtantialis: partes vero illæ non differunt ſpecie perfecta, ſed Imperfecta, iuxta variam diſpoſitionem illarum requiſitam ad perfectionem totius vnde ſicut partes illæ non ſunt in ſpecie vera, ſed totum, ita nec differunt ſpecie.

14 Tertia Concluſio: *Ad unitatem numericam motus, non requiritur vnitas materialis ſpatii:* Prob. exemplo, quia ſi lapis à Cœlo

lo vſque ad terram deſcenderet, motus eſſet continuus, ac ſubinde vnus numero: & tamen elementa, per quæ tranſiret, non eſſent continua, ſed ſolum contigua: ergo.

An autem ad vnitatem numericam motus requiratur vnitas efficientis motum, vel motoris? Diſsident adhuc noſtri: Soto. & Mag. Sanct. Thom. indicant non requiri: nos vero cum Philoſopho, & Div. Thom. infra lib. 8. lect. 12. Aſſerimus requiri vnitatem motoris: verba Divi Thomæ ſunt: *Adhoc vt motus ſit continuus requiritur, quod ſit vnus, ad hoc vero, quod ſit vnus, neceſſe eſt, quod ſit ab vno movente, & vnius mobilis: ſi vero ſit aliud, & aliud movens, non erit totus motus continuus.*

ARTIC. III.

De Motuum contrarietate.

15 Loquimur de motu ſtricte ſupto; & cum contrarietas perat duo extrema, quia nihil eſt ſibi cõtrariũ, ideo inter extrema cõtrarietatis motus triplex fieri poteſt cõparatio, vel inter motum, & motum; vel inter motum, & quietem, vel inter quietem, & quietem.

16 Prima Concluſio: *Contrarietas motuum inter ſe, per ſe primo ſummitur à contrarietate terminorũ ad quos, ex conſequenti etiam ſumitur, penes terminos à quibus*: Prima pars prob. Motus inter ſe contrariantur ratione ſuarum formarũ, & ſpecierũ; ſed forma, & ſpecies motus ſumitur ab illius termino *ad quem*: ergo. Secunda pars conſtat, quia ſi termini *ad quos* ſunt cõtrarij, termini *à quibus* per ſe derelicti erunt contrarij: ergo ſaltim ex conſequenti ab iſtis erunt motus contrarij.

17 Secunda Concluſio: *Motus contrariatur quieti ſub termino à quo, non quieti ſub termino ad quem, licet cum hac quodammodo, quaſi privative opponatur.* Prima pars prb. Quia motus contrariatur quieti, quã expellit à mobili; ſed motus expellit à mobili quietẽ ſub termino *à quo*: vt ſi mobile quieſcebat in loco deorſum, & movetur ſurſũ: ergo. Ex quo páret ſecunda pars. Nam quies mobilis ſub termino *ad quem* acquiritur per motum, & ad illam motus ordinatur: ergo illam non expellit motus à mobili: cum quo ſtat, quod adhuc hæc quies motui opponatur, quaſi privativè, quia eſt ceſſatio illus, & incompatibilis cum illo, eo modo, quo omnis quies in communi eſt privatio motus ad illam.

18 Tertia Concluſio: *Quies ſub termino à quo contrariatur quieti ſub termino ad quem*: Prob. frigefactio, & calefactio ſunt motus contrarij per ſe primo ratione terminorum *ad quos*, & ex conſequenti etiam ratione terminorum *à quibus*, qui ſunt calor, & frigus; ſed quietes mobilis ſub ter-

dividitur, & reſolvitur: ex quo in fert, quod prima diffinitio eſt cõtinui via compoſitionis, ſecunda vero via reſolutionis, & vtraque ſua via eſt recta.

§. I.

Præmittuntur aliqua.

3 NOta 1. quod continuum ſupponit pro quantitate extenſa conſtante ex partibus vnitis, ſeu continuatis, ex quibus componitur: & in quas eſt diviſibile; & difficultas, eaque maxima conſiſtit, an ita conſtet ex partibus, quod ſi dividantur perveniatur ad aliquam, quæ vlterius diviſibilis non ſit, & conſequenter ſi omnes partes dividantur, maneant indiviſibiles? & ſi ita eſt, continuum componitur ex indibiſibilibus, quia cum vnum quodque reſolvatur in ea, ex quibus componitur; ſi continuum media ſui diviſione vltimate reſolvitur in indiviſibilia, ex his ſolis, & non ex partibus ſemper diviſibilibus componitur.

4 Nota 2. quod licet indiviſibile ex vi vocis denotet negationem potentiæ vt dividatur, tamen ex directo ſignificato, nõ ſignificat negationẽ, ſed potius aliquid poſitivum negatione explicatum: quod clare habet Div. Thom. 1. p. quæſt. 10. artic. 1. ad 1. dicens: Quod ſimplicia conſueverunt per negationem diffiniri, ſicut punctum, *cuius nulla eſt pars*, quod non ideo eſt, quia negatio ſit eſſentia eorum, ſed quia intellectus noſter, qui primo apprehendit compoſita, in cognitionem ſimplicium pervenire non poteſt, niſi per remotionem compoſitionis, & hoc modo metaphyſici vnum diffiniunt per negationem diviſion & Theologi declarant æternita per interminabilitatem.

5 Nota 3. Quod inter tres ſpecies quantitatis continuæ, quæ ſunt *linea*, *ſuperficies* & *corpus*, dantur tria genera diviſibilium, vt punctum in linea; linea in ſuperficie; & ſuperficies in corpore: qualiter indiviſibilitas conveniat lineæ, & ſuperficiei? Diximus in Logica agentes de prædicamento quantitatis: vltra hæc indibiſibilia propria quantitatis permanentis, dantur alia propria quantitatis continuæ ſucceſsivæ, vt mutatum eſſe, motu & nunc, momentum, a inſtans in tempore.

6 Nota 4. Quod omni quantitate continua fini (qualiter ſolum eſt poſsibilis) debent dari adminus indiviſibilia terminativa, verſus initium, & nem: verſus finem conſtat, quia continuum finitur, & terminatur poſsitive, cum ſit finitæ extenſionis; ſed nequit finire, & terminari aliquo diviſibili: ergo finitur, & terminatur aliquo indiviſibili poſitivo. Prob. min. Quia ſi in illo diviſibili terminativo ſumatur medietas, illa terminati

tur, & inquiritur, aut terminetur in aliquo diviſibili? An non? Si non, terminabitur aliquo indiviſibili: Si primū idem inquiritur, ſi ſummatur medietas illius medietatis diviſibilis, & erit procedere in infinitum, vſque perveniatur ad aliquod indiviſibile: qui diſcurſus formari poteſt verſus initium quantitatis continuæ.

7. Circa partes continui nota celebrem diviſionem illarum in *à liquotas, & proportionales. Partes aliquotæ* (quæ etiam dicuntur *æquales, deſignatæ, & interſe non comunicantes*) ſunt illæ quæ aliquoties repetitæ componunt totum continuum: vt palmus eſt pars aliquota vlnæ, quia quater repetitus vlnam componit: Partes *proportionales* (quæ etiam dicuntur *inæquales, indeſignatæ, & inter ſe communicantes*) dicuntur quæ aliter, & aliter diviſæ, habent diverſam proportionem minoritatis ad totum: vt ſi accipiatur tercium totius, & rurſus tertium tertij, & ſic deinceps; in quo caſu partes acceptæ ſunt inæquales ſecundum quantitatem, dicuntur etiam communinantes, non quia inter ſe penetrentur, ſed quia includuntur, & communicant in eadem parte aliquota, vt duæ medietates palmi communicat in eodem palmo, quem componunt; & idem dic de duabus medietatibus vnius miedietatis: Vnde partes proportionales non diſtinguuntur realiter ab aliquo-tis intra quas aliter, & aliter fit diviſio in proportionales; ſufficiat pro nunc hæc indicaſſe, quia partes aliquotas, & proportionales amplius infra declarabimus.

8. In hac controverſia, fuit celebris ſententia Zenonis aſſerentis quodvis continuum, ſive permanens, ſive ſucceſsivum componi ex ſolis indiviſsibilibus vnitis inter ſe, quam ſententiam tenuerunt alij antiquiores, & noviter eam iam communiter tenent Authores Societatis: licet aliqui Recentiores, ſententiam Ariſtotelis, quæ Zenonis ſententiæ ex diametro opſita eſt, conciliare tenent, diſtinguendo continuum, & phyſicum, & mathematicum: primum aſſerunt componi ex ſolis indiviſsibilibus realibus (vel quæ ſint res) vnitis medijs alijs indiviſivilibus, quæ ſint modi vnionis àliorum: continuum vero mathematicum aſſerunt componi ex partibus diviſibilibus mathematicè vſque in infinitum, & expunctis indiviſibilibus: & explicando diviſibilitatem mathematicam partium, aſſerunt talem diviſivilitatem non eſſe in partes, quæ ex parte obiecti actu ſint diſtinctæ, & poſsint realiter vna ab alia in infinitum dividi; ſed præciſſe per rationem, & conſiderationem noſtram: ita Izquierdo, quem ſequitur Peynado.

Sententia Ariſtotel eſt con-

continuum non coſtare ex ſolis indiviſibilibus, ſed præcipue ex partibus realiter in infinitam diviſivilibus, quem ſequuti ſunt fere omnes Peripatetici, Philoſophi, & Theologi, quos longum eſſet recenſere Div. Thom. & omnes eius diſcipuli. Cum quibus ſit.

§ II.

Vnica Concluſio.

9 C*Ontinuum non componitur ex ſolis indiviſibilibus, ſed ex partibus diviſibilibus realiter vſque in infinitum ſincathegorematice.* Prob. quod componitur ex ſolis indiviſibilibus non eſt extenſum; ſed continuum eſſentialiter eſt extenſum: ergo cõtinuum non componitur ex ſolis indiviſibilibus: cætera patent, & prob. mai. 1. Quod componitur ex his, quæ tam ſeorſim, quam vt vnita nullam habent extenſionem, non eſt eſten ſum; ſed indiviſibilia ſola, tam ſeorſim, quã vt vnita nullam habent extenſiionem: ergo quod componitur ex illis ſolis nõ eſt extenſum. Maior eſt evidens: quia extenſio continui, in ſuis partibus, vel ſeorſim, vel vnitis debet eſſe; cum ipſum totum non ſit aliud, quam partes vnitæ. Prob. min. quoad ſecundam partem (quia de prima, nempe quod indiviſibilia ſeorſim non habeant extenſionem, non eſt dubium) vnio indiviſibilium non præbet illis extenſionem, nec vt conditio, nec vt ratio formalis: ergo ſi indiviſibilia ſeorſim non ſunt extenſa, non erunt extenſa vt vnita. Prob. antecedens. vnio indiviſibilium, vel diſtinguitur ab ipſis, vel non: ſi hoc ſecundum; ſicut ab entitate illorum nulla illis præbetur extenſio, ita nec illorum vnio aliquam illis prævet extenſionem; ſi primũ; illa vnio neceſſario debet eſſe indiviſibilis (alias iam cõtinuum aliquo diviſibi componeretur) ergo illa vnio nec vt cõditio, nec vt ratio formalis, poteſt alijs indiviſibilibus præbere extenſionem.

10 Secundo prob. illa mai. quod componitur ex his, quæ ſi ei addantur non fit maius, non eſt extenſum; ſed huiuſmodi eſt compoſitum ex ſolis indiviſibilibus: ergo quod componitur ex his ſolis non eſt extenſũ. Maior perſpicua videtur, quia quod non poteſt præbere maiorem extenſionem toti alijs extenſo, nullam præbebit extenſionem toti ex illo compoſito. Prob. min. indiviſibile additum indiviſibili non facit maius quod probo ſic: indiviſibile additum continuo ſucceſsivo non facit illud magis extenſum ſucceſsive: ergo indiviſibile additum cuilibet continuo non facit maius: conſeq. patet, & antecedens probatur: *Tum* quia vnicum inſtans ſupperadditum tempori non extendit illud magis ſucceſsive, cum in inſtanti nulla ſit ſucceſsiva extenſio, cum

ſit totum ſimul, quod opponitur ſucceſsioni: tum quia quod non facit motum magis ſucceſsivè durare, non facit motum magis extenſum ſucceſsivè; ſed vnicum inſtans additum motui, non facit illum magis ſucceſsivè durare, ergo. Prob. min. in inſtanti non datur duratio ſucceſsiva motus: nec temporis: ergo inſtans additum motui, vel tempori, nec motum, nec tempus facit magis ſucceſsivè durare.

11 3. Continuum extenſum vt tale petit componi ex partibus, quæ ſint eiuſdem naturæ, & rationis ad invicem, & cum toto; ſed compoſitum ex ſolis indiviſibilibus non eſt huiuſmodi; ergo nec erit cõtinuum, nec extenſum. Min. eſt certa: quia licèt indiviſibilia ſint eiuſdem rationis inter ſe; non tamen cum toto; quia hoc eſt extẽſum, & diviſibile, quod quidem non habent indiviſibilia, ex quibus cõponitur. Maior vero probatur: partes in quas eſt diviſibile cõtinuum, facta diviſione, remanent tota quanta, & continua; vt ſi vlna dividatur in quatuor palmos, quilibet illorum eſt totum quantum continuum, & ſi palmus dividatur in duas medietates, quælibet illarum habet idem: ſed hoc verum non eſſet, ſi partes continui non eſſent eiuſdem naturæ, & rationis ad invicem, & cum toto: ergo.

12 Per quod præocupatur inſtantia fieri ſolita de partibus eſſentialibus, materia, ſcilicet, & forma, quæ non ſunt eiuſdẽ rationis cum toto; vnde nec materia, nec forma hominis ſunt homo, & materia, & forma lapidis non ſunt graves, & tamen lapis eſt gravis. Præocopatur in qnam, hæc inſtantia: quia in hoc differt totum eſſentiale ſubſtantiale à toto quantitativo, aut integrali homogeneo, quod hoc cõſtat partibus eiuſdem rationis cum ipſo: non vero illud, & cõſtat ex immediate dictis à poſteriori; nam ſi totum quantitativum dividatur in partes, quælibet illarum eſt totum, quod non contingit in toto eſſentiali, & ſubſtantiali.

13 Per quod etiam præocupatur inſtantia numeri, qui componitur ex vnitatibus, quæ non ſunt numerus, & totum ex illis reſultans numerus eſt: præocupatur inquam, quia dempta à numero, vel illi ſuperaddita aliqua, vel aliquibus vnitatibus, numerus eſſentialiter, & ſpecificè variatur intra lineam quantitatis diſcretæ: dempta vero ab aliquo continuo, vel ſuperaddita aliqua, vel aliquibus partibus, continuum eſſentialiter non variatur intra lineam quantitatis continuæ, cum ſit ſola variatio penes magnum, & parvum, quod eſt accidentale (quia in Logica ſpecies quantitatis continuæ aſsignavimus, inter quas, magnum, & parvum non numeravimus) ſed

hæc

hæc differentia inter quantitatem diſcretam, & continuam, quoad variationem ſpeciei in vna, & non in alia, per ſubſtractionem, vel additionem partium: non ex alio provenit, niſi quia partes vnius, nempè continuæ, ſunt eiuſdem naturæ, & rationis cum toto, & ſic totum manet eiuſdem naturæ dempta, vel addita aliqua parte, quod in numero non contingit: ergo continuum vt tale petit cōponi ex partibus continuis, & extenſis.

14 Confirm. licèt partibus ſeorſim non conveniat id, quod convenit toti; tamen repugnat totum conſtans ex partibus, quarum eſſentia pugnat cū eſſentia totius; & illam eſſentialiter excludit; ſed hoc ſecundo modo comparantur indiviſibilia ad continuum: ergo. Maior conſtat, nam licèt materiæ, & formæ non conveniat ratio hominis, nec digito eſſe manum, & idem de alijs; tamen nec materia, nec forma hominis quoad ſuas eſſentias pugnant cum eſſentia hominis, nec illam excludūt, nec digitus quoad ſuam eſſentiam pugnat, nec excludit eſſentiam manus, imò potius eſſentia partium conſiſtit in ordinari ad totum, vt ex illarum eſſentijs partialibus adæquetur, aut integretur eſſentia totius. Minor vero prob. indiviſibilitas, & inextenſio dicit immediatam repugnantiam, & excluſionem diviſibilitatis; & extenſionis; ſed puncta eſſentialiter conſtituuntur per indiviſibilitatem, & inextenſionem; continuum vero dicit eſſentialiter extenſionem, & diviſibilitatem: ergo continuum conſtans ex ſolis punctis eſſet totum conſtans ex partibus, quarum eſſentia immediate pugnat, & excludit eſſentiam totius.

15 Denique prob. illa mai. Quod conſtat ex partibus quarum vna non eſt extra aliam nō eſt extenſum; ſed quod componitur ex ſolis indiviſibilibus eſt huiuſmodi: ergo non eſt extenſum. Maior conſtat; nā non in alio conſiſtit extenſio quantitativa. Prob. min. Quæ ſe tangunt ſecundum ſe tota ad invicem non ſunt extra; ſed in compoſito ex ſolis indiviſibiliqus, hæc ſe tangerent ſecundum ſe tota: ergo in compoſito ex ſolis indiviſibilibus vna pars nō eſſet extra aliam. Min. eſt certa; nam indiviſibilia, vel non ſe tangunt, vel ſe tangunt ſecudū ſe tota, quia tactus illorum, ſicut ipſa, conſiſtit in indiviſibili. Mai. prob. Quæ ad invicem ſunt extra, vel non ſe tangunt, vel ſe tāgunt nō ſecundum totum, quod habent, ſed ſolum ſecundum aliquid ſui: ergo quæ ſe tangunt ſecundum ſe tota, ad invicem non ſunt extra, ac ſubinde nullam faciunt extenſionem.

16 Dices, quod quamvis indiviſibilia ſe tangāt ſecundum

ſe tota quatenus nihil mediat inter ipſa; & ipſorum, vtpote indiviſivilium, aut totum, aut nihil tangitur, tamen vnum eſt extra aliud: *Tum* quia indiviſibilia terminativa, iuxta noſtram ſententiam, ſunt ratio, vt vnum corpus ſit extra aliud, & in eodem corpore, vt vna pars ſit extra aliam: ergo erunt ratio, vt ipſa inter ſe ad invicem ſint extra: *Tum* quia pars quælibet tangit totum indiviſibile terminativum ipſius, alias, vel nihil illius tangeret: & tamen tale indiviſibile intra partem non eſt, ſed extra illam; *Tum* denique, quia indiviſibilia duarum linearum ſe tangentium præciſſe ſecumdum illa, ſe tangunt ſecundum ſe tota, & tamen indiviſibile vnius lineæ terminativum eſt extra indiviſibile terminativum alterius: ergo.

17 Sed prædictæ inſtantiæ vim probationis non infringunt: Vnde ad 1. reſpond. quod indiviſibilia faciunt, vt vnum corpus ſit extra aliud, & vna pars extra aliam, quatenus ſunt extremitates ratione quarum præciſſe ſe tangunt; & impediunt ne ſe tangant ſecundum ſe tota: at vero ipſamet indiviſibilia reſpectu ſui non ſunt extremitates, ſed totum quod in illis eſt; vnde ſi ſe tangunt, ſecundum ſe tota ſe tangunt; & ſicut nihil eorum manet intactum, nihil eorum manet extra.

Ad 2. Dicimus, quod pars tangit totum indiviſibile, tactu totali non mutuo; quia ipſum indiviſibile non tangit partem totaliter, & ex hac parte, pars eſt extra ſuum indiviſibile, & ex conſequenti ipſum indiviſibile extra ipſam partem; non quod indiviſibile faciat extenſionem diſtinctam ab extenſione partis, vel ocupet locum diſtinctum ab illa; ſed quatenus non ſe adæquat cum illa, ſicut cum alio indiviſibili, & ſic conducit ad extenſionem partis per modum termini, quod munus non habet reſpectu ſui, & alterius indiviſibilis.

Ad vltimam dicimus, quod punctum terminativum vnius lineæ tangens punctum terminativum alterius, eſt extra illud, vt *quo* non vt *quod*; ideſt eſt ratio, vt linea quam terminat, ſit extra aliam lineam, impediens ne lineæ ſe tangant ſecundum ſe totas; non tamen eſt ratio, vt ipſummet ſubiectivè, & vt *quod* ſit extra aliud punctum quod tangit, cum mutuo adæquatè ſe tangant, & ſic vtrumque coniunctum, nec diſtinctum locum occupat, nec ex illis aliqua conſurgit extēſio in ſe ipſis.

18 Aliæ quam plurimæ rationes, & quidē efficaciſsimæ poſſunt adduci ad firmandam noſtram concluſionem, quas ob vitandam prolixitatem noſtri operis omittimus; efficacior nobis viſa eſt, quam ponderavimus, quia præcipuè nititur, & fun-

fundatur in eſſentia quantitatis continuæ, quæ ſalvari nequit ſine partibus extenſis, & diviſibilibus vſque in infinitum.

§. III.

Solvuntur Argumenta.

19 OBijcies 1. Continuum nequit componi ex partibus ſemper diviſibilibus in alias partes: ergo ſolum componitur ex partibus, quarum diviſibilitas poſsit exhauriri; ſed diviſibilitas partium exhauritur per earum indiviſibilitatem: ergo continuum ſolum componitur ex indiviſibilibus. Cætera patent, & primum anteced. probatur: Compoſitũ ex partibus ſemper diviſibilibus in alias, componitur ex infinitis partibus: quia ſi diviſibilitas partiũ nõ habet terminum, nec ipſæ partes, quia nõ eſt diviſibilitas ſine diviſibili, nec diviſibile ſine partibus; ſed continuum vt pote finitæ extenſionis ex infinitis partibus nequit componi: ergo.

20 Si dicas, quod continuum finitæ extenſionis nequit conſtare ex infinitis partibus aliquotis, æqualibus, certæ, & determinatæ extenſionis: bene tamen ex infinitis partibus proportionalibus, inæqualibus, & inter ſe communicantibus; ex quarum infinitate non infertur infinita extenſio in continuo.

21 Contra 1. non ſtat pars aliqua ſivè aliquota, ſivè proportionalis alicuius continui, ſine aliqua extenſione: ergo non ſtat continuum conſtare infinitis partibus ſivè aliquotis, ſivè proportionalibus, ſine infinita extenſione.

22 2. Partes ex quibus continuum componitur ſunt actu in ipſo: ergo ſi componitur ex infinitis partibus proportionalibus, infinitæ partes proportionales ſunt actu in ipſo: ergo datur infinitum in actu partium continui, quod cum finita extenſione continui repugnat.

Confirm. poſsitis infinitis partibus in cõtinuo ſucceſivo limitatæ extenſionis, vnius horæ, v.g. etiam indiviſibilia illius eſsẽt infinita: ergo ſi Deus in quolibet indiviſibili crearet Angelum, vt poteſt, in fine horæ daretur infinitum in actu Angelorum, quod repugnat, vt vidimus lib. 3.

23 Tertio ſequeretur, quod mobile motu ſucceſsivo in aliquo ſpatio moveretur, ſine eo quod inciperet motus: quod implicat: ſequæla prob. illud mobile ſuo motu continuo attingit partes ſpatij: ergo ſi tales partes ſunt infinitæ, ſignata qualibet parte prius aliam attingit, & prius aliã, & ſic in infinitũ: ergo numquam incipit motus, quia non eſt deſignabile vnde incipit; ſimiliter *ſequeretur*, ſpatium finitum non poſſe pertranſiri per motum cõtinuum finito tempore; quia in illo eſſent infinitæ partes; & qualibet

libet tranſacta, reſtarent aliæ tranſeundæ vſque in infinitum.

24 Hoc argumentum (quod ſine dubio tangit difficultatem inſuperabilem compoſitionis continui) petit vt explicemus qualiter partes continui ſunt infinitæ, & ſuppoſita diviſione partium illius in *aliquotas*, & *proportionales*. Adverte 1. Quod vlna, quę finitam extenſionem, & magnitudinem habet, dupliciter poteſt dividi: primo in partes, quæ ſervent eandem quantitatem, ſed non eandem proportionem cum toto: vt ſi ab vlna per diviſionē dematur palmus, & per aliā diviſionem dematur alius palmus: in his diviſionibus partes ſervant eandem quantitatem; quia palmus primus æqualis eſt ſecundo, ſed non ſervant eandem proportionem cum toto, quia minorem proportionem habet palmus cū vlna, à qua ſolum demitur vnus palmus, quā cum illa, à qua ſunt dempti duo palmi.

25 Secundo poteſt dividi vlna in partes, quæ ſervent eandem proportionem cum toto in illas diviſo, ſed non ſervent eandem quantitatem, vt ſi vlna dividatur in duas medietates, & rurſus quælibet medietas in alias duas medietates, quæ ſunt duo palmi, & rurſus palmus in duas ſui medietates, & ſic deinceps: in his diviſionibus, partes ſervant eandem proportionem cū toto in illas diviſio; quia ita proportionantur duæ medietates vlnæ cum vlna in illas diviſa, ſicut duæ medietates dimidiæ vlnæ cum dimidia vlna, & duæ medietates palmi cum palmo, & ſic deinceps; at vero prædictæ partes non ſervant eandem quātitatem, quia illarum quantitas minuitur per receptionem diviſionis.

26 Ex his duobus modis dividendi vlnam, quorum primus eſt in partes aliquotas, & ſecundus in partes proportionales: colliges 1. quod in primo modo dividendi, ſicut diviſiones quater repetitæ in vlna, finiuntur; ita, & partes in quas hoc modo dividitur vlna, ſunt finitæ, nempè quatuor partes æquales, quæ ſervant eandem quantitatem vnius palmi; at vero in ſecundo modo dividendi, ſicut repetitio diviſionum non habet finem, ita partes, in quas hoc ſecundo modo dividitur vlna, nō habent finem.

27 Colliges 2. Quod ſicut diviſum nempè vlna eſt idem in vtroque modo dividendi; ita & partes, in quas fit vtroque modo diviſio, ſunt ęedem; ideſt illę partes, quæ ſecundum primum modum dividendi ſunt aliqotæ, & ęquales; iuxta ſecundum modum dividendi ſunt proportionales, & inæquales, & conſequēter nec proportionales habēt diſtinctam extenſionem ab aliquotis, nec proportionales habent diſtinctam extenſionem ab vlna, quæ illo duplici modo in illas eſt diviſibilis,

Ex

Ex quo colliges deníque, quod quamvis vlna habeat infinitas partes proportionales, cum iſtæ non habeant diſtinctam extenſionem ab extenſione ipſius vlnæ, & illius partium aliquotarum, quæ finita eſt; fit vt infinitas partium proportionaliū nullo modo inferat infinitam extēſionem penes magnitudinem; ſed ad ſumum penes diminutionem: ideſt extenſio vlnæ poteſt minui vſque in infinitum, ſaltim mathematicè, in quo ſolo ſenſu admittimus aliquaìem infinitatē in extēſione vlnæ, nempè penes diminutionem.

28 Adverte 2. Quod circa infinitatem partium proportionalium, diſſident Authores noſtræ ſententiæ: aliqui dicunt in vlna eſſe actu infinitas partes; alij vero eſſe ſolum infinitas in potentia: & diſſidium ceſſabit, ſi certa ab incertis ſeparemus: certum eſt primo in continuo eſſe actu, & formaliter partes aliquotas, & proportionales, cum in vtraſque ſit realiter diviſibile, & nihil eſt diviſibile realiter in partes quas non habet.

26 Certum eſt 2. Quod partes cōtinui antequā actu dividantur, & ſeparentur ſunt in actu actualitate exiſtentiæ totius; quia omnes exiſtunt vnica exiſtentia totius, cum non admittamus exiſtentias partiales: vnde ſicut ſunt in potentia ad diviſionem; ita ſunt in potentia ad exiſtentiam, quæ cuilibet illarum ſuppoſita diviſione adveniet: vnde partes ante diviſionem vlnæ ſunt in vlna actu, & formaliter per vnam totius vlnæ exiſtentiam exiſtentes; & ſunt etiam in potentia quoad diviſionem, & ſeparatam exiſtentiam cuiuslibet, & hoc ſolum intendit Div. Thom. quando ſæpiſsimè aſſerit, quod partes continui ſunt in ipſo in potentia, vel potentialiter, hoc eſt quoad numerum, qui cōſequitur earum actualem diviſionem, vt videri poteſt in locis in quibus continuo tribuit partes ſolum in potentia.

30 Certum eſt 3. Quod in hoc ſenſu partes continui aliquotæ ſunt finitæ; & proportionales infinitæ: primum patet exemplo vlnæ, quæ diviſione quater repetita in palmos, finitur eius diviſibilitas in palmos; & partes in quas ſit diviſio etiam ſunt finitæ: ſecundum etiam patet ex ratione noſtræ concluſionis, quia quantumvis reperatur diviſio in partes proportionales, nūquam devenire eſt ad partes vlterius non diviſibiles, alias ex illis componeretur continuum, ac ſubinde componeretur ex ſolis indiviſibilibus.

33 Hæc cum debeant eſſe certa inter Authores noſtræ ſententiç, diſsidiū, an in vlna dētur actu infinitç partes proportionales? An ſolum dentur infinitç in potentia? Ceſſat, ſi ſupponamus 1. Quod infinitum in actu ſe

cundum quantitatem ſolum poteſt eſſe,vel ſecundum magnitudinem, extenſionem: vel ſecundum numerum, & multitudinem: primum petit quantitatem,cuius extenſio careat omni termino quãtitatis,quod non cõvenit quantitati vnius vlnæ: ſecundum petit, quod actu detur diviſio quantitatis in indifinitas partes, quia numerus reſultat ex diviſione continui, quæ diviſio in vlna nec datur actu, nec poteſt dari actu ſimul, & collective: & ſic infinitas partium proportionalium vnius vlnę non eſt infinitas in actu, nec ſecundum extenſionem, nec ſecundum multitudinem.

32 Supponamus 2. Quod in his propoſitionibus: *Vlna habet actu infinitas partes: vlna habet infinitas partes in potentia*.ly *actu*,&ly *impotentia* poſſunt determinare, vel particulam *habet*,vel particulam *infinitas*, vel particulam *partes*. Si ly *actu* determinãt ly *habet*, prima propoſitio facit hunc ſenſum: in vlna actu,& formaliter, ſun, infinitæ partes proporcionales exiſtentes eadem exiſtentia qua tota vlna eſt in actu, quia ſi totũ eſt in actu, in actu habet id quo eſt totũ, nẽpe partes; & hoc eſt verum: Si ly *actu* determinat ly *infinitas* eſt ſenſus: vlna habet infinitatem in actu ſuarum partium: & hoc eſt falſum; quia nec ſecundum magnitudinem, quia clauditur terminis,nec ſecundũ numerum, quia actu non ſunt in infinitum divìſsæ: Si ly *actu* determinat ly *partes*, eſt ſenſus vlna habet infinitas partes actu exiſtẽtes ſeparata exiſtentia,vel exiſtentia cuilibet coreſpondẽte,& hoc etiã eſt falſum: quia ad hoc pręſuponi debet actualis diviſio, & ſeparatio illarum, quæ nec datur, nec dabilis eſt omnium ſimul,&collective; alias manerent vlterius indiviſibiles,& conſtituerent infinitum in actu ſecundum multitudinem, quod totum eſt chymæra.

Similiter in ſecunda propoſione, ſi ly *potentia* determinat ly *habet* eſt ſenſus: quod vlna non habet; ſed poteſt habere partes; quod eſt falſum: ſi determinat ly *infinitas* eſt ſenſus; quod partes vlnæ ſunt infinite inpotentia quoad numerum ipſarũ: quod eſt verum,quia ſicut ſolum ſunt inpotentia ad ſui actualem diviſionem, & ſeparationem,ita ſolum ſunt inpotentia ad numerum infinitum, quia reſultat ex diviſione: ſi denique determinet ly *partes* eſt ſenſus: quod vlna habet infinitas partes in potentia ad ſui ſeparatam exiſtentiã ſupponentem earum diviſionem, quod etiam eſt verum.

33 Hæc licet ad longũm dicta, ſcitu digna reputavimus; quia non aliter paratur via; ad ſolvendum tot argumenta in plexa, & pene inextricabilia, quæ ex notitia ſenſus in quo illæ duæ propoſitiones poſſunt eſſe veræ, vel falſę, & ex indifferentia

inter

inter partes aliquotas, & proportionales, facilius diluuntur.

34 Sed inſtans adverſus infinitatem partiũ proportionalium, vt à nobis explicatur. 1. ſi vlna actu haberet infinitas partes proportionales in potentia; ly *actu* determinãte ſolum ly *habet*, & ly *in potentia* determinãte ſolũ ly *infinitas*, & ly *partes*, vt concedimus: ſequeretur etiam quod vlna actu haberet infinitas partes aliquotas, hoc eſt falſum: alias vlna haberet infinitam extenſionem actualem: ergo: ſequela prob. ideo primum eſt verum; quia quantumvis vlna dividatur in partes proportionales ſemper manẽt in infinitũ diviſibiles; ſed etiam quantumvis dividatur, ſẽper manet diviſivilis in partes aliquotas: ergo prob. min. nam eo ipſo quod dividatur continuum, partes in quas dividitur, ſunt non communicantes, & illarum quælibet extra omnes alias: ergo ſunt determinatę, ac ſubinde dãtur infinitæ, partes aliquotæ in continuo.

Conf. data minima parte, quam eſſe minimam Deus cognoſcit, illa eſt quanta: ergo diviſibilis in duas medietates non ſe invicem includentes: ergo eſt diviſibilis in partes aliquotas; & conſequenter, vel non conſtat continuum infinitis partibus proportionalibus, vel conſtat infinitis aliquotis.

35 Inſtàs 2. Sequeretur etiam granum tritici tot habere partes quot Cœlum Empyreum: quod ex terminus abſurdum apparet: prob. ſequela, quia non poſſunt dari nec imaginanti plures partes, quam infiniti: ergo ſi granum tritici illas haberet, tot haberet, quot Empyreum, cum in vtroque ſint infinitæ.

36 Denique; hoc ipſo, quod in vlna dentur in infinitæ partes relate ad diviſiones phyſicas poſibiles in infinitum, non ſolum in potentia, ſed actu habet infinitas partes phyſicas actu phyſicè inter ſe diſtinctas, licet non ſint actu inter ſe diviſæ: ergo datur infinitum in actu partium vlnæ, quarum vna actu non eſt alia.

37 Ad 1. neg. ſequela, ad cuius prob. nego min. Ad huius probationem, diſtinguunt. Partes in quas dividitur ſunt non communicantes, nec aliæ in ipſis communicant, nego antec. Sunt non communicantes cum parte continua; à qua fuit actu diviſa, concedo ant. & diſting. cõſeq. Sunt aliquotæ, ſi facta diviſione in illas ſervant eãdem quantitatem, conc. conſeq: Si ſolum ſervant eandem proportionen, & minuantur in quantitate, neg. conſeq: Eadem pars vt diviſa ab alia poteſt eſſe aliquota, totum diviſum in illam, dividatur etiam in aliam, & aliam eiuſdem quantitatis cum ipſa; & in his diviſionibus non eſt procedere in infinitum: erit autem eadem pars proportionalis, quatenus totum

eſt diviſum in illam ſervando eandem proportionem, quam ſervabunt partes in quas ipſamet in infinitum eſt diviſibilis, & in hoc ſecundo ſenſu ſolum ſunt infinitæ partes in vlna, quæ infinitas eſt ſolum partium proportionalium.

Ad confirm. dicimus, quod ſi per ly *minima* intelligatur vltima pars continui, talis pars non datur & ſic Deus illam non cognoſcit: ſi per ly *minima* intelligatur, quæ inter deſignabiles minima apparet apud nos Deus illam cognoſcit, vt diviſibilem in alias minores, & minores vſque in infinitum, quæ diviſio non eſt in aliquotas; ſed proportionales.

38 Ad 2. negatur ſequela, ad prob. vel dicatur, quod licet vnum infinitum non ſit maius alio formaliter, bene tamen materialiter: vel quod non opponitur rationi infiniti, quod ab alio ſub aliqua ratione excedatur; ſicut infinitum capillorum excederet infinitum hominum.

39 Ad vltimam dicimus, quod vlna habet infinitas partes actu phyſicè inter ſe diſtinctas diſtinctione oppoſita identitati phyſicæ illarum: non vero diſtinctione oppoſita earū indiviſioni; & hæc ſecunda requirebatur ad infinitatem in actu ſecundum multitudinem talium partium.

40 Nec dicas, quod ſi partes illæ infinitæ inter ſe non identificantur, erunt infinitæ entitatis realiter inter ſe diſtinctæ, licet non diviſe: ergo licet non reſultet ex illis infinitum in actu ſecundum numerum prædicamentalem exigētem diviſionem, quæ in illis partibus non detur: ad minus dabitur infinitum in actu ſecundum multitudinem tranſcendentalem, quæ ſolum exigit realem diſtinctionem infinitarū entitatum.

41 Negatur conſeq. Nam multitudo tranſcendentalis petit multitudinem entium ſaltim entitative diviſorum, quę diviſio fit per diſtinctam cuiuſlibet exiſtentiam; vnde licet infinitæ partes vlnæ non ſint inter ſe identificatæ, non conſtituant infinita entia proprie loquendo: quia proprie eſt, quod, exiſtit, & plura entia propriè ſunt habentia plures exiſtentias: cum autem partes lineæ, licet inter ſe non ſint identificatæ; omnes vnica totius exiſtant exiſtentia; fit vt ex illis non conſurgit pluralitas entium actualium, ac ſubinde nec infinita multitudo actu, adhuc tranſcendentalis; quia ſicut prædicamentalis fundatur in actuali diviſione, tranſcendentalis fundatur in diverſitate exiſtentiarum.

42 Ex quibus omnibus nō erit difficile ſoluere argumētum principale: ad quod bene ibi dictum eſt: ad primum, quod op-

ponitur in contra: dicimus, quod licet nulla detur pars continui, ſine aliqua extenſione; tamen ex infinitate partium proportionalium illius, non infertur infinita extenſio penes magnitudinem, ſed quaſi per diminutionem: hoc eſt finita magnitudo poteſt in infinitum minui.

Ad 2. conſtat ex dictis, qualiter in continuo ſint actu partes, & qualiter ſint infinitæ: ſine eo quod inferatur in illo dari infinitum in actu: Ad confirmat. reſp. quod inſtantia vnius horæ, in quibus Deus poteſt producere ſingulos Angelos; ſunt inſtantia, quæ in fine horæ debent eſſe actu deſignata, & numerata à Deo, cũ hoc ipſo, quod in quolibet creet Angelum, in quolibet poteſt dicere *nunc eſt Angelus*, quod quidem in fine horæ non dicet; & ſic numeratio inſtantium, & deſignatio illorum finietur: inſtantia autem actu deſignata, & numerata in eadem hora finita ſunt actu: cum quo componitur, quod omne inſtans actu deſignatum in hora ſit initiativum, vel continuativum partis, quæ ſicut in infinitum eſt diviſibilis, ita conſtat infinitis partibus initiatis, aut continuatis infinitis inſtantibus, in quorum quolibet diviſim poteſt Angelũ producere; non vero in omnibus ſcollective, propter repugnantiam facti, & repugnantiam deſignationis omnis collectionis infinitorum inſtantium.

43 Ad 3. dicimus, quod licet in ſpatio nulla ſignetur pars tranſacta à mobili, quin prius, aliam priorem tranſierit, tamen ſicut in ipſis partibus datur illarum initium conſiſtens in aliquo indiviſibili, quod quidem deſignatur; ita datur, vnde incipiat motus in ſpatio, nempe in aliquo indiviſibili: ſimiliter quamvis in prædicto ſpatio ſint infinitæ partes; ſicut hæc infinitas non facit infinitam extenſionem in ſpatio, vt dictum eſt, ita nec mobile petit infinitum tempus conſumere in tranſitu ſucceſsivo, & continuo omnium illarum, imo tempus, motus, & ſpatium proportionantur quoad infinitatem ſuarum partiũ, compoſitam cum illorum finita extenſione tam ſucceſsiva, quam permanente.

44 Obijcies 2. Corpus perfecte ſphæricum tangit perfecte planum ſolum in puncto: ergo ſi continuè moveatur ſuper planum, vt poteſt, movebitur ſuper continuum præciſſe conſtans ex punctis indiviſibilibus.

45 Reſpond. 1. conceſſo anteced. neg. conſeq. Ille motus eſſet continuus, & globus tangeret lineam continuam plani compoſitam non ſolum ex punctis, ſed ex partibus ſemper diviſibilibus, ad quod ſufficit, quod tangat partes illius lineæ ratione punctorum, quæ formaliter ſolum tanguntur à globo;

bo: vnde ſicut tactus, corporum ratione indibiſibilium tãtum ſufficit, vt abſolute dicatur tangi corpora; ita tactus globi in ſolis punctis lineæ, ſufficit, vt abſolute dicatur globum partes lineæ continuæ tangere, & per illam continue moveri.

46 Secundo, & melius reſp. quod licet globus non tangat planum continue, ſed diſcrete, tamen motus globi ſuper planum (quamvis manũ trahatur) eſt continuus, quia ſpacium per quod movetur globus, adhuc pro parte inferiori, non eſt ſolum ipſum planum, quod ſolum tangit in punctis; ſed etiam eſt aer circundans globum, à parte ſuperiori, & inferiori; cum autem aer circunſcribens globum, ab iſto non tangatur ſolum in punctis, ſed etiam in partibus; fit vt talis motus ſit continuus, & per ſpacium continuum conſtans non ſolum ex punctis, ſed etiam ex partibus ſemper diviſibilibus.

47 Alia quam plurima argumenta ſolent opponi contra noſtram concluſionem, quæ partim ſunt ſoluta, inter probandam concluſionem, partim ſunt propoſita, & ſoluta inter ſoluendum primum argumentum, reliqua vero, vel parum habent difficultatis, vel ex ſuprà dictis facile poſſunt ſolvi.

ARTIC. II.

De modo inceptionis, & deſitionis rerum.

48 Solent communiter Philoſophi diſtinguere duos terminos inceptionis rerum, alioſque duos deſitionis illarum, & cum inceptio ſignificet initium durationis, & deſitio finem illius; ideo termini inceptionis, & deſitionis nihil aliud ſunt, quam inſtantia; ſicut termini lineæ, ſunt puncta; vnde deſignando inſtantia, quibus res initiantur, & finiuntur, deſignantur termini inceptionis, & deſitionis.

49 Termini inceptionis ſunt duo, nempe *primum eſſe, & vltimum non eſſe*, primus terminus, dicitur intrinſecus inceptionis, & eſt inſtans in quo res habet exiſtentiam, & immediate ante non habebat, vel in quo eſt verum dicere. *Nunc eſt, & immediate antea non erat*, Secundus terminus dicitur extrinſecus inceptionis, & eſt inſtans in quo res nondum habet eſſe, ſed immediate poſt habebat vel in quo eſt verum dicere: *Nunc non eſt, & immediate poſt erit*,

Termini deſitionis etiam ſunt duo nempe *vltimum eſſe, & primum non eſſe*: quorum primus dicitur intrinſecus deſitionis, & eſt inſtans in quo res habet exiſtentiam, & immediate poſt non habebit; vel in quo eſt verum dicere, *nunc eſt, & immediate poſt non*

non erit. Secundus terminus dicitur extrinſecus deſitionis, & eſt inſtans in quo res non habet eſſe, & immediatè ante habebat: vel in quo eſt verum dicere: *Nunc non eſt, & immediate antea erat*, in quo termino non deſignatur, vbi res vltimo fuit, ſed vbi primo non eſt, quod rei extrinſecum eſt: hoc ſuppoſito, videre reſtat, qualiter res omnes creatæ incipiant, & deſinant.

§. I.

De rebus ſucceſsiuis.

51 *Prima Concluſio*: Motus, & tempus incipiunt, & deſinunt extrinſece, hoc eſt incipiunt *per vltimum non eſſe*, & deſinunt per *primum non eſſe*. Concluſio eſt communis, & probat. motus, & tempus, poſſunt incipere, & deſinere; ſed non intrinſecè: ergo extrinſecè; conſeq. conſtat, quia non datur medium; & prob. min. nec de motu, nec de temporè poteſt vnquam verificari *Nunc eſt motus, nunc eſt tempus:* Sed hoc requiritur ad terminos intrinſecos inceptionis, & deſitionis, vt videri poteſt; ergo. Prob. mai. Tum quia eſſe motus, & temporis eſſentialiter eſt eſſe ſucceſsiuum, quod in inſtanti non poteſt ſalvari: Tum quia vbicumque verificatur, quod motus eſt, verificari poteſt, quod velocior, & tardior poteſt eſſe, quod quidem repugnat in inſtanti.

52 Nec obſtat, quod D. Thom. q.3. de Pot. art.17. ad 25. art: *Quod tempus incipit in instanti*: Non inquam obſtat; quia loquitur ſolum de inſtanti extrinſeco: vt explicat 1. p. quæſt.46. art.3. ad 3.

53 *Secunda Concluſio* Indiviſsibilia ſucceſsivorum incipiunt, & deſinunt intrinſecè. Concluſio eſt certa: quia tantum durant per inſtans indiviſibile: quarè idem inſtās facta comparatione ad tempus immediatè præcedens, in quo non fuit indiviſibile, eſt inſtans intrinſecum inceptionis prædicti indiuiſibilis; quia *tunc eſt, & immediate ante non erat*: At vero facta comparatione ad tempus immediate futurum in quo non erit indiviſibile, eſt inſtans intrinſecum deſitionis illius; quia *tunc eſt, & immediate poſt non erit.*

54 *Tertia Concluſio*: Omnes res, quæ incipiunt, & deſinunt ſimul cum motu, & per modum motus, incipiunt, & deſinunt extrinſecè. Ratio eſt, quia quæ incipiunt, & deſinunt ſimul cum motu, & ad modum illius, incipiunt, & deſinunt ſucceſsivè: quæ ſucceſsio in inſtanti nequit intrinſece eſſe: huiuſmodi ſunt res, quæ incipiunt, & deſinunt per alterationem, vel alium motum ſtrictè talem: pro quo nota, quod gradus caloris, v. g. calor vt *duo*: poteſt conſiderari, & prout in fieri, & prout in facto eſſe: hoc ſecundo modo, calor pro vt

eſt ſub grado determinato, conſiſtit in indiviſibili; & ſic incipit, & deſinit intrinſecè; in hoc igitur ſenſu non procedit concluſio ſed in primo, prout, ſcilicet, accipitur calor prout in fieri, qua ratione acquiritur per motum, & per modum motus.

§. II.

De rebus permanentibus.

55 P*Rima Concluſio.* Res permanentes, quæ in ſui inceptione motui nō ſubduntur connaturaliter, incipiunt intrinſecè: & ſi deſinerent modo connaturali, deſinerent etiam intrinſecè, Concluſio explicatur ſimul, & probatur: motui non ſubduntur in ſui inceptione, Angeli, & anima noſtra, & aliæ ſubſtantiæ, quæ petunt creari: & de his clarè conſtat concluſio, quoad primam partem, quia prædictæ ſubſtantiæ ſunt indiviſibiles, habentes totum ſuum eſſe ſimul: ergo illis convenit inceptio, quam ſupra tribuimus indiviſibilibus. Secunda pars proponitur conditionate, quia Angeli, & anima noſtra natura ſua deſinere non poſſunt: at vero ſi deſinerent; modus illis connaturalis, eſſet deſinere per vltimum ſui eſſe, ſicut diximus de indiviſibilibus.

56 *Secunda Concluſio*: Subſtantiæ factæ, vel quæ fiunt per generationem, incipiunt, intrinſecè: probatur, tum quia habent totum ſuum eſſe ſimul; & conſiſtunt in indiviſibili: Tum quia non habent contrarium: tum quia licet ad generationem requiratur motus alterationis, non requiritur ad illam formaliter, ſed ſolum antecedenter, quia generatio eſt terminus alterationis, & hac conſumata, generatio perficitur in inſtanti, ergo in illo eodem inſtanti incipit intrinſecè ſubſtantia genita.

57 *Vltima Concluſio*: ſubſtantia, quæ deſinit ad generationem alterius, deſinit extrinſecè: prob. alioquin ſequeretur, vel quod in tempore continuo darentur duo inſtantia immediata, vel duæ formæ ſubſtantiales eſſent ſimul in eadem materia; vel in aliquo inſtanti reali eſſent materia naturaliter nuda ab omni forma: ſed omnia hęc in noſtris principijs ſunt chymæra: ergo. Prob. ſequela: nam vel forma, quæ deſineret intrinſecè, deſineret in inſtanti immediato ad inſtans, in quo alia intrinſecè incipit; & ſic erunt duo inſtantia immediata; vel difineret intrinſecè in indiviſibili inſtanti, in quo alia intrinſecè incipit; & ſic in prædicto inſtanti eſſet verum dicere, nunc ſunt ſimul forma corrupta, & genita in eadem materia; vel deſineret intrinſecè in inſtanti, inter quod; & inſtans, in quo forma alia incipit intrinſecè, mediaret aliquod, tempus; & ſic in prædicto intervalo eſſet materia nuda ab omni forma:

ergo neceſſario talis forma debet deſinere intrinſecè; ita vt inſtans intrinſecę inceptionis formæ quę generatur, ſit terminus extrinſecus deſitionis formæ, quæ corrumpitur.

58 Sed obijcies: forma ſubſtantialis, eſt indiviſibilis, & tota ſimul: ergo debet deſinere intrinſecè. Prob. conſeq. Tum quia propter hanc rationem incipit intrinſecè: Tum quia nequit deſinere in tempore, quod ſucceſſivum eſt, & non totũ ſimul; id quod permanẽs eſt, & totũ ſimul.

Si dicatur hunc modum deſinendi, non convenire ſubſtantiæ per ſe, ſed per accidens tantum, obvitanda, ſcilicet, inconvenientia inſinuata in ratione. Contra eſt; quia motus nec per accidens, poteſt deſinere intrinſecè; nec aliquod indiviſibile, poteſt deſinere extrinſecè; ergo pariter de forma ſubſtantiali, dicendum eſt.

Reſpond. quod indiviſibilitas, & carentia ſucceſſionis in motu deſtruit illius eſſentiam: & ſimiliter, inſtans eſt omnibus modis indiviſibile: ſubſtantia vero diviſibilis ſaltim ratione quantitatis, quia forma ſubſtantialis informat partes extenſas, & ſic poteſt correſpondere tempori adæquatè, vel inadæquatè deſinendo.

Hic (& ſatis congrue) poterat diſputari de terminis magnitudinis, & parvitatis, de quibus alij hic, alij lib. 1. phyſicor. diſputare ſolent. Nos vero attendentes ad vitendam prolixitatem huius tomi, qui in ſuperioribus valdè crevit, ne difficultates graviores obiter ſolùm tractarentur, ſed pro dignitate, quod quidem pro noſtro captu curavimus: ideo hanc difficultatem *de magno*, & *parvo* in præſenti omitimus, & quia non magni ponderis, & quia Deo dante, de his aliquid diſputabimus in lib. de Generatione.

LIBER VII. PHYSICORVM

De ſubordinatione motus ad primum motorem.

DE motu, proprietatibus eius, & partibus quibus conſtat, determinavit Phyloſophus libris præcedentibus: accedit iam in hoc libro ad determinandum de motu, per comparationem ad motores, & mobilia; & inter alia

oſtendit, quod in moventibus non debet dari proceſſus in infinitum; & ſic deveniendum eſſe ad primum motorem immotum: materia hæc lariſsimè diſceptatur in Metaphyſica, & Theologia; nos vero de puncto pure Philoſophico, in præſenti aliquid breviter diſputare intendimus.

QVÆST. XX.

De ordine moventium, & mobilium.

1 ORdo moventium, & mobilium petit diſtinctionem inter illa, quæ diſtincto ponitur communiter à philoſophis inter conditiones requiſitas ad motum, & fundatur in illa celebri propoſitione Philoſophi: *omne quod movetur, ab alio movetur*: quam propoſitionem latè propugnant Thomiſtæ cum Ang. Precept. in præſenti, & alijs in numeris locis: nos vero quia præcipuam rationem pro tuenda veritate dictæ propoſitionis, latè proſequuti ſumus ſupra lib. 2. agentes de concurſu cauſæ primæ, ad operationes cauſarum ſecundarum: ideo ſolum in præſenti, ſubordinationem, & diſtinctionem mobilium inanimatorum à ſuis moventibus, vel motoribus, inveſtigabimus: pro quo ſit.

ARTIC. VNICVS.

Vtrum gravia, & levia moveantur à ſe? An vero à generante?

2 NOtum eſt experientia, gravia ad locũ deorſũ, & levia ad locũ ſurſum, moveri localiter, nullo extrinſeco impellente, ſi nullum ad ſit impedimentũ: cui autem tribuatur talis motus: Eſt celebre dubium inter philoſophos, cum ad talem motum concurrant, & removens impedimentum, ſi fortè adeſt; & formæ gravium, & levium; & gravitas, & levitas, quæ ſunt quaſi illorum proprietates; & ipſum generans, quod dedit gravibus, & levibus *eſſe*, & ex conſequenti proprietates ad eſſe illorum conſequutas: meritò dubitatur, cui ex his tribuatur motus naturalis ipſorum ad locum naturalem, vel ipſorum centrum.

3 Certum eſt, gravia, & levia per accidens moverĩ à removente prohibens: difficultas eſt de principio per ſe, & principaliter influente in prædictum motum: hoc principium, & poteſt eſſe principium, *quod*, & principium *quo*; primum eſt ſuppoſitum movens, ſeu motor; ſecundum eſt forma, qua movens mouet, & motum movetur: Deinde moveri ab alio perſe, ſtare poteſt dupliciter, vel ab alio extrinſeco ſuppoſito, vel ab alia parte eiuſdẽ ſuppoſiti, in quo vna pars ſit movens, & alia mota: moveri ab alio hoc ſecundo modo, non opponitur cum eo, quod eſt

ſe movere, vel moveri à ſe, vt patet in viventibus, & infra declarabimus; at vero moveri ab alio ſolum primo modo, non componitur cum eo, quod eſt ſe movere, vel moveri à ſe, his ſuppoſitis.

§. I.

Vnica Concluſio.

4 GRavia, & levia non moventur à ſe, ſed à generante, vt à principio *quod* formali, & proximo. Contrarium huius concluſionis tenent Scotus, & omnes diſcipuli, quos ſequuntur plures Recentiores Societatis: Noſtra vero cõcluſio eſt expreſsè iuxta mentem Philoſophi, & Divi Thomæ, & ideo merito illam amplectuntur & omnes Thomiſtæ, & plures alij.

Ariſtotel. non ſolum habet, ſed probat noſtram aſſertionem 8. Phiſicorum à textu 29. vſque ad 33. in quo in ſumma concludit, quod animalia moventur à ſe motu ſpontaneo, & naturali: quia vna parte mediante, alia, & totum moventur: gravia vero; & levia per accidens moventur à removente impedimentum, per ſe vero à generante, quia per hoc differunt à viventibus, & ab his quæ moventur non naturaliter, ſed violenter: hæc in ſumma mens Philoſophi, quem interpretatur, & ſequitur Div. Thom. ibidem lect. 7. & 8. & alijs innumeris locis, quæ fideliter citata invenies apud Prado 2. part. metaphyſic. controverſia 13. artic. 2. §. 5. numero 43.

6 Ex hac doctrina Philoſophi elucidata à Div. Thom. ſummitur prima ratio: motus gravium, & levium ad locum illis debitum ex vi ſuæ generationis non eſt ab ipſis, vt à cauſa principali, & proxima ergo eſt à generante. Patet conſeq. Quia deficiente principio intrinſeco in gravibus, & levibus, non eſt aliud principium extrinſecum principalius, & proximis, quam generans. Antecedens prob. 1. Quia moveri à ſe tanquam à principio proximo principali eſt diſtinctivum uiventis à non vivente; ſed gravia, & levia in ſuo motu non vivunt: ergo.

7 Dices cum quodam Recentiore Societatis, quod moveri à ſe, & ab intrinſeco, motu locali progreſsivo, eſt proprium viventium, gravia, & levia licet ab intrinſeco moveantur, nõ moventnr progreſsive.

8 Contra 1. nam plantæ vivunt motu vegetationis, & nutritionis, qui non ſunt motus progreſsivi, non alia ratione, niſi quia à ſe moventur: ergo quilibet motus à ſe, vt à principio proximo principali, eſt proprius viuentium. Secundo, quia non ſolum animalia perfecta, ſed etiam alia imperfectiora ſunt vſiventia: & tamen motus progreſ-

ſivus ſolum convenit animalibus perfectioribus ; ergo moveri à ſe non ſolum motu progreſſivo, ſed etiam alio quocumque motu phyſico, ſufficiet ad rationem vitæ.

Denique, nam ſi gravibus, & levibus conceditur principium intrinſecum, proximum, & principale ad mutandum locum à ſe ipſis; nihil illis deficiet, vt etiam ſe moveant progreſſivè, quia motus progreſſivus animalis non in alio conſiſtit, niſi in hoc quod eſt à principio intrinſeco ſui, aut à ſe ipſo poſſe mutare locum.

9. Secundo prob. primum antec. quia inter movens, & motum requiritur diſtintio realis, vel ſuppoſitorum, vel ſaltim partis per ſe moventis, & partis per ſe motæ in eodem ſuppoſito: Sed primum firmat noſtram concluſionem ; ſecundum non reperitur in gravibus, & levibus; ergo à ſe non moventur per ſe, vt à cauſa principali, & proxima. Min. quoad primam partes conſtat, quia ſi movens eſt diſtinctum ſuppoſitum à moto, neceſſario debet eſſe illi extrinſecum, quod non eſt aliud niſi generans: & quoad ſecundam eſt æque certa; quia pars per ſe movens diverſæ rationis debet eſſe à parte per ſe mota, cum debeat habere diverſam virtutem, & activitatem, vt patet in viventibus, in quibus organizatio partium ad hoc ſolum dirigitur: in gravibus, & levibus omnes partes ſunt eiuſdem rationis.

Mai. vero prob. tum quia omne quod movetur, ab alio debet moveri: tum, quia id quod eſt per ſe movens, debet eſſe in actu, & id quod eſt per ſe motum, debet eſſe in potentia, & idem ſecundum idem nequit eſſe in actu, & potentia, quarum propoſitionum vim latè propugnavimus ſupra agentes de concurſu prævio Dei ad actus cauſæ naturalis non liberæ: videatur ibi.

20. Secunda ratio pro concluſione: generans eſt cauſa principrlis, & proxima omnis illius perfectionis, quæ debetur genito in inſtanti generationis iuxta ſuam naturam, & formam ; ſed motus gravium, & levium vnicè eſt ad acquirendam perfectionem debitam ipſis in inſtanti generationis iuxta ſuam naturam, & formam; ergo motus gravium, & leuium eſt à generanre, tanquam à cauſa principali, & proxima: mai. conſtare videtur: tum ex illo priincipio: *qui dat formam, dat conſequentia ad formam*: tum quia perfectio debita genito in inſtanti generationis, eſt complementum generationis, & generans eſt cauſa principalis generationis cōpletæ: tū, quia perfectio debita genito in inſtāti generationis eſt devita illi ex vi ſuæ generationis, quia ſicut ex vi huius habet eſſe, ex vi huius habet perfectionē

complentem ſuum primum eſſe, omne autem quod genitum habet ex vi ſuæ generationis, habet à ſuo generante, vt à cauſa vnica principali.

11 Min. vero prob. 1. eſſe in loco, & ſitu determinato in vniverſo, iuxta propriam naturam gravium, & levium, eſt perfectio devita ipſis in inſtanti generationis; ſed motus gravium, levium vnice dirigitur ad prædictum locum, & ſitum adquirendum; ergo vnice dirigitur ad acquirendam perfectionem ipſis deuitam in inſtanti generationis iuxta ipſorum propriam naturam Min. eſt certa, non alia ratione levè movetur ſurſum, & grave deorſum; niſi quia naturæ levis, vt pote perfectiori, debetur in vniverſo locus ſuperior, & gravi,, vtpote inferiori, debetur locus inferior: mai. vero prob. viventia in hoc differunt à non uiventibus, quod naturalis diſpoſitio, & perfectio viuentium eſt, eſſe in motu, quare idem eſt in vivente carere omni motu à ſe, ac illius mors: at vero naturalis diſpoſitio, & perfectio non viventium eſt quieſcere; ſed quies naturalis petit locum naturalem in vniverſo; ergo eſſe in loco, & ſitu determinato in vniverſo iuxta propriam naturam gravium, & levium, eſt perfectio illis deuita in inſtanti generationis.

12 2 prob. illa min. quieſcere in loco proprio, & connaturali, eſt quædam proprietas, & paſsio naturæ granium, & levium: quia gravitas, & levitas primo, & per ſe dantur ad quieſcendum in propio loco: ergo motus ad acquirendam prædictam quietem eſt motus qui dirigitur ad acquirendam perfectionem debitam gravibus, & levibus iu Inſtanti generationis, quia in inſtanti generationis debetur genito proprietas ſuæ naturæ: ac per conſequens id quod neceſſario requiritur ad illam acqui rendam: tunc ſic, ſed proprietates ſequutæ ad naturam gravium, & levium ſunt à generante, vt à cauſa vnica, & principeli, vt de omni proprietate diximus agendo de cauſa efficiente: ergo motus, qui vnice deſervit in gravibus, & leuibus ad acquirendam quietem, quæ eſt illorum, quaſi proprietas, erit à generante, vt à cauſa vnica principali.

13 Cõf. hæc ratio, ſi gravia, & levia in inſtanti generationis quieſcerẽt in proprijs locis, talis quies eſſet ab ipſis per emanationem, & à generante vt à cauſa principali proxima, quæ non ſolũ dat eſſe, ſed etiam omne illud quod in tali inſtanti complet in eſſe, quale eſt omnis proprietas, vel quod perficit ad modum proprietatis devitæ; ergo quoties requiritur motus ad acquirendũ illã quietẽ, requiritur ad acquirẽdũ id quod gravia, & levia vnicè habẽt à ſuo generante; ſed acquirere id

 quod vni

vnice habetur á generante, nequit eſſe ab alio, niſi à generante: ergo motus gravium, & levium ab alio non eſt niſi à generante.

§. II.

Obiectiones ſolvuntur.

14 Obijcies 1. ſpecialiter contra rationes, quibus cōcluſionem probavimus: dantur quam plurimæ actiones, vel motus pertinentes ad naturalem diſpoſitionem, & perfectionem geniti, qui non ſunt à generante, vt à cauſa proxima principali: ergo ex quo motus gravium, & levium pertineat ad illorum naturalem diſpoſitionem & perfectionem, non ſequitur debere tribui generanti.

15 Antecedens prob. 1. in non viventibus, illuminatio in ſole; calefatio, & generatio alterius in igne pertinent ad eorum naturalem diſpoſitionem, & perfectionem; & tamen tales motus, & actiones non ſunt à generante ignem, vel ſolem; ſed ab ipſis principaliter. ergo.

16 Secundo: motus augmentationis, nutritionis, & reſpirationis in viventibus, pertinet ad eorum naturalem perfectionem, & diſpoſitionem: nec tamē tales motus ſunt à generante: ergo idē quod prius.

17 Tertio, & principaliter, quia motus cordis pertinet ad naturalem diſpoſitionem, & perfectionem animalis in primo inſtanti: & tamen motus cordis non eſt à generante: ergo Maior conſtat ex ſupra dictis, quia ſicut quieſcere eſt naturalis diſpoſitio, & perfectio debita non viventibus in primo inſtanti; ita motus, aut moveri eſt perfectio, & diſpoſitio debita viventibus in primo inſtanti, imo in illo conſiſtit eorum vita, quam à primo inſtanti generationis habent: motus autem cordis eſt primus vitæ animalis, ac ſubinde debitus illi in primo inſtanti. Minor vero prob. Quia motus cordis eſt vitalis: ergo à principio intrinſeco vitali: ergo non à generante, quod eſt principium extrinſecum.

18 Negatur anteced. argumenti, ad primam probationē decimus, quod illuminatio in ſole, & calefactio in igne (quamvis illis conveniant in primo inſtanti generationis) licet ſint actus, vel motus perficientes illos, non perficiunt illos conſtituendo in ſtatu, & diſpoſitione ipſis debita pro inſtanti generationis; ſed ſupponendo in illis talem ſtatum, & diſpoſitionem media potentia proxima illuminativa, & calefactiva, quæ à generante eſt; perficiūtur poſtea medijs actibus talium potentiarum: vnde motus illuminationis, & calefactionis licet ſint perfectiones ſolis, & ignis, non vt illorum paſſiones, vel

vel vt acquiſitio alicuius paſsionis, qualiter quies, & motus ad illam comparantur ad gravia, & levia; & idcirco horum motus, & quies generanti tribuitur, non vero illuminatio, & calefactio ignis, & ſolis.

19. Ad 2. dicimus, quod illi motus viventium ſunt illorum perfectiones, ſupponentes illa in ſtatu, & diſpoſitione connaturali, vt à ſe moveantur, & poſsint terminum motus acquirere, ad quod ſufficit; quod viventia habeant potentiam augmentativam, & nutritivam; & vlterius medio motu cordis ſint in actu ſufficienti, vt poſsint ſe applicare, & ſuasi potentias, ad motum augmentationis, & nutritionis, quod ſolum probat, quod potentiæ viventium, & illarum primus motus ſint à generante, quia hæc pertinent ad illorum connaturallem diſpotionem, & ſtatum debitum ipſis, pro inſtanti generationis, ut illorum propria paſsio, & complementum generationis illorum; (ſicut motus, & quies comparantur ad gravia, & levia) non vero quod motus, & actiones viventium inde ſecutæ, debeant tribui generanti.

20. Ad 3. conceſſa mai. neg. min. Nam motum cordis eſſe à generante videtur mens expreſſa Angel. Præceptoris, *Tum* 1.2. quæſt. 17. artic. 4. ad 2. tum Opuſc. 35. *de motu cordis*, & alijs in locis, vbi primum motum, ſeu operationem incipientem cum eſſe rei viventis tribuit generanti: quem ſequuntur Thomiſtæ: & convincit ratio à nobis indicata in prob. mai. Huius tertiæ probationis, quam ex D. Thom. de ſumpſimus.

21. Vnde circa prob. min. varie opinantur Authores noſtri: aliqui dicunt motum cordis non eſſe vitalem formaliter per modum actus ſecundi; ſed ſolum vitalitate proprietatis conſequentis formam vitalem, ſeu vitalitate principij.

Alij dicunt motum cordis eſſe vitalem per modum actus ſecundi, & cor vere, & proprie vivere per illam: qui inter ſe dividuntur nam Aliqui diſtingunt inter actum vitæ animalis, & actum mere vitalem; primus quidem debet eſſe à principio intrinſeco ipſius viventis: ſecundus licet ſit ab anima, non quidem media actione ipſius animæ, ſed preciſſe naturali reſultantia: Aliqui vero dicunt, quod quia motus cordis infimum locum tenet inter motus vitales; ſufficit, vt procedat à principio intrinſeco dimanative, & effective à principio extrinſeco: Aliqui denique dicũt idem de motu cordis, ac de primis actibus intellectus, & voluntatis, nempe, quod ſunt à principio intrinſeco viventis elicitive, & aplicative à principio extrinſeco, nempe à generante.

22. Omnes iſtos modo

ſtos non vacat in præſenti examinare; & cum illorum Autores, vtpote diſcipuli D. Thomæ, nobiſcum in concluſione, & rationibus probativis conveniant; quilibet in ſuo modo debet ſolvere argumentum: & quidem iuxta primum modum facile ſolvitur tertia probatio principalis argumenti: conceſſa mai. neg. min. ad cuius probationem diſting. antec. eſt vitalis vitalitate proprietatis, ſeu per modum principij, conced. antec. per modum actus ſecundi, neg. antec. & diſting. conſequens, à principio intrinſeco vitali effectivo, ſeu elicitivo, neg. conſeq. dimanativo, conc. conſeq. vnde, ut motus cordis ſit vitalis hoc ſecundo modo, ſufficit quod dimanet à forma vitali; & quod medio illo motu, animal ſe moveat ad operationes vitæ, vt videre eſt in ipſis potentiis vitalibus, & quod effectiuè ſit à generãte ſicut motus gravium, & levium.

22 Nec dicas primo, quod motus cordis eſt vitalis per modum motus, & exercitii; ergo non per modum principij, ſed potius per modum actus ſecundi. 2. nam per alia principia vitalia viuens; non movetur in actu ſecundo, bene tamen per motum cordis, ergo huius vitalitas eſt per modum actus ſecundi, & ab intrinſeco elicitivè.

Ad primam dicimus, quod eſt vitalis per modum exercitij cordis à generante; ſed non per modum exercitij cordis à ſe ipſo elicitivè. Ad 2. dicimus, quod licet cor moveatur in actu ſecundo, non vero alia principia vitalia; tam hæc, quam motus cordis, conveniunt in hoc quod eſt non conveuire ab intrinſeco ipſis viuentibus elicitivè, quod requirebatur, vt motus cordis non ſolum eſſet exercitium actuale, ſed etiam vita actualis cordis, & viventis.

24 Nec iterum dicas, quod ſi motus cordis non eſt vita actualis, cum alias ſit initium vitæ actualis animalis, iam huius vita actualis, habebit pro initio carentiam vitæ actualis: quod videtur falſum. Reſp. quod perfectio aliqua non requiritur quod formaliter reperiatur ſemper in ſui principio, ſufficit quod in illo reperiatur virtualiter: actio deliberata eſt perfectio agentis rationalis, & initium talis actionis per modum vitæ actualis rationalis, eſt actio non deliberata, & in hominibus, nec adhuc libera.

25 Iuxta primam explicationem ſecundi modi dicendi, ille actus merè vitalis, vel aſt ab anima affectivè, vel ſolum dimanativè; ſi hoc ſecundum, coindicit cum modo dicendi nuper relato: ſi primum, male dicitur, quod non procedit ab anima media ipſius animæ actione, & ſi procedit (vt videtur neceſſarium, ſi eſt ab anima eſſectivè) coincidit, cum

vltima explicatione iuxta quam poſtea ſoluemus argumentum.

26 Secunda explicatio ſecundi modi dicendi, vel coincidit cum primo modo dicendi (iuxta quem iam eſt ſolutum argumentum) quatenus motum cordis ponit eſſe ab intrinſeco dimanativè, & effectivè ab intrinſeco: & hoc eſt dare vitam motui cordis ſolum per modum proprietatis, & principij, non vero per modum vitæ actualis: vel intendit quod ſit vita actualis cordis, quamvis ab illo effectivè non ſit, ſed præciſe dimanative: & hoc eſt difficile, quia vita actualis, quantumvis infima, ſine diſtinctione ab actu non vitali, nempe ſine proceſſu effectivo à principio intrinſeco, videtur chymæra.

27 Denique, iuxta vltimam explicationem ſecundi modi dicendi (quæ frequentior eſt inter Thomiſtas) ſolvitur argumentum concedendo antec. probationis min. & diſting. illud primum conſequens; à principio intrinſeco vitali pure elicitivè, conc. conſeq. motivè, ſeu applicativè, neg. conſeq. & etiam conſequens ſubillatum; talis enim motus non eſt emanatio alicuius paſsionis, ſed actio elicita ab ipſo vivēte, dependent er tamen à generatione, & generante producente viuens ſic actuatum; ut eliciat illum primum motum, quo conſtituatur in rationi principij moti, & ſe moueat: quod quidem pertinet ad diſpoſitionem, & ſtatum naturalem viuentis, ut diſtinguitur à non viuentibus, quorum ſtatus connaturalis eſt quieſcere; ut ſupra dictum eſt.

28 Sed inſtas 1. in corde non eſt diſtinguere partem mouentem, & partem motam, cum illius partes ſint eiuſdem rationis: ergo vel motus cordis non eſt vitalis, vel male negavimus in prima ratione, propter defectum huius conditionis, quod grauia, & leuia non moveantur à ſe.

Inſtās 2. quia ſi ad vitā auctualē ſufficit elicere motū, nō uero ſe mouere; ignis, & alia nō viuētia activa viuerēt in elicientia ſuarū actionum; quod eſt falſum.

Ad 1. dicimus, quod licet in corde non diſtinguatur pars mouēs, & pars mota, ipſū tamen eſt pars viuentis, quæ mota à generante, mouet alias partes; vnde licet in illo quod uiuit cōplete ſe mouendo non ſolū eliciendo actum, ſed ſe aplicādo ad illū, requiratur diſtinctio partiū, & actionum; in illo vero quod ſolū uiuit initiatiuè, & ſe mouendo non applicatiuè, ſed ſolum eliciriuè, hoc non requiritur: ſicut in primo actu intellectus, & uoluntatis concedunt noſtri Thomiſtæ grauia enim, & leuia nec ſunt pars alicuius totius etherogenei, quæ mota moueat alias partes: nec ſunt totū conſtans ex partibus diuerſæ rationis; ex

quo recte infertur. quod nec habeant motum à ſe elicitive, ſicut cor, nec à ſe applicative, & elicitive, ſicut vniens completum.

29 Ad 2. dicimus, quod ad vitam adhuc incompletam, ſeu initiativam, non ſufficit, quod aliquis ſuam actionem eliciat, imo nec quod illam in ſe recipiat. (alias omne agens actione tranſeunte, quæ in noſtra ſententia, in ipſo recipitur, eſſet vivens) requiritur ergo, tum quod ſe moveat non ſolum per actionem, ſed per terminum vltimate productum ab agente: alias non ſe movebit, ſed movebit à ſe: quocirca ignis non vivit, qnia licet recipiat calefactionem, quæ eſt actio non calefacit ſe ipſum, ſed calefacit, & alterat paſſum: Tum requiritur, vt aliquid vivat, quod actio quam elicit, & recipit, ſit talis, vt ad eam, vel ſe applicet virtute prioris actus, vel per eam conſtituatur in actu, vt poſsit ſe movere aplicative ad vlteriorem actum: quæ duo non conveniunt nec igni, nec cuilibet agenti elicienti, & recipienti actionem; & ſic nec vivent initiative, nec completive.

30 Obijcies 2. Gravia, & levia habent principium proximum elicitivum ſui motus: ergo ſicut propter iſtam rationem calefactio ignis, & illuminatio ſolis, non ſunt à generante: ita nec motus gravium, & levium: Prob. antecedens: Talis motus eſt active à gravibus, & levibus: ergo à forma illorum, tanquam principio radicali, & à gravitate, & levitate, tanquam à principio proximo.

31 Negatur anteced: Ad illius prob. diſting. antec. eſt active dimanativè, conc. ant. Activè elicitivè per verã actionem ab illorum forma, & gravitate aut levitate procedentem, neg. ant. Nec valet dicere: quod principium activum dimanationis eſt ſolum reſpectu proprietatum, non vero reſpectu actionis, vel exercitij ipſarum proprietatum: Vnde licet forma gravium, & levium ſit principium activum dimanationis gravitatis, quæ ſunt proppprietates; non vero motus, qui eſt veluti actus, & exercitium gravitatis, & levitatis.

32 Non inquam valet: in gravi enim, & levi principium *quod* motus per modũ efficientis, & moventis eſt generans: principium *quo* activum & elicitivum eſt forma generantis: principium vero *quo* etiam activum activitate præciſſe dimanationis eſt forma gravium, & levium media gravitate, & levitate vnde licet grauitas, & levitas dimanẽt tanquam paſio a forma gravium, & levium; hoc non tollit, quod motus illorũ etiam media gravitate dimanet: quia vna paſsio mediãte alia ſolet dimanare, vt voluntas medio intellectu: quies in loco naturali, & ex conſequenti motus ad illam, dimanant

nant

nantur mediante gravitate: quia locus convenit immediate ipſi ſubſtantiæ, ſed mediante quantitate, quantum ad extenſionem, & mediante qualitate, gravitate, ſcilicet, & levitate quantum ad rationem loci naturalis conſervativi.

Cætera argumenta coincidunt cũ illis, quæ diluimus, lib. 2. agendo de dimanatione, ut de reductione aquæ ad priſtinam frigiditatem, & alia parum, aut nihil habent difficultatis.

LIBER VIII.

PHYSICORVM.

De qualitate primi motus, primique motoris.

OCto libris Phyſicorum finem imponit Philoſ. inquirendo in hoc vltimo; qualis ſit primus motus, primuſque motor, & primum mobile? Occaſione quorum diſputat de Initio motus, & oſtendit motum eſſe ſempiternum: nos igitur, hac etiam ocaſione, de æternitate mundi breviter ſequenti quæſtione diſputare paramus.

QVÆST. XXI.

De æternitate Mundi.

1. IN præſenti quæſtione nomine mundi intelligitur vniverſitas creaturarum; ſub quibus comprehenduntur ſubſtantiæ corruptibiles, & incorruptibiles: & quæſtio poteſt procedere de rebus permanentibus, & de motu ſucceſſivo; & rurſus de ipſis creaturis poteſt eſſe ſermo, vel in ſtatu in quo nunc ſunt; vel variata diſpoſitione; & ſtatu quem modo habent: circa quod.

ARTIC. I.

Vtrum res permanentes potuerint eſſe ab æterno?

2. DVo in fide certa ſunt in præſenti ſupponenda: primum Deum liberè hoc Mundum produxiſſe, nulla eum cogente neceſſitate; potuit enim illum non producere, & poteſt nunc illum deſtruere: Secundum eſt, mundum, & eius motum incepiſſe in tempore; quare ſolũ de poſsibili procedit difficultas præſens, & ſolum de rebus permanentibus.

3. *Vnica concluſ.* Creatura permanens potuit eſſe ab æterno:

co-

contrarium huius tenuerunt ex antiquis: B. Albertus Magnus, Enric. Marſilius, & ex recentioribus, Leſius, Valentia, Tanetus, Toletus, & alij: Sed concluſio communis eſt, & D. Thomæ, illiuſque diſcipulorum, & plurium aliorum, cuius præcipuum fundamentum eſt ſolutio argumentorum: Deinde prob. hac ratione: non repugnat ex parte Dei; tum quia eandem habet potentiam ab æterno, quam nunc: tum quia cauſa completa, & in vltima actualitate, operatur quando vult, vel in primo inſtanti quo eſt: tum quia ſi actio eſt inſtantanea, qualis eſt actio creativa Dei, non eſt neceſſariũ, quod faciens, ſit prius facto duratione, (vt patet in illuminatione.

3 Rurſus non repugnat ex parte facti, vel effectus. Tum quia ita eſt poſibilis ab æterno, ſicut nunc, nec aliqua impoſibilitas advenit rei permanenti ex ſui æternitate, vt videbimus ſolvendo argumenta: tum quia dantur creaturæ permanentes æternæ à parte poſt, & non eſt cur non poſſint dari à parte ante: Tum denique, quia æternitas talis creaturæ non eſſet per eſſentiam, ſed ſolum coexiſteret æternitati à parte ante, ſicut Angelis, & animabus datur coexiſtere æternitati à parte poſt.

4 Sed oppones. 1. dictum Aug. 12. de Civitate cap. 15. *Angelos non potuiſſe eſſe coæternos creatori.* Hugo lib. 1. de Sacramentis cap. 10. ait: *Fugit divinam virtutem, vt aliquid ſibi coæternum faciat.* Præterquamquod PP. Eccleſiæ ideo probant contra Arrianos Verbum Divinum non eſſe creaturam, quia ab æterno eſt: ergo eſſe ab æterno attributum Dei eſt: Reſp. æternitatem per eſſentiam eſſe attributum Dei, ex qua PP. recte intuliſſe verbum non eſſe creaturam, & in hoc ſenſu inteligendus eſt Aug. & Hug. vt exponit D. Th. q. 3. de Pot. art. 14. ad 1.

5 Oppones 2. ſequeretur in creatura poſſe eſſe infinitam virtutem, vt ſi tota æternitate intenderetur calor aut gratia, creſcerent in infinitum, cum duratio eſſet infinita: reſpond. quod intenſio caloris, & gratiæ eſt motus, de cuius æternitate artic. ſequenti; at vero infinitas durationis caloris, & gratiæ, non arguit infinitatem in eſſe, & virtute rei durantis, ſed in actione, & virtute cauſæ conſervantis rem in eſſe: quia vt ſupra diximus, duratio non diſtinguitur ab exiſtentia rei durantis, quam res non habet à ſe, ſed ab agente.

6 Oppones 3. Sequeretur creaturam aliquam eſſe inanihilabilem per æternitatem aut infinitam durationem; quia ſi ab æterno incepit, duravit infinitè; quia duratio ab æterno infinita debet eſſe à parte ãte. Reſp. quod ex ſuppoſitione creationis ab æterno, non poteſt illa res anihilari ab eterno, ſed in tempore: ſicut

ex

ex ſuppoſitione creationis rei in hoc inſtanti, non poteſt annihilari in hoc inſtanti, ſed in ſequentibus: vnde impoſſibilitas ad annihilationem per illam infinitam durationem, non eſſet abſoluta, ſed ex ſuppoſitione Deo plenè libera.

7 Oppones 4. Repugnat creatura cui non poſsit aſsignari initium ſuæ inceptionis, alias non haberet initium ſui eſſe, quia tunc, incipit, quando primum habet eſſe. Confir nec illa creatura eſſet ex nihilo, quia nunquam eſſet verum dicere; quod non erat. Reſp. quod licet non poſsit aſsignari initium durationis per primum terminum inceptionis deſignabilem, eſſet aſsignabile initium ſui eſſe, hoc eſt initium originis, & cauſalitatis; quod ſufficit ad creationem, & productionem rei finitæ, & dependentis, ad differentiam proceſsionis divinarum perſonarum, quæ ſine dependentia procedunt ab æterno æternitate non participata; ſed eſſentiali propria ipſius Dei. Ad conf. dicimus quod licet pro aliqua duratione non poſsit verificari de re, quod non erat; poſſet tamen verificari pro aliquo priori naturæ: Deinde cum ex nullo præſuppoſito ſubiecto fieret, fieret ex nihilo ſufficienti ad veram creationem.

8 Oppones 5. Deum libere non creare illam creaturam, ſi ab æterno illam crearet: quia non libertate antecedente creationem quia non datur ante, reſpectu rei ab æterno exiſtentis: nec libertate committante creationem, alias poſſet ſimul creare, & non creare; præterquamquod omne dum eſt neceſſario eſt: nec poſt ipſam creationem; quia ad præteritum non datur potentia.

Reſp. Deum liberè poſſe ab æterno creare libertate antecedente antecedentia, licet non durationis, benè tamen originis, & veræ cauſalitatis, non repugnat quod exercitium liberum coexiſtat principio libero: vnde neceſsitas concommitans, & impotentia ſequta, non ſunt abſolutæ, ſed tantum ex ſuppoſitione, quæ non opponuntur libertati.

Oppones denique creatura ab æterno producta, vel duraret per durationem indiviſibilem correſpondentem æternitati à parte ante; vel per durationes ſucceſsivas componentes tempus æternum à parte ante: non primum, alias ſe ipſa, & eſſentialiter eſſet æterna, quod videtur creaturæ repugnare; quia ſolum æternitas per eſſentiam, eſt hoc modo indiviſibilis; ſi ſecundum, eſt falſum, quia repugnat motus ſucceſsivus a parte ante æternus.

Reſp. quidquid ſit de duratione ſucceſsiva per modum motus, an ſit poſsibilis, an non? De quo artic. ſequenti: quamvis admitteretur duratio indiviſibilis infinita à parte ante, non videtur inferri immediate eſſentiam

tionem per eſſentiam, ſed participatam, quia duratio eſt exiſtentia rei durantis connotans actionem agentis conſervantis, quæ omnia tantum poſſunt convenire creaturæ duranti duratione æterna participata.

ARTIC. II.

Vtrum res ſucceſivæ potuerint eſſe ab æterno?

10 Aliæ ſunt res, quoad ſuam eſſentiam ſucceſivæ, vt motus, & tempus; aliæ ſunt permanentes, quarum eſſe connaturaliter acceptum ſubditur motui, vt res generabiles, & corruptibiles ſubduntur motui alterationis, qui eſt ſtricte talis: inquirimus: an motus, & res generabiles, & corruptibiles, prout reduplicative ſubdantur generationi, & corruptioni, potuerint eſſe ab æterno.

11 Certum eſt 1. implicare generationes hominū ab æterno eſſe, ſuppoſita impoſſibilitate infiniti in actu, quod manifeſte ſequeretur ex æternitate humanarum generationum, quia iam eſſent tranſactæ infinitæ generationes (alias ſi eſſent finitæ à parte ante; non eſſent ab æterno) ergo quamvis infiniti homines perijſſent, animæ illorum infinitæ, vtpote immortales actu remanſiſſent: idem dicendum eſt de animabus equi; vel leonis ſi Deus miraculoſe illas conſervaret ſine materia, pereuntibus equis, & leonibus.

12 Certum eſt 2. Implicare, quod aliquid generetur per motum, & præviam alterationem, & quod fiat ab æterno; quod demonſtrat D. Thom. va ijs in locis, quia implicat, quod cauſa præcedat effectum tempore, vel duratione aliqua determinata, & quod effectus ſit ab æterno, cum deſignetur duratio, in qua effectus non erat; ac ſubinde non ab æterno, nec ſemper fuit; ſed quotieſcumque res generatur prævio motu, vel alteratione, cauſa præcedit effectum toto tempore, quo durat motus alterationis; ergo. Difficultas devoluitur ad motum ſtrictum, an potuerit eſſe ab æterno, & an ſit poſsibilis ab æterno ſucceſsio generationum ſubſtantialium rerum corruptibilium, quoad formam, & materiam?

13 *Concluſio*: Probabilius videtur implicare motum circularem Cœli eſſe ab æterno. Prob. ratione, quæ difficile ſolvitur, ſtando in natura motus natura motus ſucceſsivi, eſt conſtare ex partibus ſucceſsivis in tranſitu, ita vt vna deſinat, & alia incipiat; ergo nullus motus ad huc circularis (quia quoad hoc eſt eiuſdem naturæ cum alijs) potuit eſſe ab æterno: prob. conſeq. hoc ipſo quod detur aliqua pars motus, quæ numquam incepit (quod requiritur vt motus ſit ab æterno) illa nec potuit durare ſinito tempore, nec tempore infinito: non finito tempore, quia pars

po

poſt illam ſuccedens, etiam eſſet finita; & conſequenter motus ab æterno eſſet finitus; finitus enim à parte quæ nunquam incepit, quia duravit tempore finito; finitus etiam à parte ſequuta, & ſuccedente, quæ verè incipit, & deſinit; ergo motus ab æterno eſſet finitus, quia finitum additum finito non facit infinitum à parte ante.

Quod autem illa pars, quæ nunquam incipit non poſsit durare tempore infinito etiam conſtat, quia alias toto illo tempore non eſſet ſucceſsio in motu, conſiſtens in eo, quod vna pars deſinat, & alia incipiat: motus ſine ſucceſsione partium non eſt motus, ſed aliud à motu eſſet ab æterno.

14 Sed oppones 1. rationem inſtari in duratione æterna motus à parte *poſt*: quia ſicut ad æternitatem motus à parte antè requiritur pars illius nunquam incipiens; ita ad ęternitatem illius à parte poſt, requiritur pars motus numquam deſinens: de qua inquiritur idem, an duret infinito tempore, vel finito?

Reſp. neg. antec. & redendo diſparitatem, quia ad æternitatem motus à parte poſt, non requiritur, quod aliqua illius pars nunquam deſinat, ſed ſufficit, quod ſucceſsio partium ſucceſsivè incipientium, & deſinentium, nunquam deficiat, quod eſt dare infinitum ſincathegorematium partium finitarum motus, & illius durationis à parte poſt: ad æternitatem motus à parte ante, requirebatur quod nō inciperet ſucceſsio partiū incipientium, & deſinentium (quia in partibus prout ſic conſiſtit eſſentia motus) ergo requiritur aliqua pars non incipiens, quæ neceſſario ſit deſinens, vt alia pars incipiens, & deſinens ſuccedit: de illa igitur, vel illis partibus motus, quæ ab æterno ſunt, & non incipiunt, cum tamen deſinant, inquirimus, ſi ante ſui deſitionem duraverunt finito, vel infinito tempore? Vel an ſicut non habet initium earū eſſe, non habuerit initium earum deſitio? Quod eſt chymæra, & in æternitate à parte poſt non habet locum.

15 Oppones 2. motus carens principio, eſt motus ab æterno, ſed motus circularis poteſt fine, & principio carere; ergo. Prob. min. quia ipſamet figura circularis acta non habet finem aut initium, cum actu non habeat vllam diviſionem.

Reſp. diſting. min. poteſt fine, & principio carere, ex parte mobilis in quo fit, conc. min. & hoc tantum convincit minoris probatio: ex parte durationis, nego min. in motu etiam circulari, opportet vnam partem tranſire, & aliam ſuccedere, & ſic quælibet pars debet finite, aut infinite durare: primum opponitur motui ab æterno, ſecundum opponitur eſſentiæ motus,

16 Oppones 3. Div. Thom. quæſt.3.de Potentia art. 17. ad 17. : *Quod illa ratio non probat, quod motus ſemper fuerit; ſed quod motus circularis poſsit ſemper eſſe.* Deinde 2. contra gent. cap 38. ad 2. ait : *Quælibet circularis præcedentium tranſire potuit, quia finita fuit : in omnibus autem ſimul, ſi mundus ſemper fuiſſet, non eſſet accipere primam, & ita nec tranſitum, qui ſemper exigit duo extrema.* Vbi apertè admittit poſsibilem æternam durationem motus circularis.

Ad primum dicimus, quod ibi Div.Thom. aſſertive non loquitur, nec reputat efficax illud argumentum, cum concludat, quod ex mathematicis, nihil efficaciter de motu concluditur; nec Philoſoph. ex circulatione motus oſtendit illius ęternitatem abſolute, ſed ſuppoſita ęternitate, aſſerit illam ſolum motui circulari poſſe convenire, quod eſt non abſolute aſſerere, ſed ex ſuppoſitione.

Ad 2. dicimus, potius in illis verbis fundari noſtram rationem, cum fateatur Div Thom, non poſſe eſſe tranſactas infinitas circulationes collective, & ex eo quod non poteſt accipi, vel deſignari prima; nec etiam poteſt accipi tranſitus, ſine quo ſicut motus non eſt, nec etiam ab ęterno motus eſt.

17 Ex his infertur generationes rerum, & alios motus ſucceſsivos, non potuiſſe eſſe ab æterno: hoc vltimum conſtat ex dictis, quia ratio præcedentis concluſionis, probat de omni motu habente tranſitum ſucceſsivum ſuarum partium: circa ipſas generationes, iuxta modum connaturalem ab illis exactum, nempe cum motu alterationis præcedente, conſtat, quia ſi repugnat ab æterno alteratio, etiam repugnat ab æterno terminus alterationis, qui eſt generatio,

18 Si dicas ignis, & ſtupa potuerunt eſſe ab æterno, cum ſint res permanentes ergo potuit ab æterno ignis applicatus ſtupæ produci: vel tunc caſus illam cõburet, vel non: ſi primum, eſſet generatio ignis ab æterno: ſi ſecundum: ergo ab æterno productis, & applicatis combuſtibilibus eſſet ſine operatione, & effectu, per infinitam durationẽ ſine miraculo.

19 Reſpond: quod ſicut non eſt miraculum, quod motus alterationis ignis applicati ſtupæ non incipiat in inſtanti intrinſeco, in quo eſt verum dicere, *nunc eſt applicatus igni* (hoc eſt applicatione facta in inſtanti, & non per motum) quia alteratio, non poteſt incipere intrinſece, nec coexiſtere inſtanti intrinſeco cum igne applicato, ita nec eſſet miraculum, quod alteratio non coexiſteret igni ab æterno creato, & ſtupę applicato, quia motum non eſſe à movente pro duratione motui repugnante non

eſt

eſt miraculum,ſed potius neceſſarium,& conforme naturæ mototis,& motus.

Præterquamquod ignis applicatus ſtupæ ab æterno fuit: ergo ſtupa ab æterno fuit : ergo vel corrupta,vel non:Si primum; ergo fuit; non duravit quia ab æterno fuit ; non durauit quia ab æterno corrupta fuit ; ſi ſecundum: ergo ſtupa fuit ab æterno ſine ſui corruptione cum igne ſibi ab æterno applicato ; inquiro hoc eſſet miraculum ? Idem dicam de ignis generatione in ſtupa, nempe quod quam primum poſſet incipere alteratio ; & ſtupa corrumpi , fieret generatio non ab æterno ; ſed in tempore.

Sufficiant dicta , vtinam cædant in gloriam Dei, eiuſque Genitricis Sacratiſsimæ , nec non , & Doctoris Angelici, noſtri inſignis Collegij, Lucis, Ducis,& Patroni.

FINIS.

A. VOLPARI
DORATORE E LEGATORE DI LIBRI
ROMA